TRACTATUS
DE MORBIS
CUTANEIS.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b3041023x

TRACTATUS
DE MORBIS
CUTANEIS.

PARISIIS,

Apud P. Guillelmum CAVELIER, viâ San-Jacobæâ,
ſub Signo Lilii aurei.

M. DCC. LXXVII.

CUM APPROBATIONE ET PRIVILEGIO REGIS.

OUVRAGES DU MEME AUTEUR.

RIC. Mead Opera omnia, partim ex Anglico tranſlata, partim edita Pariſiis, apud Guillelmum Cavelier; 2 vol. *in*-8°. 1751.

Eſſai ſur les Alimens, pour ſervir de Commentaire aux Livres Diététiques d'Hippocrate; 2 vol. *in*-12. Vincent: 1753, 1757.

Aphoriſmi Hippocratis cum Notis, anno 1759. Cavelier.

De Melancholiâ & Morbis Melancholicis: 1765. Cavelier.

Mémoires ſur l'Hiſtoire de la Faculté de Médecine de Montpellier, par M. Aſtruc, avec l'Eloge de l'Auteur, une Préface & des Notes; *in*-4°: 1767. Cavelier.

Eſſai ſur la Conformité de la Médecine ancienne & moderne de Barker, avec des Notes; ann. 1768. Cavelier.

Sanctorii Sanctorii Medicina Statica, cum Commentariis; *in*-12: 1770. Cavelier.

Aſtruc Pathologia; 1767. Cavelier.

Tractatus de Morbis Cutaneis; *in*-4°. 1777. Cavelier.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ANN.

ANN. CAROLUS LORRY,

D. M. P.

STEP. LUD. GEOFFROY,

D. M. P.

QUANDOQUIDEM illud, vir ornatiſſime, divinam æthereæ auræ, quæ in hominibus ſpirat, particulam, à feroci brutorum animantium impetu diſtinguit atque diſcriminat, quod dùm hæc ad ea ſola quæ ſuæ naturæ propria ſunt inſtinctu vago feruntur, illi contrà ad totiûs generis humani utilitatem nati ſint atque comparati; ad hanc omni ope atque operâ extollendam & promovendam, totis viribus anniti & incumbere debemus. Cùm autem alii ſoliûs corporis viribus in publica commoda conſentire atque concurrere valeant, alii verò & ingenii & animi nixibus in illa procuranda conſpirent; hos quantùm mentis acies ſublimis molem corporis dignitate præcellit, illis præſtantiores haberi æquum eſt. Indè etiam ab iis utilitas uberior pleniorque jure repoſcitur.

In utilitatis publicæ gratiam ſoliùs artes omnes utiles illæ quæ ſocietatem hominum civilem aut conſtituunt aut firmant aut condecorant, quibus vigent & illuſtrantur reſpublicæ humanitatis gloriâ conſpicuæ, primùm inſtitutæ ſunt atque excultæ. Licèt enim ab harum artium inveſtigatione acriori ſingularem ſibi laudem & proprium vitæ ornamentum earum Profeſſores quæſierint, tamen ex hoc ipſo fonte laudum ipſis materies repetita eſt, quòd univerſæ conſuluerint utilitati & civile conſortium, aut tutius, aut præſtantius, aut ſaltem effecerint jucundius.

Præclara inter hæc inſtituta, ab obſervatione rerum naturalium nata, & ab illo quo ad miſeros ſublevandos prona fertur humanitas ardore educata eſt Medicina. Hæc incertis primùm titubans greſſibus, rerumque obſervatarum fata memorando tantùm referens, brevì ab eorum rationali comparatione firma ſibi & evidentia ſtabilivit fundamenta, quibus innixa per immenſum rerum ambitum acri ſtudio excurrit. Id verò præcipuæ atque eximiæ laudis ſibi vindicat, quòd nec temporum, nec locorum circumſcribatur anguſtiis, nec civitatum contineatur pomœriis, nec bellorum tumultu, aut odiis coerceatur hominum diſcordibus, ſed proſit omnibus, æqualiter diſpertitis in ſingulos beneficiis, æquè pauperibus atque ditiſſimis, æquè ſenibus atque imbecillæ puerorum ætati invigilans, propinquis, amicis, exteris, hoſtibus, cuilibet hominum ſocietati proficua. Sed præterea quod firmius, honorificentius, dulcius eſt, ampliſ-

ſimam omnium mercedem in ſe continet atque complectitur, benefacti conſcientiam.

Hinc à primis ſocietatum naſcentium exordiis plures maximique viri ad eam excolendam ſummo fervore incubuêre. Quos inter & ſapientiæ ſtudio, & eloquii potentiâ, & doctrinæ ubertate præcellit Hippocrates Coûs. Qui dùm artem per ſe, æternis conſtitutam principiis, evidentibuſque fultam axiomatibus exiſtere demonſtravit, philoſophicam ratiocinii promovendi methodum ſoli obſervationi contexuit. Utinam à puro atque illimi illo fonte omnes hauſiſſent! Sed optima quæque conſilia facilè pervertuntur. A ſincero veritatis amore ſæpè devios abduxit ea maleſuada famæ quærendæ & laudum arripiendarum cupido, quæ artes tam ſæpè violavit atque contaminavit. Scilicet levia ingenia præclarè ſe feciſſe arbitrati ſunt, ſi ſtupidorum hominum improvidos oculos in ſe convertiſſent. Undè tot opinionum commenta, tot verborum ampullæ, quibus aut ſeſe miſerrimè, aut alios nefariè deludebant.

Nec ulla eſt ratio cur ab hiſce artis infortuniis, nimius Medicos pudor inceſſat. Nulla eſt ex iis quæ hodie tanto ſplendore coluntur artibus, quæ non eadem fata experta ſit, atque hæc ſibi opprobria exprobrari non ſinat, aut poſſit exprobrata refellere. Unica enim ad veri fontes per ſimplicem obſervationis tramitem ſternitur via. Hanc non aliquandò deſerere vix humana patitur infirmitas. Tot undiquè latent inſidiæ, tot morantur obſ-

tantia, tot deficiunt media. Negliguntur alia, prætervidentur alia, alia demùm vix conſpiciuntur & illicò ex oculis aufugiunt.

Condonandum eſt ergo arti per ampliſſimum rerum naturalium ambitum diffuſæ, ſi ſacrum naturæ involucrum diſrumpere nondùm potuerit, ſi plurimis in caſibus hæſitanti adhuc greſſu incedat. Etenim Græcorum inter prudentes conatus, & feliciora recentium ſtudia, non tantùm diſcutienda ſuperfuit caligantium per longam ſæculorum ſeriem oculorum cœcitas, ſed etiam funditùs diruenda fuerunt, quæ in eruditæ ignorantiæ præſidium extructa fuerant munimenta. Ea porrò ſacra effecerat longa præjudicatarum opinionum meditatio, imò etiam hodiè vetus ipſa auctoritas labantia aliquâ ratione ſuſtentat.

Quod quidem contagium cùm omnes veneno artes afflaverit, Medicinam propiùs attigiſſe mirandum non eſt. Nam inter ejulatus miſerorum, artem qualemcumque implorantium, conſilium ex arenâ capiendum, in præcipiti occaſione, in ancipiti judicio, in ſummis rerum anguſtiis, temerarios facilè ultrà metam arripit, meticuloſos citrà retinet. Pudor excuſationem deficienti ſucceſſui prætexit, philoſophica arrogantia errores conſecrat. Hinc theoriæ falſæ, hinc ſilentis & mutientis obſervationis locum occupat ſcholaris loquacitas, quæ ne ignorantiæ crimen incurrere videatur, verba rebus ſubſtituit, non in enodandâ naturâ magis felix, quàm in agendo efficax.

Inter artis partes ab antiquioribus negligentiùs pertractatas, numerandi ſunt morbi cutem fœdo aſpectu vitiantes. Hi à Græcis veteribus ferè prætervisi ſunt, ſive ob locorum apud quos ars primùm inclaruit ſalubritatem, ſive ob priſtinæ vitæ ſeveritatem. Hinc nec ab Homero, nec ab Heſiodo de cute vitiatâ aliquid obſervatum, quamvis in Odyſſæâ ſordes pauperiorum & neglectorum hominum fusè Homerus deſcripſerit. Ab Herodoto, Thucydide, Diodoro Siculo mentio tantùm de morbis illis tanquam rariſſimis injecta, & veluti de re per auditum compertâ. Credebantur illi ad Barbaros tantùm & Aſiaticos luxu diffluentes pertinere. Imò apud veteres Perſas ſummè cautum eſt ne per commercia introducerentur illi (*a*). Priſtina etiam Romanorum auſteritas pleraque hæc vitia minùs noviſſe videtur. Ad pecudes, & vilia atque ære coempta mancipia ægritudines cutis ablegatæ videbantur. At creſcente luxu, neglectis, quæ in campo Martio corporibus nudis inſtituebantur, exercitiis, & auctâ, quæ ferè ſemper otii ſoboles eſt, ingluvie, Morbi cutanei deſidiæ atque voluptatum pœnas attulêre.

Verùm imperio ad Orientem tranſlato, moribuſque funditùs perditis, ornamenta animæ neglecta formæ corporeæ illecebris rependere ſatagerunt tùm mares, tùm præcipuè fœminæ. Hinc ne cutis deturparetur ſummâ operâ cautum eſt, ſummo labore annixum ut vitiata

(*a*) V. Herodot. Clio. edit. Glaſg. tom. 2, pag. 409.

repararetur. Hinc nova nomina in artem introducta, nova verboſis ſtrophis antidota venditata. Sed nugaces illæ fallaciæ id habuêre periculi quòd in omnibus promiſcuè Morbis cutaneis medicamenta ſtyptica atque conſtringentia fuerint uſurpata; id purgare cutim dicebatur, & eorum uſus ſub falſo purgantium cutis nomine invaleſcebat. Periculum horum medicamentorum Græcis exprobravêre Arabes, primævi illi & nondùm Græcâ imbuti philoſophiâ (*a*). Licèt ipſimet poſteà ab iis exceptum errorem longè ſuperaverint. Ars illa vana atque futilis Iatralyptarum, jam olim à Galeno jure exploſa, in magis futilem adhùc & verè fœmineam Coſmeticen abiit, dignam artem fatiſcentis imperii & ingeniorum degenerum ruderibus.

Verùm nihil ſimilium ſcelerum admiſerant infelices populi apud quos ab omni ævorum memoriâ inquilina Morborum cutaneorum monſtra alebantur atque graſſabantur. Infamia dudùm apud omnes omnium ætatum auctores fuêre Ægypti, Arabiæ mariſque rubri littora, triſtiſſimo peſtium quarumcumque proventu. Sed chronicas etiam ad cutem peſtes inſalubres illæ oræ educant; quippè quæ ſtagnantibus ſimul aquis uveſcunt, ſimul æſtuante radiorum ſolis fervore excoquuntur. Prætereà hìc hominum pauperrimi piſcibus veſcuntur, torquentur inediâ, aquis fraudantur ſalubribus.

Nec verò aut Germanorum, aut Gallorum, aut toto

(*a*) Vide Abu. Obeiſſar de vitis Medicorum.

diviſorum orbe Britannorum candore nitenti cutem conſpicuam lues illæ contaminaverant, antè inita cum Saracenis commercia & ultramarinas bellorum ſacrorum furias. Qui pauci ab hiſtoricis noſtratibus ad cutem erupiſſe annotati ſunt affectus, ad eryſipelatis naturam videntur fuiſſe referendi. Imò locorum & cœli ſalubritate extranea illa & è longinquo advecta malorum cutaneorum caterva, præcipuè verò ſobriâ vivendi normâ, exercitiorumque uſu aſſiduo fracta eſt & profligata : donec rursùs, quoniam ea ſunt rerum humanarum fata, omnibus luxu atque immodicâ deliciarum cupidine peſſumdatis atque corruptis, incognita priſtinæ proavorum virtuti, noſtris incubuerint terris malorum cutaneorum agmina teterrima.

Prætereà verò circà finem ſexti ſæculi eodem anno quo Mahometus vitam inivit (*a*), ſi manuſcriptis Arabicis bibliothecæ Leydenſis credere fas eſt, eruperunt primùm apud Arabes variolæ tùm ſymptomatibus, tùm reliquiis ad cutem infames ; & quaſi ſeneſcente mundo, ſub finem ſæculi decimi quinti, nova lues genialis thori corrupit fœdera, & genus humanum in ipsâ ſeminali aurâ peſſumdedit. An hæc à cœli inclementiâ, ut primi obſervatores voluerunt, enata eſt ? An inter orbis recenter detecti divitias advecta & importata ? Certè novam illa omninò formam Morbis cutaneis indidit, novas nocendi formas invexit, forſan & degener novum hoſtilium

(*a*) J. Jac. Reiske, Miſcellanea medica ex Arabum monumentis, Obſ. 1, pag. 10.

atomorum proventum procreavit in hominum perniciem, undè fierent cauſarum claſſes multiplices, anceps magis diagnoſis, prognoſis ambigua, & ſanationum fontes incerto conſilio à veritate ſæpiùs detorquerentur.

Has inter rerum anguſtias mea de Morbis cutaneis ſtudia in medium proferre utile credidi, materiemque Arabicâ obrutam farragine, quantùm mea pateretur mediocritas, illuſtrare. Et certè incipienti, & ad naturæ normam omnia metiri cupienti, quantæ obſtiterint difficultates, credere vix datur. Aderat confuſio vocum enormis pro quolibet auctore diverſa. Hinc auctores peſſimi, ſitu ſquallidi, manuſcripta vetuſtate deleta, legenda accuratè, tùm cum aliis conferenda erant. Interpretum lapſus emendandi fuêre. Terendum in vanâ eruditione comparandâ tempus quod meliùs in naturæ interpretatione impenderetur.

Nec enim diſſimulare fas eſt quantùm hùc uſque latuerit materies illa ſub abnormi empyriſmi fortunâ, & quamvis plures de Morbis cutaneis auctores expreſsè ſcripſerint, pace virorum ad artem promovendam nitentium dixerim, vix aliquam in tantâ caligine lucem prætulerunt, ſi Joannem Manardum exceperis. Forſan & ipſe inanes conatus extulerim. Erit tamen undè me incæpti non pœniteat unquam, ſi Medici naturæ obſervandæ intenti, Græcæque Medicinæ periti hanc mihi laudem conceſſerint, faciliorem à meo labore patere viam melioribus & fortioribus ingeniis ad artis in obſcurâ materie

pomœria

pomœria amplificanda. Sentio enim quantùm ad molem illam lymphaticam, quæ morbificas atomos fovet, penitùs cognoſcendam experimentorum mihi deſit. Quantùm ipſi differentiarum conferant, ætatum, cœli, aquarum, ventorum vices. Quid in ipsâ mutet inedia, aut contrà ingluvies. Hæc omnia imitando, conferendo, obſervando dies extundet. Quid dicam de metaſtaſium hiſtoriâ quâ noſcetur olim, qui morbi ex aliis naſcantur (*a*), quâ ratione degeneres illi, ſymptomata nova inferant, formamque ac fata immutent. Hanc olim fuſiùs tractare quantùm artis amore perculſus ambirem! ſed jam tempus adeſſe fumantia equorum ſolvendi colla ſenectus ingruens admonet, præcipitque votis atque laboribus finem eſſe imponendum.

Nec certè quiſquis Medicam artem ſinceram & Hippocraticam colit, labore circa illam improbo gloriolæ aucupium leve ſibi quærere debet. Nullum laboribus Medicis præmium ab externo favore repetendum. Nullus eos ſequitur plauſus. Paucos omninò cura artis tangit. Lectores pauci, judices adſunt pauciſſimi. Sed merces mihi erit ampliſſima & dulciſſima, amiciſſime Geoffroy, ſi tu, ſimileſque tuî Medici quod tanto labore exaravi, humano generi utile exiſtimaverint. Viris enim in commune bonum natis, in illud ſolum conſentientibus atque conſpirantibus, nihil aut ad vitæ delicias felicius, aut ad ſucceſſum uberius, aut ad recordationem jucundius contingere poteſt, ſi poſt

(*a*) Roderici à caſtro *quæ ex quibus.*

longos labores, indefeſſaſque vigilias, doctorum hominum conſenſu intellexerint, ſe propinquis, patriæ, omni denique ſocietati hominum aliquid emolumenti attuliſſe, undè aut vixiſſe non pudeat, aut mori non metuatur. Liceat ergò inter ſacros veri fontes, tecum fugientem vulgi oculos naturam arripere, ejuſque ſacra ferre. Quòd ſi qualeſcumque ad veritatem promovendam conatus exerenti tuus faveat amor; ſi incorrupta illa & à primis juventæ florentis annis enata, poſteà verò & animorum concordiâ & ſtudiorum paritate fota, enutrita, comprobata quæ nos intercedit amicitia, ſinat immortalibus illis, quæ tua tempora exornant, coronis amici tui nomen inſcribi, nulla erit ratio cur aliis invideam gloriæ faſtum oneroſiorem.

INDEX

CAPITUM.

PRÆFATIO, pag. *j*
INTRODUCTIO, 1
CAPUT PRIMUM. *De Cute humanâ in ſtatu ſano ſpectatâ*, 2
ARTICULUS PRIMUS. *De formatione & origine Cutis*, 3
ARTICULUS II. *De ſtructurâ Cutis*, 6
ARTICULUS III. *De variis Cutis partibus*, 11
ARTICULUS IV. *De Cutis varietatibus*, 17
ARTICULUS V. *De Cutis uſibus*, 21
ARTICULUS VI. *De ſenſu Cutis ad alias partes relativo, ſeu Cutis cum aliis partibus*, 26
CAPUT II. *De Morbis cutaneis generaliter ſpectatis, eorumque cauſis & ſymptomatibus; ſive Pathologia cutanea*, 28
ARTICULUS I. *De rebus non naturalibus*, 31
ARTICULUS II. *De cauſis intra corpus conceptis*, 51
ARTICULUS III. *De applicatis externis*, 65
Corollaria, 71
CAPUT III. *De Semeioticâ cutaneâ; ſive Diagnoſis & Prognoſis Morborum cutaneorum*, 73
ARTICULUS I. *De Signis diagnoſticis*, ibid.
Corollaria, 100
ARTICULUS II. *De Signis prognoſticis*, 102
CAPUT IV. *De Therapeiâ cutaneâ; ſeu de Indicationibus Morborum cutaneorum curatoriis*, 114

Articulus I. *De Morborum qui ad cutem acutè judicantur curatione pauca præſatur,* 115
Articulus II. *De curatione Morborum qui ad cutem lentè depurantur,* 117
Articulus III. *De curatione Morborum cutis ſymptomaticorum,* 131
Articulus IV. *De Morbis cutis non depuratoriis curandis,* 141
Articulus V. *De Morborum in cute naſcentium curatione, & de Topicis,* 156

DE MORBIS CUTANEIS, 165

PARS PRIMA.

De Affectibus qui in cutem propelluntur à vitio intùs latente, 166

SECTIO PRIMA.

De Morbis qui in univerſam cutem deponuntur, 167
CAPUT PRIMUM. *De Morbis acutis quorum exitus ſit ad cutem non criticus,* 168
CAPUT II. *De Morbis acutis quorum criſis fit ad cutim,* 174
CAPUT III. *De Affectibus cutis depuratoriis non acutis ad univerſam cutem pertinentibus,* 190
Articulus I. *De Affectibus in cutem depuratoriis qui ſeſe per tumorem externum produnt,* ibid.
Paragraphus I. *De Eryſipelate, ſeu igne ſacro, & tumoribus eryſipelatodeis,* 191
Paragraphus II. *De Tumoribus ſejunctis qui ad cutem depuratoriè exeunt.* 1°. *De Papulis,* 211
2°. *De Maculis depuratoriis,* 220
3°. *De Pſorâ & Scabie,* 223
4°. *De quibuſdam Morbis qui ſcabioſi dicuntur,* 240
5°. *De Lichenibus,* 242

Articulus II. *De iis Tumoribus qui in pus, aut alium humorem vertuntur*, 251
Paragraphus I. *De Puſtulis*, 252
Paragraphus II. *De Phlyctænis*, 254
Paragraphus III. *De Puſtulis inflammatoriis*, 258
Paragraphus IV. *De Terminthis*, 262
Paragraphus V. *De Epinyctidibus*, 263
Articulus III. *De Affectibus ulceroſis in cutem decumbentibus depuratoriis*, 266
Paragraphus I. *De Affectibus cruſtoſis lacteis univerſalibus infantum*, 270
Paragraphus II. *De Affectibus cruſtoſis lacteis puerperarum*, 280
Articulus IV. *De Herpetibus*, 294
Articulus V. *De Impetigine*, 348
Articulus VI. *De Vitiligine*, 351
Articulus VII. *De Leprâ & Morbis Leproſis*, 360
Paragraphus I. *De Leprâ Græcorum*, 365
Paragraphus II. *De Leprâ Hebræorum*, 371
Paragraphus III. *De Elephantiaſi Græcorum & Leprâ Arabum*, 376
Paragraphus IV. *De Morbis Leproſis in variis regionibus à diverſis auctoribus obſervatis*, 389
Articulus VIII. *De Morbo dicto* Yaws, ibid.
Articulus IX. *De Morbo dicto* Lepian *ou* Epian, 393
Articulus X. *De Malo Mortuo*, 395

SECTIO SECUNDA.

De Morbis Cutaneis depuratoriis qui partem aliquam tantummodò invadunt, 397
CAPUT PRIMUM. *De Tumoribus Eryſipelatoſis ſingularem corporis partem impetentibus*, 398
Articulus I. *De Roſeolis ſaltantibus*, ibid.
Articulus II. *De ſacro Igne & zonâ ſacri ignis ſpecie*, 401
Articulus III. *De Igne ſylveſtri, ſeu volatili Infantum*, 408

Articulus IV. *De Prunâ & igne Perſico Avicennæ*, 412
CAPUT II. *De Tumoribus Phlegmonodæis partem aliquam cutis impetentibus*, 415
Articulus I. *De Phygethlo & Phymate & Furunculo*, ibid.
Articulus II. *De Plantâ nocturnâ Arabum, Ficis Galeni & antiquorum, Lupo Manardi & Roſâ Severini*, 423
CAPUT III. *De Tumoribus Lymphaticis ſuppurantibus alicui parti cutis propriis*, 432
Articulus I. *De Meliceride, Cerio, & Melitagrâ Galeni*, ibid.
Articulus II. *De Achoribus & Favis Infantum*, 435
Articulus III. *De Lactumine Manardi*, 441
CAPUT IV. *De Tumoribus cruſtoſis atque farinoſis partem aliquam impetentibus*, 443
Articulus I. *De Cruſtâ lacteâ Infantum*, 445
Articulus II. *De Intertriginibus*, 448
Articulus III. *De Auribus ſuppurantibus*, 455
Articulus IV. *De Porrigine*, 458
Articulus V. *De Tineâ*, 462

PARS SECUNDA.

De Morbis in ipsâ cute naſcentibus, 479

SECTIO PRIMA.

De Morbis in universâ cute naſcentibus, 480
CAPUT PRIMUM. *De Cutis in ejus craſſitie vitiis*, 481
Articulus I. *De Craſſitie ſubſtantiæ cutis auctâ*, 482
Articulus II. *De Rugis morboſis*, 493
Articulus III. *De Cutis ariditate & Furfuribus*, 497
Articulus IV. *De effectibus ſolis radiorum in cutem*, 502
Articulus V. *De actione frigoris in cutem*, 508

Articulus VI. *De cutis tenuitate & ſenſilitate morboſâ*, 512
Articulus VII. *De laxitate cutis pendulâ*, 514
Appendix de Cornibus in variis corporis humani partibus naſcentibus, 515
CAPUT II. *De Vitiis in ipsâ cute naſcentibus quæ formam cutis deturpant*, 523
Articulus I. *De Stigmatibus, Exanthematibus, & Papulis à ſolo cutis vitio pendentibus*, 524
Articulus II. *De Maculis indolentibus in cute naſcentibus*, 530
Articulus III. *De Lentiginibus*, 535
Articulus IV. *De Varis, Verrucis, Tumoribus ficoſis, & Sarcomate*, 539
Paragraphus I. *De Varis*, ibid.
Paragraphus II. *De Verrucis*, 542
Paragraphus III. *De ficoſis Tumoribus*, 545
Paragraphus IV. *De Sarcomate*, 546
Articulus V. *De Nævis ab imaginatione materna pendentibus*, 547
CAPUT III. *De Variâ venenorum in cutem ſolam actione*, 551
Articulus I. *De actione in cutem veneni quod ipſi apponitur*, 453
Articulus II. *De actione in cutem veneni, tùm ex vegetantibus, tùm ex animalibus quæ cutem pungunt*, 559
Articulus III. *De Animalibus quæ in cutem inſiliunt, ſub ipsâ vivunt, & nidum ponunt*, 570
Paragraphus I. *De Phthiriaſi*, 554
Paragraphus II. *De Crinonibus & Comedonibus*, 581
Paragraphus III. *De Dracunculis Græcorum, Venâ medinenſi Arabum*, 586

SECTIO SECUNDA.

De Morbis partibus quibuſdam cutis propriis, 593
CAPUT PRIMUM. *De Pilorum & cutis capillatæ affectibus*, ibid.
Articulus I. *De Calvitie & Canitie*, 596

ARTICULUS II. *De Alopeciâ, Areis & Ophiaſi*, 604
ARTICULUS III. *De Tricis & Plicâ Polonicâ*, 607
ARTICULUS IV. *De Trichiaſi & Madaroſi, ſeu Milphoſi*, 618
Appendix de cutaneis Palpebrarum Affectibus, 622
ARTICULUS V. *De Tumoribus cyſticis in cute capillatâ naſcentibus*, 625
CAPUT II. *De Affectibus propriis cutis faciei*, 629
ARTICULUS I. *De Morbis cutis qui particularem in facie caracterem induunt*, 630
ARTICULUS II. *De Morbis cuti vultûs & faciei propriis*, 639
Paragraphus I. *De Gutta roſeâ*, 640
Paragraphus II. *De Rubore & Tumoribus in cute narium*, 646
Paragraphus III. *De Labiorum præternaturali Tumore, aliquibus Auctoribus dicto Cheilocace*, 648
Paragraphus IV. *De aurium Humiditate præternaturali*, 652
CAPUT III. *De Morbis cuti in diverſis partibus propriis*, 653
CAPUT IV. *De Morbis cuti artuum propriis*, 657
ARTICULUS I. *De Pernionibus*, 658
ARTICULUS II. *De pedum & crurum Craſſitie præternaturali, ſeu Elephantiaſi Arabum*, 664
ARTICULUS III. *De Clavis, Tullis, Callis pedum & manuum*, 668

Finis Indicis Capitum.

DE MORBIS CUTANEIS.

INTRODUCTIO.

Cutis, corporis humani ad cujus ſolius utilitatem omnis noſtra dirigitur & intenditur tractatio atque meditatio commune & univerſale involucrum, ita per omnem corporis ambitum externum diffunditur atque protenditur, ut nulla pars illâ carere poſſit. Imò facilè reparabilis cutis ſi per vulnera ablata fuerit, rursùs in priſtinam ſedem recurrit, antiquumque decus partibus ablatis reſarcit. Quinetiam per interiora corporis viſcera delata, ſtructuram ibi ac formam immutat, & in cellularem textum tenuiſſimum videtur abire, mutatâ quidem ſtructurâ, mutatis uſibus, ſed integrâ totius continuitate.

Ea ut morborum plurimorum ſedes in hoc opere à nobis ſpectanda inſumitur; ſive morbi illi in ipsâ naſcantúr, adoleſcant, invaleſcant, ac demùm finiantur; ſive illos ipſa ab intimo viſcerum atque humorum accitos fonte quaſi ad ſe traxerit, venenum intus natum ſibi aſſumpſerit, & in ſe combiberit.

Horum autem affectuum naturam & fontes rimando inveſtigare, aſſiduo labore detegere, non exigui operis moras, atque invias aſperitates offert; cum nunc contraria admodùm phœnomena cauſæ eædem diverſis in ætatibus regionibuſque variis inducant, & ſæpè contrà cauſæ penitùs diverſæ ſimilibus aſpectum obtundant ſymptomatibus. Undè acri judicio opus eſt ſummâque diligentiâ, ne in turpiſſimos delabamur errores, nec noſtra in ægrotantis detrimentum vertatur ſedulitas.

Antequam ergo de ſingularibus cutis morbis agamus, reſque veras ex obſervatione natas, ingenti nominum confuſioni ſubſtituamus, viſum eſt in tantâ rerum obſcuritate, operæ pretium nos eſſe facturos, ſi omnem noſtram materiem, quantumcumque latiſſimè extendatur, unum in intuitum contraxerimus, generalia omnia brevi tractatione ita comprehendentes, ut in ſingularibus

poſteà filo nunquam fallaci noſtra regantur veſtigia. Hinc cutem ipſam, tanquam operis noſtri ſubjectum, breviter luſtrabimus; indè læſionis cauſas, earum vires atque ſigna ponderantibus eluceſcet & Diagnoſis, & ab illâ pendens atque repetenda Prognoſis. Ex his ſpontè & ad dogmaticorum Medicorum mentem ſeſe nobis offerent indicationes curatoriæ, ad quas totum opus collineat, atque intenditur; quibus ſemel excuſſis vepribus, audaciores ad particularium morborum expoſitionem via facilior & prona deducet, variaſque Auctorum opiniones & obſervata, ratione facem præbente, ad ſeveræ critices normam expendere proclivius erit.

CAPUT PRIMUM.

De Cute humanâ in ſtatu ſano ſpectatâ.

(1) CUTIS quæ in cadavere potiùs pellis vocanda eſt, vario in diverſis variarum regionum incolis colore inſignita, nec eâdem formâ, aut eodem decore in ſexu utroque, aut in perpetuâ ætatum mutatione præfulget, imò ſæpè ſubitò mutatur ratione intimioris & propriæ ſtructuræ, & diverſitates etiam multiplices accipit à partibus ſuppoſitis. Sic etiam ſæpè & latentes animi affectus, aut fruſtrà diſſimulati corporis cruciatus in ejus colore, lineamentis & intuitu leguntur.

Non illa pro ſimplici habenda eſt involucro, ſed organum conſtituit, & mirâ varietate conflatum, & ſummâ adornatum ſapientiâ, tùm ad corporis utilitatem, tùm ad formæ pulchritudinem. Ut ergo illa & in ſuo ſtatu nativo cognoſcatur, & in conſtitutione morboſâ contra naturam deflectente, luſtretur intimiùs, ſtructuram ejus atque proprietates hìc licebit inveſtigare, non gloriam nobis præſumentes anatomicæ ſubtilitatis, ſed ita ſtructuram ejus expendentes, ut dùm medicinam malis quærimus, eorum gradus ad naturæ normam poſſimus metiri, atque perpetuâ correlatione conferre.

(1) Auctores hìc nullos citatos reperias, cum omnia ex ſingulorum Anatomicorum libris deſumpta ſint, nihilque in re omnibus expoſitâ ſibi vindicandum ſit.

ARTICULUS PRIMUS.

De formatione & origine Cutis.

Ubi primùm intra uteri materni parietes jam aliquam futuræ compagis formam edit infantile corpus, partiumque adumbratur effigies, poſt primam illam organicam quidem gelatinam, membranâ tenui partes delineantur & terminantur, vix ſenſuum acutiei deprehendendam; hæc cutis eſt, citò & craſſitiem aliquam & opacitatem adipiſcens. Prompta membranulæ illius mutatio, ſatis apertè probat, hanc non fuiſſe ſimplicem; primam enim pelluciditatem amittens fit ſubrubra, & ſimul tenuibus vaſis aut villis albicantibus horridula apparet. Verùm quantumvis Galenus nervorum tunicas circa ſuas extremitates expanſas, complexaſque ſimul atque complicatas, pro cutis origine haberi voluerit, ſimpliciorem ejus ideam aſſumemus. Videtur enim nullum aliud fundamentum formandæ atque compingendæ cuti eſſe quærendum, præter communem illam, & toti univerſalem corpori membranam cellularem. In illam verò, quam partium ferè omnium mollium baſim cum recentioribus, & Hallero imprimis, credimus, ut omnes corporis partes ex ſuâ eſſentiâ circumveſtit, ex rei neceſſitate deſinunt omnia corporis vaſa, aut ab illâ rursùs vaſorum novus ordo incipit. In eam pariter deſinunt etiam, & proprietates ſuas deponunt ultima nervorum ſtamina; eorum tunicæ protenduntur, & in illius corpus conficiendum concurrunt. Indè evidenter apparet ſingularem hìc partium omnium minutiſſimarum concurſum fieri, à quarum univerſali diſpoſitione, generales cutis proprietates oriuntur, ut à ſingulari variarum harumce partium ordine, ſingulares etiam in quâquè cutis parte facultates organicæ accipiunt originem. Partes autem quæ ipſam cutim conſtituunt in tres præcipuè diverſi generis poſſunt dividi, nerveas ſcilicet, vaſculoſas ſeroſas, non unius tenuitatis, ſed multiplicis ordinis, vaſculoſas ſanguineas, quibus ſi cellulas baſim omnibus præbentes addideris, habebis totius cutis ideam prorsùs adæquatam.

Hæc autem rursùs in tres dividitur partes apprimè diſtinctas; quarum prima corium, ſeu cutim propriè ſic dictam, conſtituit: altera reticulare quoddam organum cuti ſuperpoſitum: tertia verò

epidermidem duobus aliis ſuperextenſam, & illas amicientem, ne aut externorum corporum occurſus, aut ipſa neceſſaria aëris impreſſio tenuiſſimo donatas ſenſu partes lædat & vividiùs afficiat.

Epidermis, è ſquammulis potiùs quàm lamellis ſibi ſuperpoſitis membraneis conflata, ut exterior ille arborum cortex, firmiter cuti adhæret & ipſi adnectitur; non tamen adeò firma ipſam naſcentis pueri aut mox naſcituri fœtûs cuti vincula connectunt. Velut illa gelatinoſo ſuperponeretur textui, videtur in cute titubare & vacillare, apparetque attentiùs & vitrorum opticorum ope, rerum naturam luſtranti, ab ipsâ cute per tomentum leve, & tenue forſanque vaſculoſum, ſeparari & ſejungi. Hinc in morbidis & languentibus infantibus quoties epidermis ſub farinæ formâ ſolvitur, toties renaſcitur illa. Undè non imperiti rerum anatomicarum, & ante alios Riolanus, epidermidis duas lamellas numerant, exteriorem unam, facilè reparabilem, ſordium craſſarum quæ à cute eraduntur originem, fixiorem alteram & cuti propiorem, & ejus conſtitutivam.

At diſtinctio atque diviſio illa, ſubtilior fortè habenda eſt. Non enim una aut altera lamella diſtinguenda eſt, ſed ut in arborum exteriori cortice, plures admittendæ ſunt quarum plurimæ impunè decidant; proximæ cuti, ſenſum acutiorem à cute mutuentur, imò & eraſæ tenuiſſimas humoris guttulas emittant, indè vaſa judices ad uſque epidermidem protendi, quod etiam laborioſis ſimul & ſubtiliſſimis injectionibus mihi demonſtravit clariſſimus collega Deſcemet. Nam quæ ante ipſum promulgarat, non deſcripſerat in epidermide vaſa chirurgus *Saint-André*, huc-uſque pro fabuloſis habita fuerant.

Ex his intelligere eſt, quod cùm ab omnibus aliundè vulgatum ſatis fuerit, leviſſimam à nobis poſtulat attentionem, quomodò addenſatis atque appreſſis epidermidis laminis oriantur Calli, nec ullum aliud adderemus de epidermide, niſi de morbis cutaneis tractaturis duo præcipuè circa illam notanda ſint.

1°. Scilicet epidermidem, cutis & plicaturas & foramina ita ſubire & conſequi, ut illa in detractâ epidermide annotentur facilè, pronumque ſit harum rerum perito viſâ epidermide pronuntiare, ex quâ cutis parte fuerit detracta.

2°. Verò quod ſi epidermidem quæ inſpicienti ſicca atque arida apparet, vitro armatus optico luſtraveris, illa tibi quaſi vernice obducta videbitur, ſplendente atque oleoſâ, nec ulla pars illâ

caret, niſi quæ cicatrice obducitur : nec ſi manus aut pedes aquâ laveris, & linteis terſeris duriùs, ob hanc cauſam vernix illa loco cedit, licèt indè paulò obſcurior fiat illa.

Videtur humor ille à ſubjectâ cute exſtillare, novumque ad occurſus varios corporum lædentium offerre munimentum. Inter epidermidem verò & cutim propriè dictam invenitur etiam in adultis ſubſtantia ſenſus nequaquam fallens, ſed in pueris atque fœminis multò diſtinctior quàm in adultis, aut rugosâ ſeneſcentium cute : hanc ſi oculo parùm attento inſpexeris, habeas pro textu ex concreti muci tenuiſſimi lemis compacto, & qui ſibi vix organi dignitatem vindicare poſſet, niſi formæ regularis atque ſtructuræ conſtantia naturæ indicaret artificium ſingulare : ita rem viderant antiqui; at ſi curioſiùs illius luſtraveris ſtructuram, tunc mira ſeſe objiciet oculis machina. Textus ille ſcilicet, reticuli in formam expanſus undequaque mucoque obductus, at ipſe ſirmioris texturæ, vaſa circumdat & continet innumera, non unius ordinis aut unius magnitudinis, ſed inter ſe & formâ & uſibus ſummè diverſa.

Plurima ſunt glomerata inter ſe, cuti perpendicularia, inter ſe parallela ; adſunt etiam hìc figurâ facilè diſcernendæ papulæ tenues, hiantes, apices nervei, penicilli tenuiſſimi in fila mucoſa deſinentes, acini variæ ſtructuræ, & folliculi leves ſub ipſo textu ſuppoſiti; intereà verò circa rete illud filamentoſum repunt variè complicata vaſa arterioſa, venoſa. Nihil ex priore diſpoſitione vaſorum detrahunt illa, ſed nutriendis, movendis, fulciendis aliis à naturâ videntur comparata, undè variis implicationibus apparent errantia.

In tantâ rerum ſpectandarum tenuitate, ſeſe tamen inſigniùs deprehendi ſinunt nervorum pulpoſæ extremitates, nunc ſtratæ & cuti parallelæ, quandoquè reclinatæ, quandoquè etiam arrectæ, nunc diſpoſitæ in plicaturas ovales, nunc in ſpiræ ordinem revolutæ. Quæ utut tenuiſſimæ ſint, atque oculis vix deprehendendæ non armatis, locum dubitationi relinquunt, an non quod tenuiſſimum noſtris apparet ſenſibus, nondum ſimplex ſit, ſed faſciculos conſtituat. Certè quò tenuior ille cutis mucus organicus apparet, eò etiam ſenſu donatur acutiore.

In illo porrò reticulari textu, quem primò in linguâ magnus deſcripſit Malpighius, accuratiùs proſecuti ſunt Stahellinus, & Hallerus, quem ſuis injectionibus illuſtravit, ſuo dignus nomine Kaw

Boerrhaave, quem adhuc aliquandò dilucidiùs demonſtrabit, & accuratiùs proſequetur ſtupendis injectionibus dives collega noſter Deſcemet, omnia peraguntur functionum cutis myſteria. In hâc pulpâ diverſimodè ad guſtum, tactum, olfactum accommodatâ ſenſus habitat, ut in perpendicularibus cutis vaſorum penicillis, ſecretiones peraguntur.

An verò rete illud à nervorum tunicis expanſis & papillas deferentibus conficiatur, an contrà rete illud merè celluloſum ſit, ut deprehendiſſe ſe nuperi putant Anatomici, nondum definitum eſt, nec ad opus noſtrum properantibus rem diſquirere pertinet: certè id comprobatum, cutem, adeòque & reticulum, & epidermidem eò tenuiora eſſe, quò propiora ſunt origini corpora, ita ut à matre rubentes infantuli tractu tantùm temporis albeſcant, pulpoſique ſint, ac mucum exſudent undequaque; ſiccari atque areſcère per ætatem omnia: ſeneſcentibus verò omnia hebetari atque obtundi ut ſenſuum, ſic ſecretionum cutaneorum organa, & turgentes per omnem vitæ decurſum flacceſcere in ſenili maraſmo varias cutis partes, tùm has de quibus hìc agimus, tùm illas ad quas ſe noſtra vertet tractatio. Præterea conſtat nullam eſſe è corporis humani partibus adeò facilè reparabilem atque epidermis, quæ quotidiano uſu deteritur, quotidiano naturæ impulſu pariter reparatur. Tùm verò eam eſſe hujus in ſtructurâ ſimplicitatem, ut nulla ipſi ſubeunda ſit alteratio præter exſiccationem, ſed putreſcente ſubjectâ cute ipſam perſtare incorruptam, adeòque eam cutis putredini præpediendæ aptam. Verùm quàm levia ipſam cuti nectant vincula, & quantùm ſimul humoris à muco ſubjecto exſtillet, apertè demonſtrant veſicæ illæ combuſtionibus illicò ſupervenientes, quæ ſubitò ab igne plenæ exuberant muco, partìm concreto, partìm inconcreſcibili.

ARTICULUS II.

De ſtructurâ Cutis.

In tanto tamque diverſo organorum apparatu, deeſt totius ædificii baſis atque fundamentum, hinc ipſam cutem requirimus, ſive denſum illud involucrum quod à corpore detractum pellem vocant, exſiccatum vertitur in corium. Illud non in duas partes cum Nicolao Maſſa dividemus, quarum externa denſior ſit, &

quaſi tendinea; interior contra laxior, & adipi contigua; ſed cum eo conſentiemus annotante illam è laxiori ortam origine ſemper addenſari, dùm ad exteriora progreditur.

Quâcumque autem in parte reperitur cutis ſana qualis à primâ extitit hominis nativitate, nec cicatricibus deturpata, nec aduſtione fœdè lævigata, ſive fluctuet illa, ſive alicui apprimatur parti & huic adhærere videatur, ſubſtratus ſemper jacet textus laxior cellularis. Hunc ſi caſu ſuppoſueris deſtructum, illicò partibus ſub cute jacentibus firmè adhæret cutis immobilis. Nec immobilis tantùm evadit, ſed lævigata, & quaſi collapſa nunquam humeſcit, &, annotante ill. Kaw Boerrhaave, imperſpirabilis evadit.

Hinc ergo ſine illo cutis concipi non poteſt; ſiquidem illa contra naturam immobilitas eſt. Id primùm de cutis generatione meditantibus, aditum præbet ad ejus intimiorem ſtructuram penetrandam altiùs. Laxior enim illa cellularis tela, ſenſim brevioribus atque brevioribus cellulis textum ſuum in ſe adducens, fit ſtrictior, brevique ſtrictiſſima, ſed ad uſque extremam cutis ſuperficiem, naturam ſuam ſervat. Undè tota cutis cellularis eſt, & vaſorum multiplicata tenuitas, multiformi glomeramine dum cellulas illas exteriores quaſi implet, cavum diſſimulat, ita ut in extremâ illâ cute, areæ, ſeu potiùs areolæ tantùm judicentur, quas cellulas natura efformavit. In his verò acutiùs inſpiciendis, atque ad limbos uſque cutis deprehendendis, opus erit microſcopio, quod tibi cutem ita efformatam demonſtrabit, ut quæ corium efficiunt cellulæ à textu cellulari ſubſtrato, ſenſim vario ordine arctentur in tenuiſſimam fabricam, pars verò extima, vaſis fibriſque nerveis, & præcipuè nervorum tunicis textum mucoſum efficientibus formetur; ſed tamen vaſorum ille ordo ultimus, & à celluloſis membranis oritur, & ab illis ſuſtentatur. Hanc omnem fabricam perſpicuè admodùm deprehendes, in cute recenti puerili quam aquâ tepidâ priùs benè lotam aliquantiſper maceraveris.

Nec illas cellulas in ſtatu ſano omni humore vacuas crediderim; ut enim ampliores cellulæ adipe implentur aliquandò, ſic minimæ illæ humore mucoſo concreſcibili ſemper turgent. Hunc facilè è cute infantis recens mortui, levi cutis preſſione exprimas, & meliùs adhuc ex cute recens puerperæ in quâ merè lacteus ſubturbiduſque apparet. Illa mucoſi ſucci in ultimis cutis cellulis

præſentia, ut plurimis phœnomenis morboſis comprobatur, ita & plurima circa illos problemata ſolvit. Cur in aliquibus cutaneis morbis ex illorum genere quos mucoſos poſteà vocabimus, cutis denſetur? Cur in areas patentes abeat? &c. Cur deſtructo textu cellulari, cutis forma, ejus humiditas, ejus perſpiratio funditùs deleantur? &c. Nec minùs ab hâc conſtanti repletione cellularum harumce pendet diverſitas formæ in mulierum ac virorum cute, in eâ quæ tenellos & lactentes circumdat, aut illâ quæ arida & exſucca flaccidior pendet in ſenibus undequaque. Verùm ſi cutis ſtructuram, cum morborum noſtrorum theoriam firmo fulciendam fundamento maximi ſit momenti, ultra demonſtrare eſt animus, cur non eam ex ipſis morboſis phœnomenis eruimus?

Si ergo cutem animalis vivi ad uſque adipem ſeu textum cellularem ſecueris, fluet ex omnibus undique punctis ſanguis, ſeu, ut vocant, cruor. Cohibetur tandem ille, eoque cohibito, naſcitur ex ipſo lentiùs fluente cruſta ſeu ἐσχάρα græco nomine; hâc per pus ſubjectum & copioſum ſublatâ, quaſi pus illud à cellulis flueret, ſub pure omnia integra reperies, uniformia, æqualiter tumefacta, & granulis, ſive acinoſis punctulis referta, quæ ſi granula oculo armato luſtraveris attentiùs, primò quidem muco obducta & cooperta tenuiſſimo filamentoſo reperies, dein tibi reticulum vaſorum exhibebunt, à cujus ſuperficie undique penicilli leves tomentoſi ſeſe offerent, urgente ſubtùs cellulâ hiulci, ita ut celluloſa eſſe omnia cutis puncta, ipſo oculo indice verè & apertè videantur.

Nec quod oculi ſpectaculum ſibi vindicant, ipſa ratio reſpuit. Nam tanta vis ibi humorum appellit, cibis aſſumptis ſæpè proportionalis, hique humores mucoſam naturam adeò evidenter ſervant & exhibent, ut ſi retropellantur, illicò ſecretiones muco vacuando deſtinatas occupet undique, aut in ſputa faceſſat, aut urinas mucagine impleat verè mucidus humor. Is autem eſt naſcentium horumce acinorum ordo, ut qui craſſiores ſint volumine & ſubſtantiâ denſiores, ad fundum naſcantur, & craſſioribus adhuc ſuperpoſiti videantur, tenuiores oriantur ad latera, tenuiſſimi ad margines ulceris, limbuſque obſervetur ſine ullis acinis, exiliſſimus ille & extremos occupans margines. Hinc ad fundum etiam uberior eſt ſuppuratio, ad extrema latera minor, nec adeò cocta, ſed ſeroſa. Hæc quidem omnia ſalubrem corporis ſtatum comitantur, at ſi deficiat ſalubritas in corpore,

nova

nova nobis circa ſtructuram cutis documenta, ipſa vitiata natura ſuppeditabit.

Si enim muci vitioſi copia exuberet, deficiat ſanguineus latex & natura fractis viribus elangueſcat, aut humor aliquis coagulans intumuerit intùs, tunc non multiplicantur acini, ſed fœdum in morem intumeſcunt atque grandeſcunt racematim, & aliquandò fungorum ſibi appoſitorum ordine, parvo ſuſtentantur petiolo, mucoque obducuntur, non ut priore in caſu, vitali, ſed acido, fœtenti. Quod etiam magis illis accidit qui parùm cautè in caſibus illis alimento abutuntur copioſiori. Abſtulerit illos Chirurgus, renaſcuntur alii ejuſdem naturæ, ita ut cellularem fabricam nemo hìc negare audeat.

Si contrà febrili incendio omnia comburantur, oppoſita phœnomena eamdem demonſtrant fabricam; nam nihil hìc exſudat, ſed mucus laridi in modum concreſcens acinos in ſuperficie concretâ & per monticulos convexâ appingit, ſub quâ illos reperias, aut pendulos & vacuos, aut tumefactos atque retorridos. Sæpè verò ipſæ cellulæ quò pateant evidentiùs, ſanguine atro & concreto plenæ apparent. Sed nunquam hiſce in caſibus te fallet cellularis cutis ſtructura.

Quid hìc addam deliteſcentiam quaſi ſubitam ulcerum priùs tumefactorum, quæ cum flacciditatem ſecum & rugoſitatem trahat, depletis cellulis & vacuis tantùm fieri poteſt. Nec plura de hiſce addemus, quæ abundè poſt Hallerum eruditâ theſi proſecutus eſt collega noſter Thiery, qui cum omnia textu cellulari undequaque turgentia invenerit, idem de cute comprobari non moleſtè conſentiat. At cum in morbis noſtris res ſit maximi pretii cutem noviſſe, demonſtrationem noſtram in cute mortuâ urgere licuerit, quamvis minùs ad medicinam firma ſint argumenta quæ petuntur à cadaveribus.

Si ergo detractam à cadavere recenti cutem accuratè extenderis, & omni remotâ impuriori miſcelâ, cautè exſiccaveris, tenuior illa atque tenuior evadet, imò & pellucidam reddas obſcurè tranſmittentem radios luminis. Hanc & antiquæ denſitati & priſtinæ ſoliditati vis reſtituere, rursùs illam in aquâ calente macera. Imbibent cellulæ humorem, ſpongiæ in modum tota redundabit humore cutis, & novo volumine cellularem demonſtrabit fabricam. Rursùs verò, licèt aqua bulliens contentum in cute mucum primò inſpiſſet, mox continuatâ actione eum rursùs

B

deſtruet, ita ut in primis ebullitionibus & cutis cocta denſior & ſpiſſior appareat, ſimulque cultro ſecanti tenerior cedat facillimè; poſteà tamen illa omnis vertetur in gelatinam, paucis exceptis quæ cellularem textum conſtituebant partibus. Nec in tanto organorum numero atque artificio aliquid remanet reſidui præter pauculas partes ſolidas, nec aliquid aut tendinei, aut muſculoſi ſupereſt. Ita duriſſima, & uſu detrita coria animalium vertere in gluten, & in gelatinam mutare commune eſt artificium, & ſæpè in obſidionibus urbium iis ſeſe alere, & vires ſuſtentare dura coëgit neceſſitas.

Quid jam hìc varia memoremus coriariorum artificia idem omninò probantia. Primum eis artificium eſt pelles probè lotas, ab omni muco expurgare, quod aquâ, preſſione, lotionibus repetitis fit, poſteà cellulas ad ſe forti preſſione apprimunt, ut nulla aliâ magis turgeat, additâque adſtringentis, ſeu potius ſtypticæ ſcobis efficaciâ in ſe conſtringunt, vinciuntque partibus terreis, ita ut corpus exurgat uniforme, quod ex priſtinâ celluloſitate nihil aliud retinet præter & flexibilitatem & extenſilitatem ſummam quam fruſtra in funibus è vegetantium regno conflatis requiras.

Præterea, vel ad viſum ſimpliciorem, ſummo artificio præparata coria exhibent cellularum veſtigia & areolas, quæ nunc extenſæ grandeſcunt, nunc compreſſæ complicantur atque contrahuntur. Alcalia omnia, ſi ita debilitata ſint ut mucum in cutis mortuæ cellulis hærentem non ſolvant, eas contrahunt & in ſe aggregant; at ſi potentiſſima fuerint, mucum oculis exhibent, atque lacinias quas ſi in cellulas reſolvere volueris, inutilem ludes operam. Lacerantur enim, nec quidquam offerunt oculis memorandum; idem de ſtygiis illis acidis dicendum eſt. Quodcumque enim nimiâ vi agit, naturæ prorsùs deſtruit ordinem, undè ab eſcharis & cruſtis altè impreſſis nihil novi fas eſt concludere. Stringunt aluminoſa: at quod in cute viventi à longâ acidorum actione viderim, hìc referre non pigebit, cum nihil ſimile legerim ab alio viſum.

Novâ & inauditâ methodo fiſtulam ad anum ſanandam ſuſceperat agyrta, eamque quotidiano uſu liquoris acidi debilitati conſumendam crediderat, infauſto quidem eventu, nam illâ in interiora graſſante, æger phthyſicus plures poſt annos interiit. Is erat Sancti Landerici in urbe Pariſienſi Paſtor. Poſt dira

tormina à viro fortiſſimo in ſpem curationis tolerata, ita baſis cutis à liquoribus iſtis fuerat conſumpta, ut cutis natis dextræ inſenſilis prorsùs evaſiſſet, nec jam referret ſpeciem ac formam cutis : ſed ſeriem exhibebat vaſorum, aut papillarum inter ſe parallelarum albidarum, quæ manu tractatæ in hanc illamve partem leniter ducebantur, & aliquatenùs decumbebant, panni inſtar illius ſerici villoſi quem noſtrates *velours* dicunt. Albeſcebat, imò & ſplendebat pars illa. Undè cum epidermide reticulum Malpighianum, & nervos conſumptos fuiſſe probabile eſt, intactis intereà durioribus vaſorum aut papillarum tunicis.

Ex hâc expoſitâ cutis ſtructurâ nihil eſt undè in illâ univerſali conſideratione tendineas, aut muſculoſas quæramus fibras quas in mobili animalium cute reperias, quæ enim plicæ, quæ vincula in variis cutis partibus reperiuntur, ea omnia ab arctatâ cellularum formâ pendent : hæ ideò albeſcunt, quòd natura ſapientior hiſce in plicis vaſa ſanguinea non ſiverit extendi, adeòque partes nativâ gaudent albedine.

ARTICULUS III.

De variis Cutis partibus.

Cutis partes aliæ ſunt ad ejus conſtituendam fabricam eſſentiales, quæ ſcilicet ſemper & ubique reperiuntur; aliæ in ipsâ tantummodò naſcuntur, poſſuntque aut abeſſe, aut adeſſe, illæsâ ejus fabricâ, & non diſciſsâ ejùs integritate. Partes ad eſſentiam cutis neceſſariæ tribus continentur involucris de quibus jam egimus; textu cellulari, reticulo Malpighiano, epidermide; accidentales, pilis, unguibus, & folliculis conſtituuntur.

De pilis verò pauca admodùm habemus addenda, ad metam propoſitam properantes, eis quæ circa illos advertêre Tardinus, Malpighius, & ejus ferè exſcriptor Chiracius. Latere ſcilicet bulbum durum, muco plenum inter reticuli Malpighiani latera, imò ſæpè altiùs in cute intruſa, aliquandò etiam in textu cellulari ſubjecto implantari bulbum inter ipſas cellulas, ibique molli origine & prorsùs mucosâ oriri pilos qui in ipſo exitu ſuo, indurentur atque figurentur. Tùm verò à bulbo naſci unico aliquandò pilum unicum, aliquandò plures, ſtipitum è bulbis vegetabilibus exeuntium inſtar, imò ſæpè ad ipſum ſuum exitum illos

variè contorqueri. Aliquorum ea fuit opinio ſic degeneres ire nervorum extremitates induratas, cum & pilorum bulbus, muco tenuiſſimo forſan organico plenus ſit, ſimulque ſummâ ſenſilitate donetur. Illud non liquere fatendum eſt. At id certum, pilos microſcopio ope luſtratos attentiùs, & hirtos aſperitatibus apparere & ramulos emittere. Imò non difficile eſt illos ubi aquâ bulliente fuerint macerati & rursùs exſiccati, in plures, penicilli inſtar, partes ſibi appoſitas ſeparare, quod & in aridioribus atque longioribus comis natura ipſa efficit. Norunt id in concinnandis capillis docti artifices, qui comarum extrema forficibus auferunt, ne ulteriùs ſerpat ariditas illa, longiorum capillorum extrema & à centro vitali remotiſſima bifurcans. Dari etiam vaſa in capillis microſcopia adſtruunt, & in plicâ polonicâ tortos & intricatos capillos propè caput ſi detondeantur, ſanguinem fundere dicunt. Verùm quo uſque analogia aliqua ſervanda ſit inter pilos & vegetantia corpori implantata, adeòque quo uſque ſpes ſit poſſe amiſſas comas reſarciri, cùm plus ad phyſicam quàm ad artem curatoriam pertineat, ſcire qui voluerit, conſultet eruditam, ſimul & ingenioſam diſſertationem E. C. Bourru, Doctoris Medici Pariſienſis, quæ inſcribitur, *an pili plantæ.*

Ad noſtrorum verò morborum curationem à quibus non immunes ſunt pili, multò plus intereſt ſcire quâ obſervatione freti pilorum ortum, diſceſſum & decidentiam aut præſagire, aut curare poſſimus, quâ in evolvendâ materie obſervationes de pilorum hiſtoriâ naturali aggerere ex arte eſt.

Quantumvis autem omnes pili eamdem ſortiantur ſtructuram, non omnes ab eâdem pendent origine : alii enim firmiores, in Europæis recti ut plurimùm, non ſine ſummo dolore avelluntur, & maximè firmi ſunt : alii contrà & ſummè tenues & fugaces vix ullas radices emittunt, & quaſi in ſummâ cute hæreant, ſine dolore avelluntur. Priores certam ſedem occupant, præcipuèque vero ſub capillorum nomine, partem capitis capillatam obtinent, colore diverſi, imò & conſiſtentiâ. Certam etiam ſtructuram ſedemque fixam ad pubem & genitalia poſuêre, hirti & aridiores, nec adeò longi pili, viroſque barbæ prolixioris dignitas ad mentum decorat. Nec, in maſculis præſertim atque robuſtis, plus minuſve denſi, alicui cutis parti deſunt.

Qui à bulbo orti non videntur conſpicuo, & ſuperficiem

ſolam cutis occupant, alteram claſſem conſtituunt. Verùm breves, tenues, in mulieribus pellucidi, per totos artus ſparguntur, natibus & volâ manuum exceptis, parteque abdominis prominulâ. Sæpè his naſcentium infantium corpus hirtum ſe prodit, at brevi per lotiones, frictioneſque, ſine ullo ferè dolore deteruntur, minùſque denſi renaſcuntur, donec ad pubertatem plenam prorsùs decidant. Imò ſi puellarum juvencularum nitidiſſimam faciem explores, ubi præſertim poſt ſoporem cutis intumuit, quaſi efflorescentiam pilorum leviſſimam deprehendes exilem, villoſam, vix cutis ſuperficiem ſuperare aptam, quæ vaporem tenuem rori fructus recentes ab arbore decoranti æmulum contineat; quod in illis præſertim obſervatur, quæ flavo & albicante cæſariei colore donantur. Ubi decidit ſuperficies illa leviter piloſa, annon cutis deturpari incipit & varos efformare ac maculis infici? Certè ex maculis illis quaſi bulbis pilorum induratis, exeunt aliquandò, vel in ſexu formoſo, quaſi ex unicâ radice plures pilorum duriſſimorum ſpicæ, quos, veluti radicem jam conceperint, non ſine dolore pungente avellas. At diſcuſſis pilis illis, jamque capillorum copiâ & humiditate decreſcente, cur contra pili ad pubem erumpunt, & axillas? Cur virgines malè menſtruatæ, cur mulieres menſtruis deficientibus piloſæ evadunt, imò & ſæpè falſam educunt barbam? Cur contra eunuchi nati aut facti, magno comæ ornamento barbam non obtinent? Cur iidem non calveſcunt, notante Hippocrate? Vulgò etiam, nam non diffiteor dari plures contra nitentes obſervationes, qui multum ſemen emittunt minùs piloſi ſunt, & citiùs pilos amittunt, ſeu calveſcunt, quàm qui caſtè vitam agunt. Videtur certè ingens dari analogia inter ſeminis generationem in viris ac pilorum emiſſionem, & in mulieribus inter eorumdem uberiorem proventum ac menſtruorum retardationem: ſive quòd reſorptum ſemen ipſum vertatur in pilorum materiem, ſive quòd vires iis emittendis ſufficiat; undè tamen, ſi res ita ſe habet, in morboſis languentibusque affectibus pili nihilominus augentur, imò & per ſudores videntur propagari. Quinetiam forſan poſt mortem creſcunt aliquantiſper illi. Id vegetantibus corpori innatis tantùm competere videretur. Verùm etſi à ſemine aliquid in pilos influere videtur, ab hujus actuoſitate tamen nullatenus alia hiſtoriæ naturalis pilorum phœnomena ſolverentur. Scilicet cur ferè omnibus hominibus ætate inclinante

pili albeſcant, quod etſi tardiùs ad fœminas pertineat, ad eas tamen hæc temporis injuria pertinet? Cur idem effecerint capitis dolores acuti, aut metus mortis intentatæ, quæ canitiem unius noctis ſpatio effecit, Huarto teſte?

Prætereà non ad omnes æquè omnis regionis homines pili competunt; in oris enim temperatis ac blandiore cœlo gaudentibus, barbæ & capillorum meſſis uberior, præſertim ſi ad frigidiorem temperiem inclinent illæ. Aridiora loca & ſoli fervidiori expoſita criſpaturam capillorum, brevioremque viris cæſariem impertiunt, nec eamdem tamen mulieribus, etiam ſoli expoſitis, labem inurunt. Frigidiora demunt & barbam, & pilos inguinum. Temperamenta arida, exuſta, bilioſa, nigricanti & brevi cæſarie inter alia ſigna diſtinguuntur. Humida mulierum temperies longo ac molli capillorum honore gaudet. At rufus capillorum color & igneus acredinem fœtidam, & odoram ſimul importans, ab aliquâ corporis innatâ diſpoſitione ita pendet, ut tali affecti intemperie ſua propria ſibi diſcrimina norint; anginam ipſis & pleuritidem maximè metuendas edixêre Sydenhamus & Trillerus. Ego verò morbis hiſce annumerare non metuerim variolas, qui non unâ vice iis eas eſſe peſſimas, nemine contradicente, obſervaverim. Omnes verò quæſtiones illas ſolvere, differentiarum illarum cauſas obſervando rimari, ſummè arduum, imò impoſſibile eſt. Nec lucem hìc aliquam afferunt tot obſervationes quibus turgent Acta Academica, Schenkius, Hildanus, Paræus, aliique, pilorum intra hydatides inventorum; quæ hydatides muco plenæ, cum ſæpiùs in ovariis mulierum reperiantur, occaſionem præbuere credendi piloſa illa concrementa ad fœtus non perfectos, ſed in ovariis inchoatos pertinere, quod abundè ab iis obſervationibus refellitur quibus aliis in partibus à generatione alienis pili etiam inventi fuêre de quibus vide Mangetum & alios cadaverum ſectores.

Illud porrò ex his omnibus ſatis apertè deducitur, pilos à muco originem ſumere, ab eo ali, nutriri; hujus copiam ab eorum qualitatibus humidis ſcilicet ac bile nutritis probari; & quoties humor mucoſus vitalis deficit ac vitiatur, decidunt capilli ac defluunt ut in phthyſicis quotidiana demonſtrat experientia. Similem cladem patiuntur qui longa exegere jejunia, infirmitates experti ſunt aut morbos qui mucum peculiari modo affecêre, ut ſunt variolæ. Nec minùs etiam annotabimus morbos illos cuta-

neos qui muci etiam compagem adoriuntur in illis cutis locis ſedem figere & eligere, in quibus uberiori copiâ naſcuntur pili. Undè jure atque meritò pilos afficientes morbi inter morbos cutis numerantur. Prætereàque omnia illa inſecta quæ muco ad alendum ſeſe indigent, inter pilos ova deponunt, inter illos excluduntur, nec ullibi in toto corpore, tanta oleoſi mucoſi humoris ſecretio, tanta ſordium excretio evidenter mucoſarum, & ad ignem albuminis inſtar ovi tumeſcentium, nec alibi adeò intolerabilis fœtor exhalat è corpore, quàm qui exit à comis impexis, neglectis, & nimio tegumentorum onere ab exhalatione præpeditis. Undè tot in comis malè curatis pruritus, tot cruſtæ, tot eruptiones puris malè ſani, fœtentis.

Ungues, de quibus nobis dicendum eſt, in corpore humano viginti, ab il. Winſlowio ſummâ veritate deſcripti ſunt. Illi fibris longitudinalibus, ſibique ut videntur parallelis ita conflati ſunt, ut quæ exterior aëra tangit lamina cæteris longior ſit, eaque firmiſſima; dein verò, & firmitate, & longitudine decreſcunt ſuppoſitæ lamellæ. Tùm verò quæ inferiores ſunt fibrillis parallelis à textu mucoſo ſubſtrato ſubeuntibus intrantur, ordine obliquo, papillæque ſimul nerveæ videntur etiam intromitti.

Pars triplex in unguibus diſtinguenda. Altera cutim exſuperat, & ad longitudinem certam extenditur, tùm ad munditiem, tùm ad actionis vim apprehenſivam adaugendam, forficibus exſcindenda. Hæc ubi ad aliquam longitudinem excrevit, tùm ob fulcri defectum, tùm ob diſtantiam à nutritionis fonte, finditur & decidit. Secunda pars corpus unguis propriè conſtituit, quæ firmior, & ſpiſſior fulcrum addit & vim digiti extremitati, tùm figurâ illâ quam habent evidenter convexâ, & partes continente, tùm etiam ſoliditate quâ fixius centrum digito ſuppeditat, undè ſi quæ violenta extiterit digitorum actio, hic concentratis ad centrum viribus ſentitur, ſitque partium mollium ad unguem appreſſarum nixus violentus; hinc illo in loco & contuſiones & ſugillationes præcipuè apparent. Tertia pars radicem unguis conſtituit albida, & toto ungue pellucente pellucidior, quaſi arcam arculi exhibet apprimè & diligenter deſcriptam. Hæc in epidermidem deſinit, atque textum reticularem per fimbrias eleganter ſtriatas, ſtriis epidermidis, & textûs reticulari ſuppoſiti omninò correſpondentem, per marginem fimbriatum, cujus fimbriæ ſtriis ſupra dictis finem ita imponunt,

ut fimbriæ longiores ſtriarum longiorum extremitatem conſtituant. In unguibus animalium ſolidipedum textus ille, tùm in ungue, tùm in cute correlativâ maximus eſt & ſolidiſſimus, ſtriæque & multiplices & profundæ unguem plicaturis numeroſis firmant. Sed hoc ſubtiliſſimæ fabricæ artificium hìc deſcribere non eſt noſtri inſtituti.

Cum epidermide poteſt unguis à ſubjectis partibus avelli. Quæ epidermis plicatura radicem unguis firmat, & in ſeſe redux eum deſerit. At indè ungues pro merâ protenſione epidermidis habendos non verum eſt, cum ſubtùs illi alantur, & vaſa à textu reticulari accipiant, quæ etiam eorum ſubſtantiam penetrent, qualia dubitanti mihi exhibuit collega noſter Deſcemet.

Ungues in fœtu molliſſimi & tenuiſſimi ad aërem indurantur, & increſcente ætate fiunt duriſſimi; imò in aridis & atrabilariis temperamentis, ungues pedum calceis appreſſorum finduntur in laminas, ſemper longitudinalem ordinem affectantes, imò aliquandò videntur in cornu excreſcere, & ſummam affectare craſſitiem. Ubi tenera eſt cutis & unguis ſubſtantia mollior, preſſiones corporum extraneorum maculam opacam albam unguibus imprimunt, quæ dum creſcit unguis ab infimâ ejus parte ad extremam uſque ſenſim pellitur & tandem diſparet; id etiam de maculis ſanguineis verum eſt, quæ cum tardè & poſt plurium menſium intervallum diſpareant, & ad extrema diſcindenda ferantur, indicio ſunt quàm tardè nutritio atque augmentum fiant in unguibus; quod animo tenendum eſt quoties morbus aliquis ungues aut invadit, ac perimit; adeòque novus unguis è penu naturæ depromendus eſt.

Unguium externa lamina ſenſu prorsùs deſtituitur, interiores cum proximis papillis nerveis ita confunduntur, ut eorum ſenſûs videantur fieri participes; qui ita acutus eſt ut ibi & puncturæ ſummoperè cruciantes ſint, & ob compreſſionem ac partium arctationem etiam periculoſæ. Tyrannorum mos fuit antiquus ſontibus ungues avellere ad vivum ſummo dolore, qui tamen, poſt ſuppurationem ſine ullo dolore decidunt, modò integra ulceris maturitas nervoſa vincula ſolverit omninò. Pluribus in morbis id accidit. Imò dantur etiam affectus in quibus ſine ullâ ſuppuratione decidunt illi præ nimiâ aſperitate, & exſiccatione ſuppoſitæ cutis. In phthyſicis familiare eſt illos incurvari ob celluloſæ telæ emaciationem.

Ungues

Ungues in aquâ frigidâ vix immutantur, emolliuntur in calente & bulliente; acidis eroduntur, undè iis qui manus incautiùs acidis ſuccis immergunt ſæpiùs ungues emolliti vixque fulciendis digitorum apicibus apti reperiuntur. Maculam ipſis acida mineralia ſolutione metallorum imbuta inurunt, niſi progreſſu unguis non delebilem, ſed diverſam illam pro metalli diverſitate; ſimul & politum ipſorum lævorem tollunt. Combuſti ungues odorem cornu fœtidum emittunt, & in diſtillatione protractâ alcali volàtile, ut cætera ex animalibus deſumpta, ſuppeditant.

Tertia cutis pars quæ hùc ubertim reperitur, illùc minùs obvia eſt, folliculos patentes & vaſa hiantia comprehendit, quæ ſecretionis ſemper in cute præſentis organa ſunt. Et quamvis horum organorum ſtructura, nunc penicillaris ſit, nunc variis replicata tricis, nunc folliculum circulari ambitu efficiat, exſudetque humorem pro variis partibus diverſum, nihil tamen circa ſtructuræ cujuſque uſum, inſpectio anatomica deſignat, ſed differentiam fabricæ quam oculus attingere nequit, demonſtrant odorum varietates, oleoſa, ſaponacea, mucoſa humorum natura, in auribus, axillis, naribus, ad inguina.

ARTICULUS IV.

De Cutis varietatibus.

Fabrica cutis in univerſo corpore eadem, multas tamen, ſive tangenti digito, ſive luſtranti oculo differentias exhibet, quas nanciſcitur ſæpè à ſubjectarum partium naturâ ac formâ, ſæpè etiam à variis accidentibus. Primariæ ſunt illæ quas à colore, ſexu, ætate pendentes primo intuitu deprehendimus. Aliæ, ſive ſecundariæ pendent à conſtitutione uniûs cujuſque nativâ, quales ſunt tenuitas, extenſilitas, &c.

De differentiis illis quæ à textûs reticularis colore pendent, & à parte intùs evolutâ colorante deſumuntur, hìc fuſiùs dicere, quatenùs color ille Nigritas & Æthiopes conſtituit, à propoſito prorsùs alienum foret. Obſervaſſe ſatis fuerit colorem in infantibus atque mulieribus Europæis magis albidum, ſplendidiori cellulas replenti muco deberi; in maribus & viris umbratilem vitam reſpuentibus magis ac magis infuſcari, quod à radiis ſolaribus in-

cautiùs acceptis, ita evidenter repetendum eſt, ut partes magis opertæ veſtibus candidiorem ſervent colorem, infuſcentur contra & ferè nigreſcant quæ ſolem pleniùs accipiunt, ut fructibus evenit quibus pars à ſole averſa candorem retinet, rubet contra quæ adverſos hujus radios recipit & quaſi in ſe imbibit.

Puerorum cutis tenuior eſt, & muco turgidula, qui mucus, in naſcentibus lacteus, matres novo partu defunctas candore lacteo undequaquè inficit. At mulieribus ab ipsâ naturâ cellulæ cutis exiliores, areæ minores, papillæ tenuiores, vaſa minùs firma, facilè contundenda, nec ægrè rumpenda, leporem cutis delibatiſſimum efficiunt. Tenuitas etiam, cutis annotatur in ſeptentrionalibus oris, & præſertim apud illos qui inſulas habitant, ita ut ſive ob incumbentes partes aqueas, cutem perpetuò alluentes, ſive ob ſolis inertiam, ii candidâ cute à cæteris hominibus diſtinguantur, licèt aliundè & robuſtiſſimi ſint, & ad omnes motus prompti & alacres. Illi etiam, forſan quòd minori gaudeant perſpiratione, morbos in cute ſibi proprios experiuntur, odorque etiam ſpecificus exit, imò plerique & flavâ inſigniuntur cæſarie & oculis cæſiis. Contrà verò æſtu, & aëris conſtanti ariditate ſi præſertim nudi incedant homines, mirum in modum infuſcantur, nigreſcunt, craſſeſcunt omnes cutis partes, & criſpantur præter modum capilli, ita ut aſpectu ſolo qui plures hominum urbes vidit, de ſede nativâ poſſit conjecturam inire non improbabilem.

Verùm in hâc ditiſſimâ naturæ diverſitate, aliæ ſunt in ipsâ uniûs ejuſdemque corporis ſtructurâ varietates ad morborum noſtrorum theoriam momenti multò majoris. Varia eſt cutis textura pro diverſitate uſuum ad quos variæ hujus partes à naturâ deſtinantur. Quantùm, ut exempla afferamus, differt cutis in digitorum extremis à callo pedis. Miranda eſt ſanè aliquandò penicillorum vaſculoſorum ad cutem diſpoſitio, qui ubi turmatim ibi appulêre, radiorum inſtar ſeſe ab unicâ baſi diffundunt, ut in illuſtriſſimi Deſcemet injectionibus vidi. Certè diſpoſitio hæc vaſorum obſcuriorem, nec viſui deprehendendam, in nervis & ad ſenſum fabrefactis partibus ſupponit. Hinc cuique parti cutis ſua ſenſatio, ſuum titillationis genus impertitur. Quis adeò in obſervandâ naturâ negligens eſt, ut non ſentiat mirum latere artificium in humanorum digitorum fabricâ ad illorum apices. Tot concentricæ ſpiræ, tot ovales circumvolutiones in baſes

redeunt ſibi parallelas, dùm in quibuſcumque ſulcis latent oculo acutiori non impervia foramina quibus obverſim incumbunt & inoculantur papillæ nerveæ. An illud voluit ſapiens natura, ut papillæ illæ iſtorum defenderentur ope monticulorum. Certè ſtructura hæc nullâ in aliâ cutis parte obſervatur.

Multa alia nondum detexit ſagacior Anatomicorum induſtria. Cur v. g. tam facilè tantoque impetu naſcatur in plantis pedum titillatio, cute alioquin parùm ſenſibili, ea autem ferè nulla in tibiæ ſuris ſentiatur, & excitetur difficillimè ? Hìc cauſas involucro ſuo tegit natura, effectus ſinit videri.

Quamvis autem & inſtituta naturæ ſæpè lateant, imò & intimæ diverſitatum in fabricâ cauſæ non eniteant, leviter tamen rem ipſam licebit perſequi ; & quidem prima ſe faciei cutis ſpectantibus quam vario ſpectaculo objicit. Hæc in juvenibus, licèt ab oſſibus formam mutuetur, ita ab adipe ſuppoſito, & aptè diſpoſito formas novas accipit, ut ſplendidè niteat undiquè, & lævibus formæ illecebris, regularique lineamentorum poſiturâ blandè viſum captet. Ea tamen & nitorem illum, & lævitatem ac ſuavitatem colorum aptiſſimam partìm debet ſuppoſito textui cellulari, in quo adeps durior & confertiſſimæ cellulæ ſunt, partìm etiam tendinibus ac muſculoſis partibus eam ſubeuntibus. At in ſenioribus, ubi aruerit cellularis textùs, ubi in ſe retrahuntur & jam non fulti decidunt muſculi, quot rugæ, quot ſulci, quot areæ in minores minoreſque ac tandem minutiſſimas diviſæ priſtinæ fabricæ celluloſæ non dubia produnt indicia. Intereà plurimæ hiant ad palpebras glandulæ quas ſebaceas appellat Morgagnus. Aliæ ſunt conoideæ formæ, plures ad alas naſi, quarum excretoria, nigricanti puncto inſignia, cutis albedini novum ex oppoſitione afflant ſplendorem. Quid jam moneamus diverſam eſſe omninò cutis capillatæ fabricam à reliquâ totius corporis cute ? Quid agamus de barbæ virilis bulbis quæ, ut mulieribus deſunt, ita eas à plurimis eximunt morbis ? At axillæ, inguina, labia vulvæ, præputium nonne aliam etiam ſibi cutis formam vindicant, à quâ exhalat humor, ſæpè fœtore gravis, aliquandò inodorus, aut ſi de Alexandro magno & Cujacio juriſconſulto credere fas eſt, fragrans ac roſam ſpirans. His omnibus in locis folliculi, cryptæ, caveæ, vaſa hiantia diverſi modi, nunc inteſtinorum formam exhibent, nunc inſtar vermis in varias formas replicantur, quas vel morbi prodidêre, vel injectiones edocuêre & diverſas

humori ſebaceo, ſeu potiùs ſaponaceo cutem alluenti formas imprimunt.

Prætereà verò aliis in locis cutis oſſibus appreſſa diſtendi vix ſeſe patitur, & ſecta, prætermodùm retractis vulneris vaſis, hiat. Quæ quantumvis ad omnem æquè cutem pertineat proprietas, non æqualiter per omnem cutem diffunditur, nec æquè extenſilis eſt pedibus ac manibus appreſſa cutis, quàm illa craſſior multò ad aſpectum, ſed facilè per ipſam ſuam extenſionem tenuanda, evidenter celluloſa quæ totum abdomen circumveſtit. Senſim creſcente dilatatione illâ mirum eſt quantùm aliquandò in mulieribus gravidis protendatur mole immenſum abdomen, ita ut extet aqualiculus pinguis protenſo ſeſquipede. In ſe tamen redit ille exacto partûs labore: quod nunquam niſi in cellulari cute perfici potuiſſet, & ſi quandò rumpitur cutis, ut loquuntur mulieres, nihil aliud eſt ea cutis ruptura, ut ipſi oculo patet, præter immanem cellularum dilatationem. Extenſilitatem hanc cutis in mortuo corio multi proſecuti ſunt auctores, ad exemplum ill. Hales, & ill. Muſſchembroeck quorum experimenta in cute demortuâ paracta nihil ad nos attinent.

Ad epidermidem potiùs quàm ad cutis varietates pertinet callus, qui ab appreſſis & ſibi invicem adhærentibus laminis ſuccreſcens, ſæpè in ſe callum duriorem quaſi centralem continet. Ille natus indè videtur, quòd externa cauſa partem unam, deìn pars illa vicinam compreſſerit. At callus in ſtatu naturali nullus cutim dehoneſtat. Nec ergò inter cutis varietates numerandus eſt, licèt ab actione neceſſariâ repetens originem, nulli ferè hominum, imò nec fœminarum deſit; denturque artifices, quibus volæ manuum cornu duritie vincant, quales ſunt illi qui anchoris cudendis operam indefeſſam navant: iis teſte Boerhaavio familiare eſt ignita ferri fruſta manibus comprehendere. Comburitur cornu illud, fumum & fœtorem exhalat, laminas tamen calli ſenſus non penetrat.

Demùm in morborum cutaneorum hiſtoriâ illud non erit inutile annotaſſe, cutem humanam per totum corpus æqualiter diffuſam, poſſe tamen & debere in duas partes æquales diſpertiri, quarum una lævam occupet corporis partem, altera dextram. Totumque corpus quantumcumque patet, in duas haſce partes eſt diviſum, plicâ quâdam convallem utramque efficiente, ac deindè ab hâc quaſi lineâ partem utram-

que diſtinguente quaſi à centro ſeſe diffundentem. Id certè à cellularis textûs ſuppoſiti ſtructurâ eſſe repetendum evidens eſt; qui textus cellularis ſimilem experitur partitionem. Sic totum corpus humanum in duas æquales partes externas dividitur ad Hippocratis mentem. Quæ quidem partitio magni momenti à divo ſene habita, an in enodandâ morborum theoriâ, & ſtabiliendis tùm metaſtaſeon, tùm revulſionum præceptis, aliquam obtineat dignitatem, è morborum phœnomenis, eorumque attentâ obſervatione divinandum eſt, pluſquàm ex anatome ſubtiliùs excultâ. Hæc obſervatio medicis digniſſima ad nos verſùs alia properantes non pertinet.

ARTICULUS V.

De Cutis uſibus.

Communem illum & univerſalem cutis uſum quo partes omnes externas circumveſtit, involvit, & intra limites coercet, nullus eſt hominum qui non & oculis, & intellectu comprehendat. Hinc de illo plura dicere ſupervacuum eſt; ſatis erit annotaſſe ita varias cutis partes eſſe ſapienter fabrefactas, ut uniûs cujusque partis uſui correlativa cutis correſpondeat, hìc dura & ferè calloſa, hìc rimis & anfractibus plicatilis, hìc etiam munimentis validiſſimis defenſa quibus inſilientes corporum externorum aſſultus, & vitare poſſit, & effugere. Quàm ſapienter enim inſtitutum eſt, ut quæ pars oculorum ſubſidio caret capitis pars poſtica, præſidio capillorum ita defendatur, ut multiplicato filorum numero ictus vehementiſſimi eludantur. Quàm doctè natura apprehendentes digitos unguibus firmavit, clauſit oculos palpebris, nares innaſcentibus pilis munivit, & ipſa aurium intima cerumine implevit quibus irrepentia inviſcantur & detinentur inſecta: ſed in pulcherrimo meditationis argumento immorari noſtri non eſt inſtituti; alium prorsùs uſum offert ipſa cutis organicè ſpectata, quo ſub aſpectu morbos cutaneos tractantibus præcipuè conſideranda eſt. Ipſa enim & tactui organum præbet, ſenſui maximè diffuſo, & ſecretiones efficit atque excretiones maximi momenti, nec minùs ab exterioribus corporibus plurimas abſorbet atomos, nunc morboſas, nunc medicatrices.

Perſpirationi inſenſibili ſemper patet cutis cujus proprietates rimari hujus loci non eſt. Satis ſit hìc in memoriam revocaſſe hujus copiam ita expenſam à Sanctorio fuiſſe, ut licèt illa ipſi Hippocrati innotuerit, atque nulli veterum fuerit incognita, tamen ab ipſo meritò nomen acceperit, qui eam & cæteris ſecretionibus & functionum uſui atque integritati comparaverit. Ab illo acceptam melioribus obſervationibus Gorterus firmavit, auxêre alii plures quorum laudata in arte nomina noſtris non indigent encomiis.

Sed illa ſecretio non unica eſt, aut uniùs naturæ. Alia enim halitu tenui continetur, qui è partibus conſtans fluidiſſimis, & volatilibus perpetuò exhalat, & noctu diuque aſſiduò, niſi conſtrictâ per accidens cute retineatur, in vapores abit, licèt & pro interiori ſanguinis & humorum craſi, & pro externi frigoris majori vel minori vehementiâ plùs minùſve exeat. Alia ſecretionem propriam ſibi poſtulat, per cutis proprios folliculos, per varios vaſorum inflexus; ſordeſque conſtituit craſſiores, quales à cute ſalſas, decrepitantes, ſaponaceas, oleoſas detergimus; hæcque pro variis cutis partibus diverſa eſt, odoremque in diverſis varium ſpirat, ſæpèque morbis cutaneis ſuppeditat fomitem. Alia demùm alimentis quotidiè aſſumptis, atque concoctis in ſtatu hominis ſano proportionalis, non omnibus horis exit; ſed quatuor, & quinque ab aſſumptu alimentorum horis effluit, diſtinctè atque copiosè, ſi rectè peracta ſit concoctio, pravè, inconditè, & minori copiâ, ſi illa elanguerit; in cruditate omnimodâ nulla eſt. Hæc & maximis malis occaſionem præbere poteſt, & morbis præſertim cutaneis, qui etſi ab illâ non ſemper pendeant causâ, tamen ſemper perſpirationis horas ſentiunt, cùm ſcilicet pro variâ mali naturâ, aut ipſius tempore adventante recrudeſcant, aut etiam mitigentur. At ſi ea concoctionum natura fuerit, ut longo tempore fuerint acres atque aut ſalſedine imbutæ muriaticâ, aut oleo ſcaturiant acri, morbis cutaneis anſam præbet hiſce vitiis altè imbuta perſpiratio, ut alio loco fuſiùs exponendi ſeſe dabit occaſio.

At in procreandis atque producendis morbis, inter alios etiam, cutaneis maximam præbet occaſionem illa cutis proprietas quâ aliena in aëre circumvolitantia imbibit, undè & turpes concubitus & fœda baſia, & impura commercia cutem ſummoperè contaminant. Imò ſæpè labes admiſſa ictu ſubito affectum

ſacit nocivum, quo præſertim in loco tenerior cutis altiùs cauſas nocivas imbibit. Sic ab impuro oſculo labia attolluntur, puſtuliſque implentur prurientibus. Nec ipſa ſæpè craſſior cutis à communicato pruritu fuit immunis, ob imprudentem præſertim ſudantis corporis attactum, & Medicos novi qui nunquam impunè variolarum halitum ſine aliquâ puſtulâ inſpiraverint; ſcabieſque occupat novitios Chirurgos qui ægrotos in noſocomiis imprudentiùs contrectant.

Verùm ſæpiùs accepta per cutem lues ſub corpore & intra humores intumeſcit, nec niſi poſt aliquod tempus ad cutem apparet, ut patet in Suttonianâ inſitionis methodo quæ ad ſeptimum aut octavum diem ſæpè prorogatur. Hujus autem abſorptionis verè ſtupendæ exempla Simſon in Actis Edimburgenſibus congeſſit, cujus & theoriam & effectus qui diligentiùs ſcrutari voluerit, duces ſequatur eximias de hâc materie Abrahami Kaw lucubrationes.

Præter numeroſas ſecretiones illas quarum mechaniſmo fit ut cutis pro univerſali emunctorio habenda ſit, celluloſæ ejus fabricæ, atque adeò facilè dilatabilis debetur, ut ipſa tam promptè humores non facilè reſolvendos, ab intimis corporis penetralibus in ſe recipiat atque combibat, ut patet tot criticis abſceſſibus, tot eruptionum formis quæ in ipsâ dùm reperiuntur, per ſuppurationem vel deſquammationem corpus à ſordibus liberant, quas nec tollere perſpiratio potuiſſet, nec ulla alia evacuatio. Quin & ipſi ſudores, ſemper & in omni caſu contra naturam dicendi, peculiari ac prorsùs ſingulari cutis mechaniſmo exoriuntur, dùm illa impetui ſanguinis obvia & multis pervia humoribus ſecretioni aptatis ipſos efficit nunc criticos, nunc repetendos à ſola laxatione organorum poſt erethiſmum deferveſcentem. Undè ſæpè dùm ſudores cruda nec cocta avehunt, poſt ſe puncticula rubra relinquunt, aut veſiculas acri liquore plenas, miliares, mali plerumquè ominis, cùm naturam luctantem quidem oſtendant, ſed à victoriâ longè remotam. Præterea verò omnes illæ ſecretiones non ſine aliquo erethiſmo fiunt, & ſenſatione ſingulari, quæ ut intelligatur, ad illas functiones attendendum eſt quæ ſenſum cutis, ſive tactum conſtituunt.

Hæc altera functionum cùtis & ejus uſuum conſideratio ad tactum nos deducit, qui quidem ad univerſam cutim exceptis calloſis ejus partibus pertinet, & in digitorum apice ſedem delicatiſſimam videtur poſuiſſe. At nulla eſt cutis pars quæ non eo

ita donata ſit, ut formam tangentis corporis, atque ab eo pendens periculum hariolari non poſſit. Perit per paralyſim tactus, & ſæpè uno aut abſciſſo, aut infarcto, vel demùm obſtructo nervo, ſenſus ille in vel minimâ cutis parte diſperit, aliis intactis. Sic virum vidi ita in unâ parte paralyticum, ut reliquis omnibus integris, dùm ipſi barba tunderetur, nullus concitaretur novaculâ ſenſus; evidenter à partibus ſenſu donatis ad inſenſibiles inſtrumentum ferebatur. Id uni etiam digito cæteris intactis vidi accidiſſe. Tactus ut cæteri omnes ſenſus à frigore obſtupeſcit, obtunditur à narcoticis, atque vinoſis ſpirituoſis, imminuitur demùm à profundiori attentione ad alia objecta. De eo fuſiùs diſſerere hoc in loco videtur inutile, tanquàm de re abundè ab auctoribus pertractatâ. Liceat modò de aliis cutis ſenſationibus eò dilucidiùs loqui quòd plurimi de iis auctores ſiluere.

Proprium eſt cutis titillationem experiri & pruritu affici. Omnia in quâcumque aliâ parte ſenſuum organa, ſi nimioperè ab externis afficiantur, diſtracta divulſaque dolores patiuntur, qui à levi initio in cruciatus acerrimos increſcunt, erethiſmumque vehementiſſimum, non ſine rupturæ periculo. Idem etiam tactui accidit. At non inter ſenſationum gradus numerari poſſunt & pruritus & titillatio. Formam novam ſentiendi, atque vix definiendam exprimunt, quam vel acerrimo dolore miſerrimi redimant. Prior convulſione & animi deliquio terminatur, non ſine vitæ periculo; poſterior ungues ipſos in cutem armat, quam ſanguine fœdam, & diſcerptam inflammant, avellunt, proſcendunt miſeri quos enormis vexat titillatio. Utrinque convulſio ad portas eſt, in titillatione diaphragma, laryngem, os, labia præcipuè afficiens, in pruritu ſubjectos muſculos. Mixta eſt ſenſui voluptatis dolorifera ſenſatio, delicias ſpondet utraque, utraque in cruciatus deſinit. Subſultant modicè primùm, poſteà immaniter convelluntur nervi & quæ nerveo ſenſu gaudent partes vicinæ; totum corpus trahitur in conſortium, ita ùt vel in ipſo mortis agone, ubi jam præ debilitate omnes obſtupeſcunt & elangueſcunt dolores, membra à titillatione retractet moribundus. Nec tamen omnes partes cutis titillationi patent, licèt omnes æquè pruritum experiantur; quæ duo cuti propria tormenta maximum in morbis cutis cruciatum concitant, cùm in pruritu enormi à ſcalpturâ temperare non poſſint vel hominum ſapientiſſimi.

Si theoriam harum ſenſationum altiùs rimari, & ſcrutari tibi fuerit

fuerit animus, hærebis anceps eaque tantùm deprehendes, ſcilicet levi & obtuſo concuſſu præſertim titillationem concitari, ejuſque ſedem præcipuam iis inhærere partibus quas ab occurſu corporum tenuium ſeſe inſinuare intùs valentium admonitas voluit creator omnipotens; pruritum verò ad leviores pertinere inflammationes, ceſſareque ac prorsùs deſinere illum ſi vertatur Eryſipelas in Phlegmona quod & ſcalptu tentant efficere qui graviorem inflammationem pro atroci pruritûs ſenſu unguibus, ictibus & vehementi concitato dolore ſtudent immutare. Tùm verò etiam ſatis intelligitur quod, etſi ad omnium viventium hominum cutim ſenſus illi pertineant, non tamen omnes eodem gradu afficiantur, ſed cutium genus illud quod à naturâ, aut caſu quocumque magis tenſum eſt, magis etiam illis obnoxium eſſe.

Ineſt enim cuti etiam laxæ tenſio quædam ex ſtructuræ neceſſitate, quæ minor in cadavere, major multò eſt in viventi corpore. Hæc vis eſt & dicitur Tonica; ſcilicet ſi cutim vivam reſeces, hiat illa præter modum, & utrimque diſcedit tanquàm in actu elaterii, magis in juvene quàm in ſene, in cute aridâ quàm in laxâ, in inflammatâ quàm in ſanâ. Structuram illam cutis evidenter deprehendes in rigoribus, horrore, frigore, præſertimque febrili, in animi affectibus. Rem oculus aſpiciet, dùm irato nec vultus nec color unus remanet, imò & quod familiare eſt brutis panniculo gaudentibus carnoſo, vidi, quod poetæ deſcribunt, quod rarò in hominibus deprehendere eſt, hirtas & arrectas horrore comas. Poteſt ergo, etiam ſine muſculorum ope quos ibi nullos reperire poſſis, cutis conſtringi, coarctari, in ſe ipſam adduci, & quaſi in ſtrictum immutari corium. Quod cum poſſit in pluribus cutaneis morbis contingere, annotandum hìc credidi. Conſtet obſervatio, de theoriâ cum nihil habeamus certi, hìc ſuperſedere licebit quæ fruſtrà vacuas mentes diſtineret. Scilicet an illa vi inſitâ laxari ſe atque conſtringi ſinat? An proprietas illa à multiplicibus vaſorum, nunc laxandorum, nunc ſtringendorum tunicis pendeat, quæ tunicæ elaterio ſimul & vi muſculoſâ eminenter gaudent? Uſus certè per totam cutim expanſæ proprietatis illius ſummus eſt: ſcilicet magnæ eſt utilitatis, tùm in impediendâ hoſtilium & irritantium atomorum intromiſſione per bibula & hiantia cutis vaſa, tùm etiam in coercendis humorum in perſpirabilia vaſa ruentium effluviis, tùm demùm in concipiendis

D

atque emittendis ſudoribus illis criticis, qui cum in cellulari cutis textu materiem morbificam expulerit natura, ipſam per ampliſſimos rivos in febribus aut morbis depuratoriis avertunt. Quod ſæpè cum & vacuatis & exhauſtis corporibus accidat, à ſolâ naturæ irritatæ vi beneficium illud expectandum eſt, fruſtrà enim conatibus irritis infelicique labore aliquandò ars conatur œmulari quod ſoli cutis vi tonicæ debetur.

ARTICULUS VI.

De ſenſu Cutis ad alias partes relativo, ſeu Cutis cum aliis partibus.

Hùc uſque ſatis demonſtratum confidimus nullam eſſe cutis partem, ſi calloſas exceperis, quæ ſenſu non donetur acuto; ita tamen inæqualiter deſtribuitur ſenſus ille, ut pars alia cutis ad tactum aptiſſima ſit, & variorum corporum externorum formas atque proprietates diſtinctiùs comprehendat; alia titillationi ſummâ acutie ſentiendæ maximè idonea ſit. Illæ autem proprietates, licèt à nervorum ſtructuræ diverſitate pendeant, tamen inſpectis atque ſummâ diſſectis diligentiâ nervis nullâ ratione poſſunt divinari, & hæc tantùm de diverſis varii generis ſenſibus ſcimus: ſenſum eò magis vigere quò cutis magis tenſione gaudet, quò exilitate ſtructuræ magis donata eſt, quò plus partibus ſubjectis appreſſa eſt. Ipſe adeps ſubjectus, & mucoſus humor cellulas implens, obeſamque reddens, ſenſilitatis partem detrahit; at verè nunquam perit ſenſus in cute, niſi aut deſtructo, aut obſtructo inter nervos cuti appellentes atque cerebrum commercio, adeòque natâ paralyſi; verùm ſenſus in cute latior eſt, quàm qui primo patebat aſpectu; enim verò ejus intenſitatem mirè augent non ſolùm incurrentium corporum externorum impetus, ſed etiam mutata plurium partium internarum conditio. Ut enim datur aliarum partium in cutem actio, ita cutis pariter actio in alias partes exiſtit. Theoria quidem hìc ſæpè cæcutit, ſummæ rerum internarum cauſæ intellectui humano non comprehenduntur, res ipſæ apparent, & effectibus comprobantur.

Primarium forſan cum cute conſenſum obtinet ventriculus. Non enim inauditum eſt, nec rarum, immiſſo intra ventriculum corpore irritante, illicò cutem puſtulis, aut ſaltem papulis deturpari atque vitiari, aut ſaltem pruritus enormes experiri, quod

non unâ vice accidiſſe viderunt Medici, aut mitulis aut oſtreis non ſatis recentibus imprudentiùs aſſumptis. Sæpè vinum meracius hauſtum ſubitò colores faciei afflat, & pruritus in partibus diſſitis protinùs concitare viſum eſt, imò & dolores ad articulos qui ad cutim non referuntur quidem, ſed cum illâ intimiùs conneƈtuntur. Imò tanta eſt in iis quæ ventriculum attingunt rebus agendi diſcordia, ut enormes, & verè ſtupendos in cute tumores aſſurgere viderim nobili feminæ, quoties illa vel tantillum oryzæ aſſumeret; verùm quod maximè in eâ de quâ agimus materie notandum eſt, nullus eſt ex interiori causâ naſcens morbus cutaneus, jamjam eruptionem affore minitans, qui non in præliminio nauſeas, imò & vomitus accerſat, per eruptionem ceſſaturas prorsùs. Hâc peraƈtâ, nulla jam ventriculum vexat anxietas, nullum ad oblata faſtidium, ſed ſi reprimatur intrò, aut arte præpoſterâ, aut ob errorem naturæ eruptio, recrudeſcunt illicò à ventriculo pendentia ſymptomata. Et certè ut cuti ſic inteſtinis atque ventriculo communis eſt funƈtio perſpiratoria quâ corpus tenuiſſimis tertiæ coƈtionis excrementis liberatur, quæ à cute ob matutinum frigus retropulſa in inteſtina delabitur, celeremque accerſit perſpirationis vice diarrhœam, quâ ſanitas illibata ſervatur, aut ſaltem reſtituitur. Quâ quidem funƈtionum communione cum cute gaudent etiam & renes, & viæ omnes urinariæ. Undè ſuppreſsâ, vel imminutâ ob anguſtiam canalium urinæ excretione, & cutis urinam redolet & pruritu vexatur enormi, nec rarum eſt ſuppreſſis cutaneis eruptionibus labem indè acceptam ad veſicam delabi, ſicque, notante Hippocrate, ſcabie laborat veſica, ſeu potius herpetico quodam malo, quod lemæ atque ramenta in urinâ natantia deſignavêre.

At licèt intimior forſan atque propior ſit ventriculi cum cute conjunƈtio, non rara eſt, at periculi maximè plena, communio quæ pulmonibus atque viis aëreis cum externâ cute intercedit. Ingens enim eſt à thorace perſpirationis momentum, quæ ſi à cute retropulſa vertatur in pulmones, ſæpè ſubitâ ſtriƈturâ premuntur illi, inflammantur, & morbum in ſe ſuſcipiunt. Undè dira nec rara tamen eſt Phtyſeon hiſtoria quæ à retropulſis naſcantur herpetibus. Prætereà norunt Medici omnes quàm facilè in morbillis, & ſcarlatinis febribus à cute in pulmones acris illa atque volatilis materies feratur, & rursùs ab iis impete faƈto in cutem involet. Sympatheiam, an non potiùs ſubſtantiæ continuationem

vocemus, concordiam illam mali, quæ inter cutem atque partes membranâ veſtitas pituitariâ intercedit ? Certè neutra ſine alterius dolore & ſtricturâ laborat. Saltem ſi cutaneum malum in facie, & partibus propinquis hæſerit, coryza vehementior in narium & labrorum cutem diffundatur. Nec genitalia virorum aut feminarum organa abſque ſympatheiâ ſunt cum cute quæ inter vehementes ad concubitum nixus arrigitur ipſa, & poſt deferveſcens œſtrum venereum papulas ſudoreſque emittit. Imò & vidi in ſummo pruritu ad crus inter ſcalpendum in viro ſexagenario, magno impetu ſemen exiliiſſe; undè etiam annotatum ſummè illos in venerem exardere qui morbo pruriente tentantur, nec libidinoſis ignota flagrorum atque verberum efficacia ad lentæ exſtimulationem libidinis, quod artificium ſenibus aliquandò profuit, vanos cæteroquin ad prælia venerea conatus exerentibus. Quid jam loquamur hìc de cutis cum animi affectibus ſympatheiâ, quæ illis emicantibus tota corrugatur, ſtringitur, aut contra laxatur. Quibus in evolvendis, atque deprehendendis effectibus, non vanam luſit operam Sanctorius, cujus ſtatera quot variationes in perſpiratione detexit, tot effectus actionis tonicæ, atque ſympatheiæ in cute etiam expoſuit, maximumque adeò in detegendis atque enodandis morbis cutaneis arti ſalutiferæ conciliavit emolumentum.

CAPUT II.

De Morbis Cutaneis generaliter ſpectatis, eorumque cauſis & ſymptomatibus; ſive Pathologia cutanea.

SI ex cognitis proprietatibus cutis, non omnia ſolvuntur quæ circa morbos cutis proponi poſſunt problemata, plurima tamen indè intelligenda fore perſpicuum eſt.

Etenim cutis, vel ſpectatur ut pars organica, vel ut tegumentum corporis univerſale. Si habetur ut tegumentum & involucrum corporis, ejus morbi omnes à ſuppoſitis pendebunt partibus, aut violentis cauſarum irruentium incurſibus.

Si verò habeatur pro parte organicâ, non ſolùm ſeſe cum

partibus è quibus conflatur, communi conſortio junctam malis communibus arguit, ſed etiam quatenùs ſecretionem peragit eamque non unam, propria patitur mala, ſive illa intùs ipſis è corporis penetralibus in eam irruerint, ſive in ipsâ nati, in illâ etiam adoleverint.

Fabula quidem antiquorum fuit, omnia à corporis centro ad extima ferri, eamque eſſe naturæ vim ut quaſi in cloacam, ad cutem extra viſcerum limites, omnia amandaret prava & machinæ exitialia. Omnia verò corporis puncta pro centro actionis æquè haberi poſſunt, cùm actio habitet ubique, ubique vivax, ubique in omnes æquè irradiata partes, notante rem vetuſtiſſimo naturæ obſervatore Hippocrate. Verùm eorum propoſitio eo in ſenſu vera eſt, quòd per cutem tenuiſſimorum excrementorum coctorum fiat ultima expulſio, imò quòd demonſtraverit irrefragabilis experientia copioſiſſimam eſſe quæ fit per extenſum maximè organum vacuationem, nec tenuium tantùm partium ſed mucoſarum, & alibilium per ſe, quæ in corpore humano ex naturæ efficaciâ ſemper actuosâ, ſed vario principiorum diversè tenuatorum & addenſatorum ordine, ſemper exiſtunt.

Nulla alia pars adeò muco madeſcit, imò aliquibus in caſibus, contra naturam quidem, illis gluten ſudor exprimit qui tangentis digitum inviſcat.

Verùm etiam cùm humorum, tùm expellendorum, tùm retinendorum vitia, ex altioribus ſæpè principiis oriantur & conflentur moleculis, vel coctu difficilibus, vel etiam alterationem illam, ſeu mutationem in inquilinos humores quam coctionem vocamus, reſpuentibus, intelligere facile eſt, ſæpè vitia in intimis penetralibus corporis nata, cutem inficere, & ipſam omninò peſſumdare. Quìn ſæpè per ſolam quam græco nomine aiunt *ſympatheiam*, mechaniſmo adhuc ignoto, cutis ipſa ſenſit crimina laborantis ventriculi. Imò in multis acutis ægritudinibus cutis à ventriculi regione mali fons ſcaturire viſus eſt; id quotidiana in variolis teſtatur experientia. Quìn etiam in omnibus acutis morbis cutis non obſcura latentis necdùm depoſiti veneni ſigna dat ventriculus. Quòd etiam in chronicis multis pariter evenire nobis ſequentium morborum conſideratio demonſtrabit.

Adde hìc etiam varios humores quos ad diverſos uſus cutis nunc retinet, nunc ejicit, nunc contra ſorbet, ſatis inſpicies, totidem vitiorum claſſes, vel in cute ſoboleſcere poſſe, vel

ad illam amandari, cùm nullum ſit ex organis ſecretoriis cui non idem contingat, nullumque, non expurgandis vitiorum intùs conceptorum quiſquiliis aliquandò deſtinatum ſit, ut docet criſeon hiſtoria, tùm acutarum, tùm chronicarum.

Ex hoc cutis in omnibus ſuis proprietatibus & functionibus aſpectu, homini in rebus medicis verſato ſatis eluceſcit, cauſas hìc morborum multò magis variabiles eſſe & numero forſan plures, quàm in alio quovis organo ſecretionibus addicato, cùm & latiſſimè pateat, & omnia ferè acrium genera valeat ſuſcipere, & vehementiſſimas pariter inflammationum ſpecies concipere poſſit & evolvere, omniumque cauſarum externarum inſultibus ſeſe offerat prima, primaque labem acceptam à cæteris partibus arceat.

Ut ergo cauſas externas prima accipit cutis, ita in nullâ aliâ tractatione medicâ cauſarum externarum ponderatio & inquiſitio tanti eſt momenti. At in illâ id ſummoperè attendendum, ne ſectemur ea quæ nimis univerſalia ſunt, & nullam idæam Medico ad hominum utilitatem intento ſuppeditant. Omnes enim cauſæ omnes morbos producere poſſunt, ut ait Hippocrates, ſed hæ illos potiùs quàm alios. Undè ſummè Medicorum intereſt, ut quod experientia demonſtravit hiſce magis patere cauſis & minùs illis obnoxium eſſe noverint. Quod quidem duobus punctis intimè ſpectandis comprehenditur, tùm quæ ſint cauſæ cuti afficiendæ maximè idoneæ, tùm verò quæ ſint cutis ſpecies quæ faciliùs morbos concipiant.

Haſce omnes cauſas unico remotarum titulo Scholæ comprehendunt, quarum aliæ quæ morbum inferunt, occaſionales dictæ ſunt, aliæ habitum cutis immutantes, & aptam ad concipiendos morbos efficientes, prædiſponentium nomine deſignantur. Sed occaſionales cauſæ non ſemper effectum attingunt, leniùs, & quaſi per longa temporis intervalla ſævientes, vitioſum cuti habitum inferunt, & cauſas conſtituunt prædiſponentes. Utrumque cauſarum ordinem liceat confuſim, atque ſimul tractare. Primum quidem numerum ſex res non naturales explent. Secundum verò, cauſæ intra corpus acceptæ. Tertium verò, ab extraneis inſultibus acceptæ, quas ſeorſim totidem articulis expendere operæ pretium eſt.

ARTICULUS I.

De rebus non naturalibus.

Primum ſibi in omnibus rebus humanis locum vindicat aër, ſive endemicam cuti diſpoſitionem afferat, ſive epidemicas concitet labes. Verùm de ipſo ita tractare ut poſſibilia tantùm ſectemur vanum eſt & ingratum. Ei tantùm inſiſtere debemus ut cauſæ cognitæ & efficaci, in quo plus experientiæ dandum eſt, quàm ſupervacuæ theoriæ. §. I. De Aëre.

Mutationes in genere tempeſtatum eæque ſubitæ, cùm plurima alia mala ſecum invehant, tùm etiam cuti nocent. Etenim cùm in calore exhalatio maxima ſit, in frigore minor, ſi ſubitò in minimis vaſis hæreat materies, nec poſſit, aut præ ſubito vaſorum erethiſmo retropelli, aut ab ipsâ ſuâ acredine vellicet illas in quas deponitur partes, fiunt tumores eryſipelatoſi, imò & œdemata ſæpè univerſalia, ſine ullo alio ab intimiori fonte repetendo vitio. Hæc ſæpè vel una poſt calores frigida nox intulit incautis & imprudentibus, aut iis quos ſub dio pernoctare coëgit neceſſitas, teſte in Armeniâ Tournefortio, & longo ante Tournefortium tempore id annotante in Græcorum per montes Armeniæ reditu Xenophonte Athenienſi. In iis univerſum corpus videtur quaſi toto volumine adaugeri, & incraſſari cute non tumidâ ſolùm, ſed durâ atque reſiſtente & elaſticâ, perſpiratione intereà cohibitâ, imò & in pulmones refluâ & anhelitu thoracem fugitante. Aliquandò, maturè præſertim ſi illi tumori obviam eatur, quod una nox intulit incommodum una dies diſcutit; ſed ſi ſemel natus erethiſmus conſtrixerit omnia & quaſi vinxerit, poteſt tumor ille increſcere, in Phlyctænam abire, imò & in Gangrænam, ſi mala aliundè ædificii in quod irruit fundamenta fuerint, liquorumque craſis, aut præter modum acris, aut aliundè putrida atque vitioſa; nam cutis ut aliorum ferè omnium morborum cauſa determinans, ſæpè ſimpliciſſima, fit atrox à complicatione concurſantium ſimul vitiorum, quæ ſigno dato exiliunt.

Verùm etſi ſæpè maxima cutis pars reſiſtat impetui liquoris, plurimæ ſunt ex iis quæ aëri exponuntur partibus, quæ varos concipiunt & tubercula, vel reſolvenda, vel terminanda ſuppuratione.

In hiſce quidem caſibus ſi libertas perſpirationis ſubitò inſtaurari poſſit, bene eſt, imò & vita ſanorum hominum in perpetuo fluxu atque repulſu perſpirationis conſiſtit; at ubi ſemel ſeſe conſtituit erethiſmus, tunc de eo tollendo fruſtrà quæras, artis eſt, ſaltem in boreali aëre, hæſitantem humorem detrudere & ferre, aut ad alvum ſalutari diarrhœâ, aut ad urinas; ſecùs decumbet in pulmones aut caput, potiuſquàm occluſas cutis vias ſuperet.

Cauſa quidem hæc acutiſſimos morbos inferre nata eſt, at quàm ſævis articulorum tumoribus, quàm longis cruciatibus anſam præbeat non noſtrum eſt expendere, id doctè effecêre tot alii quibus id impendebat negotii.

Calor aëris ad cutim rarefaciendo omnes vel tenuiſſimas liquorum noſtrorum partes, ſimulque ſolida laxando agit, hinc vel ſiccus, vel humidus eſt. Calor præter modum ſiccus in inſulis Barbadenſibus, notante doctiſſimo Hillary (*a*), nullâ aliâ cauſâ concurrente, puncticulas leves elicit & puſtulas prærubras, quibus, ſi non occurratur frigidorum applicatorum uſu, febris concitatur, intumeſcunt puſtulæ, ſudor effluit urinæ odorem exprimens, undè Hydroa naſcuntur non ſemper à gangrænæ periculo immunia, ſi præſertim malè ſedulus vi vitæ præter modum auctæ addens ſpirituoſorum, aut acrium ſtimulorum efficaciam, fervorem adauxerit. Inter partes externas quæ plurimùm ab arido calore vexantur & patiuntur, jurè oculos numeraveris, notantibus Prop. Alpino, Hillary, Charmers, aliiſque Anglis qui potiſſimùm de medicinâ Indorum occidentalium ſcripsêre.

Humidiori cum calore aër peſſimis quidem morbis inferendis maximè aptus, peſtiferique in calidiſſimis regionibus ferax contagii, rarò tamen in cutem deſævit. Nam cùm criticos peſſimi moris tumores infert, Anthracem ſcilicet & Petechias, feralia hæc vitia ad cutaneos morbos referre piaculum foret, cùm ſint mali morbi intima viſcerum depaſcentis mala criſis. Nec magis ad morbos cutis referendi ſunt, quàm tumores maxillarum & cæteri morbi catharroſi, quo ſenſu nullus eſt morbus qui non aliquâ ratione adcutem referatur. Meliori jure inter cutis morbos numerantur Aphtæ, quæ nunc albæ, nunc flavæ, aliquandò etiam nigræ in cute obſervantur, præſertim apud Africanos, malignæ per ſe, maligniores ſi in malè ſanum corpus incidant.

(*a*) Hillary, de morb. Barb.

Pueris

Pueris verò in hâc aëris conſtitutione ferè omnibus, præſertim pituitoſis, ſæpè accidit ut labia inflentur, præcipuè ſuperiora & ex naribus humor extillet acris qui, dùm in partes ſubjectas decidit, eas erodit & inflammat, cruſtas facit eryſipelatoſas, ſæpè obſtinatas, quæ tamen ad catharros acres pertinent, ceſſante ſcilicet & refluâ perſpiratione quæ à calore aëris concepit acredinem.

Sudores urinoſi quos obſervavêre Lind, Warren, Hillary, Medici Angli qui de Americanis morbis ſcripsêre, cùm ſubitò ſiſtuntur, mala cutis peſſima ſi induxerint, ab acredine erodente orta, benè cum ægris actum erit, qui peſſimum indè in viſcera decubitum vitaſſe ſibi gratulari poſſunt; ſed fatendum eſt nullis in aliis orbis regionibus perſpirationem tam facilè reſarciri.

Nihil eſt adeò oppoſitum morborum cutaneorum generationi atque frigus externum ambientis athmoſphæræ, proindèque nullâ in orbis parte cutis adeò nitet atque in borealibus & frigidioribus regionibus. Nec tamen ipſum frigus humidum omni vacat ad cutem impetu: hujus enim effectus præcipuus cùm ſit in perſpiratione minuendâ, adeòque ſtagnationi humorum ad cutim anſam præbeat, nil mirum eſt ſi hærens perſpiratorius humor ad glandulas cutis corrumpi poſſit, ibique puſtulas excitet ſuppuratorias, leves, papularum ſub nomine cognitas, imò & eryſipelata. Sed levia illa, vulgò plus pervicaciæ quàm furoris ſecùm ferunt; plus tædii quàm timoris important.

In genere verò fatendum eſt, ſi ab obſervatione plus quàm à theoriâ pendeamus, maximas quidem aëris partes eſſe in promovendis atque acuendis morbis cutaneis, ſed parvam & exiguam admodùm in producendis illis atque generandis. Saltem ſi aëris & athmoſphæræ phœnomena ſubitâ vi, aut actione phyſicâ agentia ſpectentur. Sed intereſt Medicorum athmoſphæram ſub alio & prorsùs diverſo aſpectu intueri.

Scilicet propriè in homine athmoſphæræ nomen ſibi vindicat ea aëris uſura quam perpetuo ferè halitu ducit & ſibi combibit. Enimverò effectus aſſiduò renovatæ & veluti plures per annos inſidentis atque incumbentis cauſæ admodùm diverſi ſunt à fugacibus illis, & acutorum tantummodò morborum ſævitiei incitandæ idoneis. Quæ ſcilicet corpus aſſiduè imbuunt, novam ipſius fibris, novam ipſius humoribus formam afflant & adſtruunt, undè novæ naſcuntur proprietates, nova propullulant excrementa.

Nonne obſervatione compertum eſt plùs odoris ſpecifici exhalari ab hominibus qui loca fervida accolunt, minùs ab iis adipis generari? Principia iis ineſſe tenuiora? Oſſa ſolidiora, capillos maximè ſolidos & hirtos? Nonne cutis ſplendidiùs nitet orarum borealium accolis? Ab hoc habitu renovato maximus pendet varietatis fons in cute. Ab hâc aſſuetudine cauſa morborum prædiſponens facilè in occaſionalem mutatur. Quo ſub aſpectu tres potiſſimùm in præſenti materie athmoſphæræ varietates ſuperſunt expendendæ.

1°. Humiditas habitualis quæ ubi calori jungitur, acria cogit ad cutem eaque illi ita adhærere facit, præpedito effluxu, ut ibi pejorentur ſtagnatione; ubi frigori accedit ſemper moderato, (alioquin congelatâ aquâ ſiccior aër evaderet,) idem efficit, minori tamen cum impetu, undè ſit in cute hærentia acrium, eorumque ſtagnatio; quod & experientia demonſtrat: nam è regionibus athmoſphærâ humidâ infamibus nulla pejor quàm quæ Nili accolis, & inferioris Ægypti littorum habitatoribus, marino victu utentibus præſertim, competit, his enim ante alias quaſcumque gentes, ſed in genere omnibus maris Mediterranei depreſſis oris, per populos graſſatur Elephantiaſis; & pariter iis qui prata humiliora & per plures anni tempeſtates ſubmerſa habitant; ut ſunt Danubii littora, & Americanarum inſularum lacuſtres & paludoſi fundi, mira & incautis prodigioſa incumbunt cutanearum puſtularum monſtra; moderatiùs ſub feliciori cælo, ſed magis quàm aliis orbis civibus. Obnoxii ſunt morbis cutaneis Britones, Picardi, Flandri, Batavi. Apud illas gentes ubi cutis hæc mala non accipit, aphtas, ſcorbutum, febreſque intermittentes facilè infert humidioris cæli inclementia, quæ autumnalem & pluvioſam diatheſim, tùm cauſis, tùm ſymptomatibus mentitur.

2°. Morborum cutaneorum ab aëre origo ab inconſtantibus tempeſtatum vicibus repetenda eſt, quoties à calore quotidiano uſu in frigus, quoties à gravitate in levitatem, ab elaterio in humiditatem & flacciditatem mutatur, alteratur athmoſphæra; perſpirabile enim repercutitur; quod ſi acre non ſit, nec graviores noxas inferat, ſaltem circuitum impos regredi, cutanea vaſa erethiſmo ſtringit, ibique papulas & puſtulas efficit ſummâ cum prurigine. Undè non alio tempore, qui per calorum tempus ceſſaverant herpetes, ferociùs recrudeſcunt & eò afficiunt vehe-

mentiùs, quò calor fuerit anteà violentior, & magis ſubitò ceſſaverit, ita ut dentur homines qui cutim fœdatam & vitiatam autumno & verno tempore habeant, hyeme nitidam, glandulis intereà durioribus, æſtate verò demùm ab omni labe puram, ob ſummam exhalationem. Sed fatendum eſt quòd ſi hæc ſola cauſa morbis cutaneis inducendis ſymbolam contulerit, leves erunt illi, & facilè fluxiles, cùm ſeſe mutuò alternis vicibus oppoſitæ cauſæ deſtruant.

Tertia verò & præcipua labes conſiſtit in abſorptione partium putridarum & volatilium, quas æſtate ſæviente præſertim, & cute non humidâ tantùm, ſed etiam mucosâ, eò faciliùs combibimus, & nobis aptamus, quò tenuiores illæ ſunt, quò repetitis magis ictibus impetum renovant, altiùs devectæ, quòd elaterium à diſperſione aquæ nactæ ſint. Tales ſunt morbi cutanei, herpetes, pruritus, puſtulæ quæ in carceribus humidis crura præſertim invadunt, cùm ab animali ſeveriùs incluſo in aëre non renovato, ſed vieto, exeuntes vapores morâ corrupti in cutem deponuntur, præcipuè verò ob gravitatem & quietem aëris, ad crura. Tales ſunt etiam atomi illæ quas à populoſis urbibus ventus in hanc illamve partem devehit, hincque in oculos præſertim inſiliunt, notante ad Caïrum Alpino. Imò in urbibus magnis, qualis eſt noſtra Lutetia, norunt quòd morbis cutaneis & oculorum præcipuè pateant qui has habitant urbis partes in quibus coacervantur ſordes, & merces ſordidæ, aut è quibus gypſus eruitur. Sæpè herpetibus aut ſordibus cutis morboſis producendis fuit ſatis vicinia latrinarum. Britonibus noſtratibus cutis præſertim inficitur quâ præcipuè depreſſa ſunt maris littora, ob mortua ibi & perpetuò appellentia inſectorum cochlearumque corpora quæ in lacubus ac plagis vento non perflatis adeò facilè putreſcunt. Nec à diſſimili causâ in Americanis inſulæ illius Sancti Dominici tractibus res eadem obſervatur.

Morbi pariter cutanei prurientes obſervantur ſævire ferociùs in oris illis quas locuſtæ infeſtant, quotiès in illas decubuêre cumulatìm, niſi poſt brevis vitæ ſpatia venti ſalubres peſtem indè naſcendam avertant; notantibus Auctoribus Hiſtoriæ Naturalis, atque viatoribus. Hinc ergo res eadem expectanda foret in locis nimiùm incluſis, atque aëre non renovato fœtis; ſi ab hâc causâ longè pejora mala non impenderent.

Sed præterea multa latent in aëre incommoda, quæ in eâdem

regione diſſimili utentes victu adoriuntur; ut eſt Alepenſibus ſua puſtula quæ, ubi ſemel erupit, manumque ac brachium invaſit, ſanata ſemel nunquam recrudeſcit & nemini ex advenis parcit, docente ill. Ruſſel (*a*). Cicatricem hanc adhuc in manu geſtat malo olim ad Alepum ſæviente ferè confectus Chirurgus expertiſſimus Chambon.

An inter cauſas morborum cutaneorum peculiares referemus ventorum aliquot exurentium halitum qui ſæpè vultum & manuum cutem ita torret ut epidermis ſeparetur, & in phlyctænas attollatur? Sæpè in fervidiori Æthiopum cælo, teſte Ludolfo, pluviæ à vento accitæ, fœtentes, & à fœtidiſſimarum nubium reſolutione pendentes ita corruptæ ſunt, ut veſtium textum corrumpant, in quibus vermes brevì exploduntur. Sed effectus illi non adeò truces ſunt quàm qui à glacialibus Boreæ ſpiculis concitantur. Nam frigus acerrimum eryſipelata pariter & puſtulas brevi ſpatio temporis in gangrænam degeneres producit. Omnia enim vehementi erethiſmo ſtringuntur ſolida, omnia conglaciantur fluida, quæ ſi auxiliis maturè admiſſis non ſanentur, poſſunt infarctus & indurationes ita remanere, ut amiſſus pro tempore ſenſus, nunquam ſartus & integer reſtituatur, quod non uno exemplo vidi. Cùm in muliere quæ acriori frigori fuerat expoſita apex digitorum vix aliquem tangendi ſenſum ſervaret, ſenſûs illiûs reliquiæ ad minimam frigoris recrudeſcentiam planè amittebantur.

Præterea annotari hìc velim non eſſe negligendam in mutandâ cute, noviſque proprietatibus illi inferendis ſolis actionem, cùm radiis impendentibus in illam agit, eamque exurit. Ut enim certum eſt, ſive irradiatâ proprietate, ſive phlogiſti illiûs univerſalis intruſione, ſeu demùm aëris appoſiti & attracti fixatione, eas quæ maximè ſoli opponuntur partes, maximè vividis pingi coloribus, quas ſi ſolem arceas, nunquam experieris pares, ita colorem vultui atque faciei, & rubicundiorem, & vividiorem ab ejus actione cuti inurendum patet. Hinc etiam ab ipſiûs perpetuâ in Nigritas actione, colorem hunc primò natum, dein in naturam tractum probabile eſt. Undè ab ipſiûs perpetuâ actione neceſſarium eſt & illam indurari, & firmiorem reddi, imò & furfuraceam, ac quaſi obſtructam; quinetiam & tactui inæqualior ac

(*a*) Journey to Aleppo.

durior, & papulis durioribus obſtricta evadere debet, ut alibi dicendi locus ſeſe dabit. Multa prætereà hìc adhuc latent de fluidi electrici intùs agentis in cutem efficaciâ; vidi maculas & lintigines in cute exortas ad ictus electrici efficaciam ab homine referri: ſubitò, ut aiebat, exortæ erant illæ quas nulla ars poſteà à cute detrahere potuit.

§. II. De Cibo & Potu.

Ad alteram cauſarum externarum perpendendam claſſem ordo nos vocat, quæ claſſis non minùs univerſalis eſt aëre & majoris forſan momenti. Claſſem illam conſtituunt cibus & potus, à quibus repetendas eſſe maximas in cutis morbis differentias multi ita cogitant, ut ab illo ſentiendi genere illos non dimoveas. Et certè res ita patet in frumento illo quod carioſum vocare poſſis, *ergotè* dicunt. Hujus uſu peſſumdata humorum craſis ad cutim non ſine ingenti fertur diſcrimine, quam turpi afficit ſiccâque gangrænâ, ut in Act. Acad. Pariſinis refertur, quodque rursùs eveniſſe, & viſum nuperiùs iidem teſtantur Academici, licèt circà hæc obſervata novis obſervatis nebulas offuderit ſedulus Chemicus D. Parmentier. Sed lentæ eſt hujuſce veneni actio, & uſum habitualem requirit, ut miſerrimis agricolis aliquandò evenit, qui dùm meliora ære mutant, ſibi ſervant pejora.

At nullâ ratione meliùs intelligetur quomodò à ciborum etiam præſenti vitio poſſit cutis deturpari, quàm ſi animadvertamus rem quotidianâ deprehenſam experientiâ. Scilicet multi ſunt homines qui ſi mytulos ſumpſerint, etiam recentes & optimos, illicò & quaſi oculi uno ictu pruritus enormes ad cutim experiuntur quos ſubitò excipiunt grandes in cute papulæ, ipſæ quidem albidæ, ſed circulo circumdatæ fortiter eryſipelatoſo. Novi hominem cui & aqua calcis & chelæ cancrorum puriſſimæ idem efficerent. At tanta eſt in ventriculi ſenſibilitate & ad cutim ſympatheiâ efficacia & diverſitas, ut feminam noverim nobilem cui idem contingat quoties oryzam, quâcumque ratione conditam, vorare voluerit, quæ tamen cæteris mortalibus dulciſſimum præbet edulium. Similes papulas ſæpè in febrium intermittentium initio vidi, undè ipſorum invaſionem à ventriculi conditione pendere credideram. Hæ quidem tranſitoriæ & fugaces cutis deturpationes pro veris morbis haberi non poſſunt, at id ſaltem indicant quàm facilè cutis ab impreſſionibus in ventriculum factis alteretur. Prætereà ſi talis impreſſio in illud viſcus poſſit perdurare, cur non etiam morbi cutis illi etiam fixi atque conſtantes eva-

dant? Certè omnes, quæcumque ſint, ventriculi affectiones in cute vultûs atque faciei pinguntur, quæ alteratur & deflorefcit quoties ſeſe malè habet ventriculus.

At quæ ab alimentis, ſeu ut rectiùs loquamur, ab eduliis pendent morborum cauſæ, aliâ ratione æſtimandæ ſunt. Et quidem non dubium eſt quin ipſa ciborum exuberans copia cùm peſſima plurima mala ſecum importet, ad vitiandam pariter cutim multimodè poſſit conferre.

Enimverò copia illa aut cocta eſt, aut cruda; ſi cruda, ruit ad perſpirationis vias, eas infarcit, obturat, obſtruit, hinc cum viam ſibi vi trudit, erethiſmo vaſa ſtringit, inflammatione rumpit, ſuppuratione reſtituit. Hinc pruritus, anxietas ad cutim, & puſtulæ variæ, præſertim ad faciem, quâ compreſſio minor eſt; undè malè concoquentibus facies, præcipuè junioribus, facilè defloreſcit, & puſtulis dehoneſtatur, plus minuſve acribus aut rebellibus, pro ipsâ cruditatis & copiâ & naturâ. At morbi à copiâ materiei *coctæ* pendentes, ipsâ minuuntur abſentiâ renovantis cauſæ; hinc ſi copiâ ſolâ peccaverit materies alimentaria, plethoræ comprimentis noxas invehet, quæ per ſe, ut norunt omnes, & rarò morbos producit atrocitatis alicujus aut pervicaciæ. At ſi materies illa remanſerit cruda, ob innatam & indomabilem qualitatem, qualem venena proferunt aut etiam medicamenta, cuti nullus eſt nocendi gradus, forma nulla quam non induere poſſit cruditas illa. Undè obſervatione pluſquam theoriâ duce ſcrutari liceat effectus acrium aſſumptorum cognitos quoad morborum cutaneorum productionem.

Plura eſſe porrò quæ cutim quaſi omiſſo medio lædant, ipſe jam è mytulorum aſſumptione naſcens eryſipelas declarat, verùm ex illâ fugaci efficaciâ ad acrium actionem perennem conſequentia deducitur eò certior, quòd vel uniûs acrioris ferculi aſſumptio, cum jam cutis morbida eſt, & vel herpetibus, vel ſcabie fœdata, pruritus enormes valet in malo anteà quieſcente inducere, & gulæ non ſatis temperatæ ſeram inferre pœnitentiam. Nullus eſt ferè hominum qui non id expertus ſit; at in inducendis morbidis diſpoſitionibus, non uniûs diei actio, ſed illa quaſi in habitum contracta requiritur.

Quòd verò multi anteà nitidiſſimâ donati cute, præſertim juvenes, ſi vel per tres quatuorve dies diſſolutis epulis liquorumque ſpirituoſorum uſui inaſſueti indulſerint, quaſi protinùs tu-

moribus rubicundis, & verè inflammatoriis ad frontem, oculos, nares deturpentur, familiare eſt & vulgare; undè illis omnes ebrietatem exprobrant, vetantque reverendi præceptores ne ultra fas ſeſe hiſce dedant commeſſationibus, à quibus ſi protinùs ceſſaverint, nec alia cauſa vivaci malo ſtimulos addiderit, brevi ſanantur illi, ubi lenior materies pura ſanguini affunditur; ſed ſæpè ab iis latens malum accenditur & evolvitur, ſicque cibi acres cedunt in occaſionalem cauſam. Acutum eſt & citò deferveſcens malum quod una dies protulit, ſed ſi aut præpoſterâ libidine, aut ſublatâ attentione pergant eidem ſeſe vitæ inſtituto dedere, tunc malum inveteraſcit, & non in vultu ſolùm, ſed etiam ad alias partes papulæ oriuntur, & vitiatâ digeſtione, ac præcipuè bilis excretione indureſcunt, vari in lemas abeunt, poſteà creſcit infarctus, acredo multiplicata fermenti vices implet. Fit ἀδιαπνευστια, epidermidis ab acri hærente rumpuntur ad textum reticularem vincula, & efformatur herpetum genus quodvis, nunc ſimplex, nunc etiam εστιομενον pro conditione præexiſtente vitiatarum ad concoctionem inſervientium ſecretionum; quæ etiam conditio pruritus vel majores vel minores concitat.

Habemus indè idæam ab accuratâ obſervatione natam malorum cutaneorum quæ ab ingluvie naſci poſſunt, ubi vires hoſtiles acrium ſuperior vincit natura, nec naſcuntur ab hâc labe mala pejora & magis exitialia; ſed eadem etiam nobis obſervatio edocebit quid mali faciant acria peculiaria.

Non enim perindè erit, ſive te aquâ prolueris, ſive ingurgitaveris vino; non res eadem ſalſa, piperata, oleo aromatico acribuſque fœta intùs admiſiſſe. Quid acria in corpus vegetum excepta, & pluries intruſa agere poſſint ſi adamuſſim ſcire volueris, animo teneas quæcumque circum hæcce ingenti labore congeſſit Boerrhavius, nos obſervationem ſolam ſcitabimur.

Pluries in praxi medicâ videmus quod, dùm dura urgeret neceſſitas offerendi ægrotantibus medicamenta acria aromatica, oleis ſcilicet referta eſſentialibus, ſpiritibuſque acribus atque volatilibus, quantumvis etiam ob cauſam prodeſſent illa, erumperent ſimul herpetes, non illorum è genere qui fluunt & vicina corrodunt, ſed pruriginoſis ſquammis epidermidem elevantes, & totidem minimis puſtulis ſcatentes, à quibus armatus vitris fortibus oculus ſtillare videret minimas humoris guttulas, brevì ſo-

lideſcentes ; quod præſertim accidit, quoties æſtate ferventiori exhibentur illa. Nec credere licet hos è genere criticorum eſſe, & ſalubri conatu naturæ ad cutim evehi, ſi quidem nulla in malis præcedentibus mutatio indè naſcitur. Rem pariter eveniſſe pluries ſciunt Medici omnes, quoties exhibitis antiſcorbuticis fortioribus & vino præſertim dilutis enaſcerentur herpetes, ſanabatur intereà ſcorbutus, intactis alioquin ipſis herpetibus.

Quod autem medicamentis accidit, quidni alimentis acribus accidat ? Certè valentiſſimum novi hominem exercitio & animi & corporis apprimè deditum, qui miſerè herpetibus, & ad faciem & ad artus laborabat, prurientibus illis, & noctu diuque vexantibus. Quoniam vini fortioris uſui moderato addictum noveram, ſolâ vini mutatione in oligophorum & tenuem ſanatum fuiſſe teſtor. Alium vidi quem aquæ potus omninò liberum fecit ab hujuſmodi vitiis. Sciunt omnes naſos potatorum papulis dehoneſtari rubris & vultum omnem maculis inſigniri purpureis, vultu ipſo mores incuſante ; quod eò magis fit quò vinis utuntur magis ſpirituoſis. Imò multi ſunt qui quaſi à vinis illis aliquam conciperent electricitatem, ſubtiliſſimis ſimul ac vividiſſimis dolorum ictibus ad cutim, noctu præſertim, configantur. Sed alibi ſeſe dabit enodandi occaſio quâ fiat ratione ut aliquandò aquæ potatores vultum pari modo maculatum habeant, quos vini uſus perſanet.

Patet ex his aliquam eſſe vinorum ad cutem deturpandam efficaciam. Quo piaculo immunes ſunt leves vinorum ſpecies, peccant verò plurimùm quæ generoſiora ſunt, nec ſpiritu tantùm fœta quantùm oleis tenuiſſimis irretientibus ſpiritum illum, ut non adeò facilè poſſit avolare, quod & ipſa eorum diſtillatio docet. Undè ea quæ oleo eſſentiali pollent aromata ſcelus idem admittunt, ut ſunt ea quæ pipere, cinnamomo, zingibere, caryophyllis aliiſque Indicis paribus aromaticis condiuntur, niſi quòd flammam magis durabilem difficiliùſque extinguendum concitent incendium.

Inter varia quibus utuntur homines condimenta locum ſibi vindicat neceſſarium ſal communis, ſivè culinaris. Hunc ipſa etiam captant bruta & ruminantia animalia quæ illum avidè arripiunt. Is vulgare condimentum conſtituit, ita ut vix illo carere poſſint homines, appetitûs ſingulare irritamentum, bili concitandæ optimum, ſi quidem per ſe purgat, urinas tamen,

præcipuè

præcipuè ſi modicâ doſi accipiatur, affectans. Sal ille eam cum corpore humano atque animali ſervat analogiam, ut reperiatur in omnium ferè animalium carnibus quæ ad menſarum uſum ſervantur. Verùm, utut ejus uſus utilis ſit, poteſt tamen exceſſu nocere, & ſi confidimus experimentis D. Pringle & variorum nuperrimorum de putrefactione auctorum, parcâ doſi carnes eliquat, fibrarum unionem & nativam adhæſionem emollit, undè putrefactioni favet, quam præpedit ubi adhibitum eſt copiâ quâ partes in ſe invicem reagere præpediat & ſuperemineat, in quo mirè conſentit obſervatio, cùm eorum animalium carnes quæ gramina mari aliquandò operta depaſcuntur, & ſapidiores ſint, & teneriores reperiantur. Ubi verò exceſſu nocuit, certè ipſam perſpirationem ſalſam, & acrem efficere debet, prurituſque concitare à quibus brevì oriri debent puſtulæ. Imò auctor eſt qui cryſtallos ſalinas ad cutem narium enatas vidiſſe ſe teſtetur. His pedes reſolvuntur, pruritus oriuntur & carnes eliquantur, at vix ulla ad cutem peculiaris enaſcitur eruptio.

Non idem ſentiendum de muriâ quæ, quamvis de ſale marino tota conſtet, tamen novum aliquod connubium iniit, vel cum attenuatiſſimis animalium oleis, vel cum aliquâ alcali volatilis parte: certè volatile quid & ammoniacale adepta eſt; undè putrefactionem ſubit, & mixtus ſal cum ſubſtantiis putreſcentibus, magnâ ſui parte perit. Talem nobis præſtant animalium, & præſertim piſcium carnes fumo ſaleque induratæ quæ ab oleo præcipuè ſummam concepêre acredinem; hæ enim rectè meritòque inter cauſas morborum peſſimorum cutaneorum recenſentur, qualis eſt elephantiaſis. Nam quòd ſcorbutum muriatica nec renovata alimenta procreent, id jam non eſſe veritati conſonum experientia tardior demonſtravit.

Quid jam de alimentis ad alcali volatile tendentibus loquamur, quibus ſolis vitam ſuſtentare prorsùs impoſſibile eſt, niſi ad hoc genus accedant, quæ Lybicis, & quibuſdam Æthiopibus familiares ſunt, locuſtarum eſus, quibus uſum præcipuè aiunt Sanctum Joannem Baptiſtam, quamquàm alii meliùs ακρίδες interpretentur tenellos arborum ſurculos. His, teſte Mercuriali graviſſimo auctore poſt Diodori Siculi teſtimonium, vita breviſſima ad quadrageſimum annum terminatur, & dracunculi, ſi credere fas eſt, naſcuntur in cruribus.

Verùm ex omnibus intùs aſſumptis ſubſtantiis, nihil mihi

magis ad cutaneos morbos, ſivè acutos, ſivè chronicos inducendos viſum eſt conducere, atque olea illa eſſentialia acria aromatica, quibus pretioſa condiuntur & ornantur fercula, ſale præſertim animali acerrimo onuſta. Undè in vitâ gulosâ atque opiparâ frequentiſſimi ſunt cutis morbi, à parentibus etiam quaſi vitiato ſemine ad liberos traduces.

Hiſce quaſi ad præliminia poſitis, fatendum eſt nihil cuti æquè ac cæteris functionibus nocere atque pravas concoctiones alimentorum, quæ ubi ſemel pravum extulerunt chylum, ſi alia ſuper aliam ingruat, non poſſunt ita per ſecunda coctionis inſtrumenta corrigi, ut non remaneat in excrementoſis liquoribus vitium, quod, etſi cæteros omnes liquores attingat, reperitur tamen, præcipuè in bile cujus ad ſanitatem exactè ponderata debet eſſe natura cum humoribus perſpiratoriis, quorum maxima eſt copia. Nec aliundè reticenda eſt hìc quæ inter ventriculum atque cutem interjacet ſympatheia. Hiſce cauſis fit ut homini malè concoquenti colores omnes vultum deſerant, ſurgatque pallidus ex cœnâ dubiâ; poſteà perit nitor cutis, ejus odor fraceſcit, puſtulæ undèquaque erumpunt & miſerrima herpetum, aut graviorum etiam cutis morborum familia.

Tantæ calamitati poſteà, vel maximè auſtero victûs regimine vix mederi licet, quamvis in principiis rectè conceptum regimen mille hujuſmodi mala ſuſtulerit: hinc nullis adeò frequenter occurrunt hujuſmodi mala quàm pueris quibus materna indulgentia muriam, vinum, carnes nimiâ copiâ concedit. Reverà juvenculos adhuc, & humoribus facilè mutabilibus conflatos perſanat verſa vitæ ratio & funditùs mutata. Nec minùs tamen adultiores etiam hâc ratione ſanatos, ſed difficiliùs & longiori tempore, victuque vegetantium ſolo à malis hiſce liberatos, integros atque ſuperſtites proferre poſſim, quibus auctoritatem addet ill. Cocchi tractatu de Pythagoreo regimine & victu è vegetantibus petito.

§. III. De motu & quiete.

Dùm morbis cutaneis ingreſſum in corpus quærimus, & eorum ſciſcitamur cauſas, ſex res naturales pariter expendendæ ſunt, è quibus quæ mala motui debeantur ad cutim referenda, quæ contrà à quiete pendeant brevis erit explanatio. Licèt enim omnes unâ voce Medici in exercitiorum encomium conſpirent atque conjurent, eorumque in laudes, modò cum aſſumptis proportionem ſervent, conſentiamus, non tamen perindè eſt quâ horâ, quâ co-

piâ corpus exerceas. Et nihil magis cutem juniorum vitiat quàm deficiens hâc in re prudentia. Si enim nimius fuerit motus, thorace præſertim anguſto, & nondum ad ſui faſtigium incrementi evecto, cùm reditus ſanguini per anhelos pulmones non adeò facilè pateat, cutis faciei vaſis donata tenuiſſimis, illis dilatatis turget, & cùm facilè rumpantur illa, in puſtulas abeunt, aut dilatata varicoſam affectant latitudinem. Undè qui nimio motui, præſertìm ante ætatem maturam indulgent, vultu varicoſo & puſtulosâ facie incedunt notabiles, ſi præſertim latet intùs acre ſuperfluum. Prætereà ſi celeriùs à cibo & potu motibus ſeſe exercuerint vehementibus, ſudore facilè diffluunt acri & crudo. Truduntur intereà crudiora in tenuiorum vaſorum ordines, & nondùm compactæ & coctæ alimentorum partes extra centrum officinæ alimentariæ per vim auctam delatæ, cùm alieno loco concoqui non poſſunt, reliquum eſt ut corrumpantur. Seorſim autem atque ſejunctim corrumpuntur atque mutantur & puſtulas efformant ad cutem, circà quam ingens eſt perſpiratorii humoris effluxus & impetus, adeòque materiæ nutritiæ intruſio maxima. Hinc obſervatio docet junioribus qui nimiis præpoſtero tempore exercentur laboribus, cutem facilè deturpari, quod eò faciliùs fiet, ſi diverſæ aliæ cauſæ concurrant, à regione, tempeſtate, &c. petitæ.

Inertia contrà & defectus motûs, cùm præcipuis corporis functionibus noceat, cuti tamen ſummè proficua eſt. Nam nec ad uſque cutem pertingunt acria, nec ibi depoſita, cum multâ diluantur lymphâ, poſſunt reſtitare, flexiles enim fibræ & aquoſior ſanguinis compages, intra tenuiſſima vaſa vi truditur. Hinc ſummè nitet mulieribus cutis, & ſi quandò vitia contraxerit, ab alienâ ut plurimùm causâ pendet ea deturpatio, otioſorumque ac quiete molli diffluentium facies ut plurimùm nitidior eſt & albidior. Si ergo aliquandò, intùs enatâ corruptelâ ſpontaneâ, cutis feminarum vitietur, nunquam id à defectu motûs erit repetendum.

Longè aliâ ratione agunt animi labores qui, cùm coctionibus noceant, excretionemque bilis præcipuè tardent, ſimul evidenti effectu ſanguinem in caput hærere cogunt, ita ut meditantibus, tardatâ pulmonum actione, venæ capitis inflentur. Hi inter cutis præcipuèque faciei morborum cauſas recenſendi ſunt. Spaſmodæa enim ſtrictura adeſt laborantibus, inertiam verò mentis nullus ab eâdem ratione effectus ſequetur.

§. IV.
De ſomno & vigiliâ.

Inter cauſas quæ nitorem cuti conciliant jure recenſetur ſomnus qui, ſi longior ſit & ad veternum accedens, mille nocendi artes exhibet, ſed cutem ipſam falſo implet nitore vultuique perfidos flores conciliat. Laxat enim vaſa, calorem minorem ingenerat, humoribuſque vel acerrimis, aut coctionem, aut exitum procurat; at in homine vigiliæ contraria omnia efficiunt. Scilicet illarum actuoſo impetu ſanguinis circuitus intenditur, perennat calor, cutis ardet, & acria intùs nata bilem, humores reddunt acerrimos, ſimul verò coctionem vitiant quæ alternas ſomni atque vigiliarum vices expetit; undè quem confecerit vigilia ipſum pallentem, oculis luridis & extinctis videas; brevì verò cum acerrimis capitis doloribus cutem inficient puſtulæ, herpetes, eryſipelata, qualia aut cibos acerrimos excipiunt, aut ſummè caleſacientia aromata.

§. V.
De animi affectibus.

Prætereà verò vigiliæ ſæpiùs triſtiſſimos comitantur animi affectus, quibus in vitiandâ cute, ſi non peſſima aliundè in corpore mala concitarent ſpaſmoſque lethales, nulla labes efficacior. Primùm enim mœrenti homini perit omnis cutis nitor, decidunt ac flacceſcunt lèpores, & candor in luridum ac flavum vertitur; poſteà, interruptis atque peſſumdatis ſecretionibus quibuſcumque, herpes naſcitur, & maculæ flavæ, bilioſæ, imò atræ & melancholicæ exoriuntur, & pluribus etiam puſtulæ vix ſanandæ & pruritu enormi ac ferè deſperante ſtipatæ exſurgunt. Vividioribus animi affectibus, ſi læti fuerint, nihil erit quod exprobret cutis; at furori illi maniaco, ſæpè debentur maculæ rubræ, ſanguineæ, quæ vultum exaſperant & ipſum, ſuâ vaſorum correlatione, defraudant. Prætereà quantùm ira, furor ille brevis, in bilem agat, vaſaque ſtringat ſpaſmo, quotidiana ſatis demonſtrat obſervatio quâ ira furens ſæpè icterum gravem ſubitò producit, adeòque ſæpè & maculas ſanguineas. Quod etiam iis accidit qui mœrore & deſperatione ſubitâ corripiuntur. Hic enim mœror, alioquin lentus & tardus, vividi animi affectûs nobis idæam exhibet. In genere verò cùm triſtes omnes animi affectus perſpirationem ultramodùm & ſpaſmo viſibili cohibeant, cùm bilis ſecretioni noceant prætermodùm, vitam peſſumdant, & cutem pluribus malis ita afficiunt, ut herpetum illorum ſiccorum qui ipſam exaſperant, & vel cum pruritu, vel cum importuno doloris obſcuri ſenſu diffunduntur undequaquè, maxima pars poſt obſtinatos mœrores erumpat & emicet.

Inter animi affectus licebit numerare præpoſterum veneris exercitium, aut ab eodem abſtinentiam; ut enim taceamus hìc dira quæ ab impuro coïtu trahuntur contagia, quæ ut & oſſa & medullas, ita cutem turpiter afficiunt, multa ſunt etiam quæ, licèt non venerea, tamen imbibuntur contagia. Sic impura labra dùm in baſiis ardentibus, & nectare veneris fœtis alia labra inficiunt, nonne partes genitales humentes & calidæ ſero fœtido diffluentes pariter contaminantur? hinc rhagades, puſtulæ, imò & verrucæ ſæpiùs pro venereis habitæ diffunduntur in penis cutim aut labia vulvæ quæ poſteà commercio aliis redduntur, & indè querelæ ac timores affectûum ſæpè ab imperitis artificibus pro venereo malo habitorum, imò proximo & calidiori concubitu ſine ullo attactu herpetes, ſcabioſi morbi, &c. à corpore in corpus eò faciliùs traducuntur, quò homines eâdem athmoſphærâ quaſi collecti & agglomerati, partibus arctiùs affiguntur homogeneis.

Sed etiam puris alioquin corporibus ineſt ſæpè diſproportio quædam mechanicis vix enodanda legibus, quâ fit ut abſorptæ partes aliis ſanæ, aliis maleſanæ evadant. Id in ætatum præcipuè differentiâ reperitur, & ſæpè ob concubitus ſeniles puellarum cutis aſpera fit & quaſi defloreſcit. Prætereà verò dùm nixu ingenti effunditur liquor ſeminalis, dùm mulierum vis ſub frequentiori coïtu fatiſcit, an non & vitiantur etiam functiones perſpirationis, crudâque remanente materiâ & ad poros hærente, naſci poteſt in ipsâ cute puſtuloſa difformitas? Verùm hæc è longinquo nimis forſan deſumpta.

Sed ipſius à coïtu abſtinentiæ ſeveræque caſtitatis ſi quæ mala ſunt, ea omnia ad cutis morbos referenda crediderim, quâ præſertim ætate ſuperflua redundat in ſanguine ſeminalis mucago, evolutiſque tandem tempore pubertatis omnibus glandulis accretioneque corporis peractâ, fertur ad perſpirationis organa ingens materiæ perſpirabilis attenuatiſſimæ copia, ſpecificus evolvitur odor, & agmine facto ſtagnat ad minutiſſima vaſa liquor ille, aut potiùs aura illa, Gas illud organicum & vitale morâ & vinculis fixum fit, denſum, & puſtulas concitat. Certè utriuſque ſexûs evolutione factâ, ſi caſtam inſtituerint vitam, erumpit vulgò ingens puſtularum glomerata congeries, quaſi à glandulis tumentibus in cutem projecta: ita ut eodem ordine increſcant puſtulæ quo glandulæ detumeſcunt; quaſi forent illæ humoris in cutem diſpergendi receptaculum; adde ſuperanti illi tenero humori

acredinem, aut ſummam addenſationem, varia aderunt concrementa lymphæ peſſima, quæ facilè hærebunt in glandulis, vel ſub formâ ac ſpecie ſcrophulosâ ſcirrhos lymphaticos, & labiis tumentibus ac duris, ulcera efficiunt retorrida. Sæpè illæ de quibus loquimur puſtulæ totum per annum ſæviunt, ſæpiùs vere recrudeſcunt, æſtate ob ſummam perſpirationem evanidæ, hyeme ob frigus & ſtricturam cutis impotes aſſurgere; verni verò temporis ſub horâ, quo tempore omnia ab hyeme expanduntur, illæ etiam malè feraci proventu effloreſcunt; vulgò ante decimum ſeptimum ætatis annum erumpunt puſtulæ illæ juveniles, & raró ultra trigeſimum cælibatûs annum extenduntur, ſin diutiùs durant, ex hâc noſtrâ puſtularum claſſe expungendæ ſunt.

§. V.I. De retentis & excretis.

Jam verò major nobis cauſarum naſcitur ordo, cum ferè omnes qui cutem depaſcuntur morbi ab excretis & præcipuè à retentis pendeant. Quæ enim excernenda fuerant, ſi non exeant, nocent per ſe, malam enim & infenſam indolem per actionem vitæ nacta erant, quam mora ipſa reddit pejorem. Hinc maximus aperitur cauſarum campus. Nullus eſt enim humor retentus qui non cutem afficiat. Horum actuoſitatem expendere noſtri eſt inſtituti, eo ordine, ut minus iis inſiſtamus quæ, cùm aliundè graviſſima concitent mala, vix cutem attingunt.

In genere autem, ut humorum retentorum agendi rationem in cutim poſſimus expiſcari, notandum eſt retentionem omnem vel ſubitam eſſe, & quaſi uno ictu factam, erethiſmo, aut obſtipatione ſubitâ, qualem frigus improviſum, inflammatio protinùs exardens, acrium applicatio efficere poſſunt, vel eſſe ſenſim inductam, qualis eſt ea inſenſilis imminutio quæ ſine irritatione notabili, ſolâ conſtrictione & corrugatione vaſorum, vel ob eorum inertiam naſcitur & tardè invaleſcit.

Ut autem ab illâ quæ cuti propria eſt, quæ maximè ubique per omnem corporis ſuperficiem diffunditur, & cauſis omnibus impedimenta ſtruentibus maximè obviam ſe præbet ordiamur, perſpiratio, vel per ſubitum erethiſmum ſupprimitur, violentamque externæ cauſæ actionem, vel ſenſim tardatur ob defectum virium, ob humoris perſpirabilis crudam craſſitiem, vel demùm propter organiſmi in cute inertiam.

In erethiſmo violento vix ad cutem fertur humor, aut delatus ſtringitur; vaſa tument & dolent, ſolus tunc pertimeſcendus morbus in pruritu & eryſipelate conſiſtit phlyctænibuſque eryſi-

pelatoſis, imò ab eryſipelate brevì gangrænoſis, quales, verbi gratiâ, congelatio efficit.

At ſi lentiùs ſerpit malum, ſenſim tarda ſiet imminutio quæ perſidâ lenitate corporis vires opprimit, augetque malum; tunc ſæpè præcipua labes deſævit in cutem. Hinc ubi decreſcit perſpiratio, acris illa & æſtiva præſertim, ſæpè papulæ oriuntur albæ, latæ, formæ irregularis, prurientes, circulo circumdatæ albo; dolores naſcuntur in articulis in ulcera ſuperficiaria, ἄπελυς græci vocant, deſinentes: quod iis præſertim accidit in quibus ætas inclinat, & ſæpè dolor qui videbatur rheumaticus in glandularum tumores & puſtulas terminatur lymphaticas tardiùs ſuppurantes, aut etiam in profundos abſceſſus. Si verò non in univerſo corpore retentio accidat, ſed in aliquâ parte tantùm, ibi cutis indureſcit, & in tumorem attollitur durum ac ſæpè meliceribes, ſteatomata, atheromata à vaſorum compreſſione ac textûs cellularis induratione naſcuntur.

Sæpè in ſubitâ & quaſi momentaneâ univerſalis perſpirationis ſuppreſſione, horret atque riget cutis, rubeſcitque ac pruritus experitur enormes, urinaque largâ criſi humoris ſuppreſſionem compenſans mala illa tollit; non ſine tamen aliquibus exemplis in quibus tota cutis intumuerit & quaſi fuerit ſolidata, quæ poſteà in cute à morbo nata ſoliditas longo temporis intervallo molleſcit, & flacceſcit, dùm plura ulcuſcula in ipsâ ſolidatâ parte enaſcuntur, quæ dùm liquorem aſpectu tenuem, ſed in fundo verè mucagineum & facilè eſcharodes fundunt, tunc malo medelam afferunt. Id ſine ullo vitæ periculo plerùmque evenit, niſi illa ulcuſcula à malo enata fundo, acredinem ſimul ſecum importaverint. Sed de his alibi.

Verùm cùm imminuitur ſenſim perſpiratio, ſi non acris eſt, cuti vix nocet, at reflua fertur, docente Sanctorio, in validioribus ad urinas, in infirmioribus ad alvum. Si acribus fœta ſit principiis quæ in cute retinentur, rodit illa & epidermidem à cute ſenſim ſejungit aut in furfures, aut in lamellas ſquammoſas: quod vitium herpetum in morem enaſcens junioribus præſertim ſimplex eſt, & ſanatur minoribus aut majoribus artis atque naturæ nixibus, pro naturâ acredinis illius ex ſuis aliundè ſignis cognoſcendæ.

In genere verò hoc notandum eſt vitia perſpirationis originem dare ferè omnibus cutis affectibus, ita ut humores perſpiratorii vehiculum dici poſſint omnium illorum humorum qui morbos

cutis efficiunt. Hinc illi affectus à retentâ perſpiratione pendere dici poſſunt, cujus rursùs vitia nunc à coctionum defectu, nunc ab impetu aliarum cauſarum jure meritò repetentur.

At ſi ex hoc humore qui in morborum cutaneorum ortu maximas partes agit deferamur ad alios, principatum jure obtinebit ſanguis ruber, per arterioſa atque venoſa vaſa perpetuo raptus impetu. Hic novam omninò formam affectibus ab eo naſcentibus inducit, novaque phœnomena. Majore ſanguinis copiâ rubet cutis juniorum, in violentis exercitiis, motibus enormibus, & in ſolis potentiori irradiatione, quæ ſi omnia non umbrâ, diluentibus, frigidis applicatis ſanentur, ſed cauſa perennet, vertuntur in eryſipelas, aut etiam anſam dant phlegmonibus. Ita ſæpè puellæ dùm nixus edunt exſpiratorios violentos, quaſi injectione factâ, totâ facie rubeſcunt, qui rubor, non niſi poſt paucos dies reſolvitur. Undè natum adagium clyſteribus faciem nitidam ſervari. Et certè univerſalis illa plethora quæ per omnia vaſa æqualiter diffunditur in plethoricis atque ſanguineis conſtitutionibus, licèt cutem roſeam efficiat, minorem confert ſymbolam ad cutaneos morbos inducendos, quàm particularis plethora illa quæ vel à determinato in partem impetu pendens, vel ab ejuſdem retropulſu, hanc illamve afficit, intactis cæteris. Hinc nulla eſt ad morbos cutaneos inferendos cauſa adeò ferax, atque hæmorrhoïdes retentæ, aut ſuppreſſæ quæ à longo tempore inſueverant, vel in feminis menſtruatio aut ſuppreſſa, aut tardata, aut alienis menſibus erumpens.

Verùm, ut ab hæmorrhoïdibus ordiamur, quæ utrique ſexui communes, contra naturam quidem erumpunt, at ſæpè ſalutari effectu, illæ plethoram abdominalem levant, pendentque ut plurimùm à minùs libero per vaſa abdominalia circuitu. Hinc non ſimplex eſt earum intuitus; etenim dùm venæ illæ ad cavam inferiorem ſanguinei laticis reliquias ferentes ſtagnanti liquido cedunt, ſignum eſt hærere, & aliquatenùs tardari ſanguinis reditum per abdominalia vaſa; adeòque ſive per compreſſionem, ſive per infarctum, plethora vaſis hiſce infertur, imò & ruptura; quâ rupturâ cùm præſens malum ſublevetur, ſilent plethoræ effectus, remanente intereà causâ. In genere autem ut intelligatur quâ ratione repercuſſæ hæmorrhoïdes poſſint & cutis vitia & alios morbos inferre, ad cauſam earum attendendum eſt; ſi enim à plethorâ ſolâ pendeant, ut ſunt pleræque periodicæ, quæ perſpiratione

piratione ob ætatem imminutâ, & exercitiorum juvenilium defectu, in grandævis apparent, repercuſſæ illæ eamdem noxam inferunt atque menſtruorum retentio, ſanguinemque primò in vaſa aggerunt, ſed præſertim abdominalem, cum ibì è directo agant in vaſa patentia, & excipiendo oneri opportuna. Undè inteſtinalia omenti, meſenterii, hepatiſque vaſa noxam præcipuam in ſe recipiunt; vitiantur coctiones, liquorum in abdomen ſecernendorum ordo interrumpitur, fiuntque functiones abdominales, & malè, & contra ordinem, demùmque cachexia & hydrops ſequuntur: at vitiatâ bilė, vitiatur cutis, niſi vaſa cerebri laxiora, ſtrictioribus aliis, labem in ſe receperint, fiantque ab hâc causâ lethargus, morbi veternoſi, apoplexia. Feliciùs in multis, venæ faciei dilatantur & leves efficiunt varices, quæ guttam exprimunt roſaceam, naſum rubentem, faciem ardentem & flammeam, ſcatentem puſtulis confertis. Quod vitium cùm familiare ſit illis qui ſpirituoſorum abuſu, ſanguinem ad caput deferunt, vulgò ebrietatis ſuſpectos facit eos qui tali dehoneſtantur facie, licèt aliquandò à ſolo abdominali vitio pendeat. Non erit undè hìc inſiſtamus vitiis illis nerveis quæ ſæpè inferuntur ab hæmorrhoidum ſuppreſſione, cùm ad nos non pertineant, niſi quatenùs erumpente morbo cutaneo illa videmus conticeſcere & ſedari.

Verùm maximâ curâ & ſummâ diligentiâ inquirendum eſt, num ſimplices ſint, & plethoræ ſimplicis abdominalis medela hæmorrhoides, num ab aliquo vitio pendeant? Si enim naſcantur à morbo interna occupante viſcera, qualis eſt aut hepatis, aut lienis vicinorumque viſcerum obſtructio, tunc hæmorrhoides ſymptomaticæ ſunt, & ſi repercutiantur, aut infortunio, aut imprudentiâ, omnia nimioperè aucti mali incommoda prætermodùm increſcunt, & nihil illa pertinent ad noſtram tractationem de morbis cutaneis; ſed ſi pendeant tumores hæmorrhoidales à nixibus naturæ molientis ſanguineam evacuationem quaſi depuratoriam, tunc experientiæ eſt, non minimam mali partem à cute ſuſcipi, & fractis naturæ nixibus refluere malum ad ſuperiora & cutem faciei præſertim, ſed alias etiam cutis partes deturpare, nec ſæpè id efficere, niſi poſt longa, atrocia, intolerabilia, nerveum in morem ſævientia tormenta, quæ utut verè ſpaſmodica fuerint, deſinunt tamen ſæpè in manias, apoplexias, veternos, paralyſes, aſthmata, & demùm hydropem. Certè ſæpè tot perpendenti malorum agmina, hæmorrhoides non ſimplicis varicis

idæam exhibent, ſed, licèt ratio nihil ſimile indicet, indicantur inter potentiſſima naturæ emunctoria jure conſtitui, ita ut nullum ferè ſit malum quod ab illorum repercuſſione naſci non viderim, ita ut etiam hæmorrhoides arthriticas obſervaverim.

Prætereà dantur etiam hæmorrhoides evidenter herpeticæ, viciniam omnem ani herpetibus implentes & pruritu notandæ. Dantur eryſipelatoſæ, phlegmonodes, & citò ſuppurationem affectantes. Quæ ſingulæ naturam mali à quo exortæ ſunt ſervant, & repercuſſæ nullas non invadere partes poſſunt.

Eadem verò theoria menſtruorum retentionem in feminis continet, licèt ipſa feminei corporis fabrica aliquas hìc afferat ex ipsâ rei naturâ, & mirâ cum aliis partibus uteri ſympatheiâ differentias. Scilicet primæ malum accipiunt mammæ, thoracique reddunt, undè plurimæ mulieres, retentis præcipuè ſubito impetu menſtruis, prætermodùm ſuffocantur. Tùm poſteà ventriculus & functiones abdominales patiuntur, interque glanduloſa organa, mammæ & ovaria vulgò maximam mali partem ſuſcipiunt. Imò cum mulieribus omnibus illud commune ſit, ut tenuiſſimâ cute gaudeant, minùs perſpirent, minorque ſit in illis ad cutim deternatio, minùs etiam morbis cutaneis laborant, licèt levioribus de cauſis obſcuretur atque obliteretur cutis ille nitor, à levi mucoſorum vaſorum extrapulſione pendens. Sæpè, imò ferè ſemper retentis menſtruis, aut aliâ quâvis ratione morantibus, aut imminutis, in textu cellulari qui ſub oculis copioſus jacet exoritur nigredo quædam, ipſas etiam per genas circumfuſa, quod cùm ipſas maximè moleſtet, tot fucorum genera inventa ſunt, quibus alteratum colorem diſſimulant. At ſi acre latens per menſtrua vacuari ſolitum retineatur intùs, tunc inter peſſimas ſequelas mali hujus, morbos etiam cutaneos numerare licebit quorum indoles & natura à naturâ acris repeti debebit. Nam, etſi pluribus experimentis demonſtratum ſæpiùs fuerit menſtruorum cruorem purum eſſe, & ab omni labe naturali innoxium, qualis ex mactatâ exit victimâ, aliis experimentis evincere facile erit ſæpè per hunc fluxum acria ita vacuari, ut indè corpus iis repurgetur. Sic poſt uteri pruritus, poſt vulvæ & pudendorum inter menſtruationem dolores, ſi retineatur menſtrua vacuatio, herpetes ſæpè erumpunt, imò ut exemplis patuit, aliquandò diſſimulata lues venerea. Nec ſine anxietate, quaſi malorum ſegetem inferat, tempus illud ætatis intuentur mulieres in quo menſtrua ceſſant, edoctæ matrum

experientiâ non alio tempore toties erumpere uteri ulcera putidiſſima, glandulas mammarum, herpetes & alia ſimilia ſymptomata. At id in affectibus à ſanguine pendentibus notandum, hos omnes aliquid phlegmonoſi ſemper ſecum ferre, dolores magis ad lancinantes referri, quàm ad pruritum, profundiora eſſe illa mala, & pus ab iis educi, & magis coctum, & ſolidius.

ARTICULUS II.

De cauſis intra corpus conceptis.

§. I. De bile acri ut morborum cutaneorum causâ.

A ſanguine nocendi vi & cutem inficiendi efficaciâ proximum locum obtinet bilis. Quæ quidem ubi intra ſua vaſa ſubitò retinetur, illicò reflua, totam cutem colore flavo inficit, & fœdo deturpat ictero; at illa retenta ſenſim, aut parciùs fluens non protinùs icterum inducit, ſed vires colligentis naturæ nixu in hunc illumve cutis locum deponitur, & maculas facit flavas, quaſi circumſcriptas, & quæ nunc mentum occupant, nunc manus ſolas. Mulierem vidi quæ, etſi longo hepatis morbo confecta fuerit, nullibi tamen niſi ad manus flavedine erat imbuta. Aliquandò leves maculas thoraci anteriori bilis inducit, aliquandò ſerpentis in morem cutim univerſam maculis luridis inficit, aliquandò lentigines producit, ab aliis diverſas in eo quod lentigines occupent vulgò tantùm partes ſoli obvias, maculæ bilioſæ etiam opertas. Verùm maculæ illæ fluxum tantummodò bilis impeditum indicant, nullam aliam ipſi inditam qualitatem edocent.

At in ſuâ ipsâ ſtagnatione corrumpi illa poteſt, tuncque, niſi pejora induxerit mala, cutem vario modo afficit. Primò enim ut acris, pungit, vellicat, puſtulas prurientes efficit, atque ubi ſummam acrimoniam adepta eſt, rodit ſanguinea vaſa & cruorem in puſtulis accerſit per ſe flaventibus; imò & in aëre præſertim carcerum & locorum clauſorum corrupto, virideſcentes puſtulæ exſurgunt, mixtæque ex tabo & bile porraceâ quæ brevì in gangrænam degeneres abeunt.

Peſſima eſt bilis illa corruptio quæ antiquioribus Atrabilis eſt dicta. Ubi ad cutem deponitur, ſphacelum illa facit, ut vidiſſe me non unâ vice profiteor, quod rerum naturalium ignari vocant in ſanguine gangrænam: at ſi pauca fuerit, ſi non adeò effera, ſæpè peſſimos anthraces ad oſſa uſquè exedentes efficit,

aut puſtulas in ſummâ cute duras, cancroſas, pruritu intolerabili infandos ejuratus extorquentes, vixque niſi & flammâ & ferro reſcindendas; ſi perfecta emicuerit criſis, rotundæ illæ papulæ & quaſi circino deſcriptæ limbum tantummodò rubeum & flammeum habent, at in criſi imperfectâ circumfuſum eryſipelas, phlyctænis nigricantibus horridum; & quanquàm fatendum ſit atram illam bilem, à bile naturali abludere, imò & ſæpè à cauſis prorsùs diverſis pendere, tamen cùm acredine urente, tenaci, oleosâ ad illam referatur, imò & ſemper ex ipſius diſpendio ſumat exordium, inter acredines bilioſas primum locum occupare debet.

Imò & ab hoc fonte, pro acredinis varietate, numerare licebit, plures ejuſdem naturæ ſed decreſcentis ordinis puſtulas, atque tumores, qui ſævitie, periculo, formâ diverſæ, gradu tantummodò differunt, ut ſunt anthraces, ſphaceli ſerpentes, anthraces circumſcripti, maculæ gangrænoſæ, aut lividæ tantùm phlyctenæ, ſphaceloſa, ulceroſa tubercula ejuſdem generis, totidem variis gradibus etiam in pruritu inter ſe abludentia. Patet ex his non omninò fuiſſe malè inſtitutam antiquorum diſtinctionem circa varias bilis ſpecies, cùm illæ quæ in dejectionibus alvinis conſpiciuntur reperiantur etiam in puſtulis ad cutim enaſcentibus.

§. II. De Lymphâ.

Nec minùs ſumma diverſitas, & inter ſe, & ab aliis tumoribus naſcitur in illis quibus lympha præbet originem, ſive in tumoribus albidis. Lympha enim ipſa, ſive ſanguis à materiâ rubrâ ſecluſus, non unus & idem eſt humor, ſed ſummoperè differt pro variis ætatibus, vitâ, temporibus, regionum diverſitate, alimentorum diſcrepantiâ. Verùm ut res ex ordine procedat, morbos à ſero acri naſcentes, quales in ſenibus facile eſt reperire, morbos à materiâ mucosâ, & eos qui à muco lacteo pendent diſtinguemus; quæ quidem diſtinctio, licèt forſan receptis in ſcholis dogmatibus parùm concors ſit, practica tamen eſt, & iis quæ vident omnes ad aliquem revocanda ordinem, phœnomenis, accommadata. Mucus ille ſimplex exundans cachecticis, pueris proprius eſt, & recens natis, atque nondùm ablactatis, mulieribuſque partu recenter defunctis contingit. Serum acre ad omnes quidem ætates refertur, ſed præcipuè ſeniores occupat quibus ſerum minùs difflabile partes omnes vexat. Lacteus humor mulieribus gravidis & à partu nondùm menſtruatis quaſi proprius, ad primos etiam infantum nondùm ablactatorum annos pertinet.

De quibus ut ordine agamus, ipſo in limine notabimus lympham hominum plures per horas quotidie, chylo nondùm mutato, turgidam, crudam eſſe & turbidam, adeòque poſſe quotidie quodam modo videri lacteam, cæterùm eam eſſe per ſe non minimâ ſui parte concreſcibilem & coagulabilem, alteram verò in ſerum reſolvi inconcreſcibile, tenue, calore facilè difflabile. Serum porrò illud plurimis de cauſis, etiam in ſtatu naturali, à parte craſſiori ſejungitur & exudat, imò aliquandò ſolum in phlyctænas abit, quales in combuſtione videre eſt. Si ergò acre factum fuerit, poteſt ipſum ultima ſua vaſa corrodere, quæ ſi aperiantur ſub epidermide phlyctænas faciunt. Tales hyeme videre eſt iis qui crura propiùs igni admovent. Ipſe etiam ſolis ardor tenellâ puellarum cute exceptus, eam in ſimiles puſtulas attollit. Pernionibus & congelationi artuum idem humor originem præbet, & ſine ullâ externâ causâ, ab interno vitio, ut & calidiore regimine, in febribus granorum milii formâ exardet, purpuramque Germanorum albam conſtituit. At ubi ingentem ſibi adſcivit feritatem humor ille per criſim in ipsâ ſanitate cum pruritu enormi ad varias corporis partes erumpit, eryſipelate cinctus ſub herpetis miliaris nomine. Sæpè morbi ad inſtar eruptivi, lentis increſcens gradibus, ſomnos adimens, febrem inducens, dùm in hiſce partibus cicatrice obducitur, in aliis viciniſque præcipuè recrudeſcit, quod per menſes integros vidi renovari. Ab aliquâ ſæpè causâ externâ inducitur, ut ſi pars veſtibus aſſueta ſoli imprudentiùs objiciatur. At ſi non adeſſet interior acredo, ortum à brevi ac levi causâ leve malum promptè ſanaretur. Sed undè illa ſero inſita acredo? 1°. Ab omnibus modò recenſitis cauſis, ut aëris hauſtu impuri, ciborum longo uſu acrium, &c. 2°. à bile aut ſimplici, aut acri ac porraceâ, vel quod pejus atrâ; ſi quidem hæ omnes bilis ſpecies à ſero diluuntur, & quò pars quævis acrior atque tenuior, eò etiam & faciliùs diluitur, & rapitur cum ſero vehementiùs.

Serum illud acerrimum, ſed & ſimul tenuiſſimum, ita ut apud antiquiores ſub ſpiritûs ſeu Πνεύματος nomine fuerit cognitum, non unam in morboſo corpore ſcenam agit, quatenus ultimos vaſorum mœandros ſoli pervios imaginationi penetrare valens, ibi nervos, nerveaſque partes diris torquet cruciatibus & dolores concitat immanes. Novitate rei attentos, & rheumatiſmum vulgato nomine incuſantes deludit illud, ſive nunc hùc, nunc illùc feratur, ſive fixam ſibi ſedem in aliquâ parte elegerit; undè pruritu §. III. De ſero acri.

enormi, doloreque intolerando, vel in latam faceſcit puſtulam, vel in plures redivivo cruciatu torquentes, donec exhauſta ſit cauſa mali. Quod pluries ſi vidiſſe me dixerim, nihil addam tot obſervationibus quæ oculis quotidie ſubjiciuntur. Nunquam, aut rarò admodùm febrim concitat peſſimum malum, ut pote extra circuitûs centrum poſitum. At nunc dentes exedit, ut vidi in viro qui parvulo temporis ſpatio, omnes maxillæ inferioris dentes amiſerat, intactis ſuperioribus; nunc in pulmones decumbens eos corrodit, & ſuppuratione longâ & lethali perimit. Alibi ferales ludit tragædias, nec ſe ſæpè ſinit agnoſci, niſi cùm immedicabile malum evaſit. Plura ad hanc ſeri corruptionem phœnomena referuntur, apud antiquos obſervata, imò & peſſima illa ſcorbuti ſpecies, quam à Lucretio deſcriptam vidit & aſſeruit Poupartus non ab aliâ videtur causâ repeti debuiſſe.

§. IV. De muco acri.

Remanet pars in lymphâ maximè conſpicua, non unius in tenuitate gradûs, quæ à ſummè tenui alteratione ſpiritus forſan nutriente ſubtiliſſimos ad craſſiorem uſque & chylo proximum humorem, eaſdem qualitates à vegetantibus deſumptas ſervat. Hæc cùm plaſticam virtutem corruptelâ ſuâ non amiſit, nutritionem efficit, & cæteras functiones adimplet, quibus gluten ſymbolum confert. Ipſi ſua poſſe ineſſe vitia vel ſimplicior docet Pathologia quibus hìc inſiſtere noſtri non eſt officii; ſed notandum eſt totam perfundi cutem muco illo copioſo, imò & in ſuâ origine totam illo conflari, undè quò origini ſuæ propior eſt illa, eò magis mucum redolet, ita ut vel in ſaniſſimis infantibus ſeſe expurget per lemas, ſordeſque lamellatas quæ ſtrigili eraduntur.

Res eadem in adultis conſpiceretur, niſi & exercitio firmatum corpus & motu exercitum mucum ſummâ vi tenuaret. Solideſcit ſcilicet mucus ad cutem & opportunum præbet nidum variis inſectorum noſtrâ ſub cute viventium ovis, quæ per mucum cum epidermide coalita ibi excluduntur. Undè nullis tantùm in corporibus, quantùm in infantibus hujusmodi inſecta proſperè excluduntur & adoleſcunt. Sed ſi muco illi acredo aliqua inſederit cùm cutem omnem occupet ille, nihil mirum eſt, ſi diri indè ad cutem naſcantur morbi, pruritus, obturationes, obſtructiones, inflammationes diverſi generis, ulcera recrudeſcentia, quæ ſumma vaſorum culmina exulcerent, rodant & corrumpant.

Dulciſſimo autem & ſummè nutritio humori acredo duplici de causâ innaſci poteſt. Prima quidem ab omnium ſupra dictorum

actione in mucum determinatâ pendere poteſt ; altera verò à proprio innatoque vitio quo humor facilè mutabilis, ſi ultra ordinem diluatur, vappeſcit quaſi, fermenteſcit, intumeſcit, vaſa dilatat & rumpit, & jam in maſſam conflatus puſtulas quidem majores concitat, & eò magis pertinaces, quò plus ab ipsâ corporis machinâ materiæ ſufficitur mucoſæ. Pus hiſce puſtulis tenax & viſcidum paſtæ fermentantis odorem ſpirat; ſæpè gliſcit ſub epidermide, & viſcoſo attactu digitos tangentes commaculat. In illum, niſi ſedula arcuerit cura, muſcæ & inſecta involant, quod quotidie in legitimis infantum variolis obſervatur; hic enim morbus, ſi quiſquam alius, partes corporis mucoſas adoritur, & quâdam fermentatione per inſitionem facilè demonſtrandâ novam muco formam imprimit.

Ulcera quidem mucoſa efficiunt variolæ ab extraneo concitatæ fermento, ſed alii ſunt ejuſdem formæ morbi, non ut variolæ acuti, ſed chronici, qui infantes atque juniores aggrediuntur mucumque mutant, ἀχώρες dicebantur græcis, & ut Platonis libro III, de Republicâ verbis utar ἀπὸκριτικον νοσημα dicebantur ab ἀπὸκριτικη δυνάμει concitati; hi quidem miserè corpus per longum tempus affligunt, ſed, iis per vim temporis exanthlatis, illud & ſanius & robuſtius efficitur, imò præcaventur morbi. Forſan & ſi conjecturæ venia in rebus hiſce danda ſit, plures morbis hiſce mucoſis infantes conflictati, à variolis immunes videntur fuiſſe. Intereà deteſtantur mulieres faciem puerorum inhoneſtam, quos oſtentare nequeunt. Cauteriis inutilibus miſellos affligunt, bellèque ſecum agi credunt, ſi ad aures effluxus tantùm perſeveret, glandulis intereà parotidibus, axillaribus, occipitalibus tumefactis, quæ glandulæ lymphaticæ quandiu turgent, quaſi per folliculos cutis humori paraverint exitum, illas ſanare & repercutere foret piaculum ingens, cùm indè certè emolumentum corpori accedat, atque intemerata ſalubritas. Horumce tumorum atque ulcerum ſimplicium alia cum pruritu enormi fiunt, undè imprudentes ſeſe pueri cruentant, & fœdum offerunt ſpectaculum, vix tolerandum matribus; alia ſine pruritu. In his acredo nulla extranea; in illis, vel à nutrice, vel à matre caracterem acrem inſumpſerunt. Pueris vel lactentibus, vel recens ablactatis accedunt illi affectus; nam ipſum ablactationis tempus lymphæ novam indolem imprimit: infeliciter quidem, ſi quæ lymphæ inditur & inducitur craſis ſpiſſior in glandulas lymphaticas ſeſe deponat, neglectâ cute; intumeſcet

enim abdomen, cætera marceſcent, aderit diarrhœa, phthiſis, mors. At grandiore facto corpore, ſcena mutatur, & quanquam dentur in ætate jam puerili aut epheborum morbi à muco pendentes, quanquam dentur cruſtæ, favique, glandularum lymphaticarum infarctum & ſequentes & comitantes, ſimulque & infarctum illum tollentes, adeòque ad corpus à ſuperfluo mucoſo liberandum inſtitutæ, adeſt tamen plus erethiſmi, plus inflammationis, plus virium vitæ, undè fit ut malum majori celeritate ſua tempora decurrat, depuratio fiat citior, metaſtaſis periculoſior.

Hæc metaſtaſis vulgò fit in pulmones in juniori corpore maximè in morbum flecti cereos, & glandulas bronchiales primùm obſtructione, dein eroſione inficit, pure demùm corrumpit. Nec rarum eſt iis quos, aut natura debilior præpoſtero morbi mucoſi cutanei retropulſu affligit, aut ars maleſuada fœdi horrore ſpectaculi liberavit, ut illicò, & quaſi nullâ præviâ causâ, pus exſpuant, mirantibus Medicis, nec cogitantibus quòd ſuperfluus ille mucus mutationem purulentam in ipſo circuitûs impetu ſubierit, alteratuſque in pus ad pulmones appulerit, cujus, omnibus ferè practicis conſentientibus, mutationis non unum vidi exemplum.

Duriores fiunt & magis plaſtici tumores illi ingraveſcente ætate in quâ & herpetes minùs fluunt, & achores favique duriores ac rariores, in quâ glandulæ faciliùs cedunt quàm cutis, & faciliùs indureſcunt iſtæ quàm illa erodatur, undè rursùs metaſtaſes faciliùs fiunt ad hepar, humoribus indolem bilioſam plus affectantibus. Lympha ipſa craſſior meſenterio faciliùs inſidias ſtruit quàm cuti. Nec mirum ſi phlogoſes harum partium lentæ, vix tangenti digito deprehendi faciles, cum artis auxilio ad reſolutionem ſollicitantur, eique jam auſcultant, cum de victoriâ mox adipiſcendâ ſibi jam gratulatur Medicus, illicò ſpem benè conceptam eludant. Tunc enim & facies quæ plus externis inſultibus patet, & reliquæ omnes corporis partes puſtulis fœdantur, pruritu afficiuntur, herpetibus turpiter corripiuntur; ſcilicet cauſa mali liquefacta eſt, & antiquam ſedem deſeruit, tumque cutis ejus piacula accipit. Imò ſi priorem morbi ſedem intuearis, miraberis quanta in anguſtiſſimo loco materiæ nocivæ copia delituerit, quod tibi tamen aperiet obſervatio circa mucum animalium ſimpliciſſima. Scilicet dilatari illum prætermodùm ubi aquâ ſimul diluitur, ſimulque motu rapitur; undè quod centeſimum pollicis

pollicis unius ſpatium occupabat, poſſit ad plurium pedum ſpatium extendi.

Ab hâc theoriâ quæ per omnes æqualiter ætates & ſexum utrumque diffunditur, maxima pars morborum cutaneorum intelligitur, imò & plurium in œconomiâ animali affectuum nodus ſolvitur, cùm pars illa mucoſa acris nunc uterum, nunc pulmones, nunc viſcera omnia glanduloſa occupet, ita ut non ſine aliquâ ratione, licèt nimis extensâ idæâ, Mortonus & Meadius pronuntient, vix aliquam dari phthiſim quæ non ſcrophuloſa ſit, interiora rei non ſatis attentè rimantes, cùm nihil ſit acre, ſive à variolis, ſive à morbillis, ſive à morbo quocumque eruptivo, à ſcrophulis, imò & ipsâ lue vencreâ, reſiduum, modò muco illi inſidere poſſit, quod ſimiles morbos parturire non poſſit, quod pluribus exemplis & obſervationibus non refellendis hìc poſſem comprobare, ſi non melius foret cuivis Medico rem ex propriis obſervatis perpendendam relinquere.

Supereſt illud exponendum, undè materia hæc mucoſa concipiat acredinem, conceptamque aut ſervet, aut diffundat. Nihil unquàm aut doctius, aut ad veræ atque ſinceræ Chymiæ principia convenientius de acredine & ſanguinis, & lymphæ, & humorum unquàm dictum fuit, quàm quæ in Pathologiâ Boerrhaavius expoſuit, quibuſque ſigna addidit, ex ratione & obſervatione petita. Non ita tamen ut quæ dicitur ipſi alcalina lues unquàm ſuos perfectos effectus & obſolutos intra ſanguinem & humores edere potuerit, aut muriatica ita dominatum obtinere, ut ſalſuginem illam incorruptam ſubire ſanguis capax fuerit. Quæ enim ita diſtinctè eminent, aut lethum inferrent neceſſarium, aut per apertos urinarum tractus vacuarentur. Verùm indolem nativam illâ tabe inquinati humores retinere poſſunt per ſuos effectus demonſtrandam. Imò ſi lympham è corpore humano emiſſam, variis ſalibus, oleis æthereis, vini ſpiritui, eâdem doſi ſumptis miſcueris, quælibet horumce corporum in ipſam agent, ejuſque craſin prorsùs immutabunt, ſed phœnomenis diverſis, textuque indè naſcente ſummè variato, quod longâ experimentorum ſerie hìc demonſtrare poſſem, ſi non res extra tractandæ materiæ limites nimiùm extenſa nos à propoſito avocaret.

Sed ſi obſervationem conſulimus, alia eſt præcipuas nocendi partes in corpore hùmano ſibi aſſumens acredo, quæ præter cæteras eò magis eminet, quò ipſi mucagini magis propria eſt. Hanc

H

acre humanum vocarem. Præbet ipſi originem vitiatus & malè compactus in ipsâ ſuâ origine chylus functiones omnes debilitans : undè ſecretiones omnes vitiantur, & præcipuè cæterarum complementum & quaſi emunctorium commune, perſpiratio. Adunantur inter ſe, & in proximiorem contactum accedunt mucoſæ partes, hâc unione craſſeſcunt, & quaſi rancidæ ſiunt atque fracidæ ; eminet indè acredo, ut ab humore univoco, univoca : ſed quæ tamen ab ætate, ſexu, temperie, varietates accipiat accidentales.

Hæc in infantibus paſtæ fermentantis odorem refert, in adultioribus aliquid habet offendens, nauſeoſum, magiſque in feminis quàm in viris. Acre illud ſi febre non reſolvatur, facit ἀπόστασιν, tumores facilè ſuppurantes, & in pus bonum, album, læve & æquale vertendos. At in pueris mucoſum quid ſæpè ſupereminet & ulcera facit curatu difficilia. Acri illo præexiſtente, artus gravantur, dolent, languentque functiones omnes, omnia ad nauſeam faſtidiuntur, donec eruperit febris. Præcipuus illius mucoſæ molis jam vergentis in acredinem lentam & degenerantis effectus eſt homines reddere impotentes, inappetentes, ſui oblitos, omneſque ſecretiones tùm ordine, tùm qualitate intervertere. Aliquandò ubi corpora ſunt & flexilia & mobilia ſine febre, ſolâ ἀποκριτικῆ, δυνάμει, ad cutem fertur ut in infantibus, quâ ſemel pertusâ, non ceſſat niſi perfecta fuerit ejus depuratio ; id porrò, cum ſæpè cachexiæ juncta ſit illa, atque ſolidorum inerti ſocordiæ, non accidit, niſi cùm vitæ vires inſtauratæ ſunt, aut continuo vitæ exercitio accretæ, undè tot cachexiæ ſolvuntur per puſtulas. In adultis magis aridâ cute fertur ſæpè ad interiores glandulas acredo illa; in ſenioribus verò rhumatiſmorum varia genera producit, imò & ipſam arthritidem ſæviſſimam, quod ex eo probare poſſim, quòd non ſemel, ſed pluries morbum hunc & crudeliſſimum & maximè regularem per puſtulas integro ſævientes biennio, poſteà verò ſanatas, omninò ſublatum viderim, iiſque ſenibus qui nec arthritide, nec hæmorrhoidibus vexantur, nihil ſit adeò familiare, atque herpetibus laborare, quarum protheiformem adumbrare indolem alibi locus dabitur.

Duo tantùm hìc notare ſuffecerit exempla. Alterum nobiliſſimæ mulieris quæ ſcirrhoſo tumore ipſum uterum depaſcente laborare videbatur. At tumor ille vultu fœdato per fluentium ulcerum herpeticorum ſorditiem ſanabatur; quæ ulcera peſſimo repercuſſa conſilio

rurſùs in hepar decumbebant, deindè verò in uterum rurſùs; at eadem ſi ingentibus vexaretur menſtrualibus hæmorragiis, aut fluore albo mucoſo perpetuo, horumce malorum neutrum experiebatur. Alterum verò de arthritide in herpetes degenere mihi ſufficiet vir magni in litteris nominis, qui poſtquam longâ diuturnâque conflictatus foret arthritide, tumore primùm ingenti crurum atque femorum eoque duriſſimo, atque cute in corii elaborati duritiem firmatâ & adauctâ correptus eſt. At tumor ille tandem diſcuſſus fuit per fluentia, mucoſa, difficilè ſanabilia, dein etiam facilè recrudeſcentia ulcuſcula, quæ pruritu inſigni dira & crudelia, per biennium integrum miſero ſomnum & ſpem ademerant, evanidâ intereà, nec poſteà redivivâ arthritide.

Quanquam autem acredinis hujuſce mucoſæ, quæ aliquid de fermentativo illo *gas* dicto ſibi vindicat, theoria hùc uſque non omninò perſpecta habita ſit & cognita, nullus eſt tamen inter obſervatores naturæ qui hujus in diverſis ætatibus exiſtentiam non ſenſerit. Hinc pueris recens ablactatis tot glandulæ lymphæ atque muco dedicatæ turgeſcunt, & quaſi per mucoſi atque adipoſi textûs cellulas tranſudarent, ad cutem feruntur; hinc grandeſcentibus tot inflantur glandulæ, & periculum ingens phthiſeos accerſitur. Hinc ſenioribus ſputamina, & jam ætate provectis apoplexiæ mucoſæ, catharri ſuffocantes, diarrheæ, ac dyſenteriæ, tot febres in abſceſſus terminandæ, variaque ab accidentibus diverſis ſibi mutuantes ſymptomata : numeroſa herclè morborum cohors quæ huic acredini mucoſæ debet originem. Suos hæc ſibi proprios habet caracteres, & indolem quâ ab aliis ſecernatur & agnoſcatur. Scilicet ſenſim increſcit & tacitos habet progreſſus : hæc à glandulis in cutem, à cute ad glandulas præ aliis omnibus defertur. Hæc duritiem ferè indolentem, niſi per febris vim tenuetur, affert, undè vulgò ſine febre, nunquam brevi temporis ſpatio, ſed per partes & longa temporis intervalla depuratur. Ubi ſemel depurata eſt, corpori ingentem inducit nitorem à quâ & robuſtius illud & alacrius evadit, & in pueris creſcentibus grandius. Demùm ſcrutatoribus naturæ non dixerim abſurdum quid, ſi protulerim illam acredinem depuratoriam per integrum vitæ curriculum periodicis temporibus recrudeſcere. Quæ omnia accidentia nulli alteri acredinis generi, aut competunt aut competere poſſunt. Undè ab eo tot herpetum ulcerumque cutaneorum differentiæ quæ plus nomine & formâ, quàm re & naturâ differunt, oriuntur.

§. V.
De ſcrophuloſo acri.

Nec tamen hoc acri intellecto omnes acredinum ſpecies quæ ad cutem poſſunt deferri comprehenduntur. Ad hanc proximè accedit peſſima acerrimi tabi ſpecies, lympham pariter invadens, ipſamque cogens atque coagulans. Hæc ſcrophulas & tumores nuperioribus ſic dictos frigidos facit; lento pariter greſſu incedit & cutem adoritur. Sed noſtra hæc ſævior acrimonia & corpori nunquam utilis, lympham ipſam ejuſque naturam deſtruit, ipſique vel in ſuis ipſis vaſis formam gypſeam aut cretaceam affingit; ſi quandò cutim adoritur, nam id ipſi non eſt & naturâ & indole, textum ejus deſtruit pariter, & naturam ita concretionibus defformat, ut quocumque ſeſe tulerit humor ille, jam reparari partes non poſſint atque reſarciri. Verè deſtructorius humor cum nullo alio ſervat analogiam, ſi luem exceperis veneream, cui effectuum analogiâ concors eſt, forſan & origine, ut plures voluerunt, quibus tamen plenum ideò aſſenſum dare vix poſſim, quòd & ante cognitam luem veneream jampridem ſcrophulæ innotuiſſent, & ſufficiens ſcrophulis cauſa reperitur in aggeſto primarum viarum malè concoquentium acido, qui ſi non fermentativus fuerit, & ſpirituoſo propior, ſed terreus, auſterus & acerbus, jam liquores cogit atque coagulat. Quod quidem eò videtur veriſimilius, quòd rarò niſi debilioribus pueris ſcrophulæ accidant, & duritie eos tantùm atque ſcabritie tumores æmulantur, quos ab acidâ atrabile pendere veteres cenſebant. Sed morbus ſcrophuloſus glandulas præſertim invadit, nec cutem, niſi quatenus conflatur atque conſpergitur folliculis. Adeòque ejus naturam, progreſſum, origines altiùs rimari extra propoſitum noſtrum eſt. At alia eſt acredinis lymphæ inſidentis ſpecies, humoriſque retenti genus peſſimum, quod maximam à nobis curam & inquiſitionem poſtulat.

§. VI.
De lacteo acri.

Ea autem conſiſtit in acredine lactis ſuperflui in corpore femineo, ſed nec femineo ſolùm, ſed etiam infantis recenter excluſi: nam turget lacte omnis infans, quod etiam à mammis naſcentibus exprimere facile eſt, aut expreſſum viſu deprehendere. Quamvis autem forſan univerſali nimis propoſitione, omnes homines ſuo lacte vivere dixerit Boerhaavius, non minùs tamen verum eſt in illius ſenſu, lac eſſe chylum inter & ſanguinem fluidum intermedium, naturæ agentis labore effictum atque efformatum; in eo quidem omnes quæ ſanguinem poſſunt conſtituere partes reperiuntur. Deeſt rubor, deeſt pondus, atque den-

ſitas, deeſt fortis partium inter ſe approximatio. Quoties ergo elementa lactea præ eorum copiâ & virium imbecillitate in vera ſanguinis elementa converti non poſſunt, non tantùm exuberant, veramque inducunt cachexiam, ſed ſtagnantia præcipuè ad glandularum anfractus, indurantur, & cum molliſſimo vaſorum textu concreſcunt, imò etiam in cellulari textu coadunata corrumpuntur, in folliculis aceſcunt, mucumque, ac renovato proventu accedentem chylum in partem labis, fermenti more, aſſumunt; undè pruritus, puſtulæ, ulcuſcula mucoſa, pure indivulſo plena, vix inflammata, adeòque viribus vitæ ad cicatricem efficiendam neceſſariis rebellia. Corruptio autem lactis intra corpus ſpontanea per ſe mucum deſtruit, & oſſa vel eburnea emollit, cùm novam ſævitiem ac feritatem accipiat & mutuetur à calore corporis & à vi circuitûs perennantis. Hinc fœtor ille acidus qui evadit intolerabilis, quoties ulcera indè nata, præſertim à longo tempore tecta, aperto aëri committuntur, nares feriens & ſæpè animi inducens deliquia. Non aliam ob cauſam tot formæ ulcerum oriuntur Græcis Arabibuſque, per nimiam ſedulitatem quæque ſuis nominibus inſignitæ, quæ, etſi rariùs puerperas quàm infantes ſolo eorum lacte viventes adoriantur, tamen iis quoque communes ſunt, præſertim ad caput quà calor capillorum major, ornamentis & variis aromaticorum unguentorum formulis maximus redditus, emicat. Prætereà ad glandulas lymphaticas quibus ornatur collum hærentia major, undè prægnantibus jam lacte turgidis, & puerperis, rarum eſt dentium nitorem non hebeſcere, ipſamque non alterari. Acredo autem illa lactea adeò à cæteris differt, ut probè meminerim recens puerperam ſcabie tentatam, ab eâ rectè convaluiſſe, cùm tamen manerent ulcera lactea quæ vim remediorum ſcabiei inſervientium eluſerant, me tamen contraria prorsùs ſperante; undè duplici opus illi fuit medicatione.

Licèt ergo hìc à noſtro propoſito alienum ſit in lactis medicinam inſiſtere, patet quàm facilè mala à matribus atque nutricibus in liberos communicentur, & quàm malèſanâ matre benèſana nutrix ſuadenda ſit, &c. Nam à nullo alio fonte fluunt uberiùs impendentia toti ſoboli mala, obſtructiones, ſcirrhi, meſenterii ingurgitationes, quæ poſteà nimis ſerâ medicatione curare fruſtrà tentaveris, repugnante naturâ, aut ſi aliquem tibi ſucceſſum felix ſpondeat inchoata medicatio, quâ proportione glandulas turgeſ-

centes ſanaveris, eâdem cutem externam deturpaveris omninò; in quo quidem opere pergendum tibi ſuadebit ratio malo leviore gravius compenſante.

§. VII. De pingue acri.

Hiſce acrium generibus præcipuis & quaſi primitivis alia ſunt accenſenda, quæ rariora quidem, nec tamen in arte incognita. Tale eſt venenum quod ab adipe mucoſo infantum ob ſtagnationem rancidulo in cutem ferri videmus. Ulcera fiunt poſt puſtulam prærubram minimè eminentem & quaſi anthracis ſuperficiarii formâ; his febris chronica ſe adjungit, ſed metuenda, cùm ab eâ corpus facilè colliqueſcat, redivivis intereà ſeque mutuò excipientibus ulceribus. Ineſt illis pus fœtens, oleoſum, rancidum, & quod ubi intumuerit hiare facit fœdo aſpectu ulcera, quæ vulgò non per unam, ſed per plures aperturas, oleoſum ſaponem fundunt, ipſorumque etiam limbi retorridi videntur, quaſi pullulantibus cellulis ſibi invicem ſuperpoſitis.

§. VIII. De venereo acri.

Inter acria cutem exedentia venena, piaculum foret luem veneream non recenſere; de cujùs tamen effectibus altum hìc ſervare ſilentium jubet tractata jam ab aliis & ætate & meritis in artem ſuperioribus materies. Id annotare ſufficiat ſummam ſervari analogiam ab hocce fermento in glandulas latente atque depoſito cum aliis quibuſque acribus quæ ad cutem prorumpunt, poſtquàm ſæpè in glandulis quaſi in receptaculo fuerint aſſervata. Meminique me non unâ vice vidiſſe homines glandulis laborantes lymphaticis, obſtrūctioneque jam perimendos abdominali, quos mercurialibus admotis ſanare contigit: eâ proportione ut quâ ratione minuerentur glandularum tormenta, eorumque tenuaretur moles, eâdem etiam cutis deturparetur. Undè dùm animoſiùs adhibuimus mercurium, cutis etiam ſanata fuit, ſanitaſque inſtaurata: nec novum eſt & inauditum in arte, inter venerei regiminis anguſtias atque mercurialis curationis tædia, immeritam prorupiſſe quæ non prius extiterat gonorrhœam.

§. IX. De varioloſo acri.

Inter acutos morbos ab acri fermento intùs tumeſcente ſeſeque multiplicante enatos, primum obtinent locum variolæ, & ſi aliquis de eorum naturâ atque proprietatibus dubitandi locus inerat, tollit illum inſertionis doctrina quâ corpus anteà ſanum inficitur, proque atomo puris multiplices effert puſtulas. Quod, etſi merè extraneum ſit fermentum, & à causâ externâ natum, id tamen habet ſingulare, quod materiem ipſam mucoſam prorsùs adoriatur & immutet, ita ut ab hâc variolosâ depuratione corpus &

ſalubrius fiat & alacrius. Imò ab hâc proprietate fit ut pro diversâ corporum craſi mucique nativi indole, poſt exanthlatas variolas, tot remaneant ulcerum pertimeſcendæ reliquiæ in ipſo adipe, ad articulos, & alia corporis loca, morbiſque cutaneis pluribus, imò etiam & herpetibus ſæpè præbeant originem variolæ.

§. X. De morbilloſo acri.

Diverſæ prorsùs eſt naturæ fermentum illud morbilloſum adeò contagio infame, ut vix aliquem inexpertum morbi relinquat incolumem ſi ſemel viciniam invaſerit. Hoc verò & pectori & oculis maximè infenſum eſt, at vix cutem attingit, tamen aliquandò redivivum ſæpiùs extulit eryſipelas. Eadem habenda eſt theoria de tàm diverſis fermentorum generibus, ſudaminibus, hydrois, febre ſcarlatinâ, aliiſque morbis contagioſis quæ cuti læviter inhærent, & vix aliquod malum, niſi reflua ſint, partibus infligunt, cutemque ab iis ſemel liberatam, jam à malo reddunt & præſtant immunem.

Quæ autem hìc de morborum præcipuorum acutorum qui in cutem deſæviunt ſequelis proferimus, ea etiam pertinent ad alios quoſcumque contàgioſos qui in mortales miſeros decumbunt, ſive peſtiferi ſint, ſive leviores, quo in genere varias peſtium ſpecies recenſere foret neceſſarium; ſed longiùs multò & multi laboris opus. Sufficiat hìc morbos diſtinguere qui ſuppurationem pro criſi habent, & verè phlegmonodei dicendi ſunt; illos qui per eryſipelas terminantur, & in ſero acri ſedem fixerunt; illos demùm qui in tumores bubonodæos, aut puſtulas abeunt, hos poſtremos lymphaticos vocare fas erit.

At certè violentiſſimis ac deleteriis affectibus illud ineſt ſolatii, quòd ſi pepercerint, non relinquant triſtes reliquias, & *ακρìσιας* quæ longo tempore corpora ægrotantium divexent, quod dici non poteſt de iis qui mitiùs in corpus decumbentes, jus quaſi civitatis in corpore adipiſcuntur, mucoque ac lymphæ inſident. Ii enim, cum tenaciori in liquido ſedem fixerint, non adeò facilè aut potenter judicantur, longaſque ac tardas ſæpè relinquunt reliquias. Sæpè etiam vi naturæ alterati, nec tamen aut depulſi, aut omninò devicti degenerem naturam induunt, morboſque procreare apti ſunt, à prioribus prorsùs diverſos, circa quos artis theoricas opiniones proferre, nondùm adeptâ certitudine, licebit.

§. XI. De degeneratione venenorum.

Scilicet venena illa dùm per vim naturæ, & dimidiatam coctionem partem feritatis amiſêre, alios procreant effectus à prioribus diverſos multùm. Relationes illas venenorum inter ſe dege-

nerationeſque primus omnium adumbravit Scrheïberus in tractatu de peſte Ukrainenſi. Ita vidi infantes qui à matre graviditatis tempore variolas expertâ ſupererant, tumore glandularum meſeraïcarum ad primum annum emori; feminæ nobili à variolis recens ſanatæ quam ante perfectam depurationem morbi compreſſerat maritus, puerum naſci vidi qui vitam herpetico malo, pruritu-que enormi auſpicaretur. Multis juvenibus poſt variolas, & quidem inſitas, naſci herpetes, longos articulorum dolores, ſæviſſimas ad oculos fluxiones, quis non annotavit? Has triſtes reliquias decumbere in coxæ articulis ibique concluſum humorem alterari, & cariem oſſibus, univerſo corpori maraſmum & mortem inducere, ſpem parentum eludente puello, vidi, non ſine gemitu. An à parentum malè ſanatâ ſyphilide rachitis nata eſt, morbus ipsâ ſyphilide recentior? An etiam ſtrumæ ἀγριοψωρια? ut cum Ballonio loquar. Certè arthritis hæreditarius, ſi quis alter morbus in unâ progenie herpetum facie prodit, in ſecundo natorum ordine reſumit arthritidos characterem. Scilicet ſperma illud humanum, & muliebris quiſquis ſit humor, non tantùm nutriendo fœtui primum conferunt ſymbolum, ſed ſimul imprimunt indolem vix ullâ huc uſque cognitâ arte deſtruendam.

§. XII. De cauſis ſympatheticis.

Ex hâc multiplici cauſarum enumeratione ſatis comprehenditur quantùm à diversâ poſſint origine pendere illi qui cutem affligunt morbi, nec tamen omnia cauſarum genera hùc uſque executi ſumus; alteri enim claſſi obvia eſt cutis tot aliundè externis cauſarum inſultibus & impetui objecta; ſuam etiam obtinet cum internis partibus ſympatheiam peculiarem. Ventriculo ita conſentit, ut multa ſint corpora quæ intùs & in ventriculum admiſſa ſubitò pruritus enormes ad eam excitent, imò, & papulas eryſipelatoſas. Spiritu vini ſaccharato & aromatico in uſum adhibito, cum tenuiſſimus & ſummè volatilis liquor omnia vel intimiora ictu oculi ſubeat, idem effici nihil mirum eſt, ſed pruritus enormes, imò & puſtulas excitari vidi, ſi vino hiſpano vel mediocrem cyathum ſibi homo, alioquin ſanus, permitteret. Aquarum mineralium leviſſimus uſus puſtulas prurientes ſubito effectu extulerat: id mirum non eſt, cùm inter aquæ puriſſimæ potores viderim non unum qui, dilutâ ſtomachali ſaburrâ, ſeſe puſtulis ad frontem indignabatur inter vini immoderatos bibaces recenſeri, quorum in numero juniorem Monachum ſtudiis deditum, meri potu ſanatum vidi; Medicumque nimioperè meditationi indulgentem,

dulgentem, qui aquâ ardorem laboribus innatum temperare dùm ſtudet, faciem fœdis puſtulis deturpatam habebat, hunc remiſſis ſtudiis, & meri potu nitorem cutis recuperaſſe vidi. Undè intelligebatur famoſus ille aphoriſmus Hippocratis in quo ad ſanationem oculorum inflammationis meri potum commendat. Nec novum eſt & inobſervatum in Nephritide quod, quoties calculus pungit renes, aut ureterum ſubſtantiam, puſtulæ prurientes ad cutem oriantur. Idem in tuſſi atque pertuſſi infantum accidit. Sed ut in hoc poſtremo caſu materia poteſt à cute in pulmones, in cutem à pulmonibus deferri, in priori ſola partis ſentientis vellicatio cutem vitiat. Forſan etiam alia ſunt apud auctores ſimilium ſympatheiarum exempla; ſed cùm legibus comprehendi non poſſint, aut ab omnibus non agnoſcantur, de his hìc tractare videtur inutile. Qui plura noſſe voluerit, legat illuſtriſſimum de ſympatheiâ Regam & alios.

ARTICULUS III.

De applicatis externis.

Applicatorum externorum quæ cutim vitiant longa foret enumeratio, ſi ſingula numerare foret animus. Scilicet nullum corpus ſecans, contundens, urens, non cuti infenſum eſt, ſed ab apertis hoſtibus apertè cavendum natura clamat. Animalium morſus, bellica inſtrumenta quis neſcit fugienda? Applicata quæ cuti nocent & ad noſtrum pertinent inſtitutum erunt, 1°. in ipsâ nata, ſi ſordes, corrupta veſtimenta, tabo contagioque infecta ei apponantur; 2°. adventitia, ſi acria & obſtipantia luſtraveris extra eam poſita: utrumque cauſarum genus hìc perpendendum.

Sordes quæ ad cutem naſcuntur oriuntur ex muco, ſeu parte mucosâ ſolideſcente unitâ cum volitantibus corporum ambientium atomis, pulvere, detritu epidermidis, quæ ſalſum ſaporem ſali marino analogum ſpirant, imò & aliquandò evidenter amarum. Solvuntur illæ in aquâ, cum aliquâ tamen difficultate, minori aut majori, prout illæ magis aut minus oleoſæ ſunt, & ad reſinoſam plus minuſve accedunt indolem. Imò & aliquandò, nullatenùs ſolvuntur, ut ſunt ſordes illæ quæ in febribus hecticis accumulantur, & phthiſicorum cutem deturpant, ortæ à ſiccitate & ariditate cutis ſeparationeque epidermidis. In genere verò §. I. De ſordibus.

quæ corpora plus perſpirant, & plus comedunt, plus etiam ſordium accumulant. Ita ut obſervatione compertum fuerit, abſtinentes illas fæminas ἀδιαπνέουσας, nec linteis, nec cuti ſordes imprimere. At ſimul patet nullatenùs eamdem eſſe, aut debere, aut poſſe ſordium naturam. Non una enim & eadem eſt pro diverſis influentibus cauſis aut perſpirationis aut ſudorum natura. Piaculum eſſet eaſdem ſordes expectare ab iis qui à gravi & mucum mutante morbo, quales ſunt variolæ, convaleſcunt, & iis qui ſanam robuſtamque vitam agunt. Eliciuntur ſæpè in maximè calidis Americanis regionibus ſudores quos comitantur puſtulæ naſcentes ſimul, ſimul concidentes. Et ipſe ſudores à febre ſæpè vidi qui cum anxietate ſummâ cutim afficerent, pruritum ſimul enormem in eâ concitarent; imò & ad ægrum accedentibus ſternutatio excitaretur. Talis certè ſudoris pars ſolideſcens acris erat. Ne loquar hìc de iis quos fricatione flamma lucens perfundit, raro nec à me unquam viſo, ſed apud auctores non inaudito exemplo, de quo vide Bartholinum tractatu de luce animalium. Specifica cuique ſordium natura ex obſervatione comprobatur; nam odora canum vis herum inter alios diſcernit, nec etiam obtuſo noſtro odoratui idem eſt odor viri ac fæminæ, pueri ac ſenis. Cùm verò in diverſis partibus diverſa etiam ſordium ſpecies expectanda ſit, an non etiam indè morborum cutaneorum differentia exurgit? Ita in pueris ad aures & caput naſcuntur facillimè morbi, in fæminis ad inguina, in viris ad ſcrotum quod non raro, ut verbis Hippocraticis utar, *aphtoſum* eſt, aut ad mentum & loca pilis fœta. In ſenibus ad crura naſcuntur & artus. Sordium proprium eſt epidermidem furfuraceam facere, & lichenes procreare: prætereà verò mucoſâ naturâ nidum præbent variis quæ ad cutim naſci poſſunt inſectis.

§. II. De applicatis adventitiis.

Applicata adventitia cùm morbos cutaneos invehunt, agunt aut irritando atque vellicando cutim, aut ejus ſtructuram ſtringendo, aut demùm vaſa obſtipando cutanea, eâ tamen lege ut omnes illæ actiones, in unâ atque eâdem uniantur atque ad eamdem agendi normam referantur. Nam quæ ſtringunt, irritant; quæ irritant, ſtringunt, & demùm nulla cutis obſtipatio à vaſis pendens, atque morbos inferens cutaneos intelligi poteſt, quin etiam & irritet & ſtringat, alioquin exitum humori indè proſilienti denegando retropulſionem potiùs à cute faceres periculoſam quàm morbum inferres cutaneum.

Ad primam claſſem referuntur quævis irritantia aut ſtimulantia, quorum actio prorsùs diverſa eſt; 1°. pro gradu & naturâ acris irritantis; 2°. pro ipsâ cutis ſenſilitate. A duplici hoc gradu facta diverſa in arte nomina, ab iis quæ combuſtionem comitantur phœnomenis deſumpta. Primum & vehementiſſimum conſtituunt cauterizantia ſive urentia, quorum actio prorsùs deleteria atque urens eſcharam facit, ſive cruſtam merè gangrænoſam, omni prorsùs organiſmo deſtitutam, ſub quâ, conciſa atque in ſuis deſtructa extremis vaſa liquorem proſilientem dùm effundunt & coercent, inflammationem efficiunt, atque ſuppurationem, undè cruſta illa ſeparetur & foras ejiciatur. Alterum conſtituunt gradum veſicantia, quæ cuti appoſita veſicas in illam attollunt, dùm virtute cauſticâ epidermidem à vinculis quibus cum cute per Malpighianum rete nectitur liberant. Hinc ſerum inter utrumque effunditur, non retentum ſolùm, ſed etiam per irritationem & expreſſionem vaſorum effuſum. Veſicæ illæ per artem emplaſtro ſuppurante, & cicatricem præpediente tectæ, ſuppurationi locum præbent, ſecùs brevì exſiccarentur in cruſtam levem, & in eſcharam merè lymphaticam atque albicantem faceſcerent, ſub quâ ſine ſuppuratione cicatrix oriretur. Tertio loco, minorique irritationis gradu, adſunt ea quæ dicuntur rubefacientia, quoniam irritantibus ſpiculis eryſipelas accerſunt, quo ſub gradu atque nomine nullum eſt irritans quod non poſſit comprehendi, ſive mechanicum ſit illud, ut urticatio, culicum, cimicum, pulicum, & apum morſus, aut ſimpliciter ſpiculis agant acribus, ut ſalia, ſapones, olea aromatica, reſinæ ſolubiles, &c. corpora hujuſmodi quorum in actione ſumma tenuitatis in cute habenda eſt ratio; cùm illa ſit cutis præcipuè fœmineæ delicata indoles, ut vel leviſſima impreſſio irritationem efficiat aliquandò immanem, imò ea ſit ejus ſenſilitas, ut vel tactus durior, vel levior ſcalptura longam in ipsâ inurat impreſſionem.

2°. Conſtringentia cutim, ſive adſtringentia ſic dicta medicamenta eodem agunt mechaniſmo, niſi quòd, nedum appulſum humorum ad cutem præ irritatione efficiant, eum contra impediant, ſimulque exituris ſecundùm naturæ ordinem humoribus præpediant exitum. Hinc ab illis naſcitur in aridiori factâ cute aſperitas, & aliquandò folliculorum ad eam hiantium tumor, qui ubi ad aliquem gradum intumuit, ſibi aſſumit ſimul irritationem atque criſpationem, undè adſtringentium actio ſecundaria, etiam pro-

ducit eryſipelas. Sed illorum remediorum ſic ſæpè falſo dictorum titulo, ſcelus eſt, non cutem vitiare, ſed ipſis contra nitorem præpoſterum conciliare, cum illâ induratâ, atque in corii vicem firmatâ, impulſus vitioſorum humorum à corporis centro præpeditur, retinetur contra intùs, majores in viſcera nectens inſidias.

3°. Ea quæ obſtipantia & coercentia vocantur, duplicis ſunt generis; alia enim humores intùs deferunt, & abſorbentibus vaſis particulas ſufficiunt ſeu moleculas, quibus ea opplentur, nedùm exeuntes è corpore atomi poſſint exhalari. Tales ſunt eæ quæ in humidioribus convallibus toto & malè munito corpore excipiuntur nebulæ, tempore præſertim frigido ſimul & humido, quo tempore nulla ſævior peſtis exurgit obturandis canalibus, & eò funeſta magìs atque metuenda, quò ſæpè humiditas, etiam in calido aere conſtringens atque obſtipans, non aqueos tantùm vapores, ſed impura etiam infert miaſmata quæ noceant imò & vitam ipſam peſſumdent, quod quouſque elephantiaſi, & peſſimis morbis cutaneis inferendis poſſit conferre, & jam alibi dictum, & alibi fuſiùs expendetur: quo ſenſu omnia quæ vaſorum tonum infringunt & laxant, ita ut actio eorum retundatur, jure obſtipantia nuncupantur.

At alia & merè mechanica conſtipantia agunt, vel dùm lympham hærentem coagulant, atque cogunt ad vaſorum oſtia hærere, vel dùm ipſi exitum intercludunt. In priori genere continentur acida ſtyptica, ſalia neutra aluminoſa, & terrea ſtyptica quæcumque, aut etiam ſaturnina: in poſteriori, olea quæ poros obturant & claudunt, emplaſtica quæ perſpirationem cohibent; quamvis experimentis aſſiduò & cum magnâ curâ inſtitutis comprobare facile ſit, oleoſa quæcumque humori perſpirabili aditum vix intercludere, imò & quibuſdam experimentis viſa ſunt illum adaugere. Sed illa eâ ratione nocent, quòd calore animali perpetuò tepefacta, partes facilè ranceſcentes obtineant, quæ proprietatem irritandi acquirunt; adeòque plerorumque horum medicamentorum oleoſorum actio ad irritantium claſſem referri debet, atque ibi numerari. Inter applicata verò externa mechanica ſæpè referendus eſt præpoſterus veſtium piloſarum aut rudiorum uſus. Ita ill. Sauvages numerat eryſipelas in cute naſcens à collarium eccleſiaſticorum uſu. Quod ad omnes æquè referri poteſt rudioris attactûs pannos, ita ut iis diutiùs inſiſtere inutile ſit.

Aliquam tamen merentur attentionem inter morborum cuta-

neòrum cauſas arctiores ligaturæ, & ſtrictiora vincula. Ita ſæpè memorem notam & cuti indurandæ, & ei contundendæ inferunt puellarum loricæ duriores, femorumque ſubligacula, quæ partes contundunt, veſiculas etiam aliquandò & leves ſuppurationes excitant; imò & raris exemplis in malo alioquin fundo abiêre in gangrænam. Compreſſionis aſſiduæ effectus ſunt calli qui in manibus naſcuntur dura tractantium inſtrumenta, ſenſum ſuppoſitarum partium obtundentia. At nullibi, nec tam diſſimili formâ, adeò illi frequenter erumpunt atque in pedibus, undè torquentur elegantiorum calceorum geſtatores. Nunc enim callus articulis clavi ad inſtar affixus ſuppoſitarum partium compreſſione & irritatione dolores arthritidis mentitur, nunc plantæ pedum taloque ſuppoſitus ſoleam æmulatur, aliquandò etiam aſſiduâ compreſſione, quaſi ſibi ipſi cavum cudit, undè evellendus eſt, non ſine uſu artificioſæ Chirurgorum manûs. Nec aliæ partes callis immunes ſunt, naſcuntur enim illi ad cubitum in iis qui ipſi ſæpè accumbunt, ad genua in illis qui ſæpè flexis genibus Deum exorant, imò & ad aures viſi ſunt naſci in illis qui caput fortiùs obſtrixêre vinculis.

Aliam morborum cutaneorum claſſem ad illam de quâ nunc agimus referendam conſtituunt inſecta varia quæ, vel cuti apponuntur, vel in ipsâ innaſcuntur. Quamtumvis autem longè abſimus ab illorum Medicorum opinione qui præjudicio rapti exiſtimant omnia quæcumque affectuum contagioſorum genera ab inſectis ab hoc corpore in illud raptis pendere omninò, pleroſque præcipuè cutis morbos, ſcabiem, herpetes, huic cauſæ tribuentes, tamen fatebimur non unam eſſe morborum ſpeciem quæ ab hâc causâ repetenda ſit. Quo quidem in genere diſquiſitionis duo præcipua inſectorum cutim lædentium genera diſtinguenda ſunt. Alia enim aut per aëra volitant, cutemque in illam illata pertundunt, aut in loca humanis uſibus deſtinata hominique proxima nidum ponunt, undè in cutem deferantur.

Priorum genera, ut pote in variis terræ regionibus varia & diversè multiplicata recenſere difficile foret, cùm ſui ſint Americæ culices, ſui etiam Lapponibus & Borealibus incolis quo tempore ſol terras illas vix deſerit, quos vix poſſint vitare, niſi pice obducta habeant corpora. Ex horum genere ſunt culices noſtri fluviorum ripis aſſidentes, & herboſa loca incolentes, varii, qui ſtimulum in vulnere relinquunt evidenter, apes, veſpæ,

œſtra, muſcæ, aliaque hujuſmodi animalcula, pruritum, veſiculas, puſtulas, imò aliquandò & abſceſſus concitantia, ſi tractentur incautè, ſed omnia hæc morſûum genera pruritum excitant intolerandum cutiſque ardorem, & ſomno, & quieti infenſum.

Alterum genus inſectorum quorum pluraque alata non ſunt complent cimices, pulices, pediculorum ſpecies non una, quorum altera minima, utut pruritum concitet, viſum tamen eludit, altera inguina, & partes genitales affectat, tertia craſſior oviſque vel ipſis deprehendenda capillatam cutis partem & piloſam invadit, fœdo intoleranda pruritu. Hæ omnes ſpecies pruritum faciunt, ſomnos avertunt, & ſpurcitiei ac ſordibus pœnam imponunt, vix tamen ulteriorem imprimunt noxam.

At ita conſtituta ſunt, ut aliquas differentias ab animali in quod inſident ſibi ſumant. Sua cuivis animalium ſpeciei ineſt pediculorum natura fido arrepta microſcopio; incommodi omnes, at nullum alium producentes morbum. Peſſima eſt & toto genere à prioribus diverſa inſectorum ſpecies quæ in ipsâ cute naſcuntur, & ibi ovis in mucagine quâ ſcatet epidermis, & inter ipſius lamellas depoſitis quaſi in proprio fundo excluduntur. Primam & præcipuam ſpeciem conſtituunt ipſi pediculi, qui cum à corporibus in corpora tranſeant, in ipſis etiam innaſcuntur. Alii quaſi fertilem nacti ovis excludendis campum aliundè accepti multiplicantur. At multi ſunt qui quaſi ab internâ ſanguinis & lymphæ diſpoſitione oriantur. Sæpè videas pueros, cultos maximè & à fœdo contagio omninò diſſitos, quos ſæpè languentes illicò pedicularis lues infeſtat. Iterant curas & ſollicitudinem nutrices; intereà graſſatur lues, donec bellè corpore purgato atque roborato, illud infauſti deſerant hoſpites. Quod vitium flavo capillorum & cæruleo iridis pupillæ colore donatos maximè infeſtat; ea quidem pediculorum copia exuberat, ut indè macilenti fiant infantes & pruritu torqueantur enormi.

In genere verò vitium illud ſpiſſioris atque crudioris lymphæ de quo jam ſuo egimus articulo videtur huic malo anſam præbere. Undè quos cute tenui, albidâ, laxiorique videris præditos hos pediculis obnoxios eſſe ſine erroris metu judicaveris; quod vitium cùm potiùs ad puellas pertineat, quàm ad pueros, has multò plus etiam pediculari labi eſſe aptas obſervatio confirmat. Scilicèt epidermis lymphâ ſcatet mucosâ, quâ nulla alia conditio eorum ovis excludendis magis favet.

Cauſæ diverſæ, ſed præſertim regionum æſtuoſarum atque humentium & depreſſarum temperies aliis anſam dedit excludendis inſectorum generibus quæ, quaſi uni loco atque regioni inquilina ſint, noſtris in regionibus nunquam felix accepêre hoſpitium. Tales ſunt crinones atque comidones, talis eſt etiam Medinenſis vena aut eruca Americana quam vermem *macate* vocant, & de quibus fuſiùs loquendi alia ſeſe offeret occaſio.

At dantur inſecta quæ nullam cum corpore analogiam ſervant, & in eo tamen memorem ſuî notam imprimunt. Ita vidi puellæ nitidiſſimæ formoſum & albidiſſimum collum erucæ quæ ab arbore in illud deciderat errores eryſipelatosâ maculâ deſignari, ut in geographicâ velut tabulâ diſtincti forent. Imò cùm ad mammam reſtitiſſet, induruerat illa, & ferâ ſuppurationem inflammatione minabatur, ſed brevì tumor ille evanuit; ſæpè etiam legens in cutem iter formica illam maculis deturpavit, quod quò uſquè poſſit in cutem ab inſectis extendi, facilè deprehendet qui animadvertet, quanta ab applicatis etiam mortuis cantharidibus labes cuti innaſcatur, ita ut longo tempore tractatæ digitis pruritum ipſis imprimant & ardorem.

COROLLARIA.

Hæ ſunt præcipuè morbis cutaneis inferendis atque producendis aptiores cauſæ, quarum aliæ nunc prædiſponentes, nunc occaſionales vocari poſſunt, aliæ poſſunt determinantes dici. Verùm fatendum eſt prædiſponi corpus ad morbos cutaneos per illas à longo contractas tempore intemperies. Imò ſæpè vitioſam diatheſim à parentibus accepiſſe non rarum eſt, undè cùm plerique morbi caſu & quaſi fortuitò contrahantur, contrà cutanei morbi ſæpè connaſcuntur. Prætereà muco cùm ſcateat ætas infantilis ſuperfluo & ad corruptionem ſpontaneam prono, nil mirum eſt ſi morbis illis lymphatico-mucoſis ætas illa potiſſimùm pateat, quam proximè ſequitur temperies fæminarum lymphâ & humoribus redundans, niſi tamen nitor cutis fluore albo aut menſtruâ ſanguinis copioſâ vacuatione redimatur. Undè fit ut à menſtruis deliteſcentibus dimidia fæminarum pars morbis afficiatur cutaneis, & eò magis rebellibus, quò cutis ipſis magis anteà nituerit. Cùm verò acredo à ſtagnante lymphâ concepta ad uſque peſſimam bilis atræ indolem poſſet evehi, aut intra minimos gradus ſubſiſtere, tot variæ mor-

borum eorumdem formæ pro variis accidentibus exſurgunt, ſæpè causâ eædem, ſed effectibus omninò repugnantes. Adeſt etiam hominum ſpeciei illi quæ rufis donata eſt capillis ſpecificus ſuus odor, adeſt periculum majus in variolis & morbillis, ſors magis anceps in peripneumoniis & anginis, nec minùs etiam maculæ illis ad cutem peculiares, & acrioris pruritûs ſenſatio fortior: undè etiam curatio difficilior, & cauſæ tenacioris affectio quævis ad cutem eſſe debet. Morbi autem cutanei, ut per ſedulam cauſarum inquiſitionem patet, vel depuratorii ſunt, & ab imo viſcerum fundo repetuntur; naturæ vis actuoſa humorem hoſtilem ab aliis utilibus ſecrevit, hæc erat δυναμὶς veterum διὰκριτικὴ ſecretos vi factâ ad cutem expulit δυναμις ἀποκριτικὴ; vel demum in μοσος cutis cellulis quæ nunc ſero, nunc muco madent, educantur, aluntur, increſcunt, & dato certo tempore, alii ad alias ætates intumeſcunt & furias concipiunt.

Latere & occultari poſſe venenum illud acerrimum multi vix concipiunt. At ſi ſolidatum atque compactum fuerit venenum quodcumque, vix nocere poteſt; nulla enim eſt ipſius actio. At ſi priùs intra glandulas contentum atque repoſitum, acceptâ ſolvatur humiditate, tunc motum & actuoſam accipit efficaciam, jamque longiſſimi faſtidia morbi procreabit, cui nec moras nec tempora præſcribere fas erit.

Poſſe verò ſolidari in glandulis labem quæ in motum acta ope diluentium, totam cutem deturpat, nec priùs tollitur quin glandulæ omninò ab impuro humore liberæ ſint, quod præcipuè ſit pubertatis tempore, centies ſi vidiſſe me dixerim, nihil ultrà veri metas protulerim. At exemplum quotidianum præbent practicis, vel minùs attentis, venena cancroſa, ſæpè ab unicâ vel minimâ glandulâ per totam cutem delata & exportata. Imò ab hâc causâ maximè crudelia morborum cutaneorum genera oriuntur.

Porrò ſi ab internis illis cauſis, & lymphæ & ſanguinis vitiis ad minùs momentoſa feramur, nullis in aliis morbis adeò nocet gulæ intemperies, quæ fovendis atque exaſperandis morbis cutis ita confert, ut norint facilè, & vel ipſis oculis animadvertant practici in quo ægrotantes deliquerint à temperatioris vitæ legibus. Sic aiunt obſervatores illegitimum piſcium uſum in aëre humido, marino, Lepræ, ut inferendæ, ſic exaſperandæ ſummoperè conferre. Et certè rariores ſunt & leviores morbi cutanei hominibus mundis, vitâ lautâ & beatâ utentibus, frequentiores illotis

&

& ſordidè viventibus, ſi præſertim ſimul ab exercitio abſtinuerint illi. Undè videtur quantoperè inter ſe coincidant morbi, & quantam ſervent in ſuis incunabulis inter ſe analogiam, indè cutanei morbi, hinc verò ſcorbutus, ſtrumæ, imò forſan & ipsa lues venerea, quæ etſi poſſit Americana dici, tamen ab exercitubus, caſtris, obſidiis, apud viros ſegnitie, negligentiâ, penuriâ, & ſordibus omnis generis infames erupit, ſcilicet apud Gallos & Neapolitanos inter ſordes veſtium ac victûs defectum. Sed de his viderint doctiores, aut naturæ obſervatores acutiori præditi ingenio. Satis erit nobis ſi dùm cauſas morborum cutaneorum exequi fuit animus, licuerit ambitum harumce cauſarum ad practicam diligentiam ita circumſcripſiſſe, ut nihil prætervifum fuerit. Nunc antequam indicationes curativas proſequamur, diagnoſim ſimul & prognoſim univerſalem ſtatuamus, undè ab hiſce inſtitutis dùm ſingula tractabimus morborum genera hiſtoricè, omnia fluant ſpontè, nec morari cogamur in cujuſque naturâ ſtatuendâ.

CAPUT III.

De Semeioticâ cutaneâ; ſive Diagnoſis & Prognoſis Morborum cutaneorum.

ARTICULUS PRIMUS.

De Signis diagnoſticis.

MORBORUM cutaneorum diagnoſim accuratiùs pertractare forſan videbitur inutile, cùm ii & per ſe pateant oculis, dùm fœdè cutim deturpant, nec poſſint aliis, nedum ſibi, diſſimulari, aut Medicos fallere. Verùm ut in ſcholis diſtinguunt morbi, cauſæ, atque ſymptomatis diagnoſim, ita nos à ſignis naturam atque cauſas morbi hariolari debemus, latentes atque imminentes detegere, nec minùs ſummi eſt in arte momenti à ſymptomaticis diſcernere eos qui critici ſunt & vocari debent.

Primæ ſeſe nobis pertractandæ offerunt puſtulæ quarum aliæ

§. I. De ſimplicibus puſtulis.

ſimplices ſunt, ſeu extant, mole tantummodò vaſorum auctâ, aliæ contentum liquorem ſervant, & illo turgeſcunt. De ſimplicibus quidem, ſeu prioribus illæ ſupra cutem eminent ſejunctim atque ſegregatim, intervallaque inter ſe relinquunt ſana. Harum aliæ confertæ ſunt, quod magnitudinem cauſæ arguit, aliæ hùc & illùc ſparſæ, quod leviorem indicat eruptionem. Poſteà duriores ſunt, quod tenacitatis in morbo indicium eſt, aut ſub ipſo tactu cedentes, quod impreſſionem minùs tenacem & levioris fundamenti demonſtrat.

Rursùs verò eæ ſi rubræ ſint, vel rubrum ſaturatum referunt colorem, undè ad phlegmones naturam accedunt, vel roſeo colore nitent, quod ipſis eryſipelatis formam adſtruit, vel demùm nigræ ſunt aut nigricantes, quod ſummam ſanguinis ibi in ecchymoſim affluentis degeneriſque alterationem melancholicam probat. Mitiorem & quaſi adventaneam cauſam evincit illibatus cutis color. Icteritiam verò in corpore diſpoſitionem, ſi quæ flavæ fuerint, demonſtrant ſuſpicionemque malè moratæ bilis injiciunt.

Puſtulæ ſi non perſtent, ſed effloreant in cute, dicuntur βλαςήματα, εχθύματα, φὺματα. Nam diverſis hiſce nominibus, eoſdem ſæpè aſſignavêre morbos antiqui præceptores; ſed qui ἰόνθοι, ἄκναι Græcis dicuntur, Latinis vari, & ut ſcholarum linguâ utamur, per congeſtionem fiunt, non per fluxionem, id eſt ſenſim ſine erethiſmo naſcuntur, tubera ſunt cutim deturpantia, ſanitatem verò ſinentia intactam & illibatam. Rursùs verò puſtulæ illæ vel prurientes ſunt atque doloriferæ, vel innocuæ & nullam infligentes mali labem. Quo nomine priores κνὶδωσιες vocantur & κνῆσμωδες, imò & ψωραι; quæ verò puſtulæ non pruriunt, eæ vix medicam poſcunt opem. Prurientes verò eò maligniores ſunt, quò pruritu acriore & magis indeſinente vexant.

Aſpectu vix judicare queas an pruriat puſtula, an ſimplex ſit & benignior. Cùm ſæpè vix manifeſta puſtula atque quaſi ſolitaria pruritus concitet immanes, vix contra ſeſe ſinat advertendam fœda ad aſpectum puſtularum congeries, nullum adducens ſenſum; in genere tamen fatendum eſt puſtulas illas quæ ad eryſipelatis naturam accedunt pruritu diſtingui, ſenſuque illo qui ipſo dolore aliquandò crudelior in convulſiones atrociſſimas erumpit. Quæ phlegmonodeæ ſunt, dolores pulſatiles & cruciatus vehementiſſimos in ſummâ cauſæ malignitate attulerunt; naturam puſtulæ ſæpè viſui dubiam doloris natura arguit.

Præterea puſtulæ illæ ſimplices brevi decurſu efflorefcunt, augentur, minuuntur; vel ſenſim naſcuntur, tardè progrediuntur, & tardiùs intereunt. Aliæ demùm quaſi corpori novam inducant formam, perſtant in corpore & ipſi adhærent immobiles. Priores acutæ ſunt & morbos illos eruptivos adeò famoſos conſtituunt; aliæ chronicæ dicendæ ſunt, inter quas quæ perſtant & adhærent jure civitatis in cute, inter vitia ætatum, regionum, ſeu potiùs, uno verbo, inter intemperies, ſeu temperamenti vitia recenſentur.

Inter acuta εξανθηματα ſeu efflorefcentias ſummè notanda eſt diviſio illa quâ criticæ diſtinguuntur à ſymptomaticis. Criticæ vitium anteà in corpore deliteſcens ſignificant, non improditum ſignis, ſed ſæpiùs febris ardore acuto, ingente anguſtiâ reſpirationis, ferinâ tuſſi, capitis doloribus, vertiginibus, vomendi falſis conatibus, deſignantur; quæ omnia ſymptomata eruptione factâ ceſſant, aut ſi per integrum eruptionis ſpatium ſubſiſtant, ſaltem cum illâ ſimul deſinunt, morbumque aut faciunt, aut comitantur; hæ, niſi ars auxiliatrix adſit, commoriture ſunt corpori, aut proprio marte debellandæ, ſi coctioni, maturationi, ſuppurationi aptæ fuerint. Hæ inter excreta ſalutaria potiùs numerandæ ſunt qùàm inter morbos. Iis enim è corpore excernitur humor qui alibi depoſitus ſcenas faceret aliquandò lethales, ſemper nocivas.

In eâ autem tractandâ diagnoſi videntur & leves & parùm temporis ſibi ſumpturæ, quæ dùm confertim, & quaſi ſubitaneâ eruptione ſimul apparent, roſeæ ſunt & lato exurgunt à fundo, quæ nec duritiem præferunt, nec aſperitatem cuti imprimunt, aut acredine donantur pungente, vel igne féroci ac pruriente. Idem expectandum ſinunt quæ paucæ & ſolitariæ aſſurgunt, nec eruptionem differunt in dies.

Contrà temporis moras faciunt metuendas quæ aſperæ ſunt, ſcabræ, rugoſæ, ſenſim & eruptione lentâ creſcunt; his, cùm aliqua conticuerit, plures ſuccedunt indeſinenter. Longior erit labes, ſi inter erumpentes puſtulas tardius adſit temporis intervallum, nec illud à paucitate mali, ſed à tenacitate humoris repetendum edoceat, vel nota corporis conditio prophaſim morbo denuntians, vel cutis aſperitas, vel pruritus, vel jam enatarum puſtularum durities aſpera & ſcabra. At certiùs puſtulas eſſe prorsùs chronicas noſces, non à priori, ut ſcholæ loquuntur, ſed ubi jam aliquod duraverint tempus, illæsâ cutis viciniâ, ſine

erethiſmo, ſine ullâ mutatione, vel in ſanitate, vel in functionibus.

§. II. De puſtulis alieno humore plenis.

Poſt ſimplicium puſtularum facilem diagnoſim difficiliùs dignoſcuntur & præſagiuntur quæ ſimplices ortæ, poſteà mutantur, aut humore alieno & extra vaſa ſtagnante replentur, quarum quæ ſimpliciſſimæ ὕδρωα dictæ, aquam ſeu potiùs lympham continent, & naſcuntur ſæpiùs cum pediculo eryſipelatoſo, aliquandò tamen & ſine ullo pediculo. Hæ in ſummo calore & ſudore febrium acri innaſcuntur, ferè nunquam criticæ, pus etiam miteſcente morbo aliquandò concipiunt aquoſum, ſæpiùs in farinam levem vertuntur, abraſo epidermide, citò tollendam. Illæ ſæpè à perſpiratione ſupreſsâ ortæ, brevì evaneſcunt, niſi interſit ſerum acre & pruriens quod illas renovet fiatque Κερκρίας illud veterum, miliaris eruptio Latinorum, quam ſi calori juncta ſit & alicui lymphæ tenacitati, vocaveris cum antiquis χάλαζαν ſeu χαλάζιον, cùm è pellucidis tuberculis vertuntur in eruptiones duriores; quæ tamen converſio animalibus ut ſuibus multò magis familiaris eſt (*a*).

Naſci puſtulas illicò cruore plenas non inauditum, quod ſi non peſtiferum ſit, ſaltem pro ingentis mali latentis indicio rectè habetur, ſcorbuticiſque ac melancholicis malo jam conſumptis res aliquandò accidit. Grandævis etiam, cùm ſerum acre retinetur ad cutim, idem evenit, non adeò malo omine, cùm rem per ſex integros menſes hyemales & autumnales perduraſſe viderim. Sub effuſo & coacto ſanguine ſerum acre ſtillat quod ipſum ſub eſcharæ formâ foras pellit, & ope puris levis locum ejus occupantis fit bona cicatrix (*b*). Vulgò à ſcorbuticâ protheiformi labe, à vagâ arthritide quam & doctè & ad naturæ teſſeram deſcripſit Anglus Muſgrave puſtulæ illæ deducunt originem.

Verùm aliquandò evenit ut puſtulæ illæ ſanguineæ à varicoſâ venarum diſpoſitione in cruribus pendeant. Eæ vix curantur, nec niſi longum per tempus quaſi ſpontè & ſæpè mutato funditùs regimine vitæ tolluntur. Tædioſum illud malum præſertim obſervavi in mulieribus monialibus, quæ cùm delicatè educatæ fuerint, poſteà voto religionis causâ ſuſcepto, duris ſe laboribus exercent, & ſtant erecto in ſitu, dùm officiis interſunt divinis. Forſan illud malum quod in lavatricibus etiam vidi vitâ meliore conquieſceret.

(*a*) Vide Ariſtotelem de morbis animalium.

(*b*) Si malum ab altiore & reconditiore causâ non pendeat.

Semel has ſanguineas vidi puſtulas in homine triginta annos nato ædium ædificatore. Exortæ erant cum pruritu ingenti, undè acre & erodens ſerum in illo ſuſpicari fas erat. Ille longo tempore parietibus dealbandis intentus nudas tibias ſoli obverſas obtulerat furente ſyrio. Litteratis ætate grandioribus crura iis etiam puſtulis afficiuntur; longo aſſidendi ad focum uſu, vaſa tibiarum ferè varicoſa & facilè rumpenda evadunt, coctionibus ſimul aliundè funditùs labefactatis.

Ad ſanguineas accedunt puſtulas illæ quæ atrabilariæ ab antiquis dicebantur. Atram quidem bilem nullatenùs in maſſam, & quaſi conglobatam continent illæ, ſed ſævitie atque acrimoniâ atrabilariâ efferum ſerum vaſa ipſa corrodit ſanguinea & effundi laticem ſinit quem ſubitò ipſa acrimonia in nigricans tabum convertit, verè peſtiferam puſtulam attollens & citò lethalem, ſi ſimul febris concitata & effervefcens deſævire intùs materiem & intumeſcere probet. Aliquandò tamen criticæ evaſerunt tales puſtulæ in mali moris morbo, ſi tamen levioris notæ fuerit, ſæpè etiam ſine febre gangrænam & ſphacelum nuntiant & afferunt illæ, varioque nòmine apud antiquos vocabantur nunc γαγγραινικαὶ νομαὶ nunc ἐξεμάτα ſeu ἐκζεσματα, & Paulo lib. 4, cap. 10, περιζέματα, περιζεσματα, ἐκβράσματα; quæ omnia cauſam deſignant feralem & omni diligentiâ medicinali dignam.

Poſt ſanguineas illas puſtulas quæ ſuppuratione ſolâ phlegmonode tolli poſſunt & curari, priores veniunt & frequentiâ & numero quæ ſunt lymphaticæ, id eſt ſero acri & pungenti plenæ. Hæ ſæpiùs baſim habent eryſipelatoſam, non tamen univerſim, nec uniformiter. Aliquandò ab humore lymphatico quidem, ſed cum aliis complexo conflari videntur, ita dantur in morbis lentis, fæmineis præſertim, puſtulæ lymphaticæ quæ faſtigium præferunt nigricans; non quidem morâ contractum, quod gangrænoſum foret, & ſummam devictæ naturæ debilitatem argueret; ſed quaſi illicò humore nigro, pauco, cum lymphâ plurimâ remixto conſtant. Morbus hìc eruptivus ab Hippocrate ſub nomine ἄφθαι deſcribitur qui pudenda vexat mulierum, & in viris etiam, ſed rariùs, obſervatur. Undè etiam Paulus lib. 3, cap. 54, ἀφθοντας διδύμους, ait & Gal. lib. 9, κατα τοπους. Ego verò puſtulas hujus generis latas in cruribus cachecticorum jam leucophlegmatiæ proximorum non unâ vice vidi, imò in hominibus ſummo defatigatis labore, ſine ullo cachexiæ veſtigio oriuntur; ſuntque quaſi φῶδες ſive φωίδες

maculæ antiquis ab igne dictæ. Undè ſummum eſt deſcrimen haſce inter puſtulas, formâ ſimiles inter ſe, à cauſæ eas producentis naturâ diſſimiles, cùm aliæ gangrænoſam diatheſim ab altiori causâ lethalem indicent, aliæ ſcorbutici vitii præſtent indicia, aliæ demùm nulliûs ſint prorsùs momenti, & vix ullam mereantur attentionem. Eas generali nomine ἐπινυκτίδων antiqui deſignant, ſi præſertim noctu ut puſtulæ ferè omnes torqueant, *teſte Plinio.*

Naſcuntur aliquandò ad cutim puſtulæ pure albo, levi & æquali illicò plenæ, & illo ſtatim ſaturæ. Totum his corpus repleri vidi: id aliquandò evenit ſub febrium finem, cùm longo mactata certamine natura nec ſolutionem admiſit, nec criſim, nec metaſtaſim. Aderant ſigna critica, urinæ nebulas, imò & hypoſtaſim emiſerant, rursùs turbata omnia, non ſine dyſpnœâ, aut doloribus ad artus & ad inguina, capitiſve perturbatione. Imò & ad glandulas aliquandò viſi enaſci tumores qui ſi brevì ſuppurationem concepiſſent parotides aut bubones effeciſſent criticos quos Caſſius ατροσοφιςης, Διοςκυρους vocabat, eo quod bono appareant omine; omnia hæc à naturâ tentata vidi, non peracta. Tunc unâ nocte, ſudore emicante, ſed non pro magnitudine morbi ſufficiente, attollebantur undique puſtulæ purulentæ. Scilicèt per longum intra vaſa laborem tenuationemque partium ſummam videbatur pus intra vaſa confectum ad cutim trudi, eamque bono omine deturpare. Peractâ criſi per viginti quatuor horarum ſpatium omnia in cruſtam abibant. Hanc etiam puſtularum illicò purulentarum eruptionem in ſecundariâ variolis ſeſe exſiccantibus ſuperveniente febre obſervare eſt. Eædem puſtulæ bis etiam repetitæ apparuerunt, undè monſtrum illud, at minùs attentis, prædicatum variolarum variolis ſupervenientium. Malo certè omine & ab exuberantis undiquè puris redundantiâ, ſimiles puſtulæ pure plenæ in phthiſicis, jam ferè morituris apparent. Fruſtra ſibi plaudunt illi, mors pulſat atria. Præter puſtulas illas quæ poſt inflammatorias febres illicò purulentæ apparent, aliæ dantur quæ etiam ſine febre, ſed poſt breviſſimum anxietatum, & anguſtiæ tempus phlegmonodeæ apparent, & poſt paucas horas pure replentur & turgeſcunt aquoſo, horis viginti quatuor elapſis, iterùm exſiccantur, nigreſcunt, & decidunt, aliis eodem tempore erumpentibus; quod vitium infantibus commune, in eâ præſertim anni tempeſtate quæ à frigore ad calorem ſubitum vertitur, ſæpè materculas terret, & falſum variolarum nomen uſurpat. Eæ dicuntur

paſſim antiquis ἐφέλκιδες, eò quod ſuperficiem cutis lambere, potiùs quàm excavare videantur.

Quamvis autem omni ope atque operâ in id enixus ſim ut cognita apud veteris melioris notæ vocabula ad ſuum genus referrentur, fatebor rem prorsùs difficilem mihi viſam ſimulque parvi momenti, cùm ad plures ſimul pertineant illa, poſſintque pluribus ſimul convenire. Nec varias apud Arabum libros enormiter multiplicatas voces hìc referre magni ſit momenti, cùm naturam ducem ſequi, & ab auctoribus obſervata non enodare, ſed rem ut obſervanti apparuit exponere inſtitutum ſit; duces aliundè imitatus optimos qui ex ipsâ naturâ ſuas obſervationes deſumpſerint iiſque quaſi fulcimento innixus; ſed ſæpè intuenti naturam fulcrum illud defuit.

§. III. De ulceribus.

Ulcera varii generis naſci in cute vulgò ſatis noſcitur; ea ſi à causâ oriantur exteriori, ut vulnere, contuſione, &c. ſatis per ſe, tum quoad cauſas, tum quoad ſymptomata noſcuntur, niſi tamen quædam addatur cauſa ab interno enata fundo quæ ipſis addat periculum; undè noſtræ diagnoſeos prima inquiſitio in illud debet verſari, ut morborum cutaneorum phœnomena ab aſpectu vulnerum ſimplicium in ipſis latentia deprehendamus.

Rem autem ita ſe habere augurari facile erit, ſi quæ levior eſſe debebat plaga, intuitu primo gravior deprehendatur. Nam proportio debet ineſſe certiſſima inter cauſam & effectum, niſi alia ſubaccidat. Verùm ſæpè latens cutis vitium in majori & latè patenti ulcere non deprehendetur; ſi quidem pure copioſiùs effluente omnia ſimul emittuntur, & exeunt impetu facto, ſilentque omnia alia ſymptomata, imò quæ vexabant alias corporis partes puſtulæ, impetigines, herpetes, fluente copioſo pure, plaudentibus ſibi ægrotis evaneſcunt; at ubi jam ad cicatricem vergere videntur ulcera, tunc mirum eſt quantæ nectantur veræ cicatrici moræ. Retorrida fiunt labia, & pro ratione humoris, aut fungoſa, aut ſcabra & duriora, quibus per artem abraſis quæ renaſcuntur pejora ſunt & è fundo pullulantia, oræ undèquaque extenduntur, hiant labia, & ſæpè interminabile ulcus oritur, niſi maturè prudens reconditiorem medicinam internæ cauſæ adhibueris.

Prætereà ſæpè ad margines & viciniam totam longè latèque patentis ulceris, ſi puſtuloſi cauſa intumuerit mali, diffunduntur puſtulæ, ipſiuſque ſuperficiem adaugent, & cum ulceris materiâ commixtæ quæ priùs ſuperficiem cutis lambebant puſtulæ eam

excavant, & cum ulceris ambitu confunduntur. Præterea pruritus in parte, dolor nunc lancinans, nunc anxius pro naturâ mali cutanei junguntur ulceri, quo præcipuè tempore omnia debuerant miteſcere.

Verùm quantumvis impuræ in ulceribus miſcelæ ſigna hæc certiſſima ſint, vera mali latentis diagnoſis pendebit à præcognitâ præteritæ vitæ hiſtoriâ, malorumque malè curatorum memoriâ; ſi quidem ulcus quâcumque de causâ in cute natum fonticuli inuſti locum tenet, ibique imminutâ reſiſtentiâ ferri debent quæcumque craſſa aut acria alibi parerent infarctus; hinc tali intus vigente fomite, aut nulla ſperanda eſt cicatrix, aut ſi malè formata eſt illa, rursùs aperitur & redintegratur ulcus.

Verùm quæ ab internâ causâ ſumunt exordium ulcera, & partem morborum cutaneorum conſtituunt non minimam, ea vel ſuperficiem tantùm adoriuntur, & ſub ipsâ epidermide videntur reticulari tantùm textui inhærere, vel altiùs cellulas cuti ſubjectas adipemque inficiunt, vel ipſos cutis deturpant folliculos, eoſque rodunt. Priora facilè ſerpunt, & eryſipelatoſam naturam ſortiuntur: altera phlegmonodeam, tertia demùm infarctum primò ſupponunt, poſteà inflammationem phlegmonodeam. Ex his prima pus fundunt aquoſum, bilioſum, virideſcens pro naturâ cauſæ, prurituſque concitant aliquandò enormes, aut urentis ignis accendunt ſenſum: alia doloribus ſtipantur lancinantibus, pulſantibus & in ſecundo genere profundioribus, in altero ſuperficiem cutis attingentibus.

Nec ea tamen diviſio omnes in praxi compertas comprehendit differentias. Ulcerum ſuperficiei cutis addictorum ſubdiviſio ſubtilior ſtatuenda eſt. Alia enim ſimul rubedinem aliquam afferunt, alia limbos obtinent merè lymphaticos, eoſque præduros & aliquandò quaſi coriaceos. Priora ſeu eryſipelacea ulcera cauſam non adeò firmis radicibus fixam arguunt, circa quam naturæ labor non ſemper irritus. Quæ verò ſicca, dura, lemoſa ſunt, naturam inertem arguunt. Ulcera ſimpliciora, ſeu eryſipelatoſo limbo circumſcripta, lymphâ primùm pellucidâ plena, temporis tractu turbantur, materiem fundunt purulentam, ſed aquoſam, ſerpentem, & partes quas alluit corrodentem, at quæ mitificari ſe patiatur. Poſteriora indureſcunt, & in lemas craſſas indivulſas mutantur, cruſtaſque lamellatas ſuperpoſitas efformant, ſubter quas pus ad fundum & latera excavando locum ſibi cudit, dùmque novas

lamellas

lamellas extra projicit, in tumores attollitur malum, ſæpè enormes, inſenſiles, quas ſi fortiùs abraſeris & violentiùs, pus in infimo reconditum & ad latera firmatum reperies pultaceum, quale meliccrides fundunt. Ex eo novæ ſuccreſcunt lamellæ ſæpiùſque quaſi ex altis ſuppeditaretur receptaculis puris illius materia, glandulæ per totam intumeſcunt viciniam.

In poſterioribus illis ulceribus non omninò rarum eſt, in regionibus præſertim præfervidis atque humidis, naſci vermiculos. Ulcera priora aquoſa ſeu ſeroſa dicerem, poſteriora mucoſa vocari deberent. Nam illis nomina ab Arabibus aut Græcis mutuari impoſſibile eſt. In prioribus latet aliquid acre & ſolutum quod rodat; in poſterioribus aliquid acre coagulans, & odor illorum, ſi præſertim cutis abradatur & pus pateat, fœtidus eſt, fermentanti & aceſcenti mucoremque rancidum contrahenti pani analogus. Sed illa ulcera mucoſa non æqualem prætendunt acredinem, non æquale coagulum. Mitiora in eodem genere ſunt quæ caput, faciem, aliquandò totam infantum occupant cutem, cruſtæ lacteæ dicta *α᾽ χῶρες, τα κήρια,* quæ difficilè quidem per artem ſanantur, ſed temporis lapſu evaneſcunt : à principio ulceroſum caracterem obtinent, licèt malè Celſus à furfuribus ea oriri dicat; quamvis enim à cruſtis tenuibus ſumant exordium, non adeò tamen cùm furfuribus confundi ſe ſinunt.

Si verò, aut diatheſis pejor ſit, aut caracter præ ſcabritie & aſperitate rebellem indicet tumorem ulceroſum, aderunt mala graviſſima verè herculeâ arte profliganda, nunc ad vitiliginem referenda aut lepram Hæbræorum, nunc ad elephantiaſeos atrocitatem accedentia. Quibus tamen ulceroſis affectibus etiam aliquandò pro varietate coloris diverſa imponuntur nomina. Nam etſi ſemper lympha jure meritòque pro causâ mali habeatur, aliquandò vel à propriâ corruptelâ, vel à miſcelâ humoris extranei, bilis ver. gr.,erideſcentem contrahunt colorem, aut flavum, quem virorem verè peſtiferum, in reis quos obſcuris propter ſcelera recondunt carceribus obſervavi. Idem etiam reperias in causâ venereâ, peſſumdato & corrupto lymphæ tenore.

Patet ex his quòd ad ulcerum genera referendæ ſint tot variæ cruſtarum ſpecies, achorum, favorum, quæ tot nominibus à veteribus diſtinguuntur. Horret ſæpè cutis cruſtis ſuperpoſitis, & rupium ad inſtar ſeſe mutuò excipientibus. Sub ipſis tamen latet mucoſa materies quæ, ut interior in arboribus cortex trudit ex-

teriorem, cruſtas illas ſubter quas compingitur extrà pellit. Solidiſſimæ ſunt illæ, & tamen per longam in aquâ tepidâ macerationem in gluten reſolvuntur, ſeu mucum. Hinc etiam inſecta in eis cruſtis, ſi præſertim adhuc humiditatem aliquam ſervent, ova deponunt, muſcæque in vermes abeunt quibus, notante & deſcribente Avicennâ, ulcera illa ſæpè ſcatent. Hinc etiam in peſſimis illis ùlceribus fœtor ſæpè corruptionis peſſimæ æmulus nares ferit odore maximè putido & fœtenti, undè morborum cutaneorum diverſitas tanta, à primâ corruptione muci ad ultimum uſque corruptionis gradum deſæviens.

Benigni ſunt nec cutim arrodunt, aut vel leviſſimam notam imprimunt, qui à muco recenti nec compacto infantum naſcuntur ulceroſi & cruſtoſi affectus. Levia adhuc nec tamen rebellis expertia naturæ, quæ à mulierum muco lacteo ulcera naſcuntur cruſtoſa. At ſi ſcrophuloſum venereumque jungatur fermentum, cauſæ ſequuntur fata. Sua cuique compoſitioni & complexui cauſarum eſto diagnoſis quam ex præcognitis primùm, poſteà verò ex concomitantium ſymptomatum congerie repetes. Scrophulas arguunt glandularum vicinarum ſcabra durities; veneris morſum ſymptomatum concurſus ad alia omnia rebellium ſoli obſecundantium mercurii efficaciæ. Podagricis etiam rem ita eveniſſe multiplici demonſtrare poſſem experimento; podagricum quid ineſſe cruſtoſis in ulceribus docet quæ priùs non apparuerat emicans podagra, aut quæ priùs apparuerat tùm demùm ceſſans quâdam fermenti in mucum depoſitione aut converſione.

Ex hoc cauſarum concurſu & complexu intelliguntur varietates colorum in externis ulcerum illorum cruſtis, quum aliæ cruſtæ albicantes ſint, aliæ nigreſcant, aliæ evideſcant pro admixtione bilis variæ, pro fermenti vel putri, vel aceſcente craſi. His omnibus commune eſt ut ſicciores in lemas abeant cruſtæ; hæ verò demùm in furfura & terram albam, terram inquam aſpectu, nam reipsâ nullatenùs terreæ ſunt furfuraceæ illæ partes, quæ contra ſalibus acerrimis ſcatent, ita ut iis ſæviſſimè affectus homo, cùm mihi partes oſtendere vellet affectas, & me coram mutaret induſium, ſternutationi afficerer acri oculorumque moleſtiſſimo pruritu. Ubi verò cruſtæ illæ affatim decidunt, & per ingentes moleculas, tunc ſignum eſt deſæviiſſe cauſam, ſublatâque radice decidere truncum.

Majoris multò momenti eſt ad prognoſim & curationem noſſe

an ulcera illa critica ſint per vim naturæ malum ad cutim evomentis extra erumpentia ? An pendeant à perverſâ totius muci naturâ; ita ut quæ vel alimenti vel medicamenti titulo adhibentur, nedùm malum immutent, contrà ab ipſo mutentur morboſamque contrahant indolem ? Rem quidem à ſanitate ægrotantis dignoſces, quæ ſi ante eruptionem male ſe habuerit, poſteà verò fuerit in melius verſa, ſatis arguit fontem purum & illimem ſeſe cognito mechaniſmo à ſordibus ſuperfluis liberaſſe. Poſteà verò ſi omnia meliora ſint, ſi quam occupavit ſedem, in quâ focum fixit, relinquat ſanam & integram morbus, ſi demùm incrementi, ſtatûs atque decrementi tempora obſervaveris, mali natura ſalutaris & critica palàm declarabitur. Contrà verò redivivum ſemper malum aſſumptis proportionale alimentis, nec levans, nec juvandæ ſanitati idoneum, non criticum eſt, non naturæ actuoſæ opus, ſed artis expoſtulat efficax ſubſidium.

Si verò circa hæc attentâ inſpectione meditatus fueris non adeò forſan tibi difficile fuerit intelligere tot nomina Arabum *ſahafadi alguada*, *albaras* tum *nigra*, tum *alba*; *morphæa pariter utraque*, *bothor*, *refrengi*, *balkiati*, *alvathim* quæ omnia hìc referre ut ſupervacuum eſt, ſic iis inhærere noxium, cùm tot nominibus dùm naturæ phœnomena obſcurant Arabes, id effecerunt illi ut omnia intelligendo nihil intelligerent.

A propoſito nobis ordine recedere videntur tumores quidam mucoſi qui non glandulas, non cutis folliculos, ſed textum reticularem primò, poſteà ipſam cutem afficiunt. Hi nunquam inflammatorii ſunt, licèt aliquandò ob diſtentam cutem ſub ſuis principiis rubeant; at è ſquammarum mucoſarum ſtratis ſibi mutuò ſuperappoſitis formati & conflati, aliquandò quamdam organiſmi formam referunt, ſive concentricâ muci lamellarum diſpoſitione, ſive parallelâ appoſitione. Hinc dicti olim Διονύσισκοι. Licèt tumores illi rarò appareant, varia & diſtincta effecerunt tumorum genera cornu æmulantia formâ atque duritie & variis innaſcentia partibus, qualia videre eſt in diariis Europæ variis. Hi tumores omninò mucoſi ſunt, & bullientis aquæ continuatâ efficaciâ vertuntur in mucum, ac penitùs reſolvuntur. Hos tumores ulceribus adſcribere forſan videbitur durius. Verumtamen cum eorum primordia à muco effuſo & extra vaſa poſito pendeant, nullus alius locus ipſis aſſignandus eſt, cùm aliundè ſua ipſos raritas extra artem conſtituat.

Jam ad ulcera quæ ab erethiſmo in cutis vaſis ſanguineis concitato pendent ordo nos devehit. Circa quæ pauca omninò dicenda habemus, cùm per ſe pateant illa & phlegmoneâ diſpoſitione præcedantur, ſique nulla adſit vitii heterogenei miſcela, brevi ſuppuratione terminentur, lata verò hujuſmodi ulcera non poſſint illæſis ſubjectis partibus innaſci, adeòque ad alios tractatus pertineant.

Eryſipelatum verò variæ formæ quæ in cute naſcuntur ad inflammationes pertinent, niſi tamen, quod ſæpiùs âccidit, illa latis ulceroſiſque puſtulis ſero acri, & ut aiebant veteres, bilioſo plenis ſtipentur, quod quidem fit, ubi perſpiratio acerrima ſubito impetu ſupprimitur. Ulcera illa ſi diutiùs durent, etiam ſuppurationem aquoſam concipiunt, præſertim increſcente eryſipelate, eoque decreſcente exſiccantur, ad normam aquoſorum ulcerum de quibus ſupra egimus, & eadem ſibi ſumunt nomina. Eryſipelati etiam, præſertim à causâ violentâ inducto, ſuperveniunt ῥαγάδες, ſeu fiſſuræ ano, vulvæ, & partibus quæ ex neceſſitate functionis aliquam patiuntur dilatationem vulgatiores. Ad ſanguineas etiam ſed φλωγόδοας refertur etiam φύγεθλον pruritu enormi inſigne & ad puſtulas tantùm referendum quantùm ad ulcera. Hinc etiam hìc numerari poſſunt Πομφοι, Hippocrati dictæ eminentiæ pus fundentes & citò ſiccandæ. At, ſi nimis citò avellantur cum dolore acri renaſcentes, fit πομφολυξ idæam exprimens fugacium ulcerum, quæ tamen, ſi acriùs tractentur, aut à causâ nimis actuosâ pendeant, in νομας verti poſſunt, ut à ſcrophuloſo aut venereo viru naſcentia verrucoſis hiantia labris ulcera quæ οχθώδη vel οχθωδεα dicuntur. Adeſt enim tunc complicatio ulceris ſanguinei cum mucoſo, ut in phlyctænis eryſipelaceis complicatur cum ſanguineo ulcus aquoſum.

Præter illa ulcera, cùm proximè cutem attingat liquor adipoſus, ſæpè naſcuntur in cellulis cutis ulcera quæ ab humoris hujus vitio repetenda ſunt. Scilicet vitium adipi innaſcitur quo concreſcit adeps, & concretum minus occupat volumen, imò & quaſi in reſinam vertitur. Grumos tales in adipe ſuillo, & ſuibus præpinguibus mactatis reperire non adeò rarum. Si univerſale fuerit hoc vitium, non diſſimile illi quo inſpiſſatur liquor mucoſus, tunc cutis dureſcit, & craſſior, tangenti aſpera, ſcabra evadit; at cum liquores indè ſtagnare neceſſe ſit, brevì ulcera naſcuntur, quæ cùm exoriantur in peſſimo fundo, adipemque

proximè tangant, difficilè ſananda ſunt, malo pure, & merè mucoſo plena, labiis fœtidis & craſſioribus retorrida. An ab hâc origine pendent varia genera Lepræ quæ ελεφας, ἐλέφαντιασις, λεονϑιον και λεοντα apud Græcos dicuntur. Eò difficilior curatu morbus quò altiùs radices egerit, & omnem undequaque invaſerit textum cellularem. In triſtiſſimo morborum genere vix ſenſibilitas, vix mobilitas remanet, vix humana forma ſupereſt, undè etiam & σατυριασις & σατύριασμος dictus fuit apud Aretæum & Galenum, quod fœdum Satyrorum aſpectum repræſentet. Hunc facilè dignoſces, ſed ingruentem prænuntiabit ſcabrities illa cutis aucta sensìm & articulorum impedimentum, cùm ibi neceſſaria ſit apprimè cutis flexilitas.

At ſi vitium minus fuerit, minuſque ſævierit, parteſque tantùm quaſdam occupaverit concretus adeps, vel majorem in molem increſcit appoſito vicino adipe, fientque primùm tumores dein ulcera, ex eo genere quod dicitur αθερωματῶδὲς, μελὶκὴριδες, ςὲατομαλῶδὲς de quibus in tractatu de Tumoribus agitur, vel contrà contractus & concretus adeps cutem attrahit, deprimitur illa, & in cavum abit. Quod cavum depreſſum ulceratur, fitque ulcus vicinâ cute depreſſius, cavum durum adipem in fundo exhibens, & ulcus illud vulgò inter lepræ ſymptomata à veteribus magnâ curâ obſervatum recenſetur, licèt uni tantùm lepræ ſpeciei competat. Si ad ulcerum illorum adipoſorum naturam parumper attenderis, multa ut confido ſolventur problemata circa elephantiaſim quæ cùm à variis & in diſſitis regionibus obſervata fuerit apud auctores malum diverſæ omninò ſpeciei conſtituere videtur. Ulcera illa apud Aetium tetrabil. 1, Serm. 4, Cap. XXIII, vocantur ἀναλια Syrorum quæ perperàm Gorræus exponit ea nominando ἑλκος μελὶκηρῶδὲς.

§. IV. De tumoribus & maculis.

Poſt ulcera in quibus qualemcumque natura actionem exerit, omnemque expedit viam quâ ſeſe ab hoſte liberet, tumores varii ſeſe aſpectandos præbent, in quibus natura quaſi indifferens eſt & è ſede occupatâ nunquàm ſe dimoveri ſinit, niſi per artis efficaciam nova ipſi actio fuerit indita. Tumores illi, ſi ad ſolam cutem ſpectes, parvi ſunt momenti, quanquam aliquandò immenſam exſurgere viſi ſint in molem, ut jam diximus de illis, quæ ſic extant, falsò dictis cornubus.

Ad morbos cutis aliquatenùs referuntur *atheroma*, *ſteatoma*, *meliceris* quæ, quamvis vulgò ſubtùs cutem in textu cellulari naſ-

cantur, poſſunt tamen ad ipſos cutis folliculos naſci. Indurantur parietes, ſtagnat intùs humor contentus, qui raròſolvi poſſit, ſæpiùs Chirurgiâ ſanari. Dè his doctè nuper & ad naturæ normam egit Doct. Girard, Medicus Marjulienſis. Horum diagnoſim hìc inſtituere ſupervacuum foret, cum eorum figura, aut circumſcripta, aut ex variis glomerata ſacculis, tardo inceſſu progrediens & ſæpè fixa in eodem volumine, nec non indolens, hos tumores deſignet.

Verùm alii tumores cutem deturpant, ſine ullo alio incommodo, imò abſque pruritu: ἄχνην vocabant veteres quod ἴονθον Aetius qui eumdem eſſe vult nec diſtinctum tumorem. Hos inter tumores locum obtinet θύμος tuberculum dictum antiquis in carne enaſcens, id eſt in adipe, quod ſi à brevi pediculo pendeat dicitur συκον, id eſt ficus, deſcriburque à Celſo lib. 5, quaſi rubrum & ſubaſperum, eſtque vulgò potius mala conſtitutio cutis, quàm vitium.

Sæpè tumores illi naſum & faciem occupant. Guttam roſeam vocavêre Latini infimæ latinitatis aut *cuperoſam*. Hæc tumorum congeries ex infinitè parvis tumoribus conſtans viros innocuè, mulieres verò fœdè vexat & difficilis curatu eſt. Nam vaſa hoſce tumores circumdantia in aliquam intumuêre varicis ſpeciem, & dilatata ſuos flexus demonſtrant, quod vitium mulieres flavas, & nitidiſſimâ fulgentes cute afficit, ipſo aſpectu ſuam efficiens diagnoſim.

Huc etiam referre eſt ſcabram cutis ſuperficiem, quæ ſcabrities ſi non à ſubjecto adipe pendeat, ad lichenes potiùs quàm ad tumores refertur, ut & omnia alia mutatæ in cute conſiſtentiæ vitia quæ, cùm oculis percipiantur, diagnoſi non egent, licèt apud Græcos varia ſortiantur nomina, tùm pro parte in quam decumbunt, tùm pro formâ quam affectant, undè nullâ in aliâ morborum nomenclaturâ fœcunditas tanta, quæ dignoſcendæ naturæ noceat. Hinc αλμυρώδες δέρμα dicitur cutis ſalſuginoſa & ſcabra in Aphoriſmis 11, Lib. 2, aliis ξηράντισμοσ ſeu ξηρασια.

Ογθοι ſeu verrucæ ſpeciem quamdam tumoris ſpecificam cuti conſtituunt, & in eâ ſolâ ſedem fixêre. Eas dignoſcere non ita arduum, naturam intelligere non perindè facile; eæ verò vulgò attritis & calloſis factis nerveis cutis papillis adſcribuntur. At verrucas aliquandò in peſſima mala degeneres eſſe teſtatur hiſtoria Medica, ubi imprudentiùs tractatæ ad uſque nervi pulpam

ſenſilem mucumque irritatio medicamentorum pertingeret, quod omnibus læſis partibus nerveis commune eſt. Hæ aliquandò ſemel corrupto & per corruptionem expanſo muco qui ipſas alluit, in molem immenſam glomerantur & per folia multa fœdè excreſcunt. Id commune eſt, in linguâ, ano, vulvâ aliiſque partibus quas papillæ illæ nerveæ diſtinguunt & quæ irritationem aliquam violentiùs paſſæ abeunt in cancri ſpeciem difformem, vicina depaſcentem & brevi exitu feralem.

Maculatur cutis ſi non univerſim & in totâ ſuâ ſubſtantiâ color ejus mutetur. Si enim alteretur & mutetur undequâque color ille, fit eryſipelas univerſale, ſæpè lethale, aliquandò parvis diſtinctum puſtulis ferè ſine intervallo ſibi cohærentibus; ſi verò ſuperabundet intùs materies, defluit ſæpè ſuperfluum ad partes internas ubi non eryſipelas excitat; nam ubi non eſt cutis, ibi non eſt eryſipelas, ſed tuſſim, ſed tormina, & nauſeas, ſed illacrymationem, ſurditatem & hujuſmodi ſymptomata concitat. Eryſipelatis univerſalis naturæ repugnat ut poſſit haberi pro phlegmonode, cùm protinùs in mortem abiret; ſed ut œdematoſum eſſe poteſt, ita non rarò in gangrænoſum progredi poteſt, imò pro naturâ cauſæ in ſphacelum verti, ut patet ex conſtitutione λὶμωδη ſic dictâ Hippocrati lib. Epidem. 5.

Sed cùm de his ſatis fusè egerint auctores qui de tumoribus ſcripſerunt, non eſt adeò huic inhærendum diagnoſi. Fiunt tamen aliquandò homines ſanguinei temperamenti & ejuſdem conſtitutionis mulieres ὑπερυθροὶ, ut linguâ Hippocraticâ utar, prærubri ſine eryſipelate. Quod aut à plethorâ exundante, ut ſuppreſſis hæmorrhoidibus, vel menſtruo ſanguine fit, aut à ſpaſmo violento ut in irâ & furore, aut demùm cum pruritu enormi ab enato intùs fermento, imò adhuc intra ventriculum hærente quod ſæpè à comeſtis imprudentiùs mytulis accidit. Quæ omnia brevì reſolvuntur, ſi univerſalia ſunt, aut in eryſipelas tranſeunt, ſi à causâ vivaciori flammas conceperint.

Cæteræ omnes decolorationes aut colorum mutationes in cute ad icteros referuntur, quum bilis à cruore facillimè ad cutem feratur & ſerum ſaturet facillimè.

Inter cutis decolorationes forſan recenſendus foret pallor, ſi non à causâ chloroticâ aut exhauſtione pendeat, aut demùm à ſpaſmo ob affectus animi, aut ventriculi perverſum ſtatum nato. Sed pallor habitu contractus rarò ab ipsâ cute pendet, niſi ta-

men in albidis fœminis vitium cutis non perſpirabilis à ſummâ vaſorum hìc affluentium tenuitate pendeat, undè vix aliqua perſpiratio prodire poſſit & extrà propelli, ſed textus cutis tenuiſſimus lymphæ tantùm limpidiori pateat. Qui quidem tenuioris cutis honos multis ipſas malis exponit catharralibus, & ad articulos fluentibus œdematibus, undè rependunt decorem; & ſi morbis cutaneis ſe præbuerint obvias, quod rarum eſt, ii tunc multò difficiliùs quàm in aliis hominibus ſanantur; cùm difficillimè pervia ſint vaſa, nec pateant cauſis ſanantibus eâdem lege quâ minùs malo patuêre.

Verùm maculæ quæ cutem intertingunt eamque inhoneſto colore ſparſim diffuſo contaminant, vel leves ſunt & facilè tolluntur, vixque ſuî dant indicium breve, vel arctè adhærent ac fortiter cuti vinciuntur & per longa tempora perdurant immutabiles. Formâ differunt, & vel circumſcribuntur in circulum, vel latè vagantur atque hùc illùc transferuntur à viciniâ in viciniam; vel ſimplices ſunt, taleſque intereunt quales ortæ ſunt; vel contrà aliquid tumoris ſibi ſumunt ſicque, aut ulcerantur, aut abeunt in furfura.

Omnes illæ diviſiones univerſum quidem macularum ambitum comprehendunt, at illarum exitum non attingunt. Macularum enim quæ in cute naſcuntur aliæ in morbis naſcuntur acutis, aliæ chronicos comitantur affectus; aliæ ſuperficiem contaminant, aliæ profundiùs inuruntur. In variis hiſce caſibus ſolutionis modus quem affectant pro naturâ cauſæ varius eſt. Adeòque ab eâ diviſione petenda ſunt quæ expectamus circa naturam macularum dignoſcendam adminicula.

1°. Igitur quæ in morbis acutis naſcuntur maculæ, vel in ipſo morbi principio & ante febris exortum apparent, & ipsâ progrediente evaneſcunt. Hæ latæ ſunt & vulgò in aliquem aſſurgunt tumorem, citò evanidæ, ſimulatque erethiſmo conſtituto ſtringuntur vaſa: cacochymiam exundantem, imò turgeſcentem ſæpè ſignificant. Ita ante exortum febrium intermittentium autumnalium, illæ ſine periculo viſæ ſunt attolli. At vulgò durationem mali ſignificant; nam ingentem humoris acris bilioſi copiam indicant eæque nec criticæ dici poſſunt nec nocuæ, ante ipſum morbum exortæ & eo conſtituto nunquàm deinceps prodituræ.

2°. Aliæ in violentiſſimo febrium erethiſmo morſibus pulicum ſimiles

ſimiles & rotundæ ominosè emicant; imò aliquandò miliares puſtulæ potiùs quàm maculæ dicendæ ſunt. Eæ ſemper terrorem inſpicientibus injiciunt, & maximam medentium poſtulant ſollicitudinem. Ferè omnes temporibus æſtivis & maximè calidis apparent, in febribus acutis quæ ſudoribus diffluunt, & in conſtitutionibus morborum quæ ſudoribus arceſſendis aptæ ſunt; talibus maculis meritò fuêre infames, præſertim ſecundùm Hippocratis annotationem, calores athmoſphæræ ſi fuerint humidiores. Undè & apud nos Picardis, Aremoricis ac regionibus quæ ad littora magis jacent maximè familiares ſunt, aut in morbis ſummè putridis peſtilentialibuſque communes; undè multò magis ratione cauſæ nutuendæ ſunt, quàm vanæ ipſorum eruptionis; niſi tamen notante Cl. de Haen talium & ſimilium macularum eruptio duobus cauſis adventitiis debeatur, ſcilicet vel regimini, aut per ægrotantium, aut medicantum errorem calidiori, vel etiam vietæ atque effœtæ per ſquallorem & putridam diatheſim athmoſphæræ vitiis adſcribendæ illæ ſint. Ejuſdem naturæ ſunt maculæ plures quæ variis nominibus apud auctores deſignantur pro ratione formæ, extenſionis, atque coloris, vibices, urticationes, petechiæque demùm, ſi colorem nigrum affectent, quæ vulgò graviſſimis cum ſymptomatibus erumpunt, anginâ, ſuffocatione, dyſenteriâ putridâ, &c. quarum hìc diagnoſim ſi inſtitueremus, certè maximam comprehenderemus partem acutorum & peſtilentialium affectuum, eorumque peſſimorum.

Tertii generis erumpunt quæ criticæ apparentes ſymptomata tollunt, ſed tunc macularum formam relinquunt & puſtularum, aut etiam tumorum naturam brevì affectant; nam in medicâ obſervatione inauditum ſanatum quemquam fuiſſe erumpentibus ſimplicibus maculis quæ cùm nocivæ ſunt, nullo facto tumore, imò contrà ſi deprimantur, vertuntur in gangrænam, nec, niſi ubi jam attolluntur, poſſunt ſalutares evadere.

Extra morbos acutos multæ ſunt quarum aliæ, etſi improprio, recepto tamen nomine vocantur, aut ſaltem vocari poſſunt criticæ. Tales ſunt quæ ſcorbuticæ & ſunt & nominantur. Hæ citra ordinem, citra regularem formam in cruribus apparent; pedibus, imò & brachiis præſertim inſident, leviter dolorificæ, nec niſi provecto ſcorbuto emicant, aliquandò, ut notavit Eugalenus, cum levamento totius corporis notabili; quod tamen ut nimis univerſale vir præclarus admiſit. Cùm enim in ſcorbuticis con-

firmatis res aliquandò enitet, nullum indè naſcitur levamentum, ſed malum malo additur (*a*).

Proximæ his ſunt maculæ quæ vibicum formâ poſt nixus crurum enormes debilioribus præſertim apparent. Tùm varicoſæ quæ in gravidis & mulieribus fluxu defunctis menſtruali hinc indè per cutem ſparguntur, & quæ accuratiùs tangenti facilè diſtinguntur, aliundè dignoſcendæ, tùm ob locum quem occupant, tùm ob colorem ſub digito evanidum, ſi ponatur ille inter arteriæ atque venæ decurſum.

Verùm ingens nec temnenda macularum diviſio à colore deſumitur; aliæ enim nigreſcunt & atrocitatem cauſæ colore indicant; flaveſcunt aliæ; aliæ nitore cutis ſublato vividiſque floribus emarceſcentibus albeſcunt; nec tamen ſtatim à nigredine malignitatem pronunties. Naſcuntur maculæ nigricantes, ſed ſuperficiariæ ab aliis & formâ & primo aſpectu diſtinguendæ, cum extra cutim promineant; hæ melancolicæ & ſunt & dicuntur, vereorque, cùm illæ in morbis ſplenis pleniùs appareant, ne pro ſcorbuticis apud libros & auctores ſæpiùs fuerint habitæ, licèt alioquin ipſo aſpectu ita ab iis diſcerni queant, ut vel minimus erroris metus aſſurgere non poſſit. Plures ſunt quæ puncticulares & quaſi parvulæ maculæ crura, pedes, imò lumbos & dorſum nateſque obſident, cum levi & profundo doloris ſenſu. Primò quidem intensè atræ ſunt, poſteà rubræ, ſed intensâ rubedine donatæ apparent quæ ſenſim in eryſipelatis roſeam formam efflantur, deindè flavedine tinctæ evaneſcunt: eas ſingulari exemplo vidi in puerulo ſcholaſtico qui fervente ſyrio dùm ſcholaſticam per ſummum ſolis ardorem deambulationem ſummo ardore, curſu ſimul, luctâque peragit, ſuffuratam vini lagenam librarum duarum exhauſerat imprudens: huic enim ſine febre, atebrio & verba delira proferenti ac vacillantibus pedibus vix inſiſtenti maculæ illæ eruperant, ſtadioque quindecim dierum peracto, evanuerunt ſenſim.

Sed hujuſmodi maculas diuturniores videre eſt, imò & per longum tempus perdurantes in ſenibus; imò & in ſene deliro plures per annos ad extremum uſque perduraſſe vidi, quamvis illæ nunquam gangrænicæ evaſerint, ſed potiùs formam aſſumpſerint tumoris illius nigricantis qui apud auctores nomine talpæ inſignitur.

(*a*) Vide Anſon travels.

Alía macularum ſpecies datur quæ, quaſi pulvere nigro cutis foret conſperſa, eam deturpant & ſæpiùs diarrhœâ ſolvuntur, aut vacuatione quâvis, v. g. ſudoribus ; tales in muliere gravidâ vidi quæ partu ſolutæ ſunt, cùm per dolorum atrociam ſudoribus illa deflueret.

A nigricantibus ferociâ & formidine quam inſpirant diſtant longè maculæ quæ cutem flavo colore inficiunt hùc illùc ſparſæ, cutim, faciem, manus aliquandò fœdè occupantes, quæ omnes ferè, aut ab inſolatione & exſiccatione ſeri ad cutim hærentis pendent, aut à bile in cutem refluâ & depoſitâ. Priorum cauſa obſcura eſſe non poteſt, cùm illæ in partibus denudatis appareant; hæ verò in partibus etiam veſtitis indiſcriminatim ſedem figant. Norunt puellæ quarum cutis candidior lymphâ mucoſiori turget, quàm fœdè laborent *lentiginibus* ſic dictis, quæ in textu reticulari Malpighii naſcentes vulgò faciem, thoracem & nuda brachia complectuntur : eæ deſtructo epidermide & textu reticulari renovato ſolvuntur.

Si flavedini macularum in cute ipſius aſperitas jungatur, has vulgus bilioſas vocat, ſæpèque primo aſpectu pro veris herpetibus à parùm gnaris habentur; eæ ſæpè magnam corporis partem occupant, hùc illùc ſparſæ, & corpus varietate colorum diſtinguunt. Præcipuè verò mulieribus eam faciei partem occupant quæ in viris barbata eſt. At in viris undequaquè ſparguntur, ſæpè dimidiam corporis partem occupantes, ſæpè in maculas efformatæ tenues & rotundas. Colore inter ſe variant; nunc enim ſummè dilutæ ſunt, nunc contrà fuſcæ & malicorii inſtar, & ferè ſemper non ſolam cutis ariditatem partialem deſignant, at latentes morbos, aut hepatis, aut lienis, duroſque ſcirrhos, quod benè norunt Medici, ita ut iis inſiſtere diutiùs vix noſtri ſit inſtituti, cùm pro vitio laborantis partis omninò de iis diverſa inſtituenda ſit prognoſis atque diagnoſis.

At multò majoris ſunt momenti maculæ albæ quas aliquandò in cute ſine ullo malo prævio videmus enaſci cum glabritie ſingulari, imò & cutis depreſſione. Maculæ illæ raro apud nos & ſeptentrionales Europæ populos obſervantur; frequentiùs apud illos qui Aſiatica littora incolunt & loca calore fervida ſimulque humiditate infamia. Rariùs hæ maculæ ad pleraſque Africæ ſiccioris & ferventioris gentes pertinent; cùm morbis hiſce præcipuè obſtet aëris ſiccitas ſudoribus & perſpirationi ſummoperè favens.

Eæ apud Græcos nomine λεύκης, apud Latinos *vitiliginis* noſcuntur. Forſan & apud Arabas pro linguæ minùs notâ farragine *alguada*, *albaras* dictæ ſunt. Definitur à Galeno vitiligo alba, ſeu λεύκη, macula cutem albedine inficiens & ſubjectam cuticulæ cutim exedens. Differt ἀπο τῆς λήπρας ϗ ἐλεφαντος, quod hæ ſint cum aſperitate cutis, roſione, pruritu, illa verò nequaquam. Ariſtoteles in Problem. Sect. 10, ait homines tantùm vitiliginem pati, cætera animalia nequaquam: addit enim malum hoc mulieribus minùs familiare, aut pueris, quàm viris. Nomen morbi genericum eſt αλφος quòd non ſemper maculam ſimplicem efficiat, quo nomine tantùm λεύκη vocaretur; ſed omnis macula fœda in cute apparens ſine manifeſtâ aſperitate, ſine ſquammis, à verbo ἀλφαίνειν mutare dicitur αλφος; treſque ejus ſpecies diſtinguuntur αλφος, αλφος λεύκη, αλφος μέλαινα: αλφος ſi antiquis credas, ſubaſper eſt & ſuperficiarius: λεύκη ſubjectam cutem leviter deprimit: μελας colore tantùm à leuce differt, qui color in rebus medicis prognoſim ſemper ſævam atque feralem indicat. Simplex αλφος ad colorem croceum inclinat; λευκη verò pallorem quaſi marmoris albi inanimem & depreſſionem in cute exhibet. Antiqui ἀλφὸν ſimplicem pro morbo levi habebant & ſanabili, duas alias ſpecies pro morbis verè herculeis & difficilè admodùm vincendis admittebant.

Verùm, utut veterum auctoritate moveamur, fatebimur diſtinctiones has aliquatenùs minutiores poſſe videri, & meliùs cognitâ animalis æconomiæ lege, colorum varietates non adeò momentoſæ apparent, vitiligoque qualem, niſi aliundè accerſitam, raro videmus, apud nos ſub lepræ nomine malè comprehenditur, quippè formâ inter ſe prorsùs abludit uterque affectus; at cùm circa vitiliginoſas maculas & pus naſcatur & ad illarum oras ulcera prodeant tumefacta quæ depreſſionem adhuc profundiorem aſpectui efficiant, incertum eſt, an in tumoribus morbus conſiſtat, an in cutis depreſſione?

Illa verò depreſſio cutis à deſtructâ muci nutritii & tomentoſi, imò & adipis qui ad cutem abundat, penitùſque eversâ partium craſi prorsùs repetenda eſt. Scilicet ſi cutem vitro fortiori armatis oculis benè inſpexeris, eam vernice quaſi obductam molli videbis; indè ipſi ſplendor & nitor; at in maculis vel minimis quæ ad vitiliginem accedunt eodem vitro armatus videbis periiſſe prorsùs hunc ſplendorem, licètque in cadaveribus ſplendor ille ac pelluciditas ferè omninò perierint, ingens adhuc in cadaveribus ſeſe

offert differentia inter loca à vitiligine occupata & viciniam. Indè fit ut, licèt crediderim aliquid vitiliginoſi latere in quibuſdam calvitiei præternaturalis ſpeciebus quas antiqui ſub nomine φάλακροτην inter morbos recenſebant, & maculis illis quæ ἀλώπηκίαν, ὄφιασιν conſtituebant, aut ἀναφαλαντίασιν, ſcilicet ſurperciliorum glabritiem & calvitiem, Ariſtot. lib. 3, de Hiſt. Animal. cap. 2, tamen inſpectâ horumce morborum per vitra optica cute, res ſaltem ſæpè prorsùs differre viſa eſt; cùm in his morbis, ſaltem ut vidi, cutis nitorem ſuum ſervaverit.

Nec illa attenta cutis per vitra inſpectio prorsùs negligenda eſt ad vitia cutis varia dignoſcenda & præſagienda. Illa enim, ut ita dicam, vernix cuti ſuperinducta deficit in cicatricibus & cicatriculis illis quas ſinunt fièri variolæ, vidique non bis, non ſemel, ſed multoties juvenes quos horrendus ille morbus ita crudeliter affecerat, ut vix ullus relinqueretur locus ſine cicatrice, vix quidem ullis obnoxios cutaneis affectibus, ſed pluribus à ſero acri pendentibus miſerè per totam vitam torqueri. Sed de his dicendi non eſt locus.

Glabrities porrò illa vitiliginoſa jure meritòque inter peſſima cutis vitia habetur; nec mirum, cùm nulla fiat per cutem aut parca admodùm perſpiratio; undè aut illa finditur, fiuntque ῥαγάδες, aut morbi ab humore ſeroſo acri partes internas miſerè infeſtant, præcipuè pulmones, renes atque veſicam, pereuntque ægrotantes maraſmo conſumpti, deciduis intereà undèquaque capillis, ſuperciliis, pilis quibuscumque; undè morbus noſter vulgato nomine apud Gallo-provinciales huic obnoxios dicitur *la Pelade.* Nec minùs his glandulæ omnes lymphaticæ intumeſcunt & indurantur. Undè inter maculas cutim deturpantes nulla pejor, & quod ſaltem felix habendum eſt, nulla rarior verâ & ſic dictâ exquiſitè vitiligine. Nam etſi non adeò rarum ſit incarceratos & eos præſertim qui ob ſcelera in ſpecubus ſub terrâ defoſſis, clauſis & anguſtis includuntur, maculis fœdari albis, vireſcentibus, luridis; eæ tamen, cùm aperto aere brevi ſanentur & lautiori diætâ, vitiliginis illius antiquæ levem omninò exhibent imaginem.

Non minimam è chronicis cutis affectibus partem conſtituunt furfuraceæ eruptiónes quæ ſæpè morbum principem faciunt, ſæpè alios comitantur morbos. Nihil commune magis, nihil vulgatius eſt quàm cutis furfura edens. Sed eruptionem illam pro uno eodem- §. V. De furfure.

que morbo in caſibus omnibus habere piaculum foret. Furfur ipſum non ſemper una eademque res eſt.

Simpliciſſimum omnium furfur affectui alicui cutaneo ſuccedaneum lemas epidermidis disjunctas objicit. Sic ſanato eryſipelati, aut cuicumque morbo cutaneo ſuccedens furfur ſignum dat abeuntis, nec jam effervеſcentis morbi; renovatur ſcilicet epidermis, cùm dilatatis ruptiſque vinculis nullam jam cum cute ſubjectâ obtineat connexionem. Hinc abit ferè terreus in pollinem tenuiſſimum.

Aliquandò ſine ullo evidenti qui præceſſerit morbo mucoſa & glutinoſa epidermidi nectendæ apta materies tota ſimul vim & indolem plaſticam amiſit. Tunc videtur avelli epidermis in lamellas, & quibus in locis durior eſt àc pluribus ſtratis conſtans formam ſervat integram. Id in putridis exquiſitè cutis morbis aliquandò accidit, imò & cùm putredinis & alterationis pars illa ſummè terrea vix capax ſit, in ſemi-putreſcentibus cadaveribus, epidermis à ſubjectâ cute in ingentes ſeparatur laminas. Id furfur morbi ſeu potiùs nutritionis interruptæ aut perverſæ ſymptoma titulum morbi ſibi vindicare nequit.

At aliud eſt furfurum genus à priore non formâ, ſed naturâ potiùs diſcrepans. Illud epidermidem quidem & omnes ejus partes ſub ſe comprehendit, ſed ſimul mucoſum textum & muci, liquidi primùm, dein ſolideſcentis partem non minimam. Quod ut meliùs intelligatur, res altiùs repetenda eſt. Affluit ad cutim per hiantia vaſa muci lymphatici atque nutritii pars ingens, nec parùm elaborata, quæ in ſtatu naturali cum quiſquiliis epidermidis confuſa, lintea, veſtes & pondere graviores efficit, & odorem iis fracidum & rancidum impertit. Hæc in homine exercitato copioſa & denſa aëris vim magnam continet; in aquâ ſolvitur partim, partim terrea ad fundum decidit. Sordes cutaneas dixeris materiam non uſibus nutritionis prorsùs ineptam, aut ſaltem parùm ultra nutriendi terminos provectam. Hæc tenacitatem cuti & quoddam gluten addit, ſimulque ſalſum guſtantibus ſaporem offert. Hæc per textum mucoſum exſudat cruſtamque tenacem & ſubjectis partibus affixam facit. Spiſſeſcit ſcilicet & cruſtas illas quæ in morbis cutaneis cruſtoſis apparent efficit, ſimul & lemas & pollinem & furfur. Undè fit ut aliquandò furfuracea materies tantâ erumpat copiâ.

Aliquandò igitur furfur ſymptoma eſt ad ſolam cutim referen-

dum, epidermidem ſeparans ejuſque rumpens vincula. Aliquandò morbus in ipsâ lymphæ atque muci conditione efformatus deponitur, eſtque morbus depuratorius, quandòque criticus ad cutem, ſemper aliquâ ſuî parte ſalutaris. Prior furfurum ſpecies tota terrea eſt ex detritu epidermidis nata & efformata. Poſterior induratam & terræ remixtam mucaginem inquirentibus offert. Ultimam hanc ſpeciem eximiè & in ſummâ vigentem ferociâ offert fœda capitis *porrigo* quam *tineam* dicunt, & concitatis ulceribus atque calvitie per ſuppurationem inductâ ſanatur. πιτυρίασιν dixêre Græci, *porriginem*, furfura Latini, ubi inter pilos quædam ſquammulæ naſcuntur furfuraceæ quæ à cute reſolvuntur: interdùm ſiccæ ſunt, interdùm ulceratæ. Malum in cute capillatâ vulgò naſcitur, rariùs in barbâ; nec ſemper eumdem gradum nanciſcitur; ſed innatum ſæpè vitium conſtituit ſæpè commoriturum, undè intemperies illa dicta ab Hippocrate πιτυρώδης (*a*). Nix etiam vocatus eſt ille morbus à Q. Sereno Sammonico. Præter hæc indicia ab antiquioribus recenſita addiderim in peſſimâ porriginis ſpecie ſplendentem, tumefactam & aſperam cutim, rugis horrendam, duramque & quaſi ſquammoſam, undè teſtibus Suidâ, Heſychio & Stephano, veteres etiam morbum hunc τας λέπιδας dixerunt.

Additur his jure meritòque inter ſigna fœtiditas quæ eò ſenſum magis percellit, quò ipſam occultandi magis cupidus æger caput obtegit & ſedulò diſſimulans aëri ſubducit. Porrigo quidem morbus cutis in capite eſt. Ad totum verò corpus pertinet impetigo, ſic ab impetu dicta, ut vult Serenus, λείχην Græcis απο τȣ λείχω Lambo, à quo etiam arborum lichenes nomen acceperunt, & etiam indè dicta apud Latinos ſerpigo, herpigo, qui morbi etiam arbores infeſtant, nec ſine tumore naſcuntur; undè etiam eum ad tumores ablegat Galenus, vocatque λειχηνωδων ὄγχων παθὸς, ut & Aetius qui eos nominat ὄγχοι λειχηνώδης, & Oribaſius lib. 3, ad Eunapium. Poteſt affectus ille inter criticos numerari, cùm repercuſſus feralia inducat ſymptomata mortemque ipſam; at ſi ab ipſo cutis vitio ortus in ipsâ foveatur, nihil depurans, tunc ægritudo illa maximè chronica eſt: nam omnes illi morbi qui à cute pendent potiùs inter fœditates & incommoda numerantur, quàm inter morbos, undè Ulpian. in L. Pompon. Dig. de Ædil. Edict. Trebatius ait impetiginoſum morboſum

(*a*) Actuarius, lib. 2, de dignoſc. morb. Paulus Æginet, lib. 3, c. 3.

non eſſe, ſi eo membro ubi impetigo eſt æquè rectè utatur æger.

Et certe λειχὴν impetigo, imò & ipſa porrigo, ſi ſimplices fuerint & in illâ eruptione lemosa atque furfuracea contineantur, ſine ullâ aut baſi rubrâ aut limbis aſperioribus, vix functiones lædunt & in tenuioris ſortis hominibus vix à parentibus advertuntur; undè cum vix unum hominem cui fortuna & opes ſecundæ ſunt his malis conſtanter affectum videas, contrà iis malè mulctatur plebs infima.

Verùm, licèt fatendum ſit cauſas omnibus æquè impendere, ſi tamen attentè meditati fuerimus quæ nuperrimè in opere eximio circa tumores in cute naſcentes lymphæque glandulas perreptantis naturam ſcripſit eximius Anglus R. Ruſſel, illos certè hiſce infortuniis obnoxios eſſe reperiemus qui lymphâ nutritiâ nimiùm abundant, diætâque ſimul & craſſiori & copioſiori abutuntur. Vitium illud duobus præcipuè cauſarum generibus poteſt acceptum deberi; primò quidem peculiari corporis mechaniſmo, ſecundò verò naturæ ciborum admiſſorum. Sunt enim naturæ quædam quæ ſtructurâ non ſatis à nobis intellectâ organorum, plus ingenerant iſtius lymphæ, quàm poſſit per vim corporis abſumi, nondùm adhuc perviis ut in infantiâ glandulis; undè qui perſpirare debebat humor craſſior & crudior ad cutis vaſa appellit, ibique, ut arboribus familiare eſt, gummi muſcique varii generis ad ſuperficiem emicant. Si hiſce jungatur acrimonia, roſio, fiunt furfura, lemæ, tumores varii quorum vulgò prænuntiant eruptionem tumores glandularum: eæ enim humoris ad cutem deponendi ſunt quaſi conceptaculum; ita ut nunquam ullus ad cutem alicujus momenti emineat morbus, quin omnes ad viciniam glandulæ turgeant, totque poſteà illis in viſcera è glandulis efformata erumpant morbi, quibus cutis ſuo tempore deturpata non eſt; nec ſine ratione ſibi plaudunt prævidentes nutriculæ, ubi contaminatur puellorum ſibi commiſſorum cutis, quaſi indè à naſcentibus poſteà morbis liberentur, & ſaniùs ſe habeant. Plurieſque vidi muco illo miſerè diffluentes infantes candidiſſimæ & tenerrimæ mammæ appoſitos illam nullatenùs vitiare, niſi tamen ſuperfluo illi conjungatur ac complicetur acredo. Patet indè quanta ſit cognatio atque conjunctio furfurum cum iis de quibus agebamus mucoſis morbis.

Verùm jam diſpoſito corpori aeriſque humidi & calentis effectibus jungatur diæta cruda, glutinoſa ex cibis non fermentatis, ſi præſertim

tim, notantibus Ruſſelo & Gaubio, penuria virtutis ſepticæ quæ ad ſalem culinarem pertinet adſit, & fraudentur hoc munere infantes, morbis illis nova ſufficitur cauſa. Nec ab ortu, origine, decurſu illorum difficile eſt intelligere quinam inter illos dici debeant depuratorii, qui verò adventitii & quaſi connati, nec niſi per ætatum diſcrimina ſanandi.

Quod quidem planum erit & obvium, ſi ex hâc univerſali theoriâ diſtinctiùs ad varias herpetum ſpecies nos deduxerit labor noſter; Galli *Dartres* vocant morbi genus ita univerſale, ut ingens nominum confuſio diverſiſſimas ſpecies eodem comprehendat vocabulo.

§. VI. De herpetibus.

Ερπης apud Græcos, herpes Latinis dictus, ſi nominis univerſum ambitum ſpectes, duas tertias morborum cutaneorum partes comprehendit; imò etſi eum anguſtioribus coercerent Græci limitibus quàm quos ipſis aſſignavêre Medici recentiores, ei extenſionem maximam videntur tribuiſſe, cùm tres ejus ſpecies recenſeant. Accepto enim ab ερπειν ſerpere nomine quod ſupra cutem ſerpat, triplicem ejus ſpeciem diſtinxerant; ἕρπης ſimpliciter quem nos furfuraceum, ſeu farinoſum vocamus; ἕρπης κεγχρìας ſeu miliaris, qui puſtulis quibuſdam refertus tumet, iis lymphaticis & in cruſtas tenues abeuntibus; aliquandò etiam vocatur φλυκταινώδης, ubi puſtulæ non milii grana ſed φλυκταὶνας repræſentant & abeunt in cruſtulas ſuperpoſitas; & demùm ἕρπης ἐσϑιόμενος, ſeu depaſcens, qui fœtidus, glutinoſus, corruptus in partes ſubjectas graſſatur, augeturque in vicinarum partium perniciem. Undè etiam apud Pollucem vocatur crurum ſenibus familiare ulcus, ἑρπυστικὸν ἕλκος.

An verò idem morbus tam difficili ſè prodat facie? an contrà reverà nomine tantùm, non re inter ſe conſentiant ſpecies illæ, maxima eſt quæſtio? Sed dum de eâ re diſſeritur, primò & ante alia ſciendum eſt an ea antiquorum admittenda ſit diviſio? Hoc verò ſemel explorato, alia quæſtio per ſe concidet. Porrò nec diviſio admittenda eſt, nec morbi ſunt ejuſdem ſpeciei, ſi in ſe mutari non poſſint ac converti; verùm an ita ſe res habeat fuſiùs expendere dabitur, ubi ſeorsìm de iis agetur.

Ερπης ſimpliciter *la dartre ſimple ou farineuſe*, ſæpè fixa manet in unâ eâdemque ſede, ibique ſæpè vix animadvertenda; plures per annos deliteſcit, ſi pars illa ex earum numero ſit quæ veſtibus cooperiuntur. Sæpè levi tantùm pruritu ſeſe ſinit agnoſcen-

dam. Aliquandò in pueris & præſertim puellis cute tenuiſſimâ donatis leviſſimâ de causâ à ſubjecto textu mucoſo & reticulari ſecedit epidermis, herpetem aiunt, leviſſimam tamen fœditatis quamdam ſpeciem quam vel tempus, vel mutata victûs aut aëris conditio protinùs perſanant. Hæc nunquam ad uſque tempora pubertatis perdurat. Alii ſunt etiam adulti quibus ad verni temporis horam erumpunt furfura levia, baſi tamen eryſipelatosâ pruriente, quæ æſtivus calor diſcutit; præparant rursùs autumnale & hyemale frigus, & per integrum duorum menſium ſpatium ſæviunt. Dantur etiam mulieres quibus, dùm tardiùs erumpunt menſes, furfura eminent ſimilia, ceſſantia ſimul ac copioſiùs illi effluxerint. Hæc mala ſi oculis mediocri vitro armatis inſpicias, congeriem videbis puſtularum minimarum laticem glutinoſum exhalantium qui brevì ſiccatus abit in terram albam furfuraceam. Sæpè illa apparent, ſæpè deliteſcunt, & ſicut ſine evidenti causâ orta ſunt, ita etiam innocuè ceſſant.

Meliùs & ad naturæ normam herpetum farinoſorum nomine deſignari poſſunt affectus illi farinoſi qui quam ſibi ſumpsêre ſedem ſervant, limboque undèquaque cincti rubro, acri, aliquandò ipſum ſupereminente herpetem, aliquandò contrà depreſſo, partes aliquas occupavêre, vel diſtincti maculis rotundioribus, vel latè in hanc illamve partem extenſi & ad plures ſimul porrecti corporis partes. Hi cutem aſperam, duram efficiunt, furfurque indè emittitur è ſuperficie verè ad inſtar lichenum arborum; ii porriginis ſpeciem conſtituunt; plerique cum porrigine confunduntur, mucum cuti ſubjectum adoriuntur & ſanati maculam in cute relinquunt. Ut autem affectus illi latè graſſantur & in dies extenduntur, ſub nomine *ſerpiginis* apud recentiores deſcripti ſunt. Lentè & mutatâ totius corporis conſtitutione ſanantur, ſed nunquam abeunt aut in priorem ſpeciem, fundo cutis non mutato, diſtinguendam, aut in ſequentes, crudeles maximè, imò & aliquandò ferales.

Quid antiqui per ἕρπης κεγχρίας intellexerint non adeò ex eorum ſcriptis conſtat. Certè apud nos herpes miliaris ſæpè appellatur ignis ſacri genus, vulgò intra quadraginta dies terminandum quod fundo fortiter eryſipelatoſo denſas objicit oculis φλυκταίνας, alias quidem majores & ſeparatas, alias ſibi invicem densè appoſitas & minores; ab hoc centro radii eryſipelatoſi quaquaverſùm diſperguntur, & aliquandò novæ, fatiſcente jam morbo,

emicant puſtulæ. Hæ ſero replentur pellucido, ſed ſquallente & quod ſæpè aliquid ſanguinis continet. Hìc non pruritus ſed dolor urens, patientiam exſuperans, ſomnos adimens, cibos corrumpens, imò & aliquandò febris acutiſſima adeſt in primâ eruptione, ſed quæ citò defervеſcat, & nullatenùs poſſit duratione temporis cum morbo comparari.

Rectè ad eryſipelas morbus ille conferri poteſt; hunc ipſe epidemicum vidi; viris magis familiaris eſt in ſenium vergentibus: & quo tempore imminui incipit perſpiratio, ſævit præcipuè, acerrimique humoris & ferè atrabilarii exemplar exhibet. Raró ſæviſſimum malum redit, verè enim inflammatorium ad puſtuloſos morbos ablegandum eſt.

Deſcriptus jam nobis eſt ſub nomine ulcerum mucoſorum herpes qui Græcis dicitur ἐσϑιόμενος, qui cum furfuraceis tumoribus quid commune habeat non video, niſi quòd ulcera illa lymphatica ſæpè ſpiſſeſcant & in cruſtam efformentur quæ abit in furfura; dùm ſæpè ſub eſcharris illis cùm exitus muco putrido denegetur, ad latera ſibi viam cudit ille, efficitque tunc in ſuperficiem aſperitates quaſi montuoſas, & multiplicatas, indè ad latera eryſipelas. Graſſatur malum turpe aſpectu, & cujus caracter judicatur domitu difficilis, ſi glandulæ ſuppoſitæ & viciniores partem in ſe mali ſuſcipiant, undè earum durities prognoſim durationis in illo malo conſtituit.

Quamvis ad puſtuloſum morborum cutaneorum genus referantur, ſingularem tamen ſibi attentionem poſtulant variæ ſcabiei pſoræque ſpecies quæ apud auctores numerantur. Malum hoc pruritu intolerabile ex peſſimis duriſſimiſque conſtat puſtulis quæ ad apicem ſeri acris guttam extillant, adeò penetrabilem ſimul & adhærentem, ut nullus alius morbus adeò celeri ſpargatur contagio. Undè morbus ille an ſolâ propagetur contagione, an naſcatur intùs dubitari poſſit? Nec ſine aliquâ rationis ſpecie à multis nec infimæ notæ auctoribus habitus ſit pro morbo ab inſectis pendente quæ dùm ovula ſua in cutem deponunt perforatam, pruritus excitant, donec excluſa illa novam ovorum efforment progeniem.

§. VII. De inſectis.

Inſecta nocent cuti, vel dùm morſu ipſam laceſſunt, vel dùm venenum in ipſam fundunt, vel demùm dùm ſub epidermide nidum deponunt in quo excluduntur ovula mirum in modum multiplicata. Dantur inſecta nobis quaſi inquilina & ipsâ in cute

latitantia, quorum quidem maximè feraces ſunt Africæ, Aſiæ atque Americæ regiones quæ cùm ſub ſolis perpendiculo jacent, ſimul lacûum & nemorum perpetuâ foventur humiditate. Hinc & Arabes & Syriæ Accolæ Medici de iis fuſiùs diſſeruerunt, imò & qui ad inſulas noſtras Americanas Medicinam atque Chirurgiam fecerunt plura de iis proferunt.

Apud nos pro indubitato morbo habenda eſt φθείρiασις, ſive morbus pedicularis; ait quidem Cœlius Aurelianus pediculos hoc in morbo naſcentes vulgares non eſſe, ſed ignotos, latiores, duros, & ut ait Plutarchus in vitâ Luc. Syllæ, quò tollerentur plures, eò etiam magis recrudeſcentes. Quod ego viderim circa hanc materiem proferre licebit: plures obſervavi pueros atque puellas ex eorum genere qui flavos gerunt capillos cutemque teneram & præalbam ex albore illo mucoſo qui cùm oculis ſummè placeat, defectum tamen arguit ruboris in ſanguine. Hi digeſtionibus languentibus coctioneque leviter laborante, odoreque cutis aliquatenùs fracido, medias inter famulantium ſollicitorum curas ſæpè pediculis infeſtantur numeroſis, quibus aſſignari non poſſit locus, nec exeundi, nec nidulos ponendi; capilli quidem opportunum nidum offerunt, ſed his ſublatis, cuteque vehementer affrictâ nihilominùs tamen exeunt illi, ſub axillis, ad inguina ut videtur, præcipuam ſibi ſedem ſeligentes. Hos ex laminis epidermidis erumpere & ſub illis deliteſcere ex indè conjectari liceat, quòd in cuticulâ illorum benè lotâ & tersâ ſordes naſcantur ſpontaneæ, quò plus deraduntur, eò plus recrudeſcentes. Rarus omninò morbus hic eſt inter adultos & valentes; non rarus in ſiliceniis illis decrepitiſque, nec niſi in debilibus aut ætate aut infirmitate annotatur. Imò non ſemel, non bis, ſed pluries vidi in convaleſcentibus à morbis cachecticis aut febrilibus, ſed è ſeroſâ colluvie mixtis, ſæpè vim ingentem pediculorum exire, non ex eo genere quos deſcripſit Cœlius Aurelianus, ſed vulgarium. Inter cutanea inſecta nullum *datur* famoſius venâ medinenſi de quâ dicendâ ex aliorum auctoritate locus alibi ſeſe offeret.

COROLLARIA.

In tantâ effectuum diverſitate nihil magis intereſt quàm ſedula & diligens cauſarum eos inferentium meditatio atque contemplatio. In quâ quidem arduâ ſæpè diagnoſi duo ſaltem nobis

evidentibus ſignis ſeſe produnt; an concitatâ irritatione præſertim & auctâ naturæ actione agant; an contra ipſam vinculis innectant atque implicent? Hinc omnes naturæ agentis atque efficacis conatus ſeſe apertè produnt, illinc contrà, omnia reperiuntur inertia, languida, oppreſſa, & artis implorantia ſubſidium.

Priorem claſſem effectuum producunt omnes cauſæ quæ acre intra liquores introductum demonſtrant, ſive illud omnem humorum molem contaminaverit, indè naturæ actione ad cutis ambitum amandandum, ſive aut muco, aut ſero inhæſerit, prout fert uniuſcujuſque natura; ſeu demùm in ipsâ cute natum ibi foveatur atque increſcat. Poſterior cauſarum claſſis mucoſam atque ſpiſſiorem liquorum diatheſim ſupponit, undè hæreant illi ad incernicula, eaque aut obſtruant tumorumque omne genus efficiant, quibus ſine dolore & erethiſmo cutis attollitur, nitorem atque lævitatem amittit, aut vaſa ob ipſam obſtructionem rumpant atque divellant; hinc tot cruſtarum mucoſorumque effluviorum genera infantilem præſertim atque muliebrem cutim fœdant atque dehoneſtant. Quæ omnes craſſitiei inductæ formæ, à mutatâ craſi humorum pendentes, non rarò ſibi irritationis larvam adſciſcunt, & vertuntur quaſi poſtliminii jure in acrimoniam, undè exſurgit tertia ſpecies morborum ex utrâque cauſarum claſſe complicatorum atque combinatorum, ita tamen ut qui à mutatâ craſi atque conſiſtentiâ pendeant affectus, ſemper ab illâ incipiunt, nec niſi decurrente morbo vertantur in acre degener, priuſque extiterint quàm morbus erethiſmum extulerit. Sed fatendum eſt ſub hiſce claſſibus multiformes & phœnomenis & origine cauſarum ſpecies contineri quæ ſeſe propriis etiam ſignis diſtingui ſinant atque deprehendi. Nec perindè eſt an acrimonia è toto corpore confluat ad cutem & criticè ſimul atque acutè deponatur, an ſerum acerrimis imbutum particulis ſtillicidio perpetuo ad cutim depluat; an in ipsâ cute mucus fermento imbutus ferveat & calore fotus ſtillet moleculas erodentes? Quæ, omnia cum à prægreſsâ morbi hiſtoriâ indicentur, ſuis quæque locis enodabuntur.

Advertendum tamen eſt quòd in minutiſſimis hiſce vixque viſu deprehendendis cauſis potiùs à congerie ſymptomatum, quàm ab uno phœnomeno petenda ſit diagnoſis.

Docet levamen totius corporis ubi facta eſt eruptio, an illa critica ſit, aut depuratoria? Quod ſi ipſa morbum fecerit, erup-

tione erumpente vitiantur functiones, aut ſaltem non mutantur in melius.

Tempeſtatum pariter vices ipſum ſequi nullus erit dubitandi locus, ſi cùm per longum tempus ſiluerit, rurſus eâdem accedente cœli temperaturâ recrudeſcit. Multi ſunt cutanei morbi quos fugat jure tantoperè laudata ſobrietas, efferat atque exſtimulet intemperantia. Vinis aromaticis, ſpirituoſis multos abſtinere coegit experientia quæ, dùm tacitâ mente revolvit Medicus, ad cauſarum tùm efficientium, tùm prædiſponentium cognitionem evehitur.

Nec minùs ſua ſunt cuique acrimoniæ ſigna. Nec idem eſt acido laborare ſpontaneo, aut pruritu vexari muriatico, ſed hæc omnia ne longiùs exequamur facit quæ jam præceſſit de cauſis peracta tractatio, quæ cùm ſua ſecum ſigna ferant non indubitata diagnoſim incertam nunquam ſinerent, ſi non datum eſſet pluribus ſimul concurrere & coadunari; ſi non ſimul cum partium craſſitudine ſpiſſiori aliundè natâ confunderentur quævis acrimoniæ; quam quidem confuſionem atque indè ortas tenebras diſcutere, artis eſt rationalis atque dogmaticæ.

Unicum illud annotaſſe ſuffecerit morbos omnes cutis in humoribus ſedem figere, nec inter ſolidorum morbos numerari unquam poſſe. Tùm verò præcipuè vitia quæ in cutem decumbere debent, inſignem cum humore perſpiratorio atque perſpirationis phœnomenis analogiam ſervare; minùs indè, aut ad cruorem, aut ad bilem pertinere quàm ad lympham ſic propriè dictam: ejus ergò præcipuæ partes mucus & ſerum pro univerſali morborum cutaneorum ſede habendæ ſunt; undè in iis & minor coctio, & criſis difficilior & impetus diuturnior reperiuntur.

ARTICULUS II.

De Signis prognoſticis.

Ex horum omnium univerſali quà latè patet intuitu ſpontè intelliguntur & per ſe defluunt ſigna quæ eventus à morborum cutaneorum impetu pendentes præſagiunt, ſive ad ſalutem, ſive ad perniciem, ſive demùm ad mutationem in alios morbos; ſed cùm affectuum cutaneorum ſub eodem aſpectu diverſa ſit omninò natura, liceat illorum fata atque varias nocendi formas per ætatum

diſcrimina exequi. Nam à neceſſariâ corporum mutatione neceſſariò etiam humorum forma & craſis alterantur ; à quâque etiam ætatis periodo nocuus excrementorum proventus ingeneratur.

Primùm quidem rubet undequaquè naſcentis infantis cutis, & muco ſordeſcente obducta ſolâ ſanatur ablutione ; at rarò alium præfert morbum cutaneum, ſi contuſiones exceperis à quibus in partu aliquandò immunis eſſe non potuit : naſcuntur quandoquè infantes variolis affecti, aut cruſtis adhuc varioloſis ſordidi, ſi variolas experta nuper mater fuerit. Sed in illâ tenellæ vitæ periodo fatum celerrimum miſeros orco devovet, potiùs quàm morbi cutis invadant. Nam omnia quæ hoc tempore vitia erumpunt à plethorâ & lactis aſſumpti defectibus pendentia, aut vomitu & eructatione lactis reſolvuntur, aut ſuffocatione brevì convulſivâ in mortem terminantur. At breve illud eſt vitæ ſpatium ; namque ubi primùm dentes erumpunt, jam non tantùm coctio ventriculo & inteſtinis peculiaris corrumpitur, ſed erethiſmus naſcitur nerveus quo partes alendo deſtinatæ quæ eo tempore omnes undequaquè partes alluunt & mucore ſuo imbibunt, pervertuntur & vim plaſticam amittunt : proportio partium hucuſque dulcis mutatur, fitque degeneratio in partibus tenerrimis quaſi ſpontanea. Hinc acidum prædominatur ; hoc infeſtantur & primæ viæ & viſcera quæcumque muco excernendo dicata, hoc vel infarciuntur glandulæ meſaraicæ, & diarrhœa aceſcens præcluſis foribus morti conſecrat maraſmo conſumptos. Sæpè vel convulſio mactat miſellos & ſubitò enecat, vel demùm meliori omine cutis obducitur cruſtis quæ cutim capitis, faciei, aut etiam capillatam obducunt ; patet indè felici tunc omine cutim fœdari.

Sed plurima, ut naturæ, ſic ominis inter hoſce morbos differentia eſt. Harum enim infantilium cruſtarum aliæ dentitionis tempus vix perdurant, leves, nec aſpectu fœdæ, nec ullos comites habent glandularum vicinarum tumores. Illæ vix artis auxilia poſtulant, & ut feliciſſimæ, ita ſummoperè optandæ ſunt, morbos præcavent & arcent, pendentque à leviſſimâ partis mucoſæ alteratione. Sæpè hæ ad primos dentes apparent, nec renaſcuntur poſteà ; aliæ ad ſingulas dentium eruptiones renovantur, ſuntque cruſtæ craſſiores & pure mucoſo diffluentes, olenti & fracido, præcipuè è partibus coopertis. Eæ glandulas comites habent tumentes ; valet intereà infans, cibos expetit, bellè con-

coquit, urinis ſaturè flavis, imò ſæpè mucoſis, & pruritu vexatur enormi, ſi præſertim aëri pars affecta exponatur; undè inter ejulatus vitam tranſigunt miſeri, horâ ſomni exceptâ qui vulgò perſtat integer. Intervalla tamen habent, & cùm videntur ſanati, malum iterùm intra paucos dies recrudeſcit. Morbus ille infantibus craſſis, mucoſis, cute tenui florentibus vulgò accidit, nec ſine repercuſſionis periculo, quæ ſi contigerit aliquandò, vomitus atque diarrhœas infert, ſæpiùs verò ſuffocationes, aut ſi lentiùs repercuſſio fiat, tumores ad articulos; verò periculoſiùs ad pulmones lento aſthmate tabem inducit; nec mutuenda minùs ad meſeræum repercuſſio, licèt ſæpè ſubdolâ lenitate fallat.

Malum illud evidenter criticum eſt, & ipſo ſuæ repercuſſionis diſcrimine naturam ſuam oſtendit, demonſtratque maximam excrementorum farraginem ſimul & acredinem ſummam, ſive à matre conquiſitam, ſive malo victu comparatam. Acredo autem illa evidenter aceſcens & mucoſa eſt, faciem & cutem capillatam, mentum, collum & thoracis exteriora tantùm occupat. Temporis tractu ſanatur & licèt altè confodi cutis videatur, nullas ut plurimùm poſt ſe maculas, nulla relinquit cicatricum veſtigia.

Ejuſdem naturæ, ſed pejoris conditionis eſt alia quæ à primâ dentitione ad ſeptimum & ultra annum extenditur cruſtoſa in pueris eruptio ita vulgò cum inſenſibilis perſpirationis excretione conjuncta, ut hyemali tempore plures ſuperaggeſtas cruſtas oculis oſtendat. Deformes pueri, matrum ipſarum experiuntur faſtidia. Iidem per totam æſtatem cute nitenti & vividâ ac floridâ ſpem ſanationis oſtentant, quæ ſpes fluxa cum autumno evaneſcit; adventantibus enim frigoribus recrudeſcit morbus.

Affectus quidem ille inter depuratorios recenſeri poteſt & à vitio mucoſi humoris à labe cæteros humores ſervantis immunes pendet; qui quâdam ſuî mutatione & odore paſtæ fermentantis quem evidenter exhalat, naturam ſuam fermenteſcentem profert; at metuendum eſt ne occulta aliqua labes, aut à parentibus, aut à nutricibus accepta, aut pravo victu concepta, malo per ſe ſimplici ſævitiem addat, rebellemque inducat indolem.

Certè ſi infantes ſimilibus vexatos cruſtis propiùs inſpicimus & potiſſimùm ad præterita attendimus, videbimus, aut in patre, aut in matre delituiſſe vitium herpetum; nutrices victu parùm congruo uſas fuiſſe, vinoſas illas, aut crudis viventes immaturiſque fructibus, iracundas, &c. Sæpè à variolis ſimilia mala

eruperunt

eruperunt malè judicatis, imò & inconcinnas inſertiones ſimilis mucoſa lues ſecuta eſt. Undè ſit ut cùm cæteræ præmemoratæ eruptiones cutem nullatenùs excavent, viderim ſæpè à puſtulis illis obſtinatis veras excavationes varioloſis ſimiles.

Sed jam tacitis progreſſibus ætas invaleſcit, evolvuntur organa prius ſilentia, ad pubertatis florem diſponuntur; omnia, ut in œconomiâ animali, ſic ad cutem mutantur. Jam fervent omnia igne novo. Mucus nec adeò glutinoſus apparet, nec adeò inſipidus. Spirat ex illo ſeminalis aura volatilis, & odor animalis ſpecificus per cutis ſpiracula exhalat: tunc ut morbi in toto corpore violenti magis, ſic qui naſcuntur ad cutem, aut eryſipelatoſi prurientes, aut phlegmonoſi acres. Nullo alio tempore ſæpiùs frons, genæ varis affliguntur perpetuis, ita ut uno deſinente alter emicet, & ſæpè facies nitens & pulchra undequaquè inficitur ſuppuratoriis tumoribus. Tunc dolores ad articulos faceſſunt in eryſipelas, & in omni affectu ſubeſt ſemper inflammatorii aliquid, quod ipſa puris natura declarat apertè. Hoc tempore qui infantiam atque pueritiam vexaverant olim morbi prorsùs evanuêre, non ſubitò, ſed ſenſim depoſitâ tenacitate, nec infeliciter quidem, ſi non violento concuſſu morbi vehementes diſpoſitionem illam deſtruxerint, ſed pedetentim & ſanioris naturæ ordine evanuerint.

Quanquam autem utrique ſexui lex eadem competat, notandum tamen eſt hìc aliquas intervenire diſcrepantias; nam etſi mucus etiam mutetur in puellis & in ſanguineum laticem evidenter, erumpentibus menſtruis, faceſſat, tamen cachexiæ nota quæ pleriſque ante perfectam menſtruorum eruptionem inuritur, eas minùs inflammatoriis cutis tumoribus reddit obnoxias; at licèt vari non perfectè ſanguinei ſint, ſed potiùs ſeroſi, ſalſi, acres, non tamen unquam aut rariſſimè mucoſi perſtant & illâ infantili tenacitate metuendi. In hâc vitæ conditione minus cuti periculum imminet; at viſceribus & præcipuè pulmonum tenuiſſimis vaſis metuendum eſt.

Labentibus annis juvenilis compeſcitur flamma, ardor extinguitur; adultorum cutis rigeſcit aliquatenùs. Tunc potiſſimùm ſana eſt, & niſi in bilioſis naturis, aut pravo victu utentibus, aut orarum humidarum incolis, vel tandem impexis ac ſordidis raro admodùm cutis vitiatur. Tunc calli, aſperitates cutis, lichenes, maculæ ſcenam complent, alioquin accidentalibus omnibus cauſis obnoxiam.

At ubi jam in ſenium vergit homo; ubi ceſſant mulieribus menſtrua, perſpiratione deficiente, cutis rursùs vitiatur, cùm rugæ ſubeunt, & præclarè cum homine agitur ſi non alia irrepunt vitia. Tunc enim rursùs facilè cutis intumeſcit, vaſaque minùs pervia turgent ſæpè varicoſum in modum, plexuſque ſanguineos tumentes & craſſos efficiunt, à quibus mucus funditur, non qualis infantum, tenax, ſed compactus & tuberculi ad inſtar gypſeus, durus, ponderoſus, aëre fixiori ſcatens & ſæpè in furfur abiens. Hìc herpetum varia obſervantur genera, phlyctœnæ miliares, ſeroſum eryſipelas, acre, ſummâ cum mordacitate pruriens, intolerabile, ſanguinem fundens concretum, melancholicum & gangrænæ minaciſſimum.

Tenaciſſimi ſunt in ſenibus morbi cutanei; licèt enim partim depuratorii ſint, partim etiam ab acri acquiſitâ & degeneri humorum conditione pendent, nec revulſionibus vincuntur, nec remediis, quibus minus patet ſenilis ætas quæ inſtaurationis & renovationis minus capax eſt. Obſervantur ſæpè in hâc ætate morbi qui versùs ſexageſimum in viris annum, versùs ſeptuageſimum in fœminis, phlyctœnoſi primò, dein ſuppurantes, diris cruciatibus horrendi, diu & per annos, variato impetu nunc recrudeſcente, nunc mitiori divexant.

Hi corpus ſenile immutantes, novam organis dùm adſciſcunt conditionem, illud poſteà ſanum relinquunt, & ſartum tectumque ad longævitatem diſponunt. Illos ſæpè ſæpiùs vidi in robuſtis utriuſque ſexûs individuis, opiparâ utentibus vitâ, quos indubiè hujusmodi auxilio legitimam ſuæ ætatis ſanitatem adeptos eò dilucidiùs judicavi, quòd ante morbi hujus eruptionem cauſarii, tardigradi, podagrici eſſent, indè verò in optimam reſtitutos vitæ conditionem miratus fuerim; ita ut mihi nullus dubii locus relinquatur quin à ſimili depuratione poſſit etiam podagra perſanari, & illa, ut & humor melancholicus ſenum in hanc eruptionem verti; ſed quæ à podagrico humore pendent ſimiles depurationes multò plus furfurum & cretæ cutaneæ exhibent, quæ ab humore melancholico plus cachexiæ & dolorum rodentium. In his affectibus incipientibus febris leviſſima primùm reperitur, poſteà nulla; viget appetitus, urina fœtida & copioſa albicanti ſedimento inſignis emittitur, cutis perſtat dura, tenſa, aſpera, ſudor exit nullus; valent ſenſus interni, lingua ſana eſt, niſi quòd ad dentes tartareæ concretionis copia ingens enaſcatur, præſertim podagricis.

At mulieribus quæ graviditatis onus ſuſcipiunt & quibus menſtruorum in locum lacteus humor verè in mucum mutandus exundat, nova aperitur morborum cutaneorum ſcena, & quidem iiſdem phœnomenis atque cæteri cutis morbi, ſcilicet infarctu ad glandulas & articulos prævio, hincque fiunt ad cutem cruſtæ lacteæ, achores, favi, cæteraque illa omnia morborum genera quæ primam infeſtant pueritiam. Odor idem, niſi quòd magis fracidus, fœditas eadem, at tenuitas partium major, & vaſorum cutis profundior deſtructio. Imò à lacte corrupto & immaniter in acorem putridum abeunte oſſa ipſa corrumpi viſa ſunt, quod ad præſentem tractationem non pertinet. Sed vulgò poſt varios decubitus, aut adipem, aut humorem cutis mucoſum humor lacteus degener invadit, adipem parte pingui cremoroſâ adorta, cutem parte caſeoſâ invadens, indèque ſæpè totâ ſanguinis & alimentalis materiæ mole corruptâ peſſima prodeunt mala cutanea, eaque vix ſanabilia, & morte optabili tantùm redimenda.

Hic eſt ordo naturæ laborantis illius quidem & infirmatæ, ita ut eadem cauſa alia phœnomena in infante, alia in fæminâ poſſit producere, aliis ſymptomatibus viros atque ſenes vexet.

Adventitii, & ut ita loquar, accidentales ſunt & dici poſſunt alii cutis morbi, quorum alii contagio contrahuntur, alii ex interno naſcuntur vitio. Contagio propagari acutos qui ad cutem deferuntur morbos quis neget? Rem actam ageremus ſi de iis fuſiùs loqui animus eſſet. Quàm periculoſæ ſint variolæ, quàm matribus deteſtatæ, omnia perſonant atria; at rebus in tuto poſitis, compoſitoque ſæviori tumultu remanet hinc cutis imperſpirabilis, indè priſtinæ labis veſtigium. Hæret occluſis ad cutim meatibus mucoſus humor vitiatus, ſub puris incocti formâ, nunc hùc, nunc illùc ulceroſos efformans tumores in junioribus. Imò poſt ipſam leniſſimam inſertionem, aliquandò varioloſum fermentum mucum totum cutis ita mutavit in pueris, ut epidermis univerſa aut in lamellas, aut in furfur pluries redivivum abierit; quod autem mucoſum in pueris erumpit, adultioribus furunculos, abſceſſus, bubones producit, cùm contrà morbilli vulgò in thoracem decidant.

Si ergò febris quæcumque, non ephemera illa, ſed plurium dierum ad cutim aut exanthemata deponat, aut puſtulas, quibus erumpentibus ceſſet febris, nec reſarciatur perſpiratio, abibunt

O ij

morbi reliquiæ in affectum cutaneum depuratorium, nec ſine perpetuo timore profundioris in interna viſcera decubitûs. Prætereà dantur morbi cutanei per ſe contagioſi, ut ſcabies, pſora veterum, ob celerrimum contagium à Valiſnerio aliiſque ab inſectorum morſu ibi ova deponentium pendere credita.

Prurientibus quibuſcumque in affectibus contagionis periculum eſt, plurimùm verò in iis qui fœditate, aut fracedine, aut odore quocumque inſignes volatilitatis ſigna dant non indubitata. His raro periculi nota additur, niſi tamen præ materiei copiâ aut acredine pruritus enormes febrim accendant & convulſiones accerſant, à quibus cum præpediatur circuitus ſanguinis, irregularis etiam fit ad cutem materiæ decubitus, interiorumque debilitato tono, regreſſus ad interiora viſcera ſemper inſtat. In genere verò materiæ per cutem exhalantis aut in eam decumbentis dira diſcrimina iis omninò conferenda ſunt quæ à ſuppreſſâ perſpiratione pendent. Undè eos jam affore ſæpè denuntiant dolores ad articulos, ſuffocationes, laſſitudines, quæ iis integrè vigentibus ceſſant ſymptomata.

Tenacitate vulgò infames ſunt & duratione metuendi qui ſenſim creſcentes morbi, ſub ipsâ medicinâ per gradus increſcunt & invaleſcunt, ſicque totum corpus depaſcuntur, aut partes ſimul cutis, aut uſibus, aut loco maximè diſſitas occupant. Sic lepræ, vitiligines, elephantiaſis, &c. varia hæc genera morborum fœdiſſimorum contagium non ſpirant, licèt incautè tales ægros tangentibus non raro pruritus oriantur ad partes quæ tetigêre labe infectos, ſi præcipuè ex genere teneriorum ac delicatularum ſint illæ. Spurca ſunt, nec raro phlyctœnas ad labia producunt oſcula quæ caris amicis tali labe laborantibus incautè inferuntur. At elephantiaſis communicata nunquam fuit, teſtante ſolertiſſimo in hujus morbi naturâ exponendâ Raymundo. Legalis fuit & ob immunditiem imperata leproſorum à civili commercio ſegregatio. Raro etiam morbi iſti peſſimi mortem intulerunt, niſi ſenibus & in ſummo morbi gradu ſupervenerit gangræna, vel occlusâ penitùs cute hydrops intumuerit, vel demùm perverſis omninò nutritiis ſuccis maraſmus malis finem imponat.

Verùm in omnibus morbis cutaneis ſummus jure meritòque metus eſt retropulſionis, quæ dicitur fieri quoties malum ab exterioribus ad interiora vertitur; quod cùm præcipuum, imò ferè unicum ſit morbis cutaneis ad mortem inferendam periculum,

inſtetque ferè omnibus hæc perpetuò metuenda repercuſſionis alea, attentiùs nobis perpendendum eſt.

Retropulſio à cute ad interiora, apud omnes omnis ævi Medicos obſervatione deprehenſa, formidata eſt pariter ab omnibus, ſæpè nec prævertenda, nec per artem eluctabilis. Ea autem, vel ſubita eſt, vel fit ſensìm & per gradus, dùm qui ferebatur humor ad cutim, alibi peſſimo ordine aggeritur. Quæ fit ſubitò repercuſſio graviſſima infert mala mortemque celerrimam. Lentior, ſymptomata minùs formidanda tardamque tabem affert quæ viſcera adoritur ſensìm, dùm in iis tacitè recumbit humor cuti dedicatus. Ut autem intelligatur quâ ratione fiat retropulſio illa, quandò metuenda ſit, & quinam ſint morbi retropulſioni illi obnoxii, advertendum eſt ad principia pauca phyſica quæ, licèt Medicis apprimè nota, ante oculos hìc ſibi habere neceſſarium eſt. Ea autem ad hæc referuntur. 1°. Cutem perpetuò perſpirabilem eſſe, & innumeris vaſorum atque meatuum oſtiis pertuſam, quorum hæc dùm liquida attenuata emittunt ultimarum coctionum excrementa, illa contrà appoſitos abſorbent humores, vaporeſque ex athmoſphærâ hauriundos. 2°. In tenuiſſimis etiam cutis vaſis ineſſe oſcillationem ferè perpetuam, quâ partes hinc verſus oſtia premuntur, illinc vaſorum niſu verſus truncos feruntur; ita ut ſæpè in arteriis curſus ſanguinis fiat retrogradus. Experimenta id Lewenhoekiana primùm, dein Halleriana demonſtrant. Pallor ſubitò exortus in vehementibus animi commotionibus rem uberiùs confirmat, cùm in his mentis motibus poſſit illicò exſanguis fieri facies, etiam eryſipelatoſa, ita ut ſæpè, vel in ſtatu naturæ ſaniſſimo, fiat vera retropulſio. Idem agunt frigus, aqua appoſita frigida, ſtyptica ſic dicta corpora quæ fibras ut animalis vivi, ſic etiam mortui accurtant & ad ſe adducunt.

Imò & ipſa irritantia, dùm erethiſmum parti patulæ inducunt, ſtringunt oſtia, parſque phlogoſi affecta minùs perſpirat, donec laxationem ſimul & humorum affluxum in parte intendat à phlogôſi nata & illam excipiens ſuppuratio. Patet indè ſæpiſſimè retropulſionem in ſtatu naturali regi nervis, nerveâque ſenſilitate gubernari, quæ ſenſilitas maxima eſt varietatis in oſcillationibus cauſa, & vaſorum oſtia ſtringit potentiſſimè, imò ferè omnes irregulares corporis vivi motus dirigit. Hinc ſæpè fit ut celerrimè fieri poſſint retropulſiones quæcumque, & quaſi oculi ictu peragi, cùm

nihil celerius ſit ad mutandum univerſum corpus oſcillatione nerveâ.

Undè facilè deducitur ſub generali retropulſionis nomine duplicem eſſe diſtinguendam in corpore mutationem, ſeu operationem; alteram quâ reverà jam appulſus, imò formatus ad cutem humor retropellitur, alteram quâ depuratio peragenda deſinit, remanentque intùs concepta & quaquaversùm deferenda excrementa.

Prætereà verò cùm variæ humorum morboſorum formæ præcipuè pendeant à parte in quam decumbunt, falsò ex actione miaſmatum morboſorum in cutem deduceretur illorum actio in alias partes. Nocent in genere, irritant, ſed varios affectus producunt, ſive decumbant in jecur, ſive in pulmones, ſive demùm in cerebrum.

Quin etiam retropulſionis maximus metus & feralis effectus illos ſpectat morbos qui verè & promptè depuratorii ſunt; nullum verò periculum retropulſionis afferunt qui à ſolis cutis vitiis pendent, & qui, ſi non aliquas ſibi proprietates proprias cutis vindicaret, non exiſterent. Tales ſunt v. g. maculæ quæ ſæpè tenerrimas & ſummè delicatas cuticulas ab inſolatione dehoneſtant. Tales ſunt herpetes qui tenues mulierculas poſt labores nimios deturpant, imò & pruritus qui à fœditate & ſpurcitie cutis pendent. Periculum retropulſionis majus eſt in morbis qui à copiâ nimiâ humoris vitiati intra ſanguinem exundantis videntur oriri, ut ſunt elephantiaſis & vulgò omnes ferè lepræ. Licèt enim verè repercuſſus dici non poſſit humor qui ubique exiſtit, nec ullum à ſuâ labe intactum relinquit locum, tamen clauſo ex oſtiis naturalibus uno, ſuperabundare debet quod jam reliquas onerabat & gravabat onus maximè ponderoſum, ſicque labem & perniciem inferre.

At maximum repercuſſionis diſcrimen morbos depuratorios attingit; cùm enim debita non peragitur depuratio, reliquum eſt ut cæteras partes lues invadat, vel ſedem in aliquo viſcere fixam ſibi ſeligat, à quâ remeare ſit arduum, imò aliquandò impoſſibile; ſi ſcilicet ultimis in viſcerum nobiliorum vaſis aditum ſibi fecerit, eorumque tonum prorsùs deleverit, & liquores in tophum aut ſcirrhum verſi fuerint, vel vires ſubitâ inflammatione vitalium partium oppreſſæ & proſtatæ fuerint.

Hâcce theoriâ freti ſubitas timebimus repercuſſiones, primò in omnibus acutis morbis cutis depuratoriis. Jam dudùm tali

repercuſſione infames ſunt variolæ, morbilli, miliares morbi, ſudor ille Anglicus aut Morinorum, febris Hungarica, eryſipelata varii generis, quæ ſæpè cutim ſubitò deſerunt, & nec opinantibus Medicis, ægros enecant; etenim nullo alio ſigno prævio ſæpè horror aliquis metaſtaticus, deſinentibus coctionis ſignis, ingruit; tùm anxietas, brevique ſuffocatio vehemens, citòque delirium & mors intra unius horulæ ſpatium ſcenam abſolvunt; aliquandò tardiùs, ſed intra viginti quatuor horarum ſpatium mors advolat; quandoque felicibus conatibus ex tantis ſeſe natura extricat inſidiis, vulgò tunc naſcuntur ad crura dolores enormes, urina exſilit largior, & ingentis abſceſſûs ſigna apparent, quem abſceſſum ars naturæ imitatrix ſedula conatur efficere veſicantibus admotis emplaſtris : licèt in arte non inauditum ſit, ſic docente Hippocrate, ab abſceſſu liberaſſe nihil tale ſperantes urinam copioſam & craſſam quæ anteà non apparuerat, emiſſam. Jure meritòque calidioris regiminis abuſum inter mali illius præcipuas cauſas numerant Medici recentiores, Sydenhamus, Haenius, &c. At in chronicis cutis depuratoriis affectibus rarius eſt rerum eventus tam ſubitò revolvi; in pruritu tamen, in eryſipelatibus chronicis & herpete ſic dicto miliari, quod, ut alibi diximus, idem eſt atque eryſipelas phlyctœnoſum, rem accidiſſe vidimus, in ſenibus præſertìm exhauſtis atque epulonibus, quibus cùm ſcateret intùs ſanguis excrementorum incoctorum farragine, deerat perſpirabilis in cute ſtrictâ facultas, undè accita ad cerebrum aut pulmones materies ad cutem anteà depoſita, hinc catarrhum ſuffocantem, illinc apoplexiam producebat.

Poteſt tamen in chronicis morbis retropulſio ſubitò fieri, & effectus tamen tardiores efficere; ſi ſcilicet in hepar, inteſtina, & minùs ſenſilia organa deferatur humor. Hinc vulgò ſibi plaudunt primùm ægrotantes, ſecumque bellè agi prædicant, cùm malum ſuppreſſum nullos malos effectus producit, at peſſimis quidem inſidiis, cùm nullis ſe ſignis proditor morbus arguat, antequam evaſerit immedicabilis : vertuntur hepar, lien, renes in ſcirrhum; indurantur inteſtina aut veſica; fit hydrops; fit cancer, & tardis conatibus Medicus hinc veſicantia, illinc aperientia admovet. Memini me à viro Lugdunenſi adhibitum in conſilium qui herpetes topicis compreſſerat, ſuadente agyrtâ; nullum ſentiebat malum, ſed terror invaſerat quia omnes remedii adhibiti comites voraverat orcus. Hepar ipſi induruerat, at tamen ma-

turè adhibitis aperientibus mollius evaſit, emicantibus ſimul herpetibus. Quod ars hìc effecerat præpoſtera ſæpè novercali blandimento effecit natura, quod verum judicabis ubi adhibitis aperientibus herpetes qui anteà adfuerant tacitè regreſſi rurſùs emicant, quod non uno vidi exemplo.

Alia eſt in chronicis repercuſſio lenta, cùm ſcilicet quæ multùm fœdata erat cutis, ſenſim apparet nitidior, nec tamen præclarè cum ſanitate agitur; imò augetur interior anxietas, ſecretioneſque naturales, aut tardiùs fiunt, aut vitiosè exercentur. Hæc debilitatorum atque infirmorum repercuſſio eſt, aut pendet à medicamentorum actione præpoſterâ debilium illorum, nec vi ſtypticâ eximiè præditorum. Senſim gliſcit ad interiora malum eò metuendum magis, quò prima ejus mali repercuſſio inſenſilis eſt, nec obviam fit ſciſcitantibus; non enim apparet labes, niſi cùm altiores egit radices. Suſpicari tamen rem ita ſe habere fas eſt, ſi malo cutis, aut eodem, aut etiam imminuto, interiora increſcant ſymptomata, ſi ſuperveniat ſuffocatio quæ anteà non exiſtebat, ſi tuſſis, ſi vertigines, aut dolores ad articulos ſeſe in apertum prodeant.

Cùm enim obſervatione conſtanti demonſtretur, quod per leges phyſicas probari poſſet impoſſibile, difficile eſſe ut ſtante vigenteque morbo cutis depuratorio, alia cauſa alium accerſat morbum, evidens eſt in hoc caſu quæ ſymptomata emicant à causâ pendere tunc evidenter exiſtente, quanquam ad oculos etiam attentos appareat immobilis. Quem caſum in morbis cutaneis depuratoriis non adeò rarum, in infantibus frequentiſſimum Medici vulgò opportunâ cantharidum applicatione prævertunt, aut alterius hujuſce generis medicamenti. Hæc lenta repercuſſio rarò erethiſmum nerveum pro causâ agnoſcit, niſi qui à lentis penderet animi affectibus, ut mœrore, triſtitiâ, &c.

Sæpè accidit ut qui morbus quaſi depuraturus humores annuntiabatur, multiplicato contagio contrà ipſos inficiat; ita ut novus morbo cutaneo fomes ab ipſâ abſorptione veneni pendeat & ſuppeditetur. Tales ſunt elephantiaſeos peſſimæ ſpecies. Depuratio deſinit, nec tamen ceſſat morbus. Hoc in caſu nihil à natura ſperandum ſupereſt, quæ ſe ipſam ſuâ conſumit actuoſitate, viſcera peſſumdat & tabem inducit. Non hæc repercuſſio dicenda erit, ſed morbi ipſius pejoratio, quam tamen ſi velis avertere, arte molienda erit artificioſa ad cutem revulſio,

aliquandò

aliquandò ſi maturius fiat, ſucceſſu excipienda; ubi enim natura exercere non poteſt conatus felices, ſupereſt ut ſibi ipſi noceat. Prætereà, cauſis ſubſiſtentibus & perpetuò redivivis, accidere debet ut etiamſi ſanguinis depurationem natura moliatur, non poſſit tamen fomitem morbi depellere, ut in miſerandâ egeſtatis ſpecie quam fames & ſpurcities comitantur, & fœdâ ſæpè indè natâ porrigine. In hoc caſu, causâ mali ſemper agente, ſemper efficaci, quid ars, quid natura efficere poſſint detegere difficile eſt? At graſſatur malum, & ſerum corruptum, acre lympham corrumpit, vitiantur ſecretiones & ſecreta. Fit poſt immanes ad articulos dolores, imò & maculas ſcorbuticas ingens glandularum infarctus, ſcorbutus atrox, hydrops & maraſmus, niſi finem malis gangræna imponat, teſte Poupartio.

Satis indè eluceſcit variam admodùm eſſe morborum cutaneorum prognoſim, pro variis à quibus pendent cauſarum fontibus: alios eſſe ſuperfluorum atque indè degenerum excrementorum redundantem copiam, ab ipsâ corporis œconomiâ repetendam, hoſque variè quidem tenaces eſſe, nunquam verò lethiferos, imò eſſe inter ſalutares morbos recenſendos: alios ab altiùs vitiatâ lymphaticâ parte pendere, hoſque cùm & ſaburram inducant & coctionis producta corrumpant lethum tardius pro gradu & naturâ acrimoniæ quâ fervent neceſſariò inferre, niſi potentior ars opem adhibuerit efficacem: alios ab acri in cutem ſalubriter depoſito ducere natalia, ſive victus, ſive regio, ſive materni aut paterni vitii tinctura, ſive demùm contagia illud induxerint: inter hoſce morbos quò maturiùs imbutum fuerit corpus, quò longiùs ab origine vixerit, eos eſſe & tanaciores & pro naturâ cauſæ periculoſiores.

In genere verò jure concluditur, in cutaneis morbis, ut & in aliis quibuscumque, prognoſim repetendam eſſe à complexione & combinatione, hinc cauſæ agentis, illinc vehementiæ ſymptomatum ad vim & actuoſitatem dimicantis cum morbo naturæ collatorum.

CAPUT IV.

De Therapeiâ cutaneâ, ſeu de indicationibus morborum cutaneorum curatoriis.

IN difficillimâ morborum cutaneorum curatione altiùs indagandâ, patet duo præcipua medicantis meditationem expoſtulare ; delendum ſcilicet antè omnia poſtulant ægrotantes quod ad cutim fœdè eminet & percellit oculos, benè ſecum agi ut plurimùm credentes, ſi quod ipſorum cutim intingit deſtruatur, ipſique priſtinus reſtituatur nitor. Verùm Medici operam, aut noxiam, aut inutilem reſpuunt, ſi non ſimul latentis mali cauſam aggredi, altiùſque demerſam patefacere liceat. Undè duplex exſurgit in morbis cutaneis indicationum fons. Alter ſcilicet pendet à cutis ipſiûs vitio, alter contrà immenſus & ſummâ rerum peragendarum varietate diverſus repetendus eſt à cauſis quas animo pervolvere atque univerſas comprehendere debet qui medelam horumce morborum in ſe ſuſcipit.

Variè admodùm diverſas eſſe pertractandas cauſas, eaſque oppoſitâ prorsùs ratione ſanari, ratio ipſa proclamat. Cùm verò multiplicem cauſarum illarum complexum intuemur, novus ſeſe diviſionis ordo offert in medendo adhibendæ.

Primò enim, vel criticus eſt, aut potiùs depuratorius morbus cutis, vel iners, & à turgente cacochymiâ pendens atque procreatus, vel demùm localis eſt morbus & in ſede quam occupat, utut natus, ſic defixus. Quæ cùm naturæ morborum prorsùs inter ſe differant, diverſas etiam penitùs curationes accipere neceſſe eſt. In hiſce ergo curatoriarum indicationum elementis três etiam partes diſtinguemus.

In primâ de morbis cutis depuratoriis ſanandis agemus, in quibus caſibus morbus ſalutaris eſt & ad cutem promovendus. In ſecundâ de curatione morborum à veneno prædominante pendentium tractabitur; in his exuberat, exundat, & jure civitatis potitur venenata lues. Inertes & topicos & in unâ ſede fixos tertia exequetur ; quæ quidem tertia ex ipſâ rei neceſſitate comprehendet illas quas cutis vitia ſibi poſtulant indicationes, quatenùs cutis ipſa ſibi medicamenta expoſtulat.

ARTICULUS I.

De morborum qui ad cutem acutè judicantur curatione pauca præfatur.

Inter illa vitia quæ dùm liquores à veneno aliquo intùs ſuſcepto per fœdam cutis illuviem liberant & puros efficiunt, ſumma intercedit, tùm ad periculum, tùm ad curandi formam differentia atque diſcrepantia. Vel enim morbos accendunt lethales in quibus abundantior materia ipſam depurationem fruſtrà inchoat, at oppreſſis viribus perficere non poteſt : vel leves in quibus benignè natura opus ſibi propoſitum peragit, nihil noſtræ opis indiga, arte & mirante & plaudente : vel demùm alios ancipiti marte debellandos extundit, in quibus vehementi naturæ atque morbi dimicatione res abſolvitur, arsque certaminis ſpectatrix, præcepta illa immortalia ab Hippocrate atque antiquis poſita & conſtituta ita ſequitur, ut nunc morantem impellat naturam, nunc contrà præcipitem regat, ſæpiùs verò in benè & ad normam naturæ formatis corporibus præpoſterâ ſedulitate nihil immutet, ſed ſinat res ad inſtitutum naturæ componi.

In his omnibus morbis verè criticis non eruptio tantùm ſpectanda eſt, ſed coctio duplex in hisce affectibus, ſi alicujus per ſe momenti fuerint, curaturo duplicem indicationum fontem aperit, complexum ſæpè & variabilem.

Prima enim coctio & quaſi maturatio fit in vaſis, febre præviâ, nec niſi jam præparatis atque maturatis atomis morbificis, illæ demùm ad cutim erumpunt. Ibi depoſitæ novâ adhuc indigent coctione quâ deleantur prorsùs : quæ utraque coctio non ſine diſcrimine fit. In priore, ſæpè veneni enormis multiplicatio naturæ vim eludit & ſuperat, perimitque ægrotantem indomabilis morbi ferocia ; ſive ea hujus efficacia ab ipſiùs vi, ſive à naturæ debilitate pendeat : tunc nullo ordine, nullâ normâ fit eruptio, vix conſtans & regularis, nunc capitis inceſſens interiora, nunc pectoris arcem occupans. In poſteriore eruptio quidem facta feliciora ſpondet, ſed ſi materia ad cutem appulſa torpeat ibi, nec coctionem novam ſubeat, corrumpitur illa, depravatur, nec jam expelli compos refluit in viſcera, tabe-

que novâ ea inficit in quam jam antiqua naturæ jura nulla ſunt; nam quod per ſe putreſcit, non coquitur.

In quibusdam ex hiſce morbis coctio ad cutim, inexpertis præſertìm oculis, vix ſenſilis eſt, ut in morbillis, ſed experti eam verè & genuinè fieri agnoſcunt, ex cutis aſperitate, rugoſitate quæ crudam eruptionem comitatur, aut contrà, decedente jam morbo, ejus mollitie atque lævigatione, præſertìm verò ex urinarum & excretorum naturâ rem apertè dignoſcunt. At alii ſunt, ut omnia illa variolarum famoſa genera, in quibus natura à priori naufragio reſurgens, longis objicitur periculis & novarum rerum diſcrimina patitur; cùm numeroſæ atque denſæ per univerſum corporis ambitum diſperſæ puſtulæ ſuppurationis copioſiſſimæ fata ſubeant ex rei neceſſitate. De horumce morborum tractatione atque curatione fuſiùs diſſerere prorsùs ſupervacaneum videtur, poſt tot & tanta circà hancce materiem congeſta volumina, quorum alia ſublevandæ naturæ atque arcendæ lui à principibus viſceribus, arte factam per veſicantia ſuppurationem commendant, rectè quidem, ſi omnia ex ægrotantis peculiari temperie concordent; alia opportunæ catharſeos extollunt commoda: omnia verò in illud conſona ſunt ut naturam ſequamur ducem, aliquandò dirigamus, ſæpiùs imitemur.

Sed de his quidem ſatis foret ad alios revocare auctores, ſi non aliquod ſibi ſingulare vindicarent illi inter eruptivos morbos famoſi, qui nullâ ratione inter criticos poſſunt numerari, ſed quibus, dùm cum ignoto hoſte natura dimicat, nova factitanda eſt curatio; hæ ſunt eruptivæ maculæ, miliaresve papulæ, quæ morbum accidentalem & acceſſorium principi morbo adjungunt. Ex illis autem aliæ, præſertim quæ maculæ ſunt rubicundæ, ſuppurationem affectant, aliæ in furfur & eryſipelas abeunt. Hujus loci non eſt perpendere quouſque maculæ illæ, vibices, petechiæ dictæ, à calidiori medicatione pendere poſſint; ſatis erit monuiſſe quòd, cùm depuratoriæ non ſint, nec accerſant criſim qualemcumque, eæ ad prognoſim ferè ſemper lethalem inſtituendam concurrant, ſed vix alicujus ad curationem ſint momenti: ſequuntur enim accidentariæ illæ eruptiones fortunam prægreſſi atque præcedentis morbi, cum ipſo coquuntur, eo abeunte ſanantur, vel eodem tempore, vel tantummodò ipſi ſuperſtites, ut ſimplices morbi cutis, adeòque nulla ſibi poſtulant

remedia, niſi quæ morborum generi ad quod referuntur conveniant.

Notaſſe tamen ſuffecerit aliquandò bono omine eruptiones illas non criticas apparere, ut herpetes qui priùs vi morbi delituerant, ſi rursùs appareant; non morbum quidem illi judicant, ſed indicio ſaltem ſunt ea quæ priùs erant tenſa, & ſub ipsâ conſtrictione cutis recondita, jam omnibus ſeſe relaxantibus, rursùs apparere.

ARTICULUS II.

De curatione morborum qui ad cutem lentè depurantur.

Altera verè & propriè ſic dicenda morborum cutaneorum claſſis affectuum criticorum nomen ſibi vindicare non poteſt; nullus ibi naturæ dimicantis impetus, nulla perturbatio critica eſt, nec breves temporis moræ; ſed ſenſim à latente intùs vitio concitati naturæ conatus materiam nocivam, excrementorum more, ad hiantia cutis vaſa & perſpiratorio humori dicata excernicula propellit & ejicit. Nec adeò rara eſt hæc naturæ in ſalutem conſpirantis operatio. Etſi enim plures ſint homines qui ab his affectibus totum per vitæ curriculum, quantumcumque ſit, immunes ſeſe præſtiterint, plurimi tamen iis miſerè affliguntur.

Leves alii & periculo & pertinaciâ carent: alii contrà herculeam quaſi clavam poſtulant quâ poſſit natura ſalutem parturiens adjuvari. Alii poſt febrem acutam emicant, eâque ſedatâ, & compoſito tumultu, vigeſcunt: alii ſine febre naſcuntur, & propter eà tantùm pro depuratoriis habentur quòd, ubi apparuêre primùm, incognita priùs ſanitatis ſigna reviviſcant, maloque levi ſymptomata gravia perſanentur.

Ut autem ſymptomatum indè naſcendorum diſcrimen duobus hiſce phyſicis effectibus omne comprehenditur, tenacitate ſcilicet & acredine, indicationes illas univerſas ſectabimur, à ſimplicioribus affectibus exordium ſumendo.

Raro ſi nutricem ſanam adhibueris, puraque admoveris ubera, ante primorum dentium eruptionem cutis fœdatur, quo demùm tempore qui intra machinam ſpaſmodei excitantur tumultus bilem peſſumdant, coctiones acore inficiunt, perſpirationis præpediunt efficaciam; hinc mucum & lympham quæ, omiſſo ferè

medio, in puerulis coctioni reſponſant, corrumpunt acredine quæ in cutem more excrementi deponitur, corpuſque depurat; tunc primùm incipiunt glandulæ aſſurgere, vertique in humoris iſtius alieni receptacula; eâ ratione ut, quò cutis purior ſit, eò magis intumeſcant glandulæ, iiſque detumeſcentibus, fœdetur cutis puſtularum diverſitate monſtroſâ. Hinc quamvis jure meritòque morborum iſtorum plerique numerentur inter depuratorios, non omnes tamen hunc titulum merentur. At ſæpiùs ſanitas ſub cruſtâ ſic dictâ lacteâ, ſub achoribus faviſque infantum vigorem concipit, increſcit appetitus, bellè exercentur functiones, quibus ſub indiciis eruptiones illæ rectè judicantur depuratoriæ. Verùm ut in infantulis lympha tenax facilè in cruſtas & in lemas abit, ſæpè evenit ut dùm præ craſſitie obturatur à cruſtis humorum exitus, intumeſcant vicinæ partes, imò & refluus humor in viſcera deferatur; quod periculum iis præſertim accidit quos infantum fœditas odio afficit, & qui nitidum decorem ſecuritati anteponunt, repellenteque adhibitâ medicatione, prolem orco devovent imprudenter. Si ſanitatis labefactatio, ſi functionum debilitas, ſi glandularum tumor, imò aliquandò oſſium protuberantia cum eruptione unà perſtant, jam depuratorii morbi nomen eruptionibus illis concedendum non eſt. De iis alibi agendum erit, nunc quid illa ſibi poſtulet depuratio paucis videndum.

Si matrem ſimul atque patrem ſanos & ſalubriter viventes videris, ſi nutrix inculpata benè ſe habeat & nectareum lac ubertim fundat, prima mali labes à corrupto perſpiratorio excremento deducenda; & illa rursùs ſemper à vitiatâ coctione repetenda erit. Hinc ſæpè videas infantes qui per totum hyemalis frigoris decurſum cruſtis illis fœdè dehoneſtantur, æſtivum per calorem ſanos integroſque; tùm quia qui per æſtatem exhalat humor per ſtringentia brumæ tempora denſatur, ſpiſſeſcit & retinetur intùs; tùm quia hyeme minùs actuoſa eſt natura, minor fit in evolutione dentium progreſſus, & majus eſt plethoræ periculum. Hinc ergo fovendus eſt cruſtarum illarum exitus, tanquam excrementi ſalutaris. Laxanda eſt emolliente decocto cutis & herbarum aquoſarum applicatione, ne ibi ſubrepat retento & accumulato humore inflammatio, ne cruſta in veram eſcharam indureſcat; imò mucilagines & olea molliſſima applicanda ſunt. Nec tædio, nec curæ parcendum, ne præter nativas ſordes quotidie exhalantes, aut aliæ extrin-

ſecùs irruant, aut vetuſtiores, morâ acriores factæ, cutim in viciniâ corrumpant. Hinc fricationes adhibendæ ſunt molles, ſiccæ, laneæ; hinc inunctiones commendandæ recentiſſimo è butyro; hinc renovanda lintea, atque præſertim cane & angue pejùs fugienda ſunt topica adſtringentia, repellentia ex plantis auſteris, terreis, ſtypticis, ex gummi adſtrigentibus & conſtipantibus, ex aluminoſis, vitriolicisve ſtypticis, imò, quæ ſæpè ſpecioſo reſolventium titulo gaudent, aliquid præ ſe ferunt adſtringentis, cùm tonicam vim exerceant, adeòque pariter fugienda ſunt.

Interiùs verò coctionis firmandæ juvandæque perſpirationis prima eſt indicatio : undè in quo, vel in recens ablactatis, vel in lactentibus potiſſimùm peccet videndum eſt accuratè. Muco abundat omnis infantilis ætas, ex illo tota coagulatur & compingitur. Hinc infantile corpus fermentatam maſſam totum quantum eſt redolet. Porrò nulla eſt in rerum naturâ ſubſtantia quæ venenatas partes adeò ſuſcipiat & retineat, eaſque adhæſione colliget & vinciat. Hinc in illâ ætate omnes impreſſiones, mutationes, atque alterationes qualeſcumque adeò ſentiuntur, nec minùs facilè emendantur. Ad minimum in corpore tumultum bilis mucoſa hæret, vitiatur, iners ac virideſcens evadit. Tunc quæ alimenta in ventriculo ſpontanei motûs experiuntur initia, ſecundùm innatam materiæ nutritiæ naturam aceſcunt, & aceſcentiam lymphæ quaſi continuæ communicant. Hinc ſæpè in lactentibus mutatâ nutrice à ſanâ in ſaniorem fœdatur cutis. Hinc ablactatio ipſa, etiam neceſſaria, cutem aliquandò inficit. Naſcitur enim illicò acor qui, notante ſummo in hiſce obſervatore G. Harris, maximam infantilium morborum partem conſtituit. Ea pro re natâ excludendis vermibus, aut tumoribus abdominis glandularibus anſam dat, & ad cutem pruritus efficit & achores. Ea materiæ oſſium cretaceæ ſoliditatem aufert, undè illa molleſcant & infirmata diſtorqueantur. Stomacho ergo providendum, ſed tenero illi & ſummè ſenſili; undè non vacant periculo acria aceſcentiæ oppoſita, cùm delicatulas vellicare poſſint tunicas; imò & alcalia illa non tam aceſcentiæ medentur, quàm acidis evolutis. Ideò cum eodem G. Harris in hâc ætate tenerrimâ abſorbentia aliis prætollemus medicamentis, cujuſcumque ſint illa generis. Talia præſtant cancrorum fluviatilium oculi, chelæ eorumdem, cretæ, terræ omnes abſorbentes, quibus in organo-

rum debilitate atque inertiâ ea præferemus abſorbentia quibus aliquid æthereæ atque calcariæ ineſt virtutis, ut eſt aqua calcis ſecunda, cineres oſſium ex animalibus, ut cornu cervi, ebore, &c. Ineſt enim iis aliqua poteſtas putrefaciens & colliquationem materiæ adjuvans. Notavitque pridem inter Medicos Boerhaavius quòd animali glutini injecta calcis aliqua portiuncula ammoniacalem indè odorem eliciat. Nec verò tenella ætas præpedit, ſi illud languentis ſtomachi ſuadeat inertia, aut ſtagnans ſaburra indicet, jungi hiſce remediis amara ſtomachica, eccoprotica, laxantia, ut ſunt ea quæ ex rheo conflantur, aut tonica antiſpaſmodica, cùm facilè nervorum infantilium portas ſpaſmus occupet, talia ſunt ea quæ ex croco, camphorâ, caſtoreo, aſsâ fœtidâ, valerianâ majore petuntur.

Vulgatâ magis atque acceptiore methodo indicationes cutis ſectamur, dùm medicamentis illis jungimus quæ diaphoreticorum titulo ornantur, quibus quàm parùm fidei addendum ſit, non dubitabit qui primò ſenſerit legitimam diaphoreſim à bonâ coctione penitùs & abſolutè pendere, eique omninò reſpondere; ſecundò verò ſibi perſuaſerit in illis incommodis ſudores noxios fore, nedùm inutiles, cùm ſubtiliſſima quæque ſanguini ſurripiant, cruſtaſque perindè relinquant & duriores, & ad reſolutionem difficiliores; tertiò demùm vix ullum, ſi laxantia cutis exceperis, hoc titulo dignum medicamentum dari experientiâ fretus viderit. Hinc quæ ſæpè aliis abſorbentibus præferuntur calces metallicæ, ut antimonium diaphoreticum, bezoar minerale, materia perlata Krugeri, aliaque millia hujuſmodi in his morbis decantata, vix aliquam videntur mereri præeminentiam. Nec tamen omninò vetandum eſt ne illa, diſcuſſis præjudiciis, dantes aliquid famæ, exhibeamus & aliis miſceamus medicamentis abſorbentibus.

Verùm illud rariſſimè datur Medicis quòd initia morborum illorum ita occupent, ut eorum exordia ſupprimere poſſint, & quaſi ſuffocare. Præthereà, ipſos celeri curatione ſi abigere tibi præſumpſeris, non inutilem ſolùm ludes operam, ſed etiam verè nocivam, cùm integris functionibus valida & immutantia medicamenta niſi in malum dari non poſſint: mutatio omnis ſubita mala, ſecundùm Hippocratem; quod præcipuè in infantibus verum. Prætereà verò omnis diſpoſitio non validè diſcutiendam ſe ſinit, ſed ſenſim attenuandam, hinc parcæ & repetitæ doſes

doſes ita dandæ, ut nullo iis tempore ſanguis careat. Prætereà regimen totum & omnium rerum naturalium ſimultaneus uſus ad eumdem collineare ſcopum neceſſe eſt.

Recens ablactatis, & jam firmo utentibus cibo validiora alimenta craſſam conſtituunt ſaburram, & miſerrimam illam glutinoſam molem quâ attollitur abdomen, & glandulæ infarciuntur meſaraicæ; diarrhœa ſequitur lentâ tabe miſeros perimens, ſpemque parentum eludens. His, ſi opportunè, quod rarum eſt, advocatus fueris, dùm ſedulò & ex arte medelam affers, non raro fauſto omine cutis vitiatur, & id plurimis per omnes ætates glanduloſis morbis cujuſcumque proſapiæ fuerint, commune eſt.

Verùm, præter ſpontaneam hanc ætatis infantilis acrimoniam ad quam per ſe hæc deflectit ætas, alia à diverſis cauſis, præcipuèque parentum aut nutricum vitio, adventitia poteſt inſinuari, & ſemel inſinuata quaquaversùm graſſari. Adventitiam prævertes & ferè curabis, mutato acri regimine, interruptâ contagioſâ aëris communicatione, uno verbo, & ut cum Boerhaavio loquar, inviſcatione acris, ejus expulſione per vacuantia, cauteria, fonticulos, aliaque hujuſmodi ſubſidia, delendo illum & deſtruendo per ſpecifica oppoſita, ſi natura acris fuerit cognita. Sed adventitia hæc hoſtilem perſonam agit, & niſi naturam ſuperaverit humor additus, ab ipsâ ad cutem expellitur, remotoque ipſius fonte perſanatur. Tales acrimoniarum ſpecies inferunt tot varia quæ à corpore paterno in proſapiam referuntur fermenta, venerea, ſcrophuloſa, rachitica, quæ ubi ſub puerilibus organis quaſi ſolidata per ætatis incrementum intumuêre, tardiùs aut ocyùs erumpunt, variâ ſub formâ, varioque phœnomenon diſcrimine; nec enim hùc uſquè definitum eſt quem ad gradum poſſint per varios decreſcentium proſapiarum ordines degenerare, mutari, alterari, miteſcere.

Verùm raro admodùm infelicis illius hæreditatis effectus, aut ſuſcepti contagii actio in primâ ætate evolvi ſe ſinit, labentibus tantùm annis, cùm jam humores adoleſcunt, diluitur labes anteà ſilens & à glandulis fertur in cutem.

Infantili ætati omnes cutis morbi, licèt pro diverſâ partium conſtitutione formas ſuſcipere poſſint admodùm diverſas, reipsâ tamen ad unam eamdemque naturam referuntur; curatioque ut in paucorum attenuantium atque acre obtundentium medica-

mentorum uſu conſiſtit, ita præcautio omnis in ſervandâ aut reſtituendâ coctione conſtituitur, quæ debet præcipuè in eo ſtare, ut alimenta levia, euchyma, non auſtera, non ſtyptica, nec denſiora adhibeantur; rectèque admodùm G. Harris à vino abſtinere jubet infantium tenella corpora; licèt enim ſtomachum firmet atque roboret, illud acidi tamen & aceſcentiæ præſertim fermentantis notas inurit. Exercitia levia illa, nec diutiùs protracta, ſed ut fert ætas, ferè perpetuò renovata motum ſanguinis accelerant, hærentiamque lymphæ præpediunt. His tu fide, & naturam ſequere, inſtitutionemque puerilem qualem J. Loke in Medicinâ gravis auctor, in Metaphyſicâ graviſſimus commendat, inſtitue. Omnia enim in illâ inſtitutione ita aptantur & diſponuntur, ut puer & minùs ad externas ſuſcipiendas impreſſiones habilis evadat, &, ut ita dicam, indureſcat, ſimulque omnia organa bellè diſponantur, firma ſtent & inconcuſſa.

Mos tamen novus ab Angliâ advectus apud plurimos noſtratum invaluit quo, antiquorum Celtarum imitatores, aquâ perfrigidâ infantes etiam lactentes abluimus. Scilicet dùm frigore aquæ perculſum corpus tonum majorem concipit, ſtringuntur cutis vaſa, ſequitur calor, &, diſcuſſo frigore, major perſpiratio. Quâ quidem methodo ad ſanam ſervandam cutim nihil eſt efficacius; ſed non ſine cautelâ hanc eſſe accipiendam methodum ratio ſatis indicat. Scilicet morborum intùs naſcentium depuratio per cutim quotidianâ aquæ frigidæ affuſione præpediri poteſt; adeòque, ſi antequàm huic praxi pueros ſubjiciamus, ſemina latuerint morborum depuranda, poteſt huic depurationi praxis benè inſtituta, malè admota, nocere admodùm.

Si cui ſimplicitas noſtra indicationum non arriſerit, in morbis qui fœdo ſæpè ſpectaculo vel ipſos parentes horrore afficiunt, velim illum attentiùs perpendere iis tantùm de morbis agi, qui à lymphæ depuratione pendent, quæ nutritionis proxima materies ab alimentorum uſu, ut origine, ita proprietatibus omninò repetenda eſt, undè ab iis petenda eſſe remedia, ut ratio ſuadet, ita experientia firmat. Sæpè fœdiſſimis cutis vitiis ſanamus infantes, dùm materies alimentorum ita mutatur, ut neceſſariò ſanguinis & humorum forma etiam immutetur. Sic ſæpè quibus largior animalium ciborum uſus concedebatur, ſanatos vidimus dùm uti vegetantibus præſcripſimus & Pythagoræorum more omnibus interdiximus quæ vitam & circulationem ſanguinis

paſſa erant. Et nullus dubito, licèt non expertus, quod ſi vegetanti diætæ dediti morbis lymphæ ſtagnantis atque perverſæ afficerentur, quod rariùs accidere poſſe fatebimur, eadem ipſos ſanaret mutatio, aſſumptis animalibus cibis & relictâ vegetabili diætâ. Id contigiſſe legimus apud Aretæum viro elephantiaſi laboranti qui in loco deſerto ſolis viperinis carnibus famem ſolatus, inexpectatam curationem receperat; quod etiam naufragis apud inſulas deſertas aliquandò miſerrimè accidiſſe viſum fuit, qui ſolâ teſtudineâ carne utentes, & morbos, & famem expulerunt.

Ex his verò intelligitur depurationes illas ad cutim infantum, ubi perfectæ ſunt, ubi corpus viget, omni carere periculo, ſed curantis ſummè intereſſe ut duobus præcipuè humoris erumpentis proprietatibus attendat, & hinc copiam nocui humoris benè noverit, illinc hujus materiæ mobilitatem expiſcetur. Non rarum enim eſt in praxi iis occurrere pueris qui nunc ad aures, naſum, labia, collum, fœdantur humore cutaneo, nunc acria patiuntur tormina, aut mutato ſcenæ loco, palpitationes, ſuffocationes, imò in primâ infantiâ motus convulſivos, quinetiam aliquandò & ſimul fœdatam habent cutem & ſimul illa experiuntur ſymptomata.

In priori caſu mobilitas & quaſi volatilitas cauſæ arguitur. In altero copiæ acceptum debetur gravamen illud & multiplicatio ſymptomatum. In mobilitate ſymptomatum prævidendâ non cæcuties, ſi ipſius eruptionis inconſtantiam fueris rimatus, & periodos nunc efferas, nunc abnormi ordine mitiores. Copiam demonſtrat tumor partium circumſtantium, præcipuèque glandularum ambientium, cæteris collatus excrementorum functionumque vitiis. Nam nunc deliteſcente, nunc rursùs emicante ludumque pertinacem obſtinaciùs ludente veneno, in ancipiti vita verſatur. Poteſt enim inflammationem mentiri vitium lymphæ in pulmones decumbens, aut in viſcera minùs ſenſilia delatum obſtructiones & ſcirrhorum elementa deponere. Hinc cùm de naturæ viribus juſta oriatur diffidentia, quærunt Medici malum à partibus divellere & in partes impellere debilitatas. Copia efficaciter imminuitur per opportunè factas alvi laxationes, quibus rheum & ex rheo compoſita pharmaca apud infantes vulgò ſufficiunt. Avertitur efficaciter malum, aut inuſto per artem cauterio, aut acri admoto cantharidum morſu, aut applicatione corticis è mezereo detracti, vel clematitide, vel aliis acribus plantis, ſæpè quidem cum ingenti efficaciâ, aliquandò tamen ſine

ſucceſſu. Fruſtrat enim medicantum vota ſucceſſus, ſi per ulcera à naturâ facta rectè humor fluat, cujus impetum incertum facis, dùm novas ipſi vias aperire ſedulâ nimis curâ ſatagis.

Peractâ primâ illâ pueritiâ rariùs efflorеſcunt morbi cutanei depuratorii, & pubertatis tempore tantùm, tùm virginibus, tùm maſculis vari ad cutem apparent qui ſæpè cutim deturpant ad frontem & faciem. Phlegmonodæam æmulantur naturam illi, & pus concoctum parvâ copiâ ejiciunt. Ad ipſos pruritus non pertinent, ſed aliquis lancinans ſenſus eos comitatur erumpentes cum tenſivo ad cutem ſenſu. Hi ſæpè confertim & agglomerati, ſæpè ſolitarii exurgunt. Hos ipſa ſua natura diluentibus antiphlogiſticis tractandos eſſe indicat. Sanguinea juvenum temperies minui ſanguinis copiam debere opportunâ venæ ſectione indicat. Diluentia, aperientia infarctus celer poſtulat; imò ſæpè ſæpiùs tumores illi oriuntur à bilis præpedito circuitu, ſive ob diætam indiſcretam illa cicuretur, ſive ob imperium variorum animi affectûum tonus viſcerum elangueat, moraſque reperiat bilis, indè parte ſuâ acri in ſanguinem reflua. Certum eſt nullâ aliâ arte turpem illam & inimicam formæ depurationem adeò præpediri poſſe, quàm laxantibus, temperantibus, ſaponaceorum Boerhaavianorum uſu, qualia remedia præſtant venæ ſectio, ſemicupia tepida, olerum mollium decocta, quibus ſi ſine irritatione alvus ſervetur libera & fluxa, maxima pars curationis abſolvetur. Imò ſalia neutra, facilè ſolubilia, ut vegetale ſic dictum, terra foliata tartari, ſal admirabile glauberianum maximam hìc paginam implent: niſi tamen alia cauſa aliam curatricem methodum indicet, ut eſt hæmorrhoidum, aut menſtruorum retentorum ad caput & frontem decubitus.

Nullâ pariter in aliâ ætate tot eryſipelatum formæ naſcuntur, quæ ſæpè morbi depuratorii genus peracutum conſtituunt, déliteſcens facilè, & ſummè inflammatorium, adeòque nullam aliam expoſtulans methodum præter antiphlogiſticam; ſed quod cùm ſæpè ſæpiùs pendeat ab acri intus enato atque ſervato, ſalino atque oleoſo, bilem vocabant veteres, alvum poſtulat liberam. Quâ in libertate alvi inſtituendâ nulla alia methodus præſtat eâ quâ vel tamarindis, vel caſſiæ pulpâ alvum deducimus, aut refracta tartari ſtibiati doſis cum antiphlogiſticis remixta & prudenter ita adjuncta, ut nec vomitus, nec nauſeæ indè oriantur, ſæpè ingentes ſucceſſus obtinuit.

Ad eryſipelatis illius acris naturam referuntur quæ tunc temporis erumpunt herpetum juvenilium facilè in furſur & lemas leves abeuntium multa genera. Hinc illa & levia ſunt, & vix alia remedia poſtulant, præter illa quæ modò enumerata ſunt, ſi ſcilicet à ſolâ propriâ ætati juvenili ardente diatheſi naſcuntur. Talia ſunt quæ multiplicati & agglomerati in diætâ errores procreant, quæ ab impotentis animi affectibus, aut demùm neglectâ in rebus non naturalibus moderatione accerſuntur. Si enim originem ſuam debeant degeneri antiquoque venereo veneno, ſi à contagio ortum duxerint, aut à redivivis antiquæ cujuſcumque luis affectibus, tunc naturam eorum rebellem eſſe neceſſe eſt, maximamque curationem expetunt. Si verò à nullâ antecedente labe pendeant, remotâ causâ, victuque mutato, ceſſant; quibus tamen ceſſantibus, non malum erit ea à tergo proſequi iis medicamentis quæ ſolvendæ lymphæ efficacia demonſtravit obſervatio, ut ſunt parcâ & refractâ doſi antimonialia & mercurialia de quibus dicendi fuſiùs ſeſe dabit occaſio.

At in illâ ætate, cùm cutis nondum adſtricta & rugoſa, ſed mollis adhuc & lubrica florem juventæ exprimit, præcipua ducuntur contagia. Tunc contubernia intima maximè periculoſa ſunt, ſuſceptaque labes inflammatorium aliquid ſemper præ ſe fert. Verùm coctiones, & earum productum perſpiratio, facilè reſarciuntur, niſi anſam dederit morbo rerum circumſtantium ad producendos morbos malus complexus. Sic ſcabies, ſic elephantiaſis, ſic ſcorbutus aggrediuntur eos qui loca depreſſa, humida, & aëre effœto vieta incolunt. Quid agat medicina, ſi remediis non malum tantùm adoriendum, ſed cauſa ſemper vivax aggredienda ſit? Non jam depuratoriorum nomen merentur morbi ſemper in ſanguine redivivi, nec niſi cauſis ſublatis naturæ opitulandum ad cutem venena fruſtrà expellere molienti.

Verùm ſummâ cum curâ annotandum eſt, non omnem morbum cujus ſummè periculoſa ſit repulſio, idcircò dicendum eſſe depuratorium. Sic ſcabies contagione ducitur, imò ferè illicò poſt fœdum concubitum emicat: retropulſa, ſuffocationes, aſthmata, obſtructiones, hydropem, maniam, inſaniam excitat, nec tamen ideò inter verè depuratorios morbos numerabitur; licèt retropulſa illa ſi rursùs emicet, ſanguinem depuret potentiſſimè.

At inter utrumque morbi genus, depuratorii ſcilicet, & venenati in cutem deponendi ibique fixioris, forma curationis dif-

ferre & diſcrepare debet. Idem judicium eſto de herpetibus quos à contagio ducimus, aut à fœdo contactu; imò & illæ quæ vultum faciemque deturpant maculæ rubeæ & quæ æruginoſæ vocantur, aut guttæ roſeæ malè nomen aſſumunt, ſæpè ab oſculis imprudentibus traxêre originem, depuratoriæque dici non poſſunt.

Si quis, aut propter bilis ſtaſim, aut vitiatum ejus effluxum varis ſuppurantibus laborat, facieque tuberculosâ rubrâ deturpatur, hunc non credas morbo depuratorio laborare. Exundat enim acribus ſanguis, & cùm vultus fœdatur, functiones ſimul laborant. Certè tamen ſi quæ portio bilis extùs vultum fœdat, intùs retineretur, major indè exoriretur labes præſertimque periculum.

Hæc quidem per ſe & ex dictis patent; verùm cùm in depuratorio morbo naturæ in corporis commodum conſpiranti tantùm ferenda ſint ſubſidia, in morbis verò ab exundante & venenatâ cacochymiâ cauſa quæcumque fuerit naturam opprimens vincenda ſit atque ſuperanda, parcendum erit Medico, ſi indicationes ultimæ hujusce claſſis, in priore etiam ſeduliùs ſequatur. Nam incertum eſt an non naturæ vis actuoſa medios inter impetus deficiat? An omnes veneni exſuſcitandi poſteà reliquias omninò & funditùs extrudat & expellat?

Prætereà verò coincidunt ſimul indicationes illæ; etenim in utroque genere morborum laxanda ſunt cutis vaſcula, & ſervanda ſunt hiantia. In alterâ morborum claſſe prætereà tenuandus humor qui poſſit ad illa ferri, variâ quidem ratione, pro variâ morbi indole, at tenuandus tamen, ut liberiùs ad cutim appellat, ut fortiùs coquatur, ut pleniùs vacuetur. Tùm ejus reliquiæ, quæ etſi ſopitæ novum poſſint exſuſcitare incendium, à tergo expellendæ ſunt, aut demulcendæ.

Sic in pleriſque hiſce morbis, ſi tenſio concomitans rem ſuadeat, à venæ ſectione ſanationem auſpicamur; in verè depuratoriis affectibus venæ ſectio per ſe non indicatur quidem, ſed ſæpè diatheſis eam perſuadet inflammatoria, viribus aliundè non acciſis. Poſteà cutim fovemus balneis tepidis & laxantibus; alvi ſaburram mollibus eccoproticis ſubducere ſæpè conſilium eſt; quandòquidem illa in omni laboranti corpore aliquas partes agit, & cùm perſpiratio in hiſce morbis neceſſariò vitietur, peccat ipſa coctio. Tùm inſpecto morbi debellandi caractere ad hæc

aut illa tenuantia nos vertimus. Ut autem horum intelligatur actio duo prævia in omni methodo liceat annotare.

1°. Quamvis morbi depuratorii non acuti ſint, nec inter eos qui critici ſunt & dicuntur numerari poſſint, magnam tamen cum illis ſervant analogiam, quòd, etſi per plures annos perdurare poſſint, primum tamen habeant tempus in quo crudi ſunt, & omnia oculis exhibeant phœnomena cruditatis, ſemper exaſperati, duritiem ſcabram in tumoribus & ulceribus offerentes, qui nullam terminationis, aut exitûs notam ſignificant, ſed labra retorrida & viciniam crudam, inertem & quaſi devictam oſtentent. Mutantur, aut lapſu temporis, aut per laxationem arte factam omnia, & tunc rubor ipſe, lævitas ulcerum, puris forma mitificationem arguunt, licèt ipſa humoris copia nondùm imminuta ſit. Quæ quidem duo tempora attentiùs obſervanti non obſcurè ſeſe prodent per ſigna à veteribus jactata meritò, cutis nitorem lubricum, colorum in facie nativam indolem, humorum liberum exitum, illorumque indolem ad ſani corporis naturam ſemper referendam.

2°. Verò id poſtulatum concedi velim poſſe per artem ritè inſtitutam maturationem hanc atque coctionem adjuvari. Quod quidem cognitâ causâ, intellectoque humoris caractere, facilius fit, ut ſi eruptio in cutem à bilis vitio pendeat evidenti, certum erit quòd amara laxantia dùm ipſius fluxum juvant, etiam depurationi per cutem ſummè faveant; ut ſi quis propter putridum alkaleſcens cute erosâ ſordeſcat, acidorum uſu ſanabitur, & quoniam nullum eſt acredinis genus quod non poſſit ad cutim ferri, nullum eſt pariter quod non poſſit per ſpecifica oppoſita vinci atque deſtrui.

At caſus in quibus acre evidentem habet indolem rari admodùm ſunt. Supereſt ergo ut Medicus ad ægros malis cutis depuratoriis laborantes advocatus, apprimè ſequentia intelligat, 1°. quo in ſtatu ſit eruptio, quæ parvis inchoata incrementis, ſumma tamen in parte ſymptomata concitat, pruritus enormes, dolores acerbos, & omnia increſcentis mali ſigna indubia. Tunc enim fruſtrà ſpecifica quæſieris. Naturæ contrà opitulandum eſt, laxandi meatus, vaſa libera ſervanda ſunt, & quantùm arti licet, mitificandi ſunt humores. Hinc laxabitur erethiſmus, hinc omnia mitiùs ordinabuntur. Diæta ergo levis, tenuis, mitior ex laxantibus & levibus oleribus quæ ventrem proluat & bili ſubtrahat

acredinem, opem præſentem feret. Tùm etiam medicamenta laxantia ex ſero lactis, herbis levibus, oleraceis aperientibus, ſoncho, lactucâ, taraxaco adhibenda erunt. Salia neutra, non irritantia, gummi ſaponacea levia, aut etiam ſapones arte magiſtrâ facti paginam implebunt. Quis talibus in caſibus audeat aut ſtibiata, aut mercurialia proferre?

At 2°. ſi poſt multam prægreſſam diluentium atque relaxantium actionem ſtent vires, functiones integras arguat tùm liberius functionum exercitium, tùm alvus benè morata, tùm urinarum flavarum fluxus liberior, cum naturali hypoſtaſi, tunc licebit ea exhibere remedia quæ poſſint omnes ſimul augendo vacuationes, partes ſanguini ſufficere naturæ maximè analogas, quæ veterum & expurgatarum locum occupantes, ſalia leniora, olea dulciora, & quadantenùs ſaponacea ſufficiant. Tales ſunt plantæ illæ aperientes quæ ſalem ſaponaceum oleo leni & nativo dilutum poſſident. Et quoniam ea quæ tenuiſſima ſunt altiùs penetrant, & jam elaborata magis in naturæ officinâ minùs mutantur in corpore, ſuntque tenuiſſimæ ſubſtantiæ, ut cum veteribus noſtris magiſtris loquar, ſeligendi ſunt ſucci è naſturtio, cochleariâ, chœrophillo, fumariâ, è plantis amaris, leviter volatilibus petiti, qui poſſunt ferè non mutati intùs ſubire, coctioni favere, urinas & perſpirationem ſimul elicere.

Hæ plantæ eâ methodo ſumendæ ſunt, quâ ſuccus illarum dùm intra ſanguinem fertur, ita intimè illi commiſceatur, ut ferè nullo tempore ab illis vacet, ſed eorum tincturâ quaſi imbutum corpus novam humorum formam prorsùs induat. Ab illorum actione, cùm novus nitor affletur ſanguini, cùm partes extraneæ atque nocivæ, aut edomentur, aut ſaltem mutentur, naſcitur ſimul ex rei neceſſitate novus excrementorum proventus. Nam, Galeno ſic monente, & obſervatione rem confirmante, nulla fit humorum mutatio, ſine fœcum generatione. Hinc eorum actio identidem interrumpenda locum cedet vacuantibus, pro naturâ morbi, pro conditione corporis, pro robore ætatis variandis. Illa verò fuſiùs innumerare medicamenta hujus loci non eſt, cùm aliundè ferè omnem alterantium claſſem pro re natâ & datâ occaſione poſſint comprehendere.

Nunc ſcilicet bile ſpiſſiori & moras in propriis vaſis trahente, amara, amaricantia, ſalia neutra præ aliis adhibenda ſunt, & laxantia

laxantia alvum iteranda ſunt. Nunc languente ita coctione ut, quod ſæpiùs vidi, poſt ſingulas coctiones malum exaſperetur, tonica ſtomachica ſibi palmam vindicant, imò aliquandò ante alia pharmaca ea laudanda ſunt quæ è martialium ſinu petuntur. Si coctione integrâ malum moretur in vaſis ad ſudorem hiantibus, volatilia offerentur quæ igne levi atque fugaci calorem ſimul & motum ſanguinis inſtaurent, eaque cutim laxantibus teporeque lecti præbente auxilium, perſpirationem augent, qualia ſunt plantæ ſale turgentes volatili, aut etiam viperina omnia, aut his ſimilia, quæ ſimul ſpiſſioris lymphæ tenuant principia, ſimulque cutem perviam reddunt, quâdam facilè deprehendendâ cum humore perſpiratorio analogiâ quam ſervant ſemper; ut neutra ſalia baſi præſertim alcalinâ conſtantia facilè feruntur ad urinas.

Verùm fatendum eſt dari rebellia mala, etiamſi è genere depuratoriorum fuerint, quæ poſt factam ad cutem depurationem remanent immobilia, imò etiam in cute cui inſederunt proſerpunt. Ea, præter modò dicta remedia, hanc etiam ſibi poſtulant curationem quæ morbis cuti propriis competit; de quâ poſteà agemus.

Hujus autem mixti generis morbi præcipuè ad ingraveſcentem ætatem pertinent; cùm jam deferbuit naturæ vis & fervor, tunc morbi depuratorii per partes tantùm fiunt, & vix potis eſt natura hoſtiles atomos proterere, & facto ſalutari impetu, extra protrudere. Tales ſunt affectus depuratorii qui arthritidem, infarctus lymphaticos, ſuppreſſas hæmorrhoides excipiunt. Longiſſimi quidem ſunt illi, ob virium naturæ imbecillitatem, & parùm flexilium vaſorum inertiam; ſed illud tamen habent ſalutare, quod raro admodùm retropellantur, & in partes interiores revehantur, vixque ipſis incauta medicatio noceat, ob eamdem partium duritiem. Hos tamen indè excipiam morbos qui mulieres menſtruis jam deſinentibus ad cutem vexant, cùm fœminea temperies & flexilior ſit & acutiori prædita ſenſu.

In omnibus iſtis depuratoriis morbis, depuratione jam paractâ, nitidâque cute, hoſtem à tergo inſequi, & vaſa quaſi cicatricibus debilitata roborare operæ pretium erit. Deſueta perſpirationi vaſa libertate conſtanti donanda ſunt, & ad priſtinum revocanda officium. Undè ſapiens eſt & arte dignum inſtitutum, curato etiam morbo, pro occaſione & cauſis, nunc diaphoretica levia, nunc martialia, nunc ventrem laxantia offerre, &

plures per menſes iterare ; undè apertam ſibi viam calcare natura aſſueſiat, & veteres ruinas vaſorum cutaneorum reparare diſcat. Undè etiam maximè laudandum eſt eorum conſilium qui ut triſtes reliquias à depuratione ſuperſtites poſſint averruncare & admodùm proterere, ſolent, non unâ vice, ægrotos ad aquas minerales bituminoſas & balnea earum molliſſima amandare. Quibus adhibitis, mirum eſt quanto impetu proſiliat perſpiratio inſenſilis, & ſimul tenuentur craſſamenta lymphæ.

Quæ cùm divitibus ſolis competant ut plurimùm itinera, verni temporis emicante tepore, ſudorifera lenia proderit uſurpaſſe, quo pleniore & uberiore fluxu perſpiratio intumeſcentes atomos extrudat. Autumno verò inclinante, cùm denſatur cutis, ſtringuntur vaſa, ſiſtitur ex naturæ neceſſitate humorum ad cutim vergentia, prodeſt alvum ſollicitare catharticis, quibus ad ima ferantur partes nocivæ. Quod non uno pro gravitate morbi in anno faciendum, ſed etiam plures iterandum per annos chronicorum morborum cognita conſtitutio præcipit.

Hi ſunt morbi qui jure meritòque depuratoriorum nomen ſibi vindicant, quique ſimpliciorem ſibi medicinam poſtulant. Hos ab ætate incipiente ad ultimos uſque vitæ fines per ætatis diſcrimina diſtinximus, cùm vel illi ad varias vitæ periodos appareant, vel eorum loco, aut lethales morbi, aut febres intermittentes, aut arthritides, nephritides, variis inſultibus hominem conficiant; quibus vix eſt aliquis homo longævam agens vitam qui careat.

Nunc ergo ad eos nobis ſupereſſet tranſeundum qui depuratorii non ſunt affectus, & vel ab exundante pendent cacochymiâ, vel à proprio cutis vitio, ſi non intermediam conſtituerent claſſem illi qui aliquâ ratione depuratorii ſeſe frequenter oculis noſtris obtrudunt, & ſæpè vanâ illudunt ſpecie, formâque protheiformi, ſpem & patientiam, tum ægroti, tum Medici videntur vincere. Etenim, nunc hùc feruntur & illùc, modò intima depaſcentes viſcera, modò formam mutantes cancrorum in more, nunc hæmorrhoidum formam affectantes aut alia mala. Hi ergo affectus caput ſingulare ſibi vindicant, ne aliquid omiſſum, aut prætermiſſum videatur. Veniam ſtudioſus lector concedat, ſi nimiam in hiſce diligentiam videamur obnixè affectare, cùm in re quam huc uſque empeyria ſibi vindicavit rationem afferre operoſum ſit. Condonanda prætereà hæſitatio illi

eſt qui iter calcat, in quo nec auctor viæ, nec pervia ſemita ſupereſt, ſola regit obſervatio.

ARTICULUS III.

De curatione morborum cutis ſymptomaticorum.

Multi ſunt inter homines qui ſanitate illibatâ nunquam fruuntur, nec tamen ægrotare dicendi ſunt. Cauſarios dicebant Latini, quaſi ſua ipſis ſanitas ad res non agendas legitima foret excuſatio. Valent tamen aliquatenùs; eos nunc nervoſo genere affectos, nunc vulgatò nomine *vaporoſos* dicunt. Iis plerumquè perturbata perſpiratio debilem arguit coctionem. Undè ipſis familiare eſt ut quintâ, vel ſextâ ab epulis horâ, pruritus oriantur periodici, maculæque, imò & tumores rubicundi, eryſipelatoſi, ſed fugaces : ut res exorta eſt protinùs, ita ſenſim abit. Et ſæpè neglectus morbus plures per menſes durare viſus eſt. Verno tempore & ad autumnum affectio hæc reviviſcit : hyeme & æſtate plurimùm ſilet, & ſæpè ipſam febribus præludere intermittentibus vidi, quarum elementa ſaltem partim & aliis jungenda ſerum illud acre intùs retinuerat. In leviſſimo hoc affectu, ſed incommodo tamen, indicationes oriuntur ſimpliciſſimæ.

Scilicet tenuiſſima primùm ſuadenda erit victûs ratio. Nam ſemper copiæ cibi proportionalis eſt pruritus. Tùm diluentibus acris & cruda perſpirationis materies tollenda eſt, eaque ſeligenda quæ ab antiquis titulo diureticorum frigidorum diſtinguebantur. Ea ad renum anfractus, & hiantia veſicæ oſcula ſalinas quiſquilias determinant & per urinoſum fluentum auferunt quidquid per hanc viam exire poteſt. Solvenda aliquandò laxantium ope ſaburra alvina quæ fermenti jura & formam capeſſens, caracterem improbum novis adventantibus ſub ciborum nomine materiis imprimere poſſet; poſteà verò de meliorandâ coctione cogitandum eſt : tunc ad cauſas quibus illa peccat, attendendum eſt. Nullum eſt medicamentum quod titulo coctionem adaugentis gaudere non poſſit. Nunc acida laudem hanc ſibi vindicant, nunc amara, nunc volatilia. Imò, licèt rarò, ipſa ſpirituoſa, aut amaris, aut aromaticis imbuta aliquandò, dùm coctionem inſtauravêre, cutaneis eruptionibus utilia fuêre, undè peſſimo conſilio aliis oblata malum pejoravêre; ut nullus eſt Medicus qui non viderit.

Leve quidem eſt malum illud, at latentes ab acri ſero inſidias prodit; levius adhuc quòd, quaſi concitatâ in ipſo ventriculo effervefcentiâ, radios ad ipſam defert cutim, ampullas & tumores concitat, nunc hùc & illùc, nunc univerſales, non ſine ſummo pruritu, ita facilè evanidas ut aëreas crederes. Hoc illis accidit qui aliquam in ſtomacho qualitatem habent eminentem, ut acidum acre, qui ſodâ Germanorum laborant. Solis diluentibus ſanatur malum, & ſi recrudeſcat, levi catharſi tollitur. Verùm talis veneni ſummam efficaciam legere qui voluerit, legat Ill. de Sauvage diſſertationem de imprudenti eſu hepatis illius piſcis qui Linnæo *ſqualus catulus* dicitur, Gallis vocatur *chat marin*, quod præter profundum ſomnum ruboremque omnium partium quem intulerat, tertio die epidermidem à cute ſubjectâ ita ſecedere coegit, ut vigeſimo etiam die lamellas hujus quaſi papyrum æger detraheret & illuſtriſſimo de Sauvage dono daret. Huic ſuccurrendum fuerat largo acidorum potu, quandoquidem docet obſervatio hepate piſcium nihil eſſe putridius.

Verùm vulgò ſymptomata hæc fugaciſſima ſunt, & vix morbi nomen merentur. At nullis adeò cutis fœdatur, nullis adeò vitia intùs enata ad cutim reſponſant, quàm iis quibus labefactata ſanitas in ruinam inclinaret, niſi provida ſupplementum offerret natura perſpirationi non conceſſæ novoſque protruderet excrementorum proventus. Tales ſunt ii 1°. qui frequentes experiuntur coryzas, defluxiones, ut aiunt, rheumatiſmos, eryſipelata, dolores vagos arthriticos. 2°. Qui per hæmorrhoïdes ſublevando abdomini maximè neceſſarias plethoram abdominalem levant. Tùm mulieres quæ ex naturæ lege menſtrua non patiuntur, aut lacte ubera in ſobolis uſum diſtenta recuſant prægerere. 3°. Qui reliquias morborum eruptivorum intùs in ſanguine ſervant, ut ſunt varioloſæ, morbilloſæ, ſudatoriæ, eryſipelatoſæ reliquiæ ſtagnantes. 4°. Demùm ii quibus in glandulis aliqua latet obſtructio, aut infarctus lymphaticus præſertim, quem ars aut natura vult tollere conatibus parùm fructuoſis.

§. I. De fluxu catharrode humorum ad cutem ſanando.

Coryzâ ſimplici ad minimam, vel levioris auræ, impreſſionem laborare multis frequens eſt. Vel levior cœnæ plenioris uſus multis, notante Hippocrate, nares implet; perſpiratio ſcilicet vitiatur & prohibetur. Verùm perpetuâ ferè coryzâ affici nemo poteſt quin ſerum acre intùs exundet. Hinc iis ſæpè accidit ut non ſolùm inflatas nares habeant, ſed labia etiam, genas mentumque

cruſtis inflammatoriis & ſuppurantibus fœdata. Ea eſt aliquandò humoris per coryzam affluentis malignitas, ut etiam ad crura, brachia, aliaſque partes deferatur. Imò quâ ætate, ut ait Hippocrates, catharri non coquuntur, familiare eſt, coryzam quaſi perpetuam fieri turpiter defluentem, lacrymaſque emittentem palpebrarum ſtipatas eroſione quam nec ars ſanat nec natura. Non quidem inter morbos cutaneos ad cutim propriè pertinentes morbi illi referendi ſunt, ſed tamen perſpirationem acrem arguunt, prurientem, eryſipelatoſam, quæ nunquam talis evadit, ſi non coctio peccaverit acredine acquiſitâ. Undè notamus ea præſertim vitia accidere iis, qui ſalſis, acribus, ſpirituoſis ſeſe nimioperè delectant, bibacibus, ebrioſis, aut iis quos turpis egeſtas perſequitur, incarceratis & illuvie illotâ cutis peccantibus. Hoſce contrà morbos vix apud nobiles offendas & populum pexum atque concinnum; ſæpiùs occurrunt in egeſtate & mendiculis. Certè diluentia, pediluvia, balnea, à quibus tùm revellitur ad oppoſitas partes humorum impetus, tùm liberi redduntur cutis meatus, maximam partem curationis cum diætâ legitimè inſtitutâ abſolvunt, ſi lenia intermiſcueris cathartica, ſi ſimul ſales acerrimos laticis ſanguinei lenioribus ſaponaceis & antiſcorbuticis volatilibus retuderis, ea ſeligendo & ſedulò mali cauſæ oppoſita applicando, quæ nunc ex alcali volatilibus, nunc ex aceſcentibus quæſiveris. Ad hanc ægrorum claſſem referes eos qui eryſipelatibus frequentibus laborant, cùm ſuppreſſæ perſpirationi atque coctionis vitiis mixtæ originem debeant illa mala, ſeroſæ tenuiſſimæ partis acredini accepta ferenda.

In iis tamen notandum eſt ſingularem ſæpè exiſtere naturæ ordinem. Nam, qui pueri frequenti corripiebantur narium hæmorragiâ, adultiores eryſipelatibus facilè afficiuntur, poſteà provectiores ætate hæmorrhoides patiuntur, atque errabundos & tempeſtatum præſagos dolores in muſculis atque ad articulos. Hæc omnia deſinunt tandem in affectus hepatis, coryzas atque hydropes. Hinc intelligere eſt quanti ſit ipſis pretii illud aperientium genus quod perſpirationi atque coctioni faveat, ſi ſimul libertatis alvinæ ratio habeatur. Liquet etiam mutandam eſſe agendi rationem, pro ratione converſionis ætatum; qui enim puer ſibi diluentia & demulcentia poſtulabat, vir factus jam aperientibus ſolis ſanabitur, & ſenex labaſcentes vires per tonica reſarciet. Sed omnibus hiſce in caſibus morbi cutis merè ſymptomatici trac-

tandi methodum omninò diverſam ſibi expoſtulant ratione cauſæ & accidentium.

§. II. De curandis ſymptomatibus cutis ab hæmorrhoidibus, menſtruis, lacte retentis.

Hæmorrhoidum morbi in œconomiâ animali principis diverſa ſæpè eſt cauſa. Illæ enim, aut parùm cautè ſuppreſſæ, aut per ſe deliteſcentes, morbos verè horrendos, abnormes, œconomiæ animali infenſos procreant; & benè cum œconomiâ animali agitur, ſi tantùm protulerint cutaneos morbos formâ abſurdos, periodo tædioſos, rebellione & pervicaciâ maximè metuendos. Raro juniores adoritur morbus ille in quibus hæmorrhoides multùm ab illis diſtinguendæ ſunt quæ provectiores ætate tentant. In junioribus enim plethora undequaquè exundans, hæmorrhoides facit; in adultioribus ſæpè criticæ ſunt illæ, circulationis in hepate atque liene difficilis levamentum, & verbo ſit gratia, apud eos qui œconomiam animalem nimis mechanicè expendunt, quaſi defœcamentum. Certum eſt, & obſervationem hìc non unicam, ſed multiplices & à multis factas teſtor, ſuppreſſis hæmorrhoidibus, ſæpè extitiſſe ad corporis ſuperficiem herpetes, porriginem fœdam & hujus generis mala quæ fruſtrà vulgari curationum methodo tentaveris averruncare. Cutem fruſtrà obſtinatè per medicamenta ſtibiata aut ſudorifera vexare ſedulus tentaveris, nunquam ſucceſſus ſequetur molimina, niſi alvi vias lenibus eccoproticis, medicamentis amaris, aperientibus laxaveris, addendo ſaponacea, & illa quæ ſæpè apud divites cæteris meritò præferuntur diluentia ſimul & aperientia quæ petuntur ex aquis ſolventibus mineralibus, recidivamque per martialia præcaveris ſedulò. Sæpè hirudinum morſus ſanguinem ab hæmorrhoidibus ingenti vi profundens cutem levavit, veniſque ani recludendis dicata aloës cuti viſa eſt hâc ratione profuiſſe.

Nec diffitemur tamen aliquam etiam ab ipsâ cute indicationem in hiſce morbis offerri, ſæpèque adhibenda detergentia, cum interno aperientium, laxantium uſu; de quâ methodo alibi dicetur. Sublatâ enim causâ, non ſtatim ſolvitur effectus per quem vaſa cutanea deſtructa ſæpè ſunt.

Nunquam adeò graves cutis morbos producit menſtrui ſanguinis in mulieribus retentio. Colores quidem nativos infringit, pallorem indit, morboſque infert ab obſtructione naſcendos: in quo ad hæmorrhoidum ſuppreſſionem refertur eorum retentio; eamdemque poſtulat methodum curatoriam.

At maximè rebelles ſunt cutis morbi qui ætate ingraveſcente

cùm omnimoda accedere debet ſuppreſſio, jam nullâ ratione, naturâ ita jubente, revocanda, emicant: non enim ſpes eſt abituros illos, revocato fluxu menſtruo, ſed depuratio quæ fit per cutem toleranda, vorandumque eſt faſtidium illud quod primos ſequitur depurationis hujus annos, nec niſi molliſſimis medicamentis tractandum ſe præbet morbus, donec ſublato tumultûs menſtrualis periculo, ſexûs omnis differentia evanuerit, tuncque adhiberi ſe ſinat curatio cauſæ ad cutem vivacis.

Non idem eſto judicium de morbis illis qui ſæpè puerperas eaſque, ut nobilium mos eſt, non lactentes ad cutem adoriuntur: ii enim ut frequentes, ita peſſimi ſunt & maximè rebelles; nec certè mirum; ſumma enim eſt mucoſæ partis lymphaticæ atque lactis analogia, ſeu potiùs hæc illius eſt fundamentum atque baſis. Ubi ergo poſt partum exundans lactea cacochymia undequaquè partes imbibit, jam puerpera in lac converſa videtur albumque lactis colorem vultu, cute, vacuationibus refert. Senſim tono aucto diſcutitur illa cacochymia, non ſine febrili tumultu. At, ſi non diſcutiatur, ſupereſt ut maſſa lactea, aut per abſceſſus corrupta amandetur, aut vias ſubeat naturales, aut in glandulis infarctus producat caſeoſos, duriſſimos, aut demùm corrupta lympham etiam cum quâ & uſu & naturâ, imò & identitate confunditur, corrumpat.

Corruptio illa non una eſt. Quanquam enim lac fœmineum evidenter ſpontè aceſcat, & vulgò acido prædominante concrementa efficiat, adeòque omnia ſuâ ipsâ corruptione obſtruat, putrere tamen aliquandò moles illa poteſt & fœtidiſſimam mixta inflammationi exhalare putriditatem. Hinc in utroque caſu, vel maſſa corrupta, cutem ipſam inficit, cæteris pariter infectis, mali communione undique ſparsâ; vel maſſa corrupta ad cutem depuratione ſalubri defertur; vel caſu intermedio & Medicis atque ægrotis æquè perniciali, moles hæc in viſcus aliquod ignobilius depoſita ab illo ad cutem quaſi irradiatim & per plures vices deponitur, ferè nunquam exhaurienda; qui miſerrimus caſus frequentiſſimus eſt, ut omnes teſtari poſſunt Medici.

In illâ autem, tùm depuratione, tùm eruptione ſymptomaticâ prædominatur glutinoſum aceſcens ſpontaneum. Nam ubi putrilaginem concepit lympha, brevì omnem amiſit mucorem, & mucidum illud quod morbis cutaneis chronicis conſtituendis neceſſarium eſt. De eo igitur acore glutinoſo perſanando nunc

agendum eſt qui in puſtulas cruſtoſas & ulcera labiis retorridis horrida degener fit, ac morbos & fœdos & rebelles facit, eamque fœtentis elephantiaſeos ſpeciem quâ pulcherrimas mulieres in monſtra deformia videmus immutari.

Iis certè, ſi quibus aliis morbis, ſevera convenit methodus, & vana ſunt agyrtarum promiſſa qui hydram hanc uno ictu proterere promittunt: mutanda lymphæ craſis, ſubvertendum ſusdeque vitæ regimen, & eæ admittendæ ſunt in diætâ ſubſtantiæ quæ dulces ſuccos, ſimul & antiacidos complectantur. Nec hìc permittenda farinoſa ſiliquâ quaſſante legumina, ſed olera ſaponacea, betæ, ſpinacia, braſſicæ, naſturtia, cichoria, piſcium genus omne, imò & aliquæ fuerunt quæ carne utentes viperinâ ad omnimodam ſanationem perductæ ſunt. Iis vino uti piaculum crediderim. Sed aquæ minerales quæ alcalinum quid redolent, ut ſelteranæ & aliæ hujuſmodi divitibus propinandæ. Utile vidi pauperculis, ſed refractiſſimâ doſi, aliquid aquæ ſecundæ calcis potui ordinario affundere. Inter medicamenta celeberrimo viperarum uſui junguntur ſucci potentiorum herbarum aperientium, alcalina ſalia Tachenianâ methodo parata. Salia ex inſectis volatilia, ammoniacalia ita præſtant ut ea exhibeas non communia ſolùm, ſed & propria meditatus, nec delicatæ mulierum texturæ ea objicias quæ durus arator vix ferat.

In talibus arte opus eſt eximiâ ne vel optima cedant in perniciem, cùm ſæpiùs accidat ut primus remediorum actuoſorum affectus pruritum concitet intolerabilem, cutimque conſtringat erethiſmo qui ad omnia etiam optimè indicata medicamina rebellem efficiat cauſam. Omnis enim ſanatio liberos meatus atque pervios requirit, non minùs quàm mitificatos humores. Hiſce in caſibus nulla nobis à mercurialibus mutuamur auxilia. Nam cùm irritando ſolida lymphæque conciliando putrilaginem agant, ſana potiùs corrumpunt, quàm morboſa ſolvunt, concretionibusque relictis omnia quæ à ſanitate reſidua erant peſſumdant, atque contaminant. Non res eadem dicenda erit de ſulfureis compoſitis aut ſimplicibus, nec de ſtibiatis medicaminibus quæ ſive in penetrantiſſimam calcem redacta ſint, ſive aliquid ſulfurei intùs recondant, certè muco lymphatico præſidium atque ſubſidium ferunt, ipſaque illud habent ante alia omnia medicamenta quòd cutim affectent eamque penetrent. Talia præſtant medicamenta, antimonium crudum, quod ut ab omni labe extraneâ

extraneâ purum ſit, arte factum requiritur; antimonium diaphoreticum non per lotiones omni ſale exutum, aut defraudatum actuoſis partibus. In iiſdem cauſis variam & utilem præſtant opem ſulfura aurata, aut præcipitata ex antimonialibus ſcoriis, quæ tamen parcâ ſemper doſi danda ſunt & bellè cognitâ ægrotantium temperie; nam cùm antimonialia aliquam ſervent cum cute analogiam, pruritui etiam concitando ſæpè apta ſunt; noxaque malè adhibiti pharmaci in omne artificium refunditur.

Poſt depuratam lympham, ſi tot tentamina ſucceſſu non caruerint longo tempore iterata, nuncque valentiùs adhibita, nunc contrà remiſſa, ne incendio arte facto opus noſtrum tardetur, proderit, imò neceſſarium erit libertatem glandularum per tot emptam remedia lenibus medicamentis aperientibus ita ſuſtentare, ut ſi quæ ſuperſint reliquiæ tollantur illæ, ne recidivum faciant incendium, aut tantis tamque profundis fractæ atque fatigatæ partes infarctibus rursùs accipiant craſſamenta lymphæ reſidua. Quo in caſu aquarum mineralium alcalinarum aërearum longus atque diuturnus uſus omnibus medicamentis præcellit, quibus adhibendis ſi aut rei familiaris inopia, aut locorum conditio obſtet, ptiſanæ leves ex herbis alterantibus, aut radicibus aperientibus non ſunt omittendæ: tales ſunt illæ quæ ex ſiſarâ, ſcorzonnerâ, taraxaco, cichoriis, aut ex ruſco ſive bruſco, aſparago, eryngio, fœniculo, apio, petroſelino parantur. Quibus cùm virtus inſit non unica, his in caſibus aliæ præferuntur, in illis aliæ. At omnes caſus comprehendere non artis eſt. Multi apud nos ſunt pretii longo uſurpanda tempore decocta chinæ atque ſarſæparillæ quibus, dùm nimis aliqui tribuunt, plurimùm contrà alii detrahunt. Hæc ex Americanis devecta oris potenter attenuant non ſine caloris crimine, & aliquandò cutim pruritu mordent; ſunt tamen inter aperientia non mediocri donata virtute, dignaque quæ operoſæ curationi ferant auxilium, licèt eam efficere nequaquam per ſe valeant.

§. III. De curandis ſymptomatibus à reliquiis morborum in lymphaticas glandulas decumbentibus & indè ad cutem protruſis.

A reliquiis quas in humorum maſsâ relinquunt morbi critici, & à quibus lentè admodùm ſanguis depuratur, aliquandò naſcitur intùs venenum per longa temporum intervalla iners, nec actuoſum. Scilicet glandulas illud invadit, ibique, vel in loculis, vel in extremis vaſorum anguſtiis quaſi in repoſitorio ſervatum, nullos exerit effectus, donec quæcumque acceſſerit cauſa illi

ſolvendo apta, tunc porrò vi naturæ actum atque rursùs intrà ſanguinis circuitum protruſum, novos exerit effectus, non infelices ſi, ut ſæpè fit, ad cutem ſub herpetum fluentium & ulceroſorum nomine feratur, novamque exerat actuoſitatem. Ita vidi fæminas utero dirè dolentes & peſſima ſibi ex horrendo uteri cancro præſagientes ſanatas illicò, ſi herpetum virus in aliquam corporis partem faceret impetum. Silentibus illis rursùs indolebat uterus, & malum malo rependebat. Aliquibus à cute in uterum & indè in thoracem ludum inſolentem ludere pertinax humor decubuit. Glandulas vidi ſcirrhoſas per inexpectatam impetiginem ſanari quæ rursùs delituit & feram mortem attulit.

Condonandum eſt Medico ſi in re perobſcurâ, nec ſatis elucidatâ tentamina non æquè feliciter ſemper ſuccedant. Imò & cùm in glandulis lateat mali cauſa, non deſpondendum animo aut deſperandum, ſi ritè adhibitis medicaminibus & arte eruditâ mala ad cutem aliquandò prodigialiter increſcant. Novum enim illud ſub medicaminum rectè indicatorum uſu mali cutanei incrementum ſignum dat attenuari fomitem illum, jamque ad vias ſanationis ferri & quaſi deponi : vidique hominem fortiſſimum cui illud accidit ut dùm per quadraginta dies integros medicamento accepto malum augeſceret, conſtans tamen ille & fortis eodem in uſu pervicax eodem medicamento tandem ſanatus eſt quod primùm lædere videbatur.

Cognitis ſemel his caſibus, & perſpecto mechaniſmo quo cutis vetera accipit fermenta intùs recondita & ſuo tempore intumeſcentia, ſatis intelligitur ad totius machinæ commodum illud præcipuè eſſe inſtituendum, ut cutis omnes intùs latentes reliquias accipiat. Adeòque ante omnia illam & laxandam & debilitandam eſſe, quod priùs per balnea fit tepidiora & laxantia, poſteriùs verò applicatis cauteriis, appoſitis veſicantibus, aut rubefacientibus quæ pro variâ occaſione aliis alia prætolluntur. Sic enim irruit in laxatam & apertam partem hoſtilis humor, priſtinaſque ſedes ad novas evocatus deſerit; intereà verò per propria lymphæ attenuantia certatur.

Latuiſſe, ſed evolvi ſcimus fermentum acre quod lympham cogat, quod ſolida ulceret; propria & ſpecifica indoles incognita eſt. Hinc methodi ſuperiùs in morbis lacteis indicatæ ſæpè locum tenent mercurialia, ſæpè nocent.

Mercurialia autem profutura ut plurimùm noſces, ſi humor

plus acris coagulantis præ ſe ferat, quàm erodentis, ſi pus ex ulceribus fluens plus conſiſtentiæ lemoſæ & cruſtoſæ habeat quàm tenuitatis, ſi humor ad articulos feratur præcipuè, demùm ſi pruritus è profundiori loco ortus plus habeat doloris lancinantis, ſi noctu potiſſimùm increſcat, ſi cætera in corpore ſaniora ſint. Ad hæc conatus primò erunt timidi & meticuloſi, poſteà ſucceſſus audaciores reddet; ſi præſertìm increſcente, ut ſemper fit, ſub initium medicamentorum morbo cutaneo glandulæ molleſcant & imminuantur. Adeſt enim mercurio vis lympham mucumque deſtruens, & in fluorem putridum craſſiores convertens partes. Undè innata ſit hæc ipſi proprietas, quærere diſtuli, *nec ſcire fas eſt omnia.*

§. IV. De morborum degenerum reliquiis ſanandis.

Supereſt inter morbos cutaneos ſymptomaticos ut de iis agamus qui degeneres à prioribus vitiis novam aſſumpsêre formam. Tales ſunt rachitici, ſcrophuloſi, venerei, ſcorbutici morbi; qui omnes ferè degeneres à pleniori malo, ubi novam aſſumpsêre indolem, ut repetendi ſunt ab impurâ origine & à vitio parentum accerſiti dicendi ſunt, ſervant tamen priſtinæ labis veſtigia. Morbum prorsùs novum eſſe quem Angli *Rickets*, nos autem *Rachitidem*, nomine à diſtortâ ſpinâ mutuato, vocamus, apud omnes in confeſſo eſt; quod enim Gliſſonius edixit, aſſeruit uniformi conſenſu Medicorum chorus. Cui tamen contradicere forſan licitum foret, ſi de eo tractandi morbo nobis incumberet provincia. Verùm quamvis nimis fortè generale foret morbum hunc à causâ venereâ ſemper repetere, tamen nullus eſt in hiſce obſervandis tantisper verſatus qui non fateatur ab affectis lue venereâ naſci pleroſque infantes rachiticos, muco copioſo & aceſcente ita turgidos, ut oſſeus ſuccus fortem atque quaſi calcaream nunquam poſſit ſibi vindicare firmitatem; at contrà ſeleniticam & quaſi ſalinam mollitiem contrahat, undè oſſa ut mole aucta, ſic robore deſtituta, undèquaque protuberant, molliaque efficiunt fulcimenta ſuſtentando corpori nequaquam apta, adeòque variâ tractatione diſtorquenda miſerè.

Ubi ergo ad ſanandum morbum cutis rachiticum vocatus fuerit Medicus, prima de parentibus interrogatio erit, altera de miſeris qui infantiam deturparunt caſibus. Nam benè novi infantes qui fracto atque luxato crure in rachiticos verſi ſunt, imò poſt & per dentitionem repetitæ convulſiones attulerunt rachitidem. Priori in caſu ſi rachitis à lue venereâ pendeat de-

S ij

generi, nihil eſt undè dubitemus de ejus indicationibus curatoriis. Accommodanda ætati mercuralia pauca, eaque ad debilitatem puerilem ponderata & ſummè tenuata offerenda ſunt. Sua quiſque jactet medicamenta, per nos licet, modò ſenſim & ſine ullâ irritationis notâ mercurius introducatur. Applicentur etiam cuti externæ hujus generis topica. At ſi morbi cutanei à rachitide pendeant quam induxerit caſus aliquis, tunc herbarum attenuantium modò jactatarum, tunc eruditus antimonii uſus illis medebitur. Nec eſt quòd ampliùs in illâ exanthlandâ provinciâ inſudemus.

Antiquius ipsâ lue venereâ malum ſcrophulæ ſic dictæ exhibent, ſæpè in morbos cutaneos vertendæ, ſed mos eſt inconſultus ut ſub eodem nomine mala comprehendantur diverſiſſima. Hinc plures infantiam miſerè affectantes morbi cutanei eodem nomine deſignantur. Eadem ergo ac de rachitide adhibenda diviſio, dùm aliæ luis venereæ degeneris præferunt inſignia, aliæ verò muci tantummodò coagulum forte meditantibus offerunt. Priorum ſcrophularum in cutem depoſitarum náturam declarant quæſtiones circa anteactam parentum vitam inſtitutæ, & obſervatio concurrentium in diverſis partibus ſymptomatum, præſertim verò in tenellâ ætate oſſium conſideratio. Quis dubitet his deprehenſis in uſum advocare mercurialia, & ad ea tanquam ád anchoram ſacram confugere. In ſcrophulis ſimplicioribus viperina, aperientia, attenuantes plantæ, quorum aliquæ ſpecificæ vocantur, & demùm antimonialia methodum curatoriam explent. Hìc extractum cicutæ, cum antimonio ſolvente de *Rotrou* dicto, prodigii inſtar, nec ſine ratione, aliqui jactant: & nulla major eſt, & in obſervando, & in curando analogia, quàm quæ inter lacteos morbos, & ſcrophulas hujus generis intercedit. Nec adderem plura, niſi teſtari liberet propriâ experientiâ quantæ in prædictis caſibus efficaciæ ſit ſalis marini internus uſus, tùm purgantis, tùm alterantis formâ, qualem præſcripſit inſignis Medicus Anglus R. Ruſſel. Sed res extrà propoſitæ materiæ limites egreditur.

Morbi etiam dantur cutanei ſcorbutici, de quibus hìc plura dicere vetat cognita morborum horumce indoles, tùm etiam quòd minimam ſcorbuti partem impleant morbi illi, ſimulque cum ſcorbuto curentur, eaque ulcera ſcorbutica phlegmonoſa potiùs ad tractatum de humoribus pertineant, quàm ad morbos

cutaneos. Illis tamen univerſa cura ſcorbuti competit, ſæpè ex arte eſt addere lotiones & emplaſtra antiſcorbutica, ſed præcipuè antiputrida medicamenta, ut kinakinam, ſcordium, meliſſam, aromata: cùm verò quæ ſimplices primò apparebant maculæ, non raro in fetidiſſima faceſſant ulcera, tàm latè extendenda, quàm altè penetrantia, his curandis & pharmaceuticæ indicationes, imò & chirurgicæ aliquandò ſimul advocandæ ſunt.

ARTICULUS IV.

De morbis cutis non depuratoriiś curandis.

Hùc uſque in corporis utilitatem fœdabatur cutis; nunc de iis agendum eſt morbis qui intùs enati & maſſam inquinantes corporis, ad cutem ſine ullâ machinæ utilitate deponuntur. Hi ſunt morbi qui verè & propriè cutanei dicuntur. Ut enim alii viribus corporis ſtantibus & perennantibus à naturâ ſanari poſſent, ita hi perſtarent contrà immoti, imò increſcendo maſſam humorum corrumperent, & functionum labefactarent integritatem.

Duplex horum morborum claſſis inſtituenda eſt; alii enim à mutatâ penitùs humorum maſsâ & in alienam indolem conversâ pendent. Morbus ipſe proventus eſt molis humoralis corruptæ, neceſſariumque ejus exuberantis productum. Alii verò poſſunt à puro & illimi ſanguine tanquam heterogenea excrementa prodire, fermenti more intra ſanguinem accepta. Illa recrementa partes ſibi analogas ad ſe trahunt, excrementitias quiſquilias ad eumdem locum deponunt, & in propriam ſibi indolem impertiunt. Priores univerſam œconomiam animalem, omnia viſcera, omnes ſolidas atque fluidas partes æquè imbuunt. Poſteriores ſanguinem & cætera organa ſinunt illibata vegetaque functionibus ex ordine naturæ vacare, depuratoriique dici poſſent, ſi non ipſos renovaret altè concepta labes, & ſæpè in uno fixa loco, ita ut ab eo vix poſſit dimoveri & avelli. Utrique claſſi per artis auxilia ſuccurrendum eſt. Nam in morbis hiſce natura iners eſt & ſine ullâ ad curandum actuoſitate.

Verùm utrique eædem competunt indicationes. Nam ſemper mucus lympham conſtituens, aut conſiſtentiâ peccat, aut acredine: mucus plus craſſitiei recipit ex partibus non benè inter ſe

commixtis, alteram craſſiorem hærentem, infarcientem, quaſi fæcem habet, dùm tenuior altera in ſerum acre vertitur, hùc & illùc vario deferendum impetu, nunc partem hanc anxiè torquens, nunc pruritu infame enormi, nunc puſtulas acres efficiens, aut ulcera erodentia.

Ubi ergò medicinæ templum ſimili cutaneo confectus morbo æger ingreditur ſalutem expoſcens, plura quæ ad morbum & ægrum pertinent ſciſcitabit Medicus, & attentè obſervabit: 1°. ſcilicèt an muco tenaci & indivulſo per ſuam ſuperficiem obducantur ulcera? An cruſtæ aut lemæ obtegentes malum aſperæ, an ſiccæ ſint? An cutis ipſa compacta craſſa & corii æmula? an granulis ſcabris, inæqualibus protuberet? 2°. An ſub epidermide & primâ cute malum proſerpat, fundo cutis integro & ſano ſubtùs efflorefcente? 3°. An ulcerum, ſi quæ ſint, labia retorrida & dura ſint? tunc enim mucum nativum & nutritium ægrotare & craſſitie præſertim peccare ſignum eſt, eumque crudum, vix elaboratum, acredinem ab ipsâ ſuæ ſubſtantiæ dyſcraſiâ neceſſariò traxiſſe. Vitia hujuſmodi numeroſa ſunt, endemia, imò gentilitia. Quibus addit incitamentum & nocendi vim maximam perverſus diætæ & uſûs alimentorum inconditorum ordo, forſan & aquarum, locorum & incolarum natura.

At ſemotâ craſſitie & ſpiſſitudine illâ lymphaticâ, cujus ſit generis acredo lympham inficiens, noſſe noſtrûm ſummè intereſt; ſtagnantis odorem & dotes altè inſpicere erit noſtri officii, notando eò minùs humorem eſſe acrem, quò magis ſpiſſus erit & tenax, eò majorem præ ſe ferre acredinem, quò tenuior erit & diffluens magis ac mordax. Acredinis illius gradum & efficaciam ſubjectus cutis tumor ac rubor, caloris mordax ſenſus ſatis indicabunt; viridantis humoris exitus pro coloris varietate non eryſipelatoſam tantùm ſubjectæ inflammationis naturam, ſed & ejus gradum deſignabit. Cætera verò ſigna quæ ex ægroto repetes non ſpernenda notant, nec immeritò, rufum capillorum colorem jam malæ cutis & facilè exaſperandæ eſſe indicium, alas fœtentes facilè tumoribus patere inflammatoriis & omni herpetum generi eſſe obnoxias. Urinarum inſpectio ſummi hìc erit momenti quæ, ſi lemas aliquas, veſicâ alioquin proprio vitio non laborante, ejiciant, ingentem humoris extranei copiam ſignificant. Si fœteant immaniter, acris latentis putridam indolem deſignant. Notandum inſuper alioquin an ægri facilè ſudoribus

diffluant, an noctu exaſperetur pruritus, an febris ſubſit, eaque lenta, nec actuoſa ? His ſignis mucum peccare craſſitie ſimul & acredine deprehendes : gradum acredinis, craſſitiei gradum ex dictis augurari facile erit. Tùm menti obverſabuntur variæ quæ poſſunt corpori profundiora inhalare vitia. Ingens de lue venereâ, vel à parentibus acceptâ, vel per contagium tractâ oriatur ſuſpicio ? Anteactam vitam jubebis revolvere. Nec piaculum erit, aut criminandi locus, ſi in re incertâ aliquandò aliquid dederis conjecturæ.

Verùm ſæpè cauſa malum excitans fruſtrà latuit, aut diſſimulata, aut mentis perſpicaciam eludens. Adſunt ſymptomata evidentia, oculis percellendis apta, quibus facilè deprehendes, an plus acredine, an plus craſſitie peccet lympha morbi ſedes ? quid mixti ex utroque vitio habeat ?

At craſſities illa muco ſpecifica propria ſua ſibi habet remedia. Poſt lenitam atque mitificatam per diluentia & plantas leviter alcaleſcentes (quandoquidem mucus per ſe ad acidum vergit) acrimoniam, mercurialia paginam implent. Hæc enim vi attenuante ſummè prædita, ſi ſenſim intra ſanguinem inſinuentur, ita ut nec nimiâ vi intrudantur, nec agglomerata ſuos effectus eludant : quocumque modo, quâcumque viâ ad lymphæ uſque vias penetrare queant, muco tenuando ſummè inſerviunt; imò & aliquandò per os integer mercurius purior ut ſimplex & nativus aſſumptus ſalutarem exercere viſus eſt effectum, teſtante Benedicto Curtio. Imò & nimiùm protractus mercurii uſus quamdam indit lymphæ putrilaginem fœtentem, at ſummè oppoſitam craſſitiei partium.

Ars in eo conſiſtit 1°. ut, crudis omnibus & erethiſmo conſtrictis, non exhibeatur potentiſſimum pharmacum, ſed priùs liberos, ut poſſumus, effecerimus meatus & fluida mitiora. 2°. Ut quæ ſæpiùs craſſitiei mixta eſt acredo & quam attingere non valet mercurius, per diluentia, demulcentia, antiſeptica, alcalinaque levia retundatur. Secùs enim, tenuando craſſitiem, acredinem poſſet intendere mercurius; balnea tepida ex aquâ puriſſimâ, in athmoſpherâ moderatiùs calente, primum hìc locum occupant. Poſtea per lacticinia, dulcia farinacea ex hordeo, avenâ, oryzâ, ſagou, ſalep, aliiſque hujuſmodi nutrientibus retundatur acredo & præmuniatur corpus adversùs potentiſſimè diluentis ſemimetalli effectus qualeſcumque. His peractis rursùs tempus

erit fluida tonica ſimul & tenuantia potu largo exhibere. Quem uſum ante alia omnia pharmaca præſtant aquæ minerales variæ pro variis caſibus ſeligendæ, aut ptiſanæ leves è lignis Americanis, guaiaco, ſquinâ, ſarſaparillâ, ſaſſafras pro re natâ formatæ atque concinnatæ.

Longè diſpar caſus eſt in acredine quam tenuitas ſumma ſeri peccantis comitatur. Niſi enim cauſa evidenter ſubſit venerea, tunc omnia mercurialia, imò attenuantia quævis fugienda ſunt. Sed cùm non minima pars ſit in morbis cutaneis ea quæ à ſero acri pendet, non unicus eorum caſus diſtinguendus eſt. Pluribus mala illa per accidens naſcuntur & quaſi tranſitoria ſunt. Catharrorum ſub formâ plerumquè incipiunt, ut alibì dictum eſt. Aliquandò poſt dolores immanes, cruciatuſque acerbos, ad articulos puſtulæ erumpunt & in cruſtas vertuntur quæ leves facilè avolant, renovanturque, donec cauſa mali ceſſaverit. Malum illud accidentarium non ingentem ſæpiùs medicamentorum apparatum poſtulat. Diluentia levia eaque ex lenibus petita mucilaginibus, quales præbent hordeum, avena, oryza, vel levia è vegetantibus ſolventia, ſcorzonnera, taraxacum, cichorea, borraginea, aut flores ſambuci, meliloti, tùm quæ primarum viarum ſaburram eliminent eccoprotica, his ſanandis ſufficiunt; cùm reparatis coctionibus vulgò ſenſim ſerum & ſpiſſeſcat, & quaſi maturetur.

At aliquandò, nec caſus adeò rarus eſt, qui primâ facie levis videbatur catharrus ab erodente materiæ acredine vertitur in ulcus ſeroſum & duſepuloticum, ut cum Chirurgis loquar, & varias in partes à ſanguine reſorptus decumbit, nec, etſi diluentibus, balneis tepidis aliiſque hujusmodi medicamentis decertaveris, ullum coctionis ſignum eminet, ſed omnia cruda apparent, imò augeſcunt, invaleſcunt, efferantur. Febris ipſa ſub noctem ſerò accenditur, & niſi moras injiciat ars efficax, ab exterioribus ad interiora vertitur malum, tuſſiſque, aut abdominis tormina brevem minabuntur perniciem. Hoc in caſu profuit nihil à naturâ mutuari, ſed illam ab alienigeno inertem reddente onere quàm primùm liberare. Sulfurea quidem antimonialia hìc plurimùm valent, dùm lymphæ nitorem addunt, eique immixta, craſim ejus renovant, non ſolvendo, ſed quaſi inſtaurando partes effœtas, diaphoreſim ſimul inducere, ſi quod aliud medicamentum, valent illa. Sed ſenſim agunt & lentè, & ſæpè celeritate

celeritate opus eſt. His in caſibus multùm emolumenti contulêre ptiſanæ illæ celebres quæ è lignis ſudoriferis & plantis catharticis ſimul conſtantes & conflatæ ſerò & manè, ſecundùm ſubjecti vires offeruntur, dùmque ſubluunt alvum, ſudores eliciunt. Harum repetitâ actione, ſimul admixto antimonio crudo, in malis hujuſce normæ ſanandis ingentem ſibi comparaverat famam famoſus initio hujus ſæculi agyrta. Languenti enim ob opprimentem materiam naturæ partem oneris detrahere ex arte eſt, ſimul verò miſcere diluentia refrigerantibus, undè concitatum à medicamento valenti ignem poſſis reſtinguere, erit utile. Finem malis aquæ minerales ſulfureæ, ſive nativæ, ſive quales ex arte concinnavit Clar. le Roi Monſpelienſis, feliciter addunt, dùm partes invehunt ſanguini balſamicas & naturæ analogas. Raro hæc methodus fallit & ſanos reddit plerumquè quos contracta ex infortunio labes vitiaverat.

Verùm miſeri dantur homines quibus nil tale proficit. Sivè natura, ſive miſera eos ſic aptaverit hæreditas, ſive contractum ex infantiâ vitium rebelles curationi reddiderit; illos ſemper nunc hùc, nunc illùc dilata materies ulceribus ſuperficiariis quidem, ſed ſemper repetitis reddit obnoxios. Nunc articuli dolent immaniter, nunc muſculi, nunc angit miſeros angina: nunc perimit ſuffocatio, ſi deliteſcat materies in cutem delata: perpetuò cauſarii temporum mutationes prædicunt & prænoſcunt; pruritus cutim vexat, ulcera emicant, deſinunt illa rursùsque apparent. Nulla in perſpiratione periodus certa, ordo nullus, manus & pedes frigent plerumquè. Inuſtum eos cauterium aliquatenùs ſublevat, & per annos aliquos prodeſt, poſteà inutile. His ut plurimùm, niſi tamen ſubſit mucoſa craſſities, nocent mercurialia; attenuantia omnia ignem & fervorem indunt; ſubvertunt ſtomachum, ſimulque acorem ſero addunt diluentia. Verè Medicorum flagellum hujuſmodi mala dicenda ſunt. Ad ſimiles advocatus ægros vitæ regimen evertebam, & cùm œconomia univerſa à perverſo ſeroſæ partis habitu penitùs commota & læſa videretur, prodeſſe credebam omnia è præſenti ſtatu dimovens, ſi quidem fieri non poterat quin mutata in melius mutarentur. Hinc eos qui vinum largiùs hauriebant à vino interdicebam, volebamque ut aquæ potores fierent illi. Omnem eſcam prohibebam animalem, olerum & leguminum genus omne commendans; exercitiis præſertim quæ coctionibus

robur addunt confiſus. At cùm ſæpè contracta hæc labes ab athmoſphæræ humidæ incolatu pendeat, aliquidque ſcorbutici præ ſe ferat, datis parcè quidem & ſuſpensâ manu, ne nimis attenuarent, antiſcorbuticis, vertere ſolum jubebam & regiones ſole gaudentes aprico quærere; miro adeò ſucceſſu, ut in illo per habitum contracto malorum genere nihil prætulerim. Etenim omnia ferè medicamentorum genera quæ, vel cicurando, vel expellendo acri illi prædominanti offeruntur, aut ultrà, aut citrà inſtitutum remanent. Si quidem acria omnia erethiſmum intendunt acrique nativo vim efferam addunt; ea verò quæ mitificandi decus ſibi ambiunt, alterantur, mutantur & acrem indolem induunt, antequàm ad propoſitam ſibi metam pervenerint.

Duo tamen ad acre ſeroſum debellandum medicamentorum genera ſummè diſtinguenda ſunt. Primum balneis continetur; alterum verò in morbis cutis ſummè famoſum exhibent varia lactis genera ex arte adhibita.

Balnea certè quæ ſola tepida, nec cutim calore afficientia hìc prodeſſe poſſunt, non modò leni applicatu cutim mundificant & ſordes in eâ hæſitantes acredineque lædentes avehunt; ſed etiam aquam ſalibus acribus ſolvendis & mitigandis aptam intrudunt, & vaſa perſpirantia liberant. Quibus titulis quantùm prodeſſe poſſint ſi ſalubriter applicentur, perſpicuum eſt. Sed ſimul fatendum eſt ab iis laxari cutim, & ipſam poſſe, humorum impetum dùm excipit, etiam ab iis primo effectu vitiari. Prætereàque, ut aliquandò ob atoniam vaſa non exhalant, poteſt ab ipſis induci atonia exitui perſpirationis obſtans, relaxationeque nimiâ fatiſcere & flacceſcere poſſunt organa.

Prætereà humores à balneis non immutantur, & habitum quem inducunt illa, utut mitiorem, non tamen curationem appellare poſſumus. Pallient, per nos licet; at curationis gloriam potentioribus relinquant medicamentis. Nam quod balnea attinet, medicata ſulfurea ſcilicet, illa ad cutim detergendam quantùm valeant, non ignotum quidem, ſed illa ipſorum facultas non ab aquæ penetrabilitate pendet, non à pondere, ſed à ſulfureis bituminoſis cum ſale alcalino in ſaponem junctis partibus, quibus dùm ſolvuntur hærentes & affixæ partes, ſimul vaſa firmantur & in dulces aguntur oſcillationes. Nec fallit eos qui primis labris artem noſtram attigerint quàm falſo ſubſidio advocari hìc poſſint frigidiora balnea, quæ non roboranti ſolùm vi,

ſed etiam adſtrictoriâ agunt, cutiſque meatus ſubitâ actione conſtringunt, refluumque humorem adigunt in interiora. Hæc ſatis de balneis dicta ſint quæ ferè omnibus cutaneis morbis ſalubriter præludere debent, erethiſmo ſedando, laxandiſque cutis meatibus apta, ſed nunquam curatoria per ſe.

Non idem dicendum eſt de diætâ lacteâ quæ maximum afflictis rebus afferre poteſt emolumentum, & molem omnem humorum ita funditùs immutare & in meliorem formam adducere, ut malum, mali ſymptomata & cauſas ſimul eradicet & tollat. Quod quidem medicamenti genus quò majorem afferre poteſt utilitatem, eò etiam majorem exigit à Medico attentionem, cujus maximè intereſt magnâ diligentiâ diſcernere quibus in caſibus adhibendum ſit, & cæteris omnibus medicamentis anteponendum, quibus in rerum anguſtiis vix opem ferat, poſſitque vocari indifferens, quandò contrà noceat & fugiendum ſit.

Primùm quidem quoties humorum ſyſtema ingenti cacochymiâ turget, quoties ſanguis impurior ad cutem redundante dyſcraſiâ luxuriat, lymphaque acri veneno penitùs imbuta eſt, licèt puriſſima ſit & ſelecta atque delibata ex alimentis materies, lac vix prodeſſe poteſt; facillimè omnia lymphæ quâcum miſcendum eſt vitia imbibit; ab ipsâ primò infectum ſalivâ, dein novum defectum à lymphâ gutturali mutuatur jamque fœdatum defertur ad impuri latebras ventriculi, ibique ſordibus novis inquinatur. At ſi vitium lymphæ bilem infecerit, eique ſaponaceam abſtulerit indolem, ſpontaneâ aceſcentiâ & acredine ſimul ranceſcente caſeosâ peſſimum liquorem efficit, nec nutritium, nec innoxium. At intra ſanguinem crudus & lacteus latex delatus novam intentat pejoremque perniciem quàm quæ ab alimentis ſaponaceis & magis priſtinam ſervantibus indolem inferretur. Scilicet veneni acris efficacia inertem lactis indolem reddit, afflatque ipſi vitioſas vires quas altè concipit & imbibit, & indè medicamentum quod paucas ſuperaſſet ſordes, ipſas inviſcaſſet, earumque retudiſſet actionem, nocet maximè, quoties ab ipſis ſuperatur atque vincitur & quaſi veneno edomatur.

At quoties in acri latente ineſt aliqua acidi ſuſpicio, tunc verè lac vertitur in venenum. Hinc ubi cute ægrotante morbus articulos & oſſeam compagem efferis vexat cruciatibus, oſſaque videntur aliquâ ratione molleſcere, lac nocet. Nulla enim in rerum naturâ datur ſubſtantia quæ tam facilè ad acidum vergat,

quæ motu & calore concitata ebur ipſum & oſſa duriſſima emolliat. Hinc in pleriſque infantum cutaneis morbis diffluentibus, nullus ipſi locus relinquitur, aut in fœminarum poſt partum lacteis affectibus, ſero ut plurimùm acido turgentibus, bileque inerti nec eâ actione præditâ quæ poſſit lactea caſeoſa edomare. Hinc ergo etiam exulare lac debet in muci perverſi cutanei affectibus, cùm plerumquè illi morbi aceſcentiæ notas exerant, prætereàque in hiſce caſibus tota univerſalitas lymphæ peccet, cujus ut modò dicebamus, aliqua vis requiritur ad edomandum lacteum laticem.

At contrà ſumma eſt ejus efficacia quoties, vel inter ſæviſſimos ad cutem pruritus, inter etiam diffluentes humores, perſtat functionum vis integra præcipuèque concoquentium. Lac etiam & tutò & cum levamine offertur quoties acredo illa per ſe exiſtit, ut cum Hippocrate loquar, nullumque cum humoribus corporis inquilinis connubium iniit, ſed vi activâ nocet ſejunctâ atque ſeparatâ. Nam tunc lac ab humoribus corporis inquilinis ſuas dotes capeſſens, ipſis addit innatam dulcedinem, quâ partes acres inviſcantur atque deliniuntur. Hinc ergò ut quotieſcumque in glandulis deliteſcit humor ille iners & non actuoſus, lac obſtructionibus adaugendis habile maxima offerre debet nocumenta, moráſque earum ſolutioni & oſcillationibus quibus ſe expediant illæ injicere, ſic reſeratis organis & à priſtino veneno liberatis, partes oleoſas mites quibus & laxentur & reſarciantur adjicit, undè quod in principio morbi nocuiſſe debuerat, jam ultrà maturitatem deducto & quaſi emorienti malo detrahit ultimam nocendi vim, ſanitatique alas addit. Similis eſt ejuſdem efficacia in illis de quibus jam agimus, & de quibus in poſterum agemus morbis cutaneis, qui ob innatam craſſitiem potentiſſima poſtulant ſolventia viperina, antimonialia, aut mercurialia. Nam poſtquam efficacibus ſolventium illorum ſpiculis retuſa eſt & devicta craſſities illa, tunc & debellandis morbi reliquiis & impreſſioni medicamentorum compeſcendæ efficaciter lac contulit, ſæpèque ne recondita intùs maneret aliqua craſſitiei ſuſpicio, artis ſagax providentia lacteos potus aperientibus miſcuit. Aquas ſcilicet ſelteranas, ſpadanas, plumberianas, &c. lacte infecit, aut chinæ, ſarſaparillæ decocta cum potenti lacte temperavit.

At in hiſce omnibus, licet lac ſuſpensâ manu primùm exhibuiſſe religio fuerit, tamen ſi aliquam tibi ſpondes è lacte utili-

tatem, hùc deveniendum eſt, ut adhibeatur pro potu ordinario, & cibo in medicamentum converſo. Leviori enim malo tantùm aptanda erit leviſſima illa medicina quæ ex matutino aut ſerotino lacte conficitur, & ſimul alieni cibi ſuſpectam admittit miſcelam. Ut enim proſit lac, tinctura quaſi ejus perpetua debet intra ſanguinem trahi indeſinenter, ut nullo non temporis puncto acri occurrat illud & ipſi acre occurrat. Ergo dùm de lacte agitur ad morbos cutaneos perſanandos feliciter, non quotidiana tantùm lactis intelligenda eſt uſura, ſed perpetua illa & longum per tempus protracta. Verum quidem eſt dari non unam lactis ſpeciem luxu erudito ſeligendam, inter quas cùm leniſſimum ſit equinum, aut aſininum quod, cùm partibus caſeoſis minori copiâ donetur, levioribuſque butyroſis ſcateat, refrigerantis titulo exhibetur, & raró in cutaneis morbis avellendis adhiberi poteſt, licèt in temperando pruritûs ardore non minimi ſit usûs.

Prætereà veró ſi legitima fuerit lactis adhibendi indicatio, ſi eo aſſumpto coctiones rectè ſe habeant, valeantque ac perſtent, ſi vigor membris accedat, non ideò citò relinquendum eſt quòd ſub ejus præſidio cutis non eniteſcat ac reparetur; imbuendus eſt enim ſanguis lacteâ dulcedine priuſquàm ſperanda ſit ab illo ſalus, & antequam ipſum ſanetur malum, mutationis factæ ipſe color cutis præſtabit argumentum. Nam vultûs cutis imò & totius corporis albeſcet aliquatenùs, & quædam ſano & laxiori corpori proprior humiditas undequaquè diffundetur. Nec eſt quòd hiſce lactis proprietatibus diutiùs immoremur, ut potè probè cognitis & omnium Medicorum conſenſu comprobatis.

In hujuſce generis morbis qui, vel à craſſioris muci vitiis oriuntur, vel à ſeri acrioris indole, videtur quidem humor ineſſe actuoſus, indè ſe ſe multiplicans quòd fermenti jura capeſſat. At alia eſt ratio in illis morbis quibus redundans humor omninò iners eſt, tùm ad ſanitatem, tùm ad perniciem. Perſtat tantummodò & exiſtit humor, quia primò productus eſt, & à conſtitutione corporis degeneri enatus atque educatus. Tales ſunt herpetes illi acres, farinoſi, miliares, prurientes, qui quâ ratione incipiant, quâ de causâ deſinant vix aliquis rationem reddere poſſit; plures homines vel unicum in unico loco experiuntur herpetem ſemper in eodem. Aliqui hieme tantùm aut autumno iis affliguntur. Nec eos illud fallit phœnomenon. Aliqui illis miſerrimè conflictantur, dùm nunc deliteſcens venenum tuſſi

fatigat, ſuffocatione angit, teneſmo miſerè afficit, ſecuri ſi ad cutem feratur humor. Aliquibus fœminis præſertim menſtrui apparent herpetes, & menſtruis deſinentibus, qui antè pubertatem extiterant rursùs apparent incautis & nil tale expectantibus. Eadem eſt hæmorrhoidum vis in viris, & quarumcumque ſecretionum ſuppreſſarum; imò quodcumque aliquam parit atoniam & functionum languorem, ſæpè procreandis herpetibus contulit; ita ut in nullâ aliâ corporis affectione adeò concordia reperiantur ſymptomata cum perſpirationis defectibus, ſecundùm immortalia Sanctorii præcepta; hinc in illo morborum genere rectè dici poſſet non tàm adeſſe morbum, quàm excretionem quamdam naturalem à vitio coctionum & perſpirationis ortam, quam etſi non exiſtere melius foret, non tamen citò ſanare ſine eorum originis correctione tutum eſt.

Videtur ex hâc expoſitione poſſe extare in corpore herpetes nullius momenti, imò & vix aliquâ dignos conſideratione ampliori, cauſiſque ortos, ut ſolis ardore, &c. fugacibus. Hi levibus, aut nullis ſanantur medicamentis, & per ſe tolluntur, inſtauratâ coctionum actuoſitate & integritate perſpirationis reſtitutâ; alii à causâ altiori pendentes erethiſmoque criſpante orti ſolis diluentibus tolluntur, quos & ortus & phœnomena ſatis indicabunt, præſertimque cutis ſplendor atque tenuitas quæ vix perviâ epidermide his affectionibus cutem efficit idoneam & quaſi patentem. Alii demùm quaſi innati & aut hæreditatis jure diffuſi, aut quocumque infortunio contracti pravo victu invaleſcunt. Prioribus ſanandis ſatis erit cauſam & noſcere & tollere; poſterioribus verò tollendis arte opus eſt & illâ quidem efficaci. In quâ tamen admovendâ gradus eſſe ſervandos ratio edocet. Cauſarum hìc ſola curatio inſtituenda. Quæ enim methodus lymphæ mucoſæ vitia debellaret, ortos à bilis vitiis herpetes peſſumdaret. Undè hìc curatio ferè univerſum medicinæ ambitum continet; ſæpè enim fit ut herpes nihil ſit aliud quàm excretio præternaturalis cauſæ cujuſvis etiam ab aliis ita abſimilis ut contraria videri poſſit.

Plures vidi quos tuſſis acris vexaret ſimul cum erumpentibus herpetibus, quod vitium mulierculis noſtris familiare eſt. Has ego ſæpè ſolo lactis uſu aſinini perſanatas obſervavi. Omittebatur lactis illius uſus, illicò herpetes renaſcebantur; ita ut ex arte fuerit ipſis quolibet vere, autumno quolibet, remedium illud

renovare. His & aliis multis quantùm noxæ intuliſſet qui mercurialia obtuliſſet imprudens, qui amarorum genus omne obtrudere eſſet auſus, aut ſibi ex viperinis volatilibus plauſum ſucceſſumque quæſiiſſet. Alios eâdem ferè facie morbus invadit, at conſtitutio prorsùs aliena. Vari faciem deturpant, flavedine tingitur illa, oculi nigrantes, lingua aſpera, borborygmi bilem vitiatam atque peccantem ſignificant; ipſis lacticiniorum omnia genera pro veneno ſunt; prodeſt ventrem ſubluere, imò concutere & catharticis frequentibus ſubducere. Nonnulli ſunt in ætate præſertim inclinante herpetes quos ad catharrorum normam dirigere ars imperat. Eadem ſunt herpetum atque catharri fata: perſpiratio ſcilicet reſtituenda atque coctionum proventus ante omnia reſarciendus eſt.

Videtur indè ſatis & intelligitur non eamdem eſſe normam morborum horumce cutaneorum, nec ergo eamdem methodum. At aliquid commune tamen omnes morbi cutis non per ſe depuratorii, ſed per artem depurandi indicant; obſtruunt enim vaſa tenerrima, eaque titillant. Tria ergo oriuntur indicationum genera. Quarum prima multis debellandis affectibus ſatis eſt, altera aliquibus tantùm competit, tertia alias excipit ex cognitâ œconomiæ animalis ſtructurâ. Prima & prævia omnibus aliis in diluentibus, demulcentibus & edulcorantibus conſiſtit, non ſolùm ut acre retundatur, & ſymptoma cuti proprium prurigo ſæpè convulſiones efferas importans tollatur, ſed etiam ut dilutum ac cicuratum venenum meliùs mobile reddatur & remediis obſecundans. Altera eſt particulas nocentes inviſcandi per lactea & dulcia mucilaginea, qualia à teſtudinibus, limacibus, hordeaceis ſuppeditantur. Quæ ſi non conditionem illam expleverint, ſupereſt ut acre minùs cognitum expellatur: ad hunc uſum proſtant illa remedia quæ vulgò ſanguinis depurantia vocantur, à quibus ſi ea ſuſtuleris quæ vim illam à naturâ obtinuêre ut intra ſanguinem admiſſa partes naturæ tùm ſale, tùm oleo analogas ſuppeditent, ſupererit univerſalis indicatio impacta reſolvendi & craſſa attenuandi, cùm negari non poſſit particulas in ſummâ hærentes epidermide exitum non reperire, quia earum diameter vaſis diametrum excedit. Tertia demùm eſt attenuata vacuandi. Verùm ut attenuandi indicatio ſummè fallax eſt, ita etiam vacuandi intentio fluxa evadit ſæpè, imò noxia. Vacuare enim humores facile eſt: at quos vacuare oportet, nec alios exprimere & extundere id ſummæ opus eſt aleæ. An ergo dentur

univerſalia humorum ad cutim hærentium attenuantia ? Hæc prima erit diſquiſitio ad quam ſecunda referetur vacuantium adhibendorum elucubratio ?

Quamvis autem attenuantia nulla dari univerſalia perſpicuum ſit ex ipsâ tenuationis naturâ quæ per ſe in naturæ ordine idem ac coctio ſonat, & ſolis corporis integri viribus fieri poſſit, quo nomine quidquid crudum, craſſum atque iners fuit concoquit, attenuans dici poteſt, dari certum eſt aliquas ſubſtantias quæ intra vaſorum tenuiſſimorum ſyſtema admiſſæ non ſolùm partes acres venenatas deſtruere atque edomare valeant, ſed coagula ab ipſis facta poſſint reſolvere, & ſic adaugere perſpirationem quâ demùm omnia nociva extrà corpus foràs pellantur. Certum eſt omnium Medicorum obſervatione & conſenſu demonſtratum perſpirationem intendi & ſanguinis partes tenuari potentiſſimè lignorum Americanorum auxilio, ſulfuris mineralis efficaciâ, ſalium volatilium alcalinorum ope, ac per tenuiſſimam ſpiritûs animalis in quibuſdam animalibus volatilitatem. Quippè priora, etſi non calentia adhibita fuerint, mediocriter tecto corpore ſudores eliciunt, & data ante juſtæ perſpirationis horam, poſt illam elapſam ſi corpora detractâ alimentorum & potulentorum ſummâ ad ſtateram Sanctorianam expoſueris, mirum in modum leviora reperies. Nec mirum. Partes enim eorum, utut ſummè addenſatæ, tenuiſſimæ tamen ſunt & vi ſummè penetranti donantur. Nec credo aliâ ratione agunt ac ſulfur ipſum minerale, quod, licèt alii aliud putent, intra ſanguinem ſenſim introductum mirum in modum attenuat & glutina diſſolvit ; quod enim ſectis animalibus quibus ingeſtum fuit facilè reperies, in ipſis inteſtinis vertitur in hepatis ſulfuris formam, quâ ſub formâ intra ſanguinem receptum vel ipſis annulis aureis colorem nigrum conciliat & fœtorem indit urinis maximè notabilem. Hinc ipſum, ut & ex eo conſtantia medicamenta, tenuandi vi pollere pronunciaverim, indèque in morbis cutis lichenoſis, ſcabioſis, porriginoſis plurimùm valere, quòd acribus lædentibus aptum tollat vehiculum atque vinculum cui adhærent illæ, ſolvat. Salia verò volatilia ipsâ ſuâ volatilitate proſunt, quâ mucoſa potenter tenuant, quâ fermentationem arcent, ſimulque ad vaſorum fines ultimos, morbificas propellunt atomos. Hinc quotieſcumque data fuerit occaſio talia adhibendi medicamina, nullatenùs mirum erit ſi furfures,

furfures, ſi lichenes augeſcant aliquatenùs, auctâ ſcilicet ſanguinis vi, aucto impetu. Ea ſi dederis ſerò ægrotantibus equis, manè mirantur equiſones ab illorum corpore ſordium immenſam vim per poros eliminari. Idem eſto judicium de variis antimonii præparatis quæ iſtud habent, quòd dùm attenuant, ſi ritè fuerint præparata, ſimul pro re natâ & naturæ determinatione nunc eliciant urinas, nunc perſpirationem promoveant, nunc etiam ſolvant alvum. Objicietur verò parùm fidendum eſſe illis præparatis ex merâ calce conſtantibus quæ vix ſuperare queunt vaſorum tramites. Modeſtè tamen, nec aſſeveranter his reſpondere licuerit nimiùm ſapientibus, quòd ſi calx illa merè abſorbens ſolo è carbonibus, aut quâcumque aliâ materiâ petito phlogiſto poſſit ad ſpecificum ſplendorem metallicum revocari, ineſſe ergo debuit aliquid quod ad ſimplices calces non pertineat. Sentiant circa illud Chymici ut lubuerit; at Medico obſervanti incognita illa mineralis atomus poterit videri ut fons & origo eximiarum in mutando corpore poteſtatum. Aliundè verò ipſa calx ſimplex, ipſa aqua calcis ad potum præparata, vix intra ventriculum admiſſa aliquandò tales elicit effectus, quales ex prævisâ ipſarum naturâ nemo ſibi poſſet ſpondere; nam non rarum eſt admiſſâ intra ventriculum calcariâ ſubſtantiâ illicò ad cutem pruriginoſam exurgere eruptionem citò diſſolvendam.

Eadem efficacia in viperarum carne ab aliis deprehenſa, negata forſan nimìs temerariò ab aliis, non ab evoluto ſale alcalino volatili, quod nullum eſt, pendet, ſed à tenuiſſimâ partium compage in animale fetidiſſimo moleculis quoque per ſe donato acerrimis. Forſan hùc & revocanda millepedum, cantharidum, aliorumque inſectorum prædicata vis attenuans, quin & plantarum illarum antiſcorbuticarum aperiens efficacia cæterorumque medicamentorum quæ vulgari nomine vocantur purificantia lympham.

At in his omnibus ad uſum revocandis medicaminibus mirum eſt quantâ opus ſit cautelâ, ne erethiſmus ingraveſcat, ne pervertatur ordo naturæ, ejuſque in meliora laborantis effectus ad pejora detorqueantur. Ordo autem artis eſt ut non niſi bellè præparatis corporibus, jamque ad tenſionis mediocritatem redactis, exhibeatur attenuans methodus. Et ut in re incertâ, ſi à tenuioribus & minùs actuoſis incœperis, ipſa tibi indicationes ſufficiet ex Hippocratis mente ſymptomatum levatio, firmioremque efficiet ad fortiora capeſcen-

da, ſtatutis ſimul quietis intervallis, vel longioribus, vel brevioribus.

Jam verò ab attenuantibus ad vacuantia quæ ſuum ſibi locum vindicant ordò nos devehit. Licèt enim ille fuerit attenuationis ſcopus ut partes morboſæ fiant mobiliores, ſicque quaſi ſpontè eliminentur è corpore, metuendum foret ne dùm hæſitant ad vaſorum oſtia, & quaſi ſtagnant, novos conciperent, aut cum ſero, aut cum muco lymphatico nexus, ſicque malum recrudeſceret. Hinc ubi ſemel per indicationes noveris tenuatam materiem, fluctuantemque indicabunt tùm laxitas cutis, tùm excretionum naturalium mutatio, ars præſcribit vacuationibus eſſe curationem ita aggrediendam, ut dùm de morbo detrahis, nihil de naturâ detrahas, ut te viribus ægri & gradui morbi ſemper proportionalem jactare poſſis. Criminabatur olim Helmontius dogmaticos Medicos quos Galenicos appellat, quòd ſe fœdâ ſcabie laborantem purgantibus exhauſiſſent, non curaſſent; nec immeritò, ſi ſuos Medicos potiùs quàm artem captare voluiſſet. Sed ſi iis attenuantibus, qualia profert ipſe, aut melioribus, qualia ſuppeditat artis armamentarium, opus adorſi purgantibus exegiſſent, leviori viro nullus conviciorum locus ſuperfuiſſet.

At verò quoniam illi morbi non unicâ vice, aut unico temporis puncto tolli poſſunt, ubi aliqua pars tantæ molis in motum acta eſt & tenuata, tardare in talibus malum, artiſque eſt operoſæ, nec ſanè facilis attenuantia interpolare purgantibus plurièſque rem iterare, ut multiplicibus vicibus id efficias quod labore improbo una medicatio exhaurire non poſſet; verùm ut non omnia medicamenta attenuantia omnibus eadem conveniunt, ita non omnibus caſibus cathartica eadem competunt.

Enimverò quoties humor à vitiatâ lymphæ tenacitate & compage pendet, cùm malum ad univerſum corpus pertineat, ubi tenuatio, aut naturæ, aut artis viribus peracta eſt, nullum eſt quod non conveniat ex evacuantium genere. Si certa darentur ſudorifera, ſi urinam certò cientia miſcenda catharticis, id foret optimum. In id omni ope atque operâ enitendum. Unde cùm quiſque agyrta talibus ſua jactet pharmaca virtutibus, tot & tanta falsò venditata ſunt nomine quæ artis noſtræ propudium, ſi non pigeret referre, ipſe numerus conantem præpediret. Ad ſequentia tamen illa referuntur, aut ex antiquis revocata librorum tenebris, aut à ſucceſſu aliquo ex umbrâ ſublata, aut imaginandi libertate conficta.

Veteres enim Medici, antequam mercurius & ſtibium à Chymicis vexata fuerint, cùm viderent à validâ reſinarum purgantium actione homines ita ſolvi, ut quaſi ſubitâ actione marceſſerent, potentiſſimam illis ſolvendi vim tribuerant, & cùm nullos eſſe putarent quos non valerent elicere humores, morbi cauſam atque fomitem his poſſe abradi crediderant. Peplium, helleborum utrumque, cyclamen, colocynthidem, turpethum ad revellendos, avellendos & tenuandos humores cutaneos adhibebant. Plerique poſt præparatum ægrum, aliqui inſulſo & ferè mortifero freti ratiocinio malo nodo malum cuneum eſſe quærendum, ſtatim ea cum ingenti ægrorum ſtrage in uſum advocarunt. At obſervatio formidinem incuſſit; terrifica medicamenta correcta, adulterata, mitigata uſui fuerunt. Hinc tot pharmaceutica præparata, panchymagoga, hieræ, tabellæ de citro, aliaque hujuſmodi, quæ reverà refractâ doſi ſolventem exerebant virtutem, mediocri purgantia, fortiori draſtica erant. Sed poſteà per mercurialia & antimonialia res mitiùs agi cœpit. Tunc purgantia hæc omnia ex uſu noſtro ferè exolevêre; niſi tamen prioribus mineralibus mixta exhibeantur, aut ex Doctoris præſcripto, aut in Pharmacopæis, ut ſunt pilulæ mercuriales variæ, morſuli antimoniales, tincturæ, elixiria & alia hujuſce modi.

Vix eſt quòd nos hujus voluntariæ paupertatis pœniteat, fatendum tamen eſt, non eamdem eſſe vim ſolventem hellebori, non eamdem colocynthidos, non eamdem antimonii, non eamdem aloëticorum; hæc hæmorrhoides aperiunt & debent præferri in morbis cutaneis qui ab harum ſuppreſſione ſumpſerunt originem. Helleboro vis ineſt quâ ſerum ad caput delatum trahat potentiùs; colocynthis inertes atque ſtupore quodam hæſitantes glandularum fibras potentiùs vellicabit. Jalappa in bilem movendam princeps eſt efficaciâ, hunc ſi gummi ammoniaco ſaponique, vel etiam melli atque ſaccharo miſcueris intimiùs, quàm mirè ſolvat, vix referri poteſt. Varia quid hìc memorem ad ſingulos articulos & tractationem peculiarem morborum mox referenda. Certè optimo pariter inſtituto in hiſce morbis inventæ ſunt ptiſanæ ſudoriferæ purgantes, quibus vir indoctus & inficetus famam ſibi & lucrum in hac civitate olim quæſivit. In hiſce enim morbis quâcumque viâ, quâcumque ratione tenuata vacuare optimum eſt, & nullus dubito, ſi practicis fidendum eſt qui in calidiſſimis terræ regionibus medicinam factitarunt, quin ibi ſudorifera ſola

tenuantia, poſt diluentia & balnea rem omnem confecerint, cùm facilè ibi perſpiratio reſarciatur, & exempla, tùm aliis, tùm mihi benè cognita probent ſolâ climatis frigidioris in calidum mutatione ſimilia mala prorsùs evanuiſſe.

In morbis verò cutaneis qui à bile pendent vitiatâ, quales frequenter commemoravimus, ut alteriùs ſpeciei tenuantia conveniunt, amara ſcilicet, quæ bili partes tenues & analogas ſufficiunt, ut ſaponacea, gummoſa ammoniacum, bdellium, opopanax, &c. ſapones arte facti, aut fixi, aut ſemivolatiles, plantæque amaro ſapone præſtantes, fumaria, taraxacum, cichoria, borraginea, troxyma oleracea, cathartica pariter leniora adhiberi in viâ patente & perviâ æquum eſt. Talia ſunt ſenna, rheum, manna, jalappa aliaque quæ à veteribus chologoga dicta, nunc laxantium catharticorum titulo gaudent.

In genere verò patet ex ipſis univerſam illam methodum medendi per omnem artis ambitum æquè diffundi, cauſarum varietate circumſcriptam, temperamentorum nunc conſenſione, nunc diſcrepantiâ, aut confirmatam, aut debilitatam, medentique non deeſſe ſubſidiorum materiem, ſed methodum adhibendam eſſe quæ non deſerit, vel in maximè ancipiti tramite titubantem, eum qui Hippocraticis imbutus præceptis, ſcit ſe mederi debere, tùm communia, tùm propria intuentem. Noſtra ergo univerſalis curatio peracta eſſet, ſi non ſerium nobis proponeretur ante oculos examen & topicorum adhibendorum, & eorum usûs aut legitimi, aut rejiciendi accuratior contemplatio. Quod nobis ultimum generalis curationis caput conſtituit, dùm rem prorsùs empyricam & temeritate infamatam ad ſeveræ artis æternas leges tentamus revocare : ut poſteà dùm de particularibus morbis agemus, eadem ſollicitudo properantibus nullam jam moram injiciat.

ARTICULUS V.

De Morborum in cute naſcentium Curatione & de Topicis.

Alia eſt ultima morborum claſſis qui in cute naſcuntur, eamque afficiunt, intactis functionibus cæteris, & in ipsâ hærent, nec poſſunt niſi per accidens, id eſt per incautam & imprudentem curationem ad alias partes confluere. Tales ſunt nævi, aſperitates,

verrucæ, acrochordones, cæteraque hujus generis mala, quæ extrà circulationis limites poſita ſunt. His etiam addes vermes, pediculos & alia inſecta quæ quidem plus in hâc quàm in illâ cute naſcuntur, & mucoſis morbis familiares ſunt, at extranea tamen naturæ ſymptomata dici debent, quæ nec ſine morſu, aut decubitu inſectorum unquam exiſterent. Quibus ſi addas ſcabiei & herpetum illam ſpeciem quæ contagio quaſi ſubito naſcitur, & ſine ullâ morâ, ſine internâ prophaſi, ſine ullo gradu progerminat, quæque forſan ab inſectorum morſu pendet, habebis idæam integram morborum illiûs claſſis omnium.

At cùm prioribus hiſce morbis ſæpè ſufficiat chirurgica curatio, aliis verò competat etiam topica & localis, non ea tamen nobis mens eſt ut omnem ab interioribus curam arceamus, & vacemus ſollicitudine circa cauſas latentes. At in eo caſu perſpicuum eſt non alias eſſe quærendas indicationes, quàm eas quæ offert œconomiæ animalis aliundè cognita in malum inclinatio, remque in loco peculiari ſævientem eſſe etiam remediis particularibus debellandam.

Et certè tutius eſt & promptius Chirurgiâ tollere nævos, verrucas, ſi priùs tamen attentâ & repetitâ vitæ hiſtoriâ & conſideratione luſtraveris annon in illis aliquid inſit depuratorii, quo vita meliùs ſe habeat ? Si autem ferro, aut cauſtico leni atque repetito ſine inflammatione utendum ſuaſerit ſatis cognita mali localis natura, benè eſt, nulla remanet cautela aſſumenda. Si ſuppurationis opem advocaveris, quod ſæpè major ipſorum requirit amplitudo, id tibi ante omnia luſtrandum eſt, an in ipſorum duritie aliqua inſit ſcabrities & ſuperficiei aſperitas, aut radicum ſub cute latens altiùs porrecta latitudo, à quibus cancroſam metuas indolem ? Turpe enim & impium fuit, nec inauditum tamen, habitos fuiſſe pro ſimplicibus & facilè evellendis tumores qui inexpectatam efferam indolem ſub ipsâ medicatione manifeſtam fecerint, & ægrum cum artis dedecore è medio ſuſtulerint. Hos ergo noſſe intereſt & circa eos illud notabimus. 1°. Rarò ſolitarios apparere. 2°. Rarò ſine causâ gravi præcedente. 3°. Rariùs ſine immanibus emicuiſſe doloribus, qui poſteà conticuerint. Demùm fatendum eſt expertos & in arte verſatos rarò ab eorum aſpectu falli. Hos oportuit, ſi cætera ſinant, aut ferro univerſos & protinùs evellere, aut ſi fallax cauſticum placet, ita uno ictu ad uſque intimas radices com-

burere, ut nulla timeatur redivivi incendii ſcintilla. Ad lemas enim combuſtæ partis mirum eſt quantâ copiâ pullulent impuriores & feraciores quàm anteà ſurculi ; ſumptâ ab exciſis vegetantium ramis analogiâ, vegetationem hanc vocant. At in ſimplicibus cutis tumoribus ſimpliciora & repetita cauſtica requiruntur. Hinc etiam petitum olim à vegetantibus lac reſinoſum ſiculneum ; hinc chelidonii, thytimali imò & plantarum reſinoſarum purgantium ſucci jactati ſunt.

Ne autem corpore alioquin ut apparet ſano te ipſum in ægri perniciem hallucines, id primùm & ante omnia tentandum, ut interiora benè munias. Proderit ergo aliquibus bilem emendaſſe, & ſordes inteſtinorum benè fugaſſe, limphæ attriviſſe tenacitatem, parcâ tenuantium ſuprà expoſitorum doſi, dein etiam ſanguineum laticem bellè prodeuntibus urinis expurgaſſe. De re jam peractâ nihil ampliùs addemus, ſufficiat annotaſſe maximi ſimul eſſe momenti omnia in uſum adhibere tunc temporis ad cutem laxantia, ſive balnei, ſive fomenti formâ, quibus ſi interiora humore turgeant, pars laxata omnem humoris ſuſcipiat apparatum, ut oſcitantes non opprimamur.

Prætereà verò hìc notari velim quod à me non ſemel annotatum eſt, dari humores ad cutem herpeticos qui non à vitio cutis pendeant, ſed à ſubjectarum membranarum nimioperè tenſarum, aut ipſiûs textûs cellularis vitio repetendi ſunt. Sic erumpentibus ultimis molaribus dentibus quos ſapientiæ vulgus vocat, non rarò in delicatulâ muliercularum maxillâ herpetes erumpunt. Idem vidi in abſceſſu alveoli à dente carioſo facti. Hos fruſtrà, niſi causâ morbi ſympathici ſublatâ, curare aggreſſus fueris. At ſi topicis tentandi ſunt quæ ſæpè ſuadet & perſuadet pruritus enormis, quis alia auſit adhibere præter laxantia, diluentia, emollientia ? Sæpè ardor immanis coegit ut vel frigida applicentur, imò vel nive refrigerata ; quæ dùm tonum ſimul addunt & diluunt, maximè calori ſimul atque humoris affluxui medicinam ferre viſa ſunt : abſit ſaltem gangrænæ periculum quod metuendum eſt, ſi vaſa jam rupturam minitentur. Frigidum enim actu calenti parti applicatum ſummè repercutit, & vaſis plenioribus appoſitum ea rumpere poteſt actionemque tollere, ſicque mortem inducere, gangrænâ productâ, etiamſi nullum ſupponamus retropellendi humoris periculum.

Exceptionem huic regulæ faciunt tumores illi liveſcentes cute

ſenſilitate ſimul & actuoſitate deſtitutâ, qui à glaciali oriuntur frigore, cùm membra præ frigore congelaſcunt. Tunc enim nullum cùm ſit aliundè retropulſionis periculum, prodeſt algenti nive membra perfundere, quæ lenibus oſcillationibus vaſa in actionem minori frigore revocet. Hos tumores, ſi malo conſilio ad ignem admoveris eos, rumpes & brevì, deſtructo omni organiſmo, ſphacelus lethalis aderit. Lenia omnia primùm ſuadenda ſunt, quibus per gradus ſenſimque ſine ſenſu revocetur calor, poſteà verò locum invenient aromatica reſolventia.

Poſt primam laxantium appoſitionem, certiſque jam nihil eſſe metuendum ex humoris retropulſione, proximum in materiâ chirurgicâ locum ſibi vindicant reſolventia. His tu fides, ſi malum ex accidente ingruerit, ſi corpus ſanum cauſam latentem non arguat, ſi laxitas partis roborantia poſtulet, quibus ad oſcillationes fiant vaſa alacriora, & tùm ad hoſtem tenuandum, tùm ad expellendum aptiora.

Quamvis autem nulla ferè ſit ſubſtantia quæ reſolvens dici non poſſit, ſi vaſa titillet leniter, & interiùs per poros accepta patulos partes poſſit inſinuare contentis & præexiſtentibus tenuiores, tamen attenuantia illa ſeu reſolventia externa in tres licebit claſſes dividere.

Primam conſtituunt reſolventia ſic propriè dicta quæ ſimul laxant, mucagine referta miti ac dulci, ſed ſubacribus ſcatente partibus, ut ſunt farinæ reſolventes ſic dictæ ex orobo, fabâ, ſecale, hordeo, & alia hujus generis multa quibus auctores ſcatent. Altera claſſis reſolventium ea continet quæ ſimul adſtringunt & propriè diſcutientia dici debent. Ab illis, aut nulla, aut pauca partium contentarum attenuatio ſperanda eſt, ſed terreis ſtypticiſque ſcatent partibus, ſimulque dùm ſtringendo roborant, partibus acribus oſcillationes vaſorum exſuſcitant; ut ſunt pleræque plantæ ſtypticâ donatæ virtute, ſigillum Salomonis, bugula, brunella, flores balauſtiorum, roſæ rubræ, ſanicula, aliaque medicamina hujuſmodi quorum in capite rectè addes ſaturnina omnia præparata, ſi præſertim ex aceto adhibeantur. Tertiam demùm claſſem quæres in aromaticis herbis odoratis quæ roborant maximè, ſtringunt parùm, quibus ea virtus ineſt ut oſcillatione vaſorum & calore redivivo, concreta ſolvantur ac in motum rursùs agantur reſorbta. His omnibus claſſibus ita virtutes medicatas diſtribui voluit rerum fabricator omnipotens,

ut ſæpè ex unâ in alteram claſſem vires videantur fluxiſſe, & aliundè poſſit ars, cognito ſemel & explorato morbi ſtatu, eas ita admiſcere inter ſe ut virtutes dirigat & quaſi reducat in numerum; his autem ſolventibus olea & balſama prudens non admiſcui, etſi varia ſint ex his ad ſingulas modò memoratas claſſes referenda, quòd illa in omnibus cutaneis morbis ſuſpecta meritò habeantur. Poros enim conſtringunt & conſtipant, exitumque humori morbifico etſi non denegent, ut experimentis didici, ranceſcunt facillimè calori cutis expoſita, & ſuppurationi promovendæ, inflammatione auctâ potiùs inſerviunt, quàm reſolutioni, cui rarò poſſunt conducere.

At ante omnia quæ ad cutim admoventur reſolventia primum & principem locum jure meritòque obtinet mercurius. Qui tamen non omnium horarum, nec omnium morborum cutaneorum medicamentum eſt. At quoties tenacior lympha, nondùm deſtructo vaſorum mechaniſmo hæret in anguſtiis, nec periculum eſt ne mobilitate partium auctâ, venenata pars in vaſa ferocior regrediatur, concretam atque coagulatam ſolvet pharmacum potentiſſimum. Sed ut maximè penetrabile eſt, ita, ſi non omnia intùs ſarta tectaque ſint, nunquam caret periculo. Solvenda æquè ſolvit ac non ſolvenda, undè ubi nulla luis venereæ latet ſuſpicio, moderatè primùm & refractis doſibus applicandum eſt, & quàm fieri poteſt puriſſimum. Si enim eum acido ſolvente fœtum inter ſolventia adhibueris pro vi ſuperſtitis acidi evadit aut ſtypticus, aut cauſticus. Quæ quidem virtutes ſuum habent locum, at à ſimplicis mercurii applicatione diverſum. Secundum ab eo locum inter reſolventia obtinent præparata ſalina antimonialia, imò & multâ dilutus aquâ famoſus ille tartarus ſtibiatus reſolventis titulo appoſitus, inter fomenta vim miram, me teſte, exeruit.

His ſolventibus morbi cutis tenuari tollique poſſunt, & ſanari, ſi tamen mitiores fuerint illi, nec ulceroſi, aut cruſtoſi. Ea autem ſolventia in quibuſcumque morbis ſic apponi methodus jubet, ut à ſolventibus laxantibus incipias, poſteà mercurio rem conficiendam, aut antimonio committas, opus verò poſteà abſolvas per roborantia topica, quæ hoſte profligato partes fulciunt, ne rursùs in debilitatas & priſtino infirmatas morbo irrumpant. Hiſce remediis aliqua alia nuperrimè adjungi placuit, ut cicutam quæ externè ſemper inter potentiſſima ſolventia numerata

merata fuit ; verùm in cutis morbis illud habet periculi, quòd cutem vellicet potentiſſimè, ruboreſque in illâ exſuſcitet. Fomentum tamen ex ejus radice & foliis poteſt eò efficaciùs adhiberi, quòd, ut multæ aliæ ex ſolanorum gente plantæ, dùm partes ſolvit & attenuat, etiam narcoticâ virtute dolores delinit & temperat.

At quoties humor innoxius ſine ullâ inflammatione ad cutim fertur, nec mutata ejus eſt natura ; imò ſi ut in oculorum morbis in morâ periculum eſt, quid vetat etiam ſtypticis, adſtringentibus terreis uti ? Nam malum in partibus ad vitam aut gratiſſimum ſenſum neceſſariis morari & in iis inveteraſcere peſſimum eſt. Talem exhibent caſum oculi proptoſis, ſupercilii ſubverſio, herniæ ſimplices corneæ. In genere tamen veteres noſtri auctores, ſi chartas eorum conſulas, tibi adſtringentibus abuti videbuntur in omnibus cutis affectibus, ad quorum uſum cautelæ modò deſcribendæ attentè obſervandæ ſunt.

1°. Non dubium eſt iis omnem curationem conficiendam dari, quoties v. g. malum ab ardore ſolis incumbentis ortum eſt, ſano alioquin corpore ; hinc primà medicantis cura in id reponitur, ut ſciat an à ſolis actione & vi pendeat morbus ? an ſolis radii pro causâ tantùm determinante habendi ſint ? quòd à magnitudine ſymptomatum, cauſæ vel proportionalium, vel multò majorum judicabis. In frigore conglaciante & partes congelante pariter nullus ſupereſt hæſitationi locus.

2°. In cauſis quibuſlibet externis, ut contuſis & vulneribus, nullus pariter dubitandi locus ſupereſt. Sit tibi tantùm ante oculos cauſam externam poſſe latentis cauſæ determinationem facere, idque, ut diximus, collata ad cauſam ſymptomatum magnitudo edocebit.

3°. In recentibus ſano corpore contagiis, cùm nondùm illa altam traxêre intra corpora originem. Sic in recenti ſcabie, qualem novitii in fœdis noſocomiis acquirunt, poſt levem ex attenuantibus petitam catharſim ſanat ferè protinùs unguentum ex ſulfure & mercurio, aut ex ſulfure ſolo & mercurio ſolo. Sulfur enim inter ſtyptica reſolventia numerari poteſt, & mercurius ubi cum acido pinguedinis levi vinculo coaluit, eamdem exercet facultatem. Lapathi decocta, aquæ aluminoſæ idem præſtant.

At maxima & certè ſummi momenti circa horum ſcilicet reſolventium topicorum venit enodanda quæſtio, an adhiberi in morbis etiam depuratoriis debeant, & quandò poſſint verum præſ-

tare ſubſidium ? Ea enim aliquorum eſt in iis admovendis temeritas ut imperitè & in perniciem ægrotantium obtrudant ; ea aliorum nimìs cauta providentia ut horreant ab eorum nomine, & ſi quid mali in machinâ acciderit, etiam longos poſt annos, infelicia topica incuſent. Intereà verò Medicis illis nimiùm cautis ſæpè accidit ut ſub ipſorum oculis ab agyrtis ægri reſtituantur quos ars nimiùm cauta quaſi inſanabiles aſpexerat.

Certè omni cordato & humanitatis amanti Medico piaculum erit incipienti, imò & adulto morbo topica reſolventia ſtyptica obtrudere, qui ſi ulla poſtulet apponenda medicamenta, ea è diluentibus erunt ſumenda.

Præterea raro admodùm medicamenta hæc ſtyptica in morbis non dilutis, nec vaſis mollioribus, effectum ſuum exerunt; grandeſcit ſub eorum actione malum & mirâ rapiditate in vicina proſerpit quæ acri craſſitie inficit, indurat, & reddit ut magis aſpera, ita & prurientia magis. Nec tamen minùs pars aliqua poteſt intimas ſubire partes, & malum interius exteriori addere. Id autem, utut pravum ſit & mali inſtituti, minus malum eſt quàm ſi effectu ſuo non fraudatum topicum partes interiores corrumperet. Quod de incipienti malo dicimus, id etiam de adulto & furente intelligendum eſt. Obſtat actioni reſolventium ſtypticorum ipſa inflammatio, & gangrænæ aut rupturæ metum intentat. Sicque, nedùm ſucceſſu fallaci habeat undè plaudat ſibi agyrta, brevì propoſita repudiare remedia cogit ipſe fervor, & novo furore ſæviens incendium.

At ubi jam tenuato humore expulſoque, ut per ſanitatis reſtitutam integritatem augurari poteſt, veneno, cutis tamen remanet imbuta humore jam non acri, ſed quod vetet hiantia & eroſa aperiri ad perſpirationem vaſcula ; ubi jam non ſerum acre depluit, ſed lemæ ſine pruritu exeunt ; ubi concedit & detumuit inflammatio, quid jam vetat reſolventia etiam è ſtypticis deſumpta ut ſaturnina in uſum adhibere, iiſque & robur partibus conciliare & determinationem naturæ immutare. Certè plures ſunt cutis morbi in quibus fruſtrà ſanationem abſolvendam alio modo tibi ſpondeas. Fit enim cutis toties pertuſa & eroſa quaſi emunctorium naturale, & ut ita dicam, ni obſtes, vertitur in fonticulum; quid ſi res in facie accidat ? Certè hic ſaturninis, imò aluminoſis pereunti formæ ſuccurrendum. At prudens, & ſemper futurorum prævius Medicus, ægrotis jubebit aut aperiri veſicantia,

aut applicari cathæretica, aut inuri cauteria quibus humor ab ægrotâ parte repulſus novum in parte ignobiliori reperiat exitum. Tùm ſecurò apponentur repellentia medicamenta. Præterea verò Medicus ea nunquam apponi ſinet topica, niſi in illo morbi ſtadio in quo jam perventum eſt ad moliendas per artem vacuationes quibus, dùm bellè præparatus humor obſecundat, minus eſt repulſionis periculum. Intereà verò omnia quæ ſuperveniunt attentus obſervat, nec ſinit ſibi fucum fieri, deſiturus, ſi vel minima intùs emicent ſymptomata.

Sed non omnes caſus tantas cautelas ſibi poſtulant. Quoties ſcilicet perſpiratio acris aut humor perſpiratorius non exhalans veſicas facit, aut phlyctœnas, ut ſenibus accidit, prodeſt reſolventia illicò adhibere, non ſtyptica, ſed mollia, ſaturnina tamen. Non enim aliud ſubeſt vitium, præter cutis aridam impenetrabilitatem, & dùm cruſtæ cruſtis ſupercreſcunt, ob indeſinentem effluxum ipſa cutis inflammaretur, ſi non mollibus ſaturninis unguentis v. g. de nimio, nurembergiano, fuſco, diapalmate, ita confectis, ut adeps non dominetur, cutis levor & mollities aut reſtituereture, aut ſervaretur, imò ab hâc per artem conciliatâ levitate & mollitie cutis, perſæpè levi obortâ ſuppuratione ſanatur malum obſtinatum & pervicax, ut pluries vidi & viderunt omnes qui res chirurgicas in ſenibus tractavêre.

At alius cauſarum & morborum cutaneorum ordo exurgit verè chirurgicus. Scilicet pars aliqua cutis in ulcus verſa eſt, aut in apparatum cruſtarum ſibi mutuò ſummâ fœditate, imò & cum putido odore aſſurgentium. Ibi enim ſcena crudelis mali peragitur, & fruſtrà per artem eruditam interna omnia purgaveris & à malo liberum corpus effeceris, hìc ſtat & ſedet immotus mali perennantis fons redivivus quem niſi ſanaveris, eluſerit omnes internæ medicinæ conatus. Adeſt ibi phlogoſis, ſed iners, nec ſufficiens ad legitimam efficiendam ſuppurationem quâ mali fomes tollatur. Si nulla phlogoſis adſit, adeſt obſtructio glandularum quæ nunquam meliùs quàm ſuppuratione tollitur; hìc ergo arte opus eſt efficaci.

Ritè, & ex arte præparato corpore, præcipit ars ut quidquid forficibus tolli poteſt, tollatur, tùm fungoſa excrementa per levia cathæretica deſtruantur, dura appoſitis emplaſtris mollibus molliantur. Quæ ubi peracta erunt, mundis omnibus & ad ſuppurationem aptis, vel eſchara ulceribus cum lapide infer-

nali, aut lixivio alcalino, vel ſi res poſtulet, ſolutione acidâ aut mercurii, aut antimonii quod hujus butyrum malè & origine & indole dicitur, inuratur; vel ſaltem concilietur fervor inflammatorius à cujus efficaciâ poſt diem unum aut alterum legitima oriatur ſuppuratio. Verùm à malo fundo mali proventus oriuntur. Hinc poſt paucos ſuppuratorios nixus, rursùs aut ſpongioſæ, cellulares oriuntur carnes, aut potiùs cutis particulæ. Mitiùs cum iis agendum. Hinc emplaſtra cathæretica, aut lixivia leviora & aquâ immixtâ mitigata adhibebis; vel methodo uſitatiori apud Chirurgos ſuccreſcentes partes lapide infernali leviter intinges. Ars in eo conſiſtit, ut pus bonum naſcatur. Dantur etiam caſus in quibus repellentibus jungenda ſunt non ſiccantia ſolùm saturnina, ſed etiam abſorbentia quæ ignis ope calcariam virtutem moderatè urentem adipiſcuntur; ut ſunt lapis calaminaris præparatus, calx ipſa extincta quidem, at priſtinæ indolis aliquid retinens, alumen per uſtionem acido ſuo ſpoliatum, ſed ſimul aliquid cauſtici ſervans intùs, & præparata alia hujuſmodi quæ plurima in pharmacopæis leguntur, pauciſſima adhibentur in praxi. Sed magnâ in his opus eſt cautelâ, ne dùm fluxum cohibemus, tumor increſcat, quod ſæpè ſæpiùs accidit. Igne enim ſeu potiùs fervore talium medicamentorum qui partes ſolidas urit, humidas abſorbet, fiunt tumores illi retorridi; nunquam emicat abſorpta ſuppurationis materies, & fit ulcus aridum, tumens, duſepuloticum. Nunquam ergo talia tibi admovere permittas, niſi cohibendus ſit periculoſus in partes impetus humorum, aut luxuriante cellularum cutanearum textu, ſemper accreſcant fungoſa concrementa. At ſimul internæ curationis mitificantis ſimul atque revellentis cura maxima ſit: nec ab hiſce cautelis ipſos oculorum morbos exemerim, licèt enim in tenuiſſimâ fabricâ præcipitatione opus ſit, cavendum tamen ſemper à temeritate & præpoſterâ audaciâ.

Nunc ſupereſſet nobis fuſiùs agendum de methodo quâ poſſint inſecta cuti appoſita & ipſam ſævo morſu afficientia expelli; ſed quoniam ea ad peculiares potiùs morbos pertineant quàm ad univerſales, nec unica iis competat methodus, de iis ſuo titulo agetur.

Finis Introductionis univerſalis ad Morbos cutaneos.

DE MORBIS CUTANEIS.

CUM innumeri qui, vel in cute naſcuntur affectus, vel in ipſam deponuntur, in ipsâ ſuâ origine, in cauſis, in incedendi methodo, atque indicationibus curatoriis, ſummis abludant inter ſe diverſitatibus; ubi jam ſingulares eorum differentiæ ſeorſim ponderandæ ſunt atque perpendendæ, diviſionem operis nobis ipſa præſtat eorum natura. Duo ergo præcipua morborum cutaneorum genera recenſebimus.

Prima pars eorum erit affectuum, qui intùs & in generali corporis ſyſtemate enati ad cutem feruntur.

Subdividitur verò hæc in cutim eruptio. Vel enim cauſis morbificis ſemel enatis excitantur naturæ vires morbum propulſantes extra viſcera & ultrà œconomiæ animalis pomæria eliminantes. Cutis hìc vel pro organo actuoſo excipiente hoſtiles atomos illas, eaſque ſuâ innatâ vi, aut immutante, aut ejiciente ſpectatur, & maximas partes agit in universâ morborum acutorum atque chronicorum hiſtoriâ; vel univerſali confluxûs atque refluxûs inter omnes corporis partes conſtitutâ lege, cutis veneni moleculas, pro ſuâ extenſione cum cæteris viſceribus, partitur. Quippè univerſale inſtrumentum, ambitum corporis conſtituens, patulum hianſque ſemper, & perſpirationi perpetuæ pervium, non poteſt non veneni lædentis aliquid in ſe ſuſcipere & illud oculis exhibere. Has quidem eruptiones, ubi intra ipſius morbi ambitum concluduntur, inter cutaneos morbos recenſere inutile eſt, at ubi longa ſuî reliquêre veſtigia triſteſque reliquias, vertuntur in cutaneos affectus.

Alterâ verò operis noſtri parte eos exequemur affectus qui in ipsâ cute generantur, tanquam in nido paterno ; in quibus cutis ut pars corporis conſtituens ſpectanda eſt, non ut naturæ inſtrumentum, ſed ut portio corporis ex ipsâ ſuâ ſtructurâ vitiorum ſibi propriorum receptaculum.

Ut verò prima pars alteram & numero & dignitate morborum multò antecellit, ita etiam prior erit pertractanda, ita tamen ut breves ſimus in iis morbis qui cùm ad alias claſſes referantur, copiosè ab aliis pertractati ſunt : eos verò luculentiùs introſpiciamus qui cùm omnia in cutem ſymptomata exerant, cutanei propriè appellantur.

PARS PRIMA.

De affectibus qui in cutem propelluntur à vitio intùs latente.

QUANTUMVIS non in omnibus æquè ætatibus, non in univerſis regionibus morbi illi cutanei à cauſis internis acceptam referentes originem æquâ ratione propullulent, ingentem tamen morborum claſſem conſtituunt. Duplex illorum genus eſt jam nobis ſatis indicatum. Alterum corpus à labe intùs à cauſis corrumpentibus, aut imbibito contagio oriundâ depurat, ita ut ad cutem lues intùs concepta per actuoſas providæ naturæ vires deferatur, ibique in corporis ſalutem depuretur atque deferveſcat. Hi morbi in cutem deſævientes ſunt, aut critici, aut depuratorii. Alterum verò ſymptomata ſua cuti communicat, eamque in partem mali aſſumit, quod in putridis peſtilentialibuſque morbis miſerrimo ſpectaculo fieri videmus.

Ecquid enim ? Si ſub universâ corporis maſsâ venenum intumeſcit & copioſum & acerrimum, quod dùm cutem adoritur partes reliquas ſimul & copiâ inficit & peſſumdat acredine, jam non tàm decumbere dici poteſt humor quàm ad illam & in illâ multiplicari, & mali accumulatione ipſam corrumpere. Peſſima tunc & ineluctabilis pernicies aut arti, aut naturæ vix aliquid ſpei reliquum ſinit. Tale eſt, ſi Lucano & Hermanno credere fas eſt, ſerpentis illius Afri venenum quod corporis univerſas partes tabe

corrumpit & eripit non vitam tantùm, ſed cum vitâ cadaver. Nec tamen inauditum eſt, aut inuſitatum in peſſimis hiſce morbis ſymptomata quæ initio morbi feralia & lethifera fuerunt, miteſcente eodem in ſalutifera converti, ut de anthracibus peſtilentialibus obſervatum eſt. Contrà in peſſimis variolarum ſpeciebus quæ in ſalutem fuerant inſtitutæ puſtulæ, accedente putredine ſummâ, depuratoriam deponunt indolem & mortem intentant non eluctandam.

Verùm ut tractationis noſtræ ordo dilucidè innoteſcat, placet morbos à naturâ ſuâ atque phœnomenis inter ſe dividere, & duplici ſub formâ proſequi, nunc cùm corpus univerſum aggrediuntur indiſcriminatìm, nunc cùm in hanc illamve partem ferociunt. Erit ergo ſectio noſtra prima de iis morborum generibus qui dùm ad cutem deferuntur, illam adoriuntur undequaquè & indiſcriminatìm afficiunt. In alterâ verò de iis agemus affectibus qui conſtanter in hanc illamve cutis partem decumbunt, ſtatis atque fixis ſedibus inhærentes. Qui quidem ita ſervabitur ordo ut liceat in affinibus aliquandò exſpatiari, naturam quam deſcribimus imitati, quæ ſæpè ab uno morbo in alium fertur, ob ſymptomatum mutationem, non ob cauſæ diverſitatem.

SECTIO PRIMA.

De Morbis qui in univerſam cutem deponuntur.

JAM ſatis cognita eſt ea quam de morbis hancce ſectionem conſtituentibus inſtituimus diviſio. Dùm alios criticos, aut depuratorios ad cutem vocamus, alios vi & impetu materiæ delatos agnoſcimus. Verùm alii horumce affectûum acuti ſunt, quos in tractatu de morbis cutaneis ſingulariter expendere extra propoſitum foret, cùm in febre eorum eſſentia tota conſtituatur. Alii chronici ſunt & à cute nomen atque ſymptomata accipiunt: hi noſtris laboribus materiam præbent. Quos tamen ut ab aliis benè ſegregare diſcamus, proderit pauca de acutis non criticis ad cutem erumpentibus & de criticis eruptionibus præfari, ne aut laborem fugiſſe, aut officio defuiſſe videamur.

CAPUT PRIMUM.

De Morbis acutis quorum exitus ſit ad cutem non criticus.

In morbis omnibus pertractandis cutem & obvias ejus qualitates primùm & antè alia inſpicere imperabat Hippocrates. At inſpicienti illud primùm attendendum eſt, an quæ eruptiones cutim vitiant, ab ipsâ cutis naturâ pendeant, aut à prægreſſis morbis atque alienis à morbo præſenti effectibus traxerint originem? an verò aliquam cum illis obtineant connexionem? Sic maculas in cute antecedentes pro morbi affectibus habere piaculum foret, aut alias puſtuloſas atque cruſtoſas affectiones quæ ſæpè vultum etiam ſanorum dehoneſtant. Nec rarum eſt haſce affectiones extra morbum ſitas, vigente morbo, aut conticeſcere, aut aliam induere formam. Sic quæ priùs aut ichorem, aut ſaniem profundebant in pueris ad aures puſtulæ in morbi acuti vigore ceſſant & videntur retropulſionem arguere, ut adſtantes autumant, & plurimi credunt Medici, quæ tamen mitigato erethiſmo & expulsâ morbi materiâ repullulant, quaſi extra morbum poſitæ fuerint. Hæc verò agnoſcuntur ex cognitione prægreſſæ ægrotantium hiſtoriæ quam neſcire interrogando ferè impoſſibile eſt, tùm etiam ex ipsâ eruptionum illarum naturâ quæ nullum obtinent nixum cum naturâ morbi. Nam familiares humorum extraneorum exitus quocumque morbo acutè deſæviente cujuſcumque indolis fuerit, ceſſare commune eſt, aut ſaltem ſicceſcere, cùm mutatus ſit functionum omnium ordo, interruptuſque ſecretionum fons & ſcaturigo.

Verùm in morbis acutis eruptiones non criticæ à morbo ipſo pendentes à triplici origine repetendæ ſunt. 1°. Ea eſt ſæpè humoris natura quæ cutem ſimùl, ſimùl functiones internas adoriatur. 2°. Sæpè ſive per artem præpoſteram, ſive per animi affectus malè ordinem naturæ perturbantes, aut cauſam aliam quamlibet, retropelluntur in morbis vacuationes, naturaque ab opere ſuo avocata in partes alias quaquaversùm fertur, cutimque ut reliquas partes inquinat. 3°. Demùm exuberat, aut

exundat

exundat undequaquè humor morbificus, & in illâ ferocientis morbi vehementiâ multiplicato fermento cutis, ut omnes aliæ partes, labem concipit. Quæ cùm triplex morborum ad cutem appellentium origo maximi in Medicinâ ſit momenti, difficiliſque diagnoſis plures in errorem non ſine ægri damno abripuerit, licebit illas venari ſignis nunquam fallacibus & indiciis proſequi generalibus.

Quoties humor ſimul & functiones internas adoritur & cutim, ſigna ab excretorum naturâ deduces, memor ſententiæ illius Hippocraticæ, quibus tubercula eruperint, excreta inſpice. Si ſimilia ſanis fuerint, alere tutum eſt (*a*). Verùm antè omnia ſummâ curâ attendendum eſt an phœnomenon quodlibet ad cutem criticum ſit, aut eſſe poſſit ? Quâ quidem in ſummi momenti diſquiſitione generales ab Hippocrate & antiquis propoſitas regulas adhibere neceſſarium eſt. Eæ univerſales ſunt & ab omnibus cognitæ. Nil quod ſtatìm appareat eſſe criticum; nil quod non levationem ſymptomatum afferat, nil paucum, aut cauſæ in functiones furenti non proportionale poſſe criſeos dignitatem uſurpare, nil demùm quod urinæ, aut coctæ, aut ad coctionem inclinatæ non ſignificent, quæ quidem ſigna deferbuiſſe erethiſmum, ſeu, ut antiqui loquebantur, non jam crudam eſſe fluxionem indicant. Verùm in cruditate morbi nulla criſis expectanda eſt ; exanthemata ergo quibus hæc deſunt ſigna prævia, notante Hippocrate, non inter ἀπὸϛασιες abſceſſus, ſed inter morbos numerabis. Lib. 2. Prorhetic.

Difficilius eſt forſan, præſertìm iis qui ad naturæ iter minùs attendunt, eos dignoſcere naturæ motus qui cùm, aut ſalutares eſſe poſſint, aut nocivi, non tamen critici ſunt; ſi critici ſint, non poſſunt tamen omninò morbum tollere ; hique recidivas, illi errantis naturæ tumultum ſignificant. Ii quidem motus ab humoris morbifici naturâ quem cutis partiri poſſit pendentes, eò magis illudunt, quòd ſæpè temporibus verarum criſium appareant, quòd ſpem augeant, imò & in falſas medelarum aromaticarum methodos ægros deducant, atque in morbis cutaneis præſertìm errorem multis adhucdùm populis funeſtum produxerint.

In iis ergo dignoſcendis ſtent firmæ atque animis hæreant hæ regulæ primariæ. Salutares eſſe poſſe eruptiones ad cutem, nec tamen criticas, quæ deferveſcente erethiſmo eveniunt, &

(*a*) Aph. 15, Sect. 2.

cum paroxyſmi ſolutione, licèt ſtatam recidivam non tollant. Tales ſunt hydroa plura, ſeu phlyctœnæ aquâ plenæ quas ad finem paroxyſmorum in febribus intermittentibus obſervare aliquandò datur. Puncticulas ſimiles rubras, tumoreſque papuloſos & ferè eryſipelatoſos ſub finem paroxyſmorum in febribus continuis remittentibus videre non adeò rarum, in ætate teneriori, in ferventiſſimâ æſtate, ut notavit in aëre Italo Baglivius, apud inſulas Americanas Williams atque Hillary & Sloane. Pars enim aliqua materiei indè à ſanguine ſecedit & depuratur. Notavit ſingulariter apud Anglos Barbadenſes Hillary dari febres acutas ſolis laxandas, aut alvi vacuationibus criticis, aut ſudoribus, quæ per univerſum decurſum maculis tenuibus ruberrimis ſtiparentur. Vidit auctor ſagaciſſimus validiſſimas in morbi faſtigio recrudeſcentes, ſi aliquis in victu error fuerit admiſſus, & febris periodos exactè ſervantes ; his non criſeos natura, ſed morbi vigor indicatur, & tantùm pro endemio ſymptomate habendæ ſunt maculæ illæ. An non idem obſervatur in febre Morinorum rubrâ quam olim doctiſſimè D. Bellot, Medicus Pariſienſis, deſcripſit.

Nec minùs obſervatum ſæpè puſtulas prurientes & rubras acicularum inſtar exſurgere inter febrilium paroxyſmorum intervalla, quæ vigente febre, conſtrictâ præ erethiſmo cute, diſpareant omninò. Illas reſtitui ſemper ſalutare.

Inter ſalutiferas verò illas memorabimus quæ aliquam ſervant cum morbo analogiam, ut eſt eryſipelas in anginâ ſæviente, aut etiam in falsâ pleuritide, quamvis enim criticum dici non poſſit, quòd febrim non tollat, tamen indè ſalutem annuntiat, quòd à parte principe graviter laborante portionem oneris detrahat, adeòque inter naturæ vincentis conatus numerari debet. Demùm ſalutarem tribuemus locum, nec criticum tamen, puſtulis illis ſolitariis quæ in omnibus ferè febribus poſt primum paroxyſmum labia ægrorum obſident, adſtantibus vulgò ſibi meliora pollicentibus, at diffidente Medico, qui benè ſcit nil paucum eſſe criticum, viditque non adeò raro ægrotantes emori, licèt labia ſimilibus puſtulis cruſtoſis plena fuerint : nec diffitetur tamen illud ſignum tantummodò poſt deferveſcentem erethiſmum prodiiſſe. Sed cauſam vix attingit gravem ſolamen leve.

Non ergo in hiſce caſibus tantùm ad externa phœnomena attendendum eſt, quantùm ad ſigna coctionis prægreſſa & ad

ſymptomatum levationem, quæ ſola ſigna ſunt ſecuræ ſalutis emicantis, & ſine quibus, dictante ſic arte antiquorum, nulla ſupervenientibus ſignis fiducia adhibenda eſt.

Ut verò eruptiones illæ ſalutares morbo ſublevando conferre dici poſſunt, aliæ ſunt de quibus ſecundo loco dicendum erat quæ morbum quidem immutant, ſed non ſublevant. Sic apud coacas legitur (*a*), quibus cùm cibi faſtidio alvus turbata ſupprimitur, mox efflorefcunt papulæ. Eſt enim morbi revulſio ad cutim, ſed non ſublevatio; nam à cute ad internas partes mobilitate nativâ fertur. Abſceſſus indè ad oculos expectabat Hippocrates; quidni & delirium, ceſſante eâ puſtularum eruptione, accedat, & quod nos frequenter vidimus, ſuffocatio anxia & lethalis? In quo conſentientem habemus Proſperum (*b*) Alpinum.

Nec magis aliquid ad ſalutem conferunt eruptiones illæ autumno & vere frequentiſſimæ quæ ſubitò apparent, ſubitò detumeſcunt, & ſæpiùs anxietatem præcordialem ſequuntur. Erumpentibus illis papulis levatur quidem illa præcordialis anxietas, ſed vix ad cutem efflorueruntt, ſubitò pariter ſubſidunt; redit anxietas, nauſea, vomendi conatus, plures per dies alterna hæc eruptionis ad cutem phœnomena perdurare videmus, nec niſi vomitu tolluntur. Sive enim à vaſis ventriculi bibulis reſorpta intùs videatur materies illa, ſive irritatio ventriculi perſpiratoria vaſa ſympathicè conſtringat, pendent ab irritante intra ventriculum causâ eruptiones illæ exanthematoſæ & ſemper comitem habent cardialgiam, ſeu anxietatem præcordialem.

In genere verò omnes illæ eruptiones non criticæ in hoc nocent quòd & materiæ nocivæ multiplicitatem indicent naturæque oppreſſionem ab inſigni ejus quantitate; rursùs etiam timorem incutiunt, ne incautiùs repercutiantur. Ita apud nos ſæpè ſævit febris rubra, ſeu ſcarlatina pueros primam infantiam egreſſos mirè vexans. Hæc eruptio cum febre ſtatìm apparet, creſcit, nec niſi eâ ceſſante detumeſcit. Cutis textus cellularis humore rubro, ſeu potiùs ejus effectibus ita ſcatet, ut induretur ille & corii granulati formam referat cutis. Nulla fit perſpiratio; undè etiam ad gulam & tonſillas malum acre fluit, tuſſis ſicca oritur à ſero acri orta, aphtæ ſæviunt, oculi prominent, aliquandò in ſæviſſimis delirium & ſuffocatio mortem ad quartæ diei

(*a*) V. Duret, 498.
(*b*) De præſagiendâ vitâ & morte, lib. 2, cap. 5, pag. 104.

finem accerſunt. In illis quæ leves ſunt, ac ſine periculo ſtadia longiora decurrunt, calor urens digitum tangentis comburit, urina aquea eſt, ut ſuppreſſæ perſpirationi competit. Alvus dura perſtat, etſi in debilioribus aliquandò laxior. Rarò diem quartum excedit ejus vehementia; vulgò ſeptimus dies terminum conſtituit. Diarrhœa critica morbum tollit, aut ſudoribus finem ille accipit. At ſi nulla detur ſimilis vacuatio, toto corpore vidi infantes inflari, vidi alios ſtranguriâ vexari, aliquos tuſſis ferina per plures menſes angebat. Hoc in morbo momentoſa eruptio critica non eſt, & ſalutaris dici non poteſt; quippè eſſentiam morbi non curat, nec levat ſymptomata, nec tamen tolli ſine periculo poſſet, quia quas occupat partes ſi non invaſiſſet, certè magnam inferret perniciem partibus aliis quibuſcumque. Nec rarum eſt in tuſſi, ſeu, ut aiunt Perdulcis atque Ballonius, pertuſſi infantum, datis narcoticis, cutim maculis fœdari atque papulis, quæ ubi ſemel eruperunt tollendæ non ſunt. Sic etiam ferè ſemper ſuppreſſæ perſpirationi quâcumque in ætate ſuperveniunt papulæ, præcipuè ubi ſerum acre exundat. Serum illud acre dolores vehementiſſimos punctorios excitat in febribus mobilitate ipsâ deſperantes, de quibus tam ſæpè egit (*a*) Ballonius & tam doctè, aut ſudore urinoſo & fetido, aut puncticulis prurientibus ceſſantes. Aliquandò tamen ſerum illud in cutim actionem exerit, nec minùs tamen partes internas vexat. Sic ſæpè violentiſſimis doloribus arthriticis junguntur ſummè dolorificæ & ſero emiſſo cutim erodentes phlyctœnæ quæ ſi ſerum illud tollant, criticæ dicendæ erunt, ſin minùs ſymptomaticæ, ægrum pro variâ ferociæ naturâ plùs minùſve angent & torquebunt miſerè.

At, quod peſſimum eſt, quandoquè in gangrænam, imò & ſphacelum verſæ ſunt. Tantaque ſævi hujus acris, imò acerrimi fuit virulentia in Senatoris cujuſdam & genere & doctrinâ ornatiſſimi pede, ut cum arthritide orta phlyctœna leviſſima ſenſim erodendo phalangas omnes pedis ſphacelo corruperit, virumque meliori fato dignum inter cruciatus enormes morti devoverit febre nunc lentâ, nunc contrà ardentiſſimâ & acerrimâ, at per irregulares paroxyſmos plurium integrorum menſium ſpatio correptum.

Ultimus eſt in morbis acutis & maximè feralis ad cutim exitus

(*a*) Conſil. lib. 4, paſſim.

cum ſuperabundante materiâ, naturâque proſtratâ, morbus & cutim & partes internas eodem paſſu occupat. Hi ſunt morbi quos verè peſtes vocaveris, licèt non omnium æquè eadem ſit conditio ad mortem inclinata. Primam & leniorem nobis morborum horumce formam exhibent febres illæ eruptoriæ quæ in locis humidiori temperaturâ ſimul & æſtuosâ infamibus annotantur. Hæ ut ſolidis inertiam, ſic liquoribus putridam atque ſolutam principiorum acriorum compagem inſinuant; undè naſcuntur febres auſtrinæ, inertes in quibus, notante Hippocrate, ægri ſudoribus diffluunt. In iis enim primùm leves & lymphaticæ puſtulæ inter ſudores cutim occupant; pellucidæ quidem illæ ſunt, & nullam videntur baſim obtinere, at mox puncticulæ rubræ miliares baſim illarum occupant, acino ſuperinſidente albicante, quæ rubræ puncticulæ in graviori malo, & arte præpoſterâ cardiaca medicamenta in auxilium advocante, ſæpè nigreſcunt, ſuntque mortis prænuntiæ. Hæc eſt ſudatoria illa febris Britannos duplici abhinc ſæculo adorta, nec noſtris littoribus incognita, quæ mitior quàm in principiis atque longior etiam nunc hiſce in oris deſævit ad æſtatis finem & autumni initia. Nam, auctore Hippocrate, in hâc pervicaci atmoſphæræ conditione ſudores in febribus expectare oportet, & rarò febres ſudore diffluentes obſervantur quin ſimul maculis illis levibus cutis fœdetur. Eryſipelatoſam plerumquè ſervant naturam hæ febrium ſpecies, aliquandò tamen phlegmonodæam, nec rarò putridam & ita ſubitò gangrænoſam ut epidermis à cute ſubjecta ſecedat, ipſa verò cutis in lacinias abeat. Tales ſunt morbi & numero plurimi & diverſitate inſignes quos ſub febrium Hungaricarum, petechiſantium nomine auctores deſcripsêre; purpuratas alii vocavêre, de quibus, cùm ad nos non pertineant, nihil addemus ampliùs. Sennertum, Hoffmannum, Wratiſlavienſeſque Medicos conſulant, quibus hoc fuit propoſitum ut horumce naturam morborum indagarent & praxi medicâ debellarent. Trallius verò, Werloff, de Haen obſervatis ſummorum virorum adjunxêre novas & lucidiores theorias.

In genere ergo morboſæ materiæ ſuperabundanti luxurie præcipuè peccant omnes illi morbi qui propriè & juſtâ verborum ſignificatione dicuntur putridi. Summam enim putredinem & ſolutionem in humoribus putridam atque volatilem indicant. Apud nos verò peſtilentiales dicuntur, ſive pendeant ab atomis aliundè accerſitis putredinem intùs ſubitâ vi inferentibus, ſive à conceptâ

intùs putredine & humorum corruptione in cutem diffundantur, nunc ſub macularum luridarum formâ, nunc ſub puſtularum hiantium & fetidarum catervâ, ſive demùm anthracibus ſphaceloſis cutim perfodiant. Exundat venenum, & mortem intentat certiſſimam, quoties ſtatìm ad cutim emicat. Mitiùs cum naturâ agitur, quoties non ſtatìm cutis inficitur. Ubi poſt aliquot dies erumpunt anthraces, aut maculæ gangrænoſæ ſpem aliquam futuræ curationis relinquunt. Malum enim ab interioribus ad exteriora vi naturæ ferri deſignant. Undè etiam natus error peſſimus, eſſe cardiacis & aromaticis venenum extrà propulſandum, cùm aliundè ſatis demonſtratum ſit his omnibus intendi & augeri putredinem. Sed ut curatio à moderatâ actione naturæ pendet, ita ars antiputrida ad medelam adhibens medicamenta, dùm de putredine detrahit, viribus naturæ addit. Sed quæ ſtatìm & cum morbo apparent, etſi pauca ſint, feralia ſunt, & peſſimæ ſpei, vixque aliquid Medico hæſitanti agendum relinquunt. Adimplendæ quidem ad quas febris urget indicationes: ſed contrà laborante naturâ vana eſſe omnia edixit Hippocrates. Sic memini me vidiſſe anum venerandam quæ in febre maligni moris quâ confecta obiit, nullam aliam notam habebat præter maculam nigricantem, nec latam tamen, in labio inferiore. Hanc nulla ars expulit, & cùm ægra bellè ſe habere videretur & omnia aliundè in vado crederentur, levi delirio correpta maculâ ſeſe extendente intra ſex horarum ſpatium confecta eſt. Quod & in nigrâ ſimplici ad dorſum puſtulâ vix digitum unum latâ, ſed inſenſili, accidiſſe pariter vidi. Adeò verum eſt axioma illud Galeni quòd nunquam impunè nigra in corpore humano erumpànt.

CAPUT II.

De morbis acutis quorum criſis fit ad cutim.

Quantumcumque morbi acuti quorum exitus fit in cute nullâ ratione recenſeri inter morbos cutaneos debeant, illique inter febres jure & meritò numerentur, adeòque de illis accuratè tractare non ſit animus, tamen ut quæ de morbis verè cutaneis in ſequenti tractatione erunt dicenda meliùs intelligantur,

licebit de iis pauca proferre ; quoniam multa ſunt in rapidâ atque violentâ naturæ actione quæ lucem ferunt in intelligendâ ejuſdem efficaciâ, quoties lentiùs atque pacatiùs, adeòque obſcuriùs eadem operatur atque latenter peragit.

Et in principio quidem notare non inutile fuerit quòd, quamvis exitus admodùm diſſimilis ſit ab iis quos non criticos modò recenſebamus, aliqua tamen detur inter illos quorum criſis fit ad cutim & illos quibus cutis tantùm deturpatur, analogia.

Scilicèt in utroque genere, cutis venenatas partes accipit. In iis qui non critici ſunt, reſolutio humoris ad cutim poſiti non fit per cutim, aut ſaltem plenè & omnimodò, ſed aliæ vacuationes cutim liberant, quæ à naturâ humoris depoſiti pendent. Sic partes acres bilioſæ, meliùs & ſecundùm naturæ ordinem per alvum vacuantur, cùm fixiores & craſſiores ſint, quàm ut per organa perſpirationis avolent. At in utroque morborum genere partes quæ cum cute conſentiunt æqualiter patiuntur, & ſymptomata cutis affectæ offerunt, utrìmque pariter adſunt anxietas ſtomachalis, utrìmque ſuffocatio, utrìmque nitor oculorum ardentiſſimus Medicis benè cognitus, & viſui potiùs diſtingui facilis, quàm deſcribendus. Vexat pariter plerumquè tuſſis acris quæ ſymptomata criſi factâ ceſſant in criticis, perdurant in non criticis uſque ad tempus quo alvus bilioſis materiis copiosè fluit, vel abſceſſus deponitur in aliquam partem, vel erumpunt ſudores, aut tandem lenior atque benignior reſolutio morbum lentiùs expellit.

In morbis verò acutis qui criſim ad cutem affectant omnia ad certum naturæ ordinem concinnantur. Quamvis enim morborum illorum alii leves ſint, alii graves, alii criſi terminentur lethali, alii contrà ſalutem à criſi accipiant ; certas nihilominùs obſervant ex materiæ neceſſitate periodos, longiores vel breviores, ſævioribus ſtipatas ſymptomatibus, vel lenioribus, ſed obſervandas tamen.

Ut verò aliqua regat nos inter morbos multiplicis generis diſtinctio, ſumenda illa videtur, tùm à principiis erumpentis morbi, tùm præcipuè ab eruptionis formâ quæ ſpeciem atque cauſam mali ſemper neceſſariò arguit.

Morbi porrò acuti eruptivi criticè cauſam morbi per cutem auferentes, hoc ſub aſpectu ſpectati, jure ad quatuor claſſes referuntur. Primam claſſem conſtituent illi qui ſerum acre exha-

lant in milii formam, aut phlyctœnas grandiores, œdematoſas. Secundam claſſem omnia ea conſtituunt mala quæ eryſipelas mentiuntur. In tertiâ phlegmonodæam æmulantur naturam puſtulæ, & cùm præcedentes deſquammatione finiantur, hæ non poſſunt niſi per ſuppurationem abſolvi. Ad hanc claſſem referetur quarta eruptionum per ſe peſſimarum ſpecies quæ gangrænoſæ ſunt ex ipsâ ſuâ naturâ & quas antiqui ad atram bilem efferam referebant, dùm præcedentes, ſcilicet phlyctœnodas à ſero acri, eryſipelatoſas à bile, phlegmonodæas verò à ſanguine deducendas autumabant.

Et certè ea eſt principiorum ſanguinem conſtituentium natura, ut ſive phœnomena tantùm ſpectes, ut veteres illi naturæ obſervatores, ſive phyſicen accuratiorem, ſtabit integra eadem diviſio.

Serum enim acre exhalans & in epidermide confluens, nec coaguli capax, partes ſubtiliſſimas putridas, olea ſcilicet attenuatiſſima & jam in ſaponem conflata leviſſimum, & volatilia ſalia in ſe ſuſcipit & rapidè abripit, quæ ſæpè integris aliis ſanguinis partibus, quia mole partium meliùs reſiſtunt, in ſero tantùm continentur. Hinc ipſe febrilis ſudor, præſertim æſtuante in aëre, vel ſub aromatico volatili regimine, papulas miliares leves efficit ſero plenas tenui, quæ poſteà defervecente febre in pollinem levem pulvereum abeunt, vix internas epidermidis lamellas auferentem. Imò ſine febre poſt ſudores nocturnos in regimine utentibus calido pueris præcipuè non inauditum eſt illud accidere, quod etiam ad phthiſicorum ſudores pertinet.

At omnibus morbis à ſero illo acri pendentibus multa communia ſunt, multa diſcrimina. Diſcrimina quidem offerunt gravitas morbi quæ aliquandò levem morbum, aliquandò gravem efficit, imò peſtilentialem. Verùm omnia acria volatilia quæ ſero diluuntur facilè, ſive ſimplicia ſint, ſive eam adipiſcantur ferociam quæ vicina rodat & quaſi colliquefaciat, ſive contagione intùs ducta fuerint, ſive ſub corporis penetralibus enata ſint, commune omnibus illud habent in morbis inducendis, ut cùm facillimè intra ſerum diluantur, copioſoque excipiantur vehiculo, brevia percurrant tempora, fugaciaque concitent ſymptomata, utut aliquandò vehementiſſima præviaque eruptioni naturæ perturbatio brevis pariter ſit. Prætereà cùm rarò ad cutim appareant, ſi non copioſa ſit materies morbifica toti ſero impreſſa, rarò etiam criſes perfectæ ſunt unâ vice apparentes, ſed pluribus vicibus

vicibus ad cutem feruntur, ſæpèque eruptionum genus illud cuivis paroxyſmo criſis eſt, & morbus univerſus per paroxyſmos judicatur, nec niſi finito morbo & penitùs abſoluto, urinæ quæ per totum morbum tenues fuerant, incipiunt & rubere & aliquam affectare craſſitiem.

Symptomata autem prævia hiſce eruptionibus, in humore adeò diluto ut univerſas ſimul partes occupet, ſunt, in junioribus præſertim, artûum jactationes, ſuffocationes, anxietates, glandularum tumefactiones, tuſſes mordaces, ſputorum exitus tenuium, ſpumantium, tonſillarum ardor, gulæ atque linguæ, vigiliæ, oculorum rubor, ariditas, & ſenſus urentis acredinis, calor ad digitum tangentem mordax, urinæ tenues, urentes, quæ omnia cum levi madoris initio & papularum eruptione mitigantur. At in nullo alio morborum genere, tot deliteſcentiæ illudunt, tot recrudeſcunt eruptiones. In uno inſtanti anxietas ſymptomatum reviviſcit, ceſſat in altero, undè ſollicita priſtinorum cura tantum calorem ad exteriora, ſtragulorum pondere, aëris ferventis beneficio, calidorum intùs exhibitorum potentiâ quærebat intendere; cùm contrà laxatio ſolidorum, dilutio ampliſſima ſeri, undè ſejungerentur & ſegregarentur à ſe invicem ſalia nociva, maximè naturæ conſonam præberent medicinam, quâ debellaretur hoſtis naturæque ſua reſtituerentur jura.

Sed non unius formæ, nec ejuſdem periculi ſunt omnes ſeroſæ eruptiones, nec ſimplicitas in omnibus eadem; cùm eruptiones illæ ſæpiùs eryſipelas ſibi adſcitum habeant, aliquandò etiam gangrænam. Intereſt prætereà multùm an eruptiones illæ ſimplices ſint & milii grana formâ referant, an phlyctœnas ampliores? an ſimplici ſero repletæ ſint, an liquore ſpiſſo & albido? an baſim habeant eryſipelaceam, an gangrænoſam? Ex horum enim ſymptomatum inſpectione judicatur quænam ſit humoris morbum efficientis natura, cùm humor qui milii formam affectat ex iis omnibus qui feruntur ad cutim & maximè volatilis ſit, & leviſſimam impreſſionem ſupponat, omniumque rariſſimè criticus ſit, cùm coctionem aliquam recipere vix poſſit facilè exhalans, niſi à fomite intùs exiſtente perpetuò ſuppeditetur.

Fatebuntur certè omnes Medici febrium illarum miliarium pleraſque, quas Germani Medici Hoffmannus, Sennertus, aliique deſcripſerunt & peſtilentialium titulo inſignierunt, nomina accepiſſe à ſymptomate, non à criſi, aut à ſolutione; cùm

quotidianum ſit, etiam apud nos hodiernis temporibus, æſtate ſudâ atque fervente humidâque, quo præſertim tempore, notante Hippocrate, ſudores in febribus expectare oportet, tales exire miliares puſtulas acredinem ſemper indicantes ſummam atque volatilem, ſero remixtam, ſed ſæpiùs plus terroris atque formidinis inferentes, quàm periculi.

Exeunt illæ ad cutem, aliquandò non ſine pruritu. Molitur intereà natura coctionem & per ſudores aut alvum morbum evocat, ceſſantque puſtulæ, quia deſæviit morbus, non verò his ceſſantibus, deſævire ceſſat ille.

Ita apud nos apud quos regimine diluenti & ſummè tenui in acutis omnes utuntur Medici, morbus miliaris ſæpiùs tempeſtatis habendus eſt morbus, quàm cujuſvis alteriûs cauſæ. Acredinem tamen non temnendam indicat; cùm verò erumpit, etiam ſine tuſſi præviâ, raró ſi retrocedit incautiùs tuſſis illam non excipit. Secùs omnibus crudis apparet, omnibus coctis evaneſcit. Prætereà verò notare non erit inutile quod aſſidua mihi obſervatio comprobavit, quaſdam eſſe hominum naturas quæ huic eruptioni multò plùs pateant, quàm aliæ. Novi Chirurgum qui morbo quolibet laborare non poteſt quin ſimiles patiatur eruptiones miliares. Quod in genere iis familiare eſt qui rufum in capillis ac barbâ colorem referunt, rutilum illum, quibus gravis accubat ſub axillis hircus, & maculæ luridæ totam cutim decolorant. Latet in reticulo malpighiano humor acris & olens, naturâ ſuâ ſpecificus, qui eos miliari huic eruptioni obnoxios reddit. Undè etiam eos & anginæ inflammatoriæ & peripneumoniæ ac tuſſibus obnoxios maximè Sydenhamus atque Boerhaavius edixêre. Certè eos morbis illis vehementiùs atque periculoſiùs laborare obſervabitur ab attentis practicis; imò & ab hoc textûs mucoſi atque reticuli mucoſi vitio illos etiam & frequentiùs & diutiùs morbis quibuſcumque cutaneis laborare conſequens eſt, ſi morbi illi ex eorum genere ſint qui lympham atque ſerum inficiunt.

Rarum eſt dari morbos ita ſerum inficientes ut ab eo extra vaſa ſtagnante oriantur latiores phlyctœnæ, eæque ſimplices; quantumvis enim chronicis affectibus iſte terminationis modus familiaris ſit, vix unquam ad acutos pertinet. Etenim qui morbus eâ ſæviret violentiâ, ut vaſa ſero rumperentur acerrimo, brevì peſſima produceret eryſipelatum genera, imò gangrænam quam vulgò in acutis phlyctœnæ illæ denuntiant aliundè per ſe minimè

criticæ. Non tamen inaudita eſt omninò per phlyctœnas criſis. Aſſidebam Medicus lecto nobilis fœminæ quæ pſeudoanginâ graviter à quatuor diebus laborabat. Febris per integrum hocce ſtadium violenta ſævierat, cùm poſt noctem peſſimam, coctionis ſignis apparentibus, omnia ſedari atque tumultum componi admirabar. Nulla aderat quæ tanto morbo non foret impar vacuatio; dolor tamen ad utramque ſuram aderat levis. Has inſpiciendas ex officio meo mihi præſumo. Aderat ad utramque tumor ſublato epidermide in bullam circularem ſublimis, circumſcriptus, ut ab appoſitis veſicantibus, pollicis unius diametrum latus. Hunc appoſitis emplaſtris in ſuppurationem eſſe convertendum præſcripſi, ſed fruſtrà; hujus curationis tædium perſanata ægra tolerare noluit. Sed caſum hunc mihi unicum ſors obtulit. Cæteræ omnes quas in morbis acutis obſervavi puſtulas phlyctœnodes ad eryſipelas referebantur.

Eryſipelas verò ſæpè in morbis acutis criticum eſt, imò maximam partem morborum cutaneorum acutorum criticorum conſtituunt exanthemata eryſipelatoſa quorum ſumma ineſt diverſitas ab eryſipelate in ſummo gradu ad leviſſimum uſquè prurientem morbum. Natura eadem, ſeu potiùs pars eadem affecta eſt: ſed ut cauſæ gradu & efficaciâ diverſiſſimæ, ita phœnomena, pericula, exitus pariter ſummoperè inter ſe abludunt.

In genere eryſipelas verè morbus cutis eſt, & licèt, nomine tranſlato, cùm cauſa eadem in alias partes agit, morbi dicantur eryſipelatoſi adeſſe, ita ut apud Hippocratem ipſum nominetur pulmonis eryſipelas, natura tamen eryſipelatis cutem ſolam attingit. In eo autem eryſipelas conſiſtit, ut vaſis ultimis arterioſis, lymphaticis conſtrictis quidem, cætera omnia vicina ita pariter ſtringantur ut minutâ diametro non obſtruantur, aut ab opere ceſſent, ſed difficilem in vaſis arctatis circuitum experiatur pars ſanguinis rubra. Undè in eryſipelate obſtructio ad vaſa lymphatica illaque veriſimiliùs arterioſa pertinet, erethiſmus ſimul violentus ad minima circumfuſa rubra concitatur. Hinc facilis eſt œdematis calidi phlyctœnoſi in eryſipelas converſio, ut poſteà ipſum eryſipelas obſtructione auctâ in phlegmonem vertitur.

Nec verò theoria hæc ut mera ſpeculatio habenda eſt quæ nil practicos juvet; ſed demonſtratur evidenter ex eo quòd omnis eruptio eryſipelati ſuperpoſita ſeroſa ſit, ſolvaturque eryſipelas ſymptomaticum, aut in phlyctœnas, aut in veſiculas, nec

in ruberrimis illis eryſipelatibus tuberoſis, in ſuprapoſitis tuberibus aliud inſpicias præter lympham tenuem, ſeu potiùs ſerum acre extravaſatum. Hinc nulla alia cauſa tantùm eryſipelatum invehit præter perſpirationem acrem in malâ & perversâ coctione ſuppreſſam, & nullum aliud malorum genus adeò facile contagio contrahitur, cùm partes leviſſimæ facillimè inhalentur, nec ab ipsâ primariâ morborum eryſipelatoſorum ſede difficiliùs intelligitur quare adeò leviter erumpant, adeò facilè deliteſcant.

Febris eryſipelatodes, vel univerſum corpus afficit, vel partes tantummodò quaſdam: hæc graviſſima eſt, illa leviſſima & eruptionem mitiſſimam infert.

Univerſalis rursùs gradu differt, ut & causâ. Omnibus eryſipelatibus criticis mox erupturis commune eſt ut ſymptomata concitent graviſſima, in infantibus convulſiones, in adultis jactationes, anxietates, in utriſque ſuffocationes, vomendi conatus, ſed præcipuè tuſſes acerrimas, nil exſpuentes. Prætereà ſæpiùs pharyngis, atque laryngis phlogoſis arida & quaſi ligneis partibus immobilis eryſipelati erupturo præludit. Nox inſommis eſt, vox rauca, oculi truces, aridi, illacrymantes, urinæ urentes, paucæ, tenues, alvus aut clauſa, aut ſcybalis tenuibus vix vacuanda. Nam ſi acceſſerit diarrhœa teneſmodes, vix eruptio ſperanda eſt, & illa aut partialis erit, nec ſatis critica, vel in malum abitura. Quippè ubi copioſa ſimul eruptio atque enormis diarrhœa concurrunt, ſuperfluentis atque undequaquè exundantis cauſæ ſignum præbent, opprimendamque naturam annuntiant, undè aut ſuffocatus, aut delirus æger non ſine peſſimæ gangrænæ notis interit.

Quem verò in hiſce morbis calorem experitur æger, quem etiam, dùm pulſum attrectat, Medicus perſentit, acer eſt & mordaciſſimus. Et imprimìs illud notandum eſt quòd in eryſipelatoſis affectibus, criſi apparente, ſymptomata prævia non deſinant, ſed ipſo tantùm deferveſcente tumore miteſcant & cum eo tantùm finiantur. Quidni verò id foret, cùm ſola illa ex omnibus criſibus antè coctionem appareat, ita ut ſub ipſo vigore criſeos peragatur coctio, quâ peractâ miteſcit eryſipelas, vaſa deplentur ſanguinea, nec ulla fit alia vacuatio præter illam quam in lemas & cruſtas tenues abeuns humor ſeroſus epidermidi mixtus oculis offert. Argumentum ingens inter ſeroſos morbos recenſendum eſſe eryſipelas, licèt illud antiqui bili adſcripſerint.

Ut autem vix ullam coctionem requirit tumor criticus eryſipelatoſus, ita maturè ſæpiùs apparet, niſi tamen anteà aliquam internam occupaverit partem, ut præcipuè gulam & thoracis interiora, niſi etiam à putrido & altiùs concepto tabo pendeat: quibus in caſibus raròo criticus eſt. Nec minùs indè intelligitur quâ ratione eryſipelas, etiam criticum, tam facilè retrocedat ad interiora, renovetque ſcenam quæ antè primam eruptionem animos terruerat, novamque formidinem incutiat, rursùs ipſo apparente ceſſantem. Indè verò etiam intelliguntur Hippocratis aphoriſmi de eryſipelate intrò recurrente ad perniciem, aut extrà ad ſalutem propulſo. Nam à criſi potiùs quàm à ſymptomatibus cognoſcitur eryſipelas in pulmones aut uterum decumbens.

Patet ex hâc expoſitione non unum eſſe genus morborum febrilium cutaneorum qui ad eryſipelas referuntur.

Peſſimum aliud eſt verè λόιμωδες quod antiqui, præſertim poëtæ, ſub nomine ignis ſacri deſcripſerunt, ariditatis in aëre & caſtris ferventiſſimis fœtus, quod à pecudibus in homines contagio duci crediderunt. Aliæ verò mitiores ſunt eryſipelatum ſpecies, licèt nonnunquam cum ingenti periculo ſtadium exigant, inter quas numerare erit antè alias & febrim ſic dictam rubram, aut vulgatiori nomine ſcarlatinam, & morbillos qui morbi apud omnes populos ſeptentrionales præſertìm familiares ſunt, & contagio evidenti propagantur.

In ſcarlatinâ illâ ſic dictâ febre univerſum corpus vulgò poſt violentam duodecim horarum febrem rubet; primò in quibuſdam rubor erumpit partibus, poſteà verò etiam per univerſum corporis quacumquè diffunditur habitum. Oculi illacrymantur, gula arida dolet, lingua floridiſſimo colore puniceo tingitur, labia ipſa rubent intenſiùs, poſteà inflatur collum, tument manus, cutis univerſa arida, dura attrectanti vix muſculis artus flectentibus paret; calor quaſi è fornace vaporoſus exhalat, tuſſis non ut in morbillis acris & mordax erumpit, ſed obtuſior, anxietati mixta & jactationibus, imò aliquandò delirium & phrenitis ſe huic morbo adjungunt.

Sed ſi materies morboſa in aliquod viſcus princeps retropulſa fuerit, critica materies raròo ad cutim inſtauratur; tunc cutis evadit laxior & flacceſcit, rubor imminuitur & in pallorem mutatur. Fit novi generis morbus feralis, ſi non veram ipſi criſim attulerit, aut affatìm erumpens ſudor die critico, aut

diarrhœa bilioſa bonis avibus ſuo pariter tempore concitata; ſed hæc non ad nos pertinent.

Vehementiſſima vulgò ſymptomata febre interìm fervidâ intrà quatuor dies concitantur, & ad ſeptimum lemæ furfuraceæ ad cutem apparentes omnimodam morbi ſolutionem annuntiant, quæ tamen ita non omnimoda eſt, ut pars aliqua intra ſanguinem hoſpitans, aut pectus non feriat, aut ventriculum & inteſtina; imò quod accidere vidi, renum vias non ſubeat & per cruentas vulgò ſine dolore emiſſas urinas per plures dies profluas non abeat. Raro adultos hic adoritur morbus, at utriuſque ſexûs juvenes vexat æqualiter perniciofus aliquandò, aliquandò leviſſimus, ſed ſemper ſui generis fermentum ſupponens.

In morbillis verò, licèt communia multa ſint, ſunt etiam ſua illis ſingulariter dicata phœnomena. Febris prævia quàm in ſcarlatinâ febre diuturnior, oculi maximè illacrymantes, tuſſis acrior & ſiccior, nauſea, conatus ad vomendum vehementior, prætereà non per maſſas eruptio fit, ſed per puncticulas, imò ſæpè aliquatenùs tumentes, & quæ microſcopio inſpectæ bullulam ſeroſam contineant. Nec minor eſt, imò major ad retropulſum facilitas in morbillis quàm in quibuſvis aliis cutaneis affectibus. Nec perfectior eſt criſis, quippè rari ſunt morbilli qui reliquias malæ tuſſis non ſecum importent, ſæpè etiam diuturnas; undè ſæpè factum ut longa labes à morbillis thoraci fuerit inuſta.

Verùm morbo ab auctoribus graviſſimis atque doctiſſimis adeò fusè deſcripto diutiùs inhærere ſupervacuum, ne rem actam agere videamur. Satis fuerit annotaſſe in deſcriptis morbis fermenta naturæ prorsùs diverſæ eryſipelatoſam concitaſſe effervefcentiam & in illius generis morbis ſymptomata quidem plura ineſſe communia, dùm alia ad unamquamque ſpeciem pertinent. At dantur alii morbi pariter eryſipelatoſi qui nec adeò gravia concitant ſymptomata, nec dubium ſibi vindicant exitum; ita ſæpè fervente ſyrio, & præcipuè in ſubitis poſt imbres caloribus corpora juvenum poſt levem & verè ephemeram febrem tota videmus rubeſcere, ſi præſertìm, ut ſcholaſticorum mos eſt, vehementi ſeſe dederint exercitio; flaveſcit poſt tertium diem cutis, & poſteà abit in furfures, quod tamen ſymptoma raro ad omnes pertingit partes, ſæpè in unâ tantùm, aut alterâ, præcipuè ad faciem conſpicuum. Alibi jam ſeſe obtulit occaſio morbum à me obſer-

vatum referendi, quem in juniore ſcholaſtico obſervare contigit. Hic integrâ exhauſtâ vini duarum librarum lagenâ, totus ita poſt exercitium quod ebrietas ipſi ſuaſerat vehementiſſimum nigro colore intinctus ita fuerat, ut de vitâ ſpes parva ſupereſſet. Qui tamen eryſipelate primùm, poſteà flavis maculis nigrarum locum occupantibus evaſit. Quod verò hìc in tantâ vidimus intenſitate, quotidiana obſervatio in junioribus demonſtrat, ſed mediocriùs. Nam his ſæpè accidit ut toti pôſt vehementes ſudores rubeant; ſemper lemæ farinaceæ ſimiles morbos abſolvunt, ſed illæ plus minuſve conſpicuæ ſunt, pro gravitate, aut levitate morbi. Dantur tamen morbi eryſipelatoſæ naturæ qui vix niſi pruritu ſeſe noſcendos ſinunt, aut rubedine levi quos farina graviſſima excipit, ſed de iis alibì dicendum ordo propoſitus nos admonet.

Ex hiſce ſatis evidentibus indiciis morbos criticos eryſipelatoſos agnoſces, quocumque nomine deſignentur apud auctores. Nunc enim ignem ſacrum, nunc roſam volantem, nunc febrem pannonicam pro variâ conditione eos appellant. Nec indè te latebit ſæpiùs ipſo phlegmone periculoſiorem eſſe poſſe febrim eryſipelatoſam quæ univerſum quidem corpus afficit, quod phlegmonodoeæ affectioni competere non poteſt. Prætereà non gradu ab ipſo differt, ſed à genere, ita ut eryſipelas per ſe, omiſſo medio, in gangrænam abeat, eòque majora intentet pericula quòd raro omni ratione criticum ſit, ſed triſtes ſecum intra ſanguinem reliquias ſæpiùs relinquat, quod in eryſipelate partem aliquam, intactis reliquis, afficiente pariter commune eſt.

In morbis verò eryſipelatoſis qui in partem aliquam deſæviunt magna etiam apud auctores nominum confuſio, ſed natura eadem. Rariùs eryſipelata peculiaria à causâ contagioſâ & in univerſum corpus agente pendent, quanquam etiam febris eryſipelacea ardens zonam illam quam Græci ζωςὴρ vocant efficiat.

Non raro ſine febre apparent partium ſingularium eryſipelata, aliquandò cum febre enormiter violentâ. Aliquandò rubore diffuſo deſignantur, aliquandò puſtulas leves phlyctœnodas ſibi ſocias habent, aliquandò etiam grandiores phlyctœnas, ut in illo eryſipelatis genere quem herpetem miliarem vulgò vocitant. Quæ eryſipelatum genera phlyctœnas grandiores ſibi conſociant, à causâ altiori pendent, conceptoque intùs acri venenato; at quæ nil ſimile ſecum addunt, vulgò à ſuppreſsâ perſpiratione quam prava coctio crudam atque craſſiorem reddidit jure repetuntur.

In hiſce verò adhuc miræ occurrunt diverſitates. Non enim idem eſt ſi te corripuerit eryſipelas corpore pleno, aut juſtâ gaudentem ſanitatis conditione. Ferocit enim à cacochymiâ præviâ eryſipelas, & hanc aliquandò concipit vehementiam ut toto textu cellulari in conſenſum adducto, intumeſcat ſimul atque induretur artus eryſipelate affectus, eamque duritiem referat quæ maſſas ſcirrhoſas atque lapideas vincit duritie, ſimulque cutis præ omnium ſuarum partium inflatione corii elephantini ſcabritiem atque duritiem æmulatur in areas diſtincta quæ texturam ejus cellularem aptè demonſtrant. Phœnomenon illud ſimpliciori apis morſui superveniſſe vidi. Cauſa ſimplex in malè moratum corpus inciderat.

Diſtinctio hæc à prædiſpoſitione corporis repetenda dilucidè in eo apparet eryſipelatum criticorum genere quod recurrit, aut periodicè, aut etiam erraticè. Illud enim evidenter apparet ab acri intùs ſuſcepto & in motum acto quâcumque de causâ pariter recurrente, pendere; ſed cauſam excitantem & advocantem ferè ſemper ſibi repoſcit, quaſi è ſtatione ſuâ dimoveretur. Ita novi hominem grandævum, ſed alioquin ſaniſſimum, qui diù arthritidis graviſſimos dolores per longum ætatis ſpatium perpeſſus eſt. Ab iis poſteà liber factus, quoties ingruit arthritidem olim invehens cauſa, ſive intempeſtiva venus, ſeu ſpreta ſobrietas, ſeu demùm diuturnior in hominem militarem agens aëris inclementia, eryſipelate in hâc, vel illâ parte corripitur, parùm durabili, ſed veteres arthritidis paroxyſmos exhibente; quo eryſipelate arthritidem videtur redemiſſe. Id etiam contigit viro vehementiſſimis dudùm colicis doloribus cruciato, quorum loco eryſipelas affulſit. Cætera de genere hoc referre longius foret, quippè quæ in omnibus omnium auctorum libris leguntur. Dicta ſint hæc ut eryſipelatis genus atque cauſam poſſimus hariolari.

In genere verò inter criticos eryſipelatum peculiarium motus diſtinguunt præcipuè Medici eryſipelas faciei, artûum, atque lumborum, quæ ultima ſpecies, ut jam diximus, inter epidemicos morbos aliquandò fuit numerata. Cùm verò varia febribus eryſipelatoſis apud auctores impoſita nomina ad nos non pertineant, ſatis erit eorum naturam attigiſſe, nec ultra curationem proſequemur, annotantes tamen ſpuria omnia illa variolarum notharum genera quæ minùs cautos deludunt & ſpe experti veneni varioloſi falsò ſecuros reddunt, ad eryſipelatis naturam referri;

contrà

contrà verò variolæ legitimæ ad phlegmonis naturam pertinent.

Hùc uſquè ſerum acre ad producendos duarum priorum claſſium morbos in vitio fuit, & pars illa ſanguinis quæ concreſcere non poteſt, aut in lemas leves ſolidas parte ſuî craſſiore cogitur. Serum illud nec verum pus efformare, nèc textum cellularem penetrare valet, illumque tantummodò tumore afficit. At ſi pars ſanguinis mucoſa quæ præcipuam ejus partem alimentarem conſtituit, venenum fixius atque ſolidius concipit, aut quâquâ ratione quovis modo fuit in conſtitutivâ ſuâ proportione immutata, oriuntur affectus in cute graviores atque profundiores qui textum ipſum cutis cellularem adoriuntur, uno verbo verè phlegmonodei.

Quanquam verò inter eryſipelata de quibus hùc uſquè mentionem fecimus quædam ita gravia ſint atque feralia, ut mortem poſſint ſubitam afferre, aut promptiſſimè abire in gangrænam, ea quæ mucum ſanguinis afficiunt mala, ut altiora atque profundiora, periculoſiorem noxam inurunt, ut in parte ſanguinis fixiore poſita, adeòque difficiliùs debellanda.

Quâ autem ratione mucus ille afficiatur non adeò dilucidare pronum eſt. Mucoſa illa pars maximam ſanguinis partem conſtituit, nec ulla eſt quæ adeò varietatum experiatur vices, pro ætate, temperie regionum, variis corporum conditionibus, adeòque tam frequenti egeat depuratione, cum inſignem excrementorum varietatem generare propter hanc ipſam depurationem ex naturæ legibus debeat. At optimè cum naturâ agitur ubi quod à corpore animalium mucoſo ſuperfluum naſcebatur, in textum exundat cellularem, & ad cutem fertur adipi remixtum, aut etiam ſine adipis commercio, ex partibus ſalinis atque oleoſis ſuperfluis conflatum; ibique ſibi viam cudit, non ſimplici vacuatione à corpore eliminandum, ſed veræ ſuppurationis auxilium requirens, per quam prorsùs novam concipit indolem, & liberum tandem, non ſine longæ curationis faſtidio, corpus relinquit.

Varia eſt omninò forma quâ excrementum illud mucoſum ad cutem fertur. Quamvis enim raro, imò ferè nunquam in morbis acutis concreſcat ad cutem mucus ille noſter, dantur tamen exempla in quibus ſub formâ tumoris duri erupit, tuncque partem ingentem artûs cujuſlibet occupat, celluloſam potiùs partem, quàm cutem invadens, hincque in abſceſſum ingentem criticum terminatur, vix morbi cutanei nomine dignus morbus.

Porrò ille cùm ſemiinflammatorius ſit, ob craſſitiem potiùs quàm acredinem materiæ, ſæpè latenter in abſceſſum tranſit, poſtque febrem quatuordecim dierum, aut longiores naturæ nixus, nec eâ violentiâ tranſactam quâ mortem timere liceat, nec eâ lenitie quæ ſimplicem reſolutionem ſperare ſuadeat, ingentem craſſi puris copiam evomit, raro ſine chirurgicâ aperturâ externè erumpens, ſæpè cum œdemate ipſam phlogoſim larvante commixtus. Quamvis autem non rara ſint, in ſenibus præſertim, hujuſmodi exempla, ſæpiùs tamen humor mucoſus glandulas invadit, quæ aliquandò deferveſcente erethiſmo indurantur & in ſcirrhos reſiduos abeunt : ſed ea ad nos nihil attinent, multò magis noſtrâ intereſt paululùm commorari in enodandâ mucoſi hujus tumoris degeneri fortunâ hùc uſquè, ni fallor, non ſatis dilucidè apud auctores enucleatâ.

Mucoſam illam partem ſanguinis vocamus quæ partibus vegetantium mucidis & naturâ & principiorum conjunctione ſimilis, concreſcit per ſe, nec niſi motu perpetuo ſervat acquiſitam fluiditatem. Hæc elaboratione intrà vaſorum fluenta perpetuâ & addenſationem molis & principiorum attenuationem illam nacta eſt quâ fit ut, licèt tenaciſſima ſit, poſſitque partis aqueæ detractione in maſſam vix alterabilem oſſeamque & lapideam converti, quandiù intrà vaſa fluiditate inſignis fertur, facilè principiorum alterationem patitur, facilè pariter per externorum alimentorum additionem reparabilis.

Hæc, in quocumque ſtatu eam quæſieris, maximè copioſum eſt principiorum corporis humani, nunc attenuatiſſima & per ultimos ſubtiliſſimorum canalium aditus tranans, nunc craſſior, chyloque & mucilagini vegetabili proxima, ſed novos labores experiri apta ; nam ab illâ craſſitie per motum indeſinentem facta tenuior vaſorum ordinem minorem incolit, tenuiſſima forſan nervorum ſtamina ſubit, & ſi quis ſubtilior ſit, vaſorum ultimum ordinem, non naturâ primœvâ, ſed attenuationis gradu diverſa. Verùm ubi ultrà provehitur, & ubi ultimum elaborationis punctum nacta eſt, in excrementum vertitur, & ingruit promptiſſimè reparationis neceſſitas.

Hæc ergo undequaquè diffuſa cutiſque cellulas replens, adipi vicina, eique confuſa, tenacitatis innatæ ope contagia non haurire ſolùm, ſed retinere poteſt. Illa verò ſi fermenti vicem capeſſant, multiplicantur intùs, ſimulque partis mucidæ proportionem deſtruunt.

Hinc illa noſtris uſibus inepta mutatur. Præcipua ipſius mutatio ibi reperiri debet, ubi glomeratur in maſſas, hinc ad cutem & glandulas primariò & ex rei naturâ determinatur. Fit ergo, ſi febris ab hâc mutatione accendatur ſalina oleoſa, & corporis actione vivaci mutatur in pus : quæ converſio maximè reperitur in morbis illis qui non ſolùm ſerum acre, ſed mucoſam ſanguinis partem adoriuntur. Cujus mutationis exempla ſi extra morbos cutaneos quærere licitùm foret, hæc in morbis per expectorationem finiendis reperiremus qui ex ſuppreſsâ perſpiratione ſumentes exordia, glutina primùm indivulſa pellucidaque ſecum trahunt, dein in veram puris formam ſalubriter mutantur.

In omnibus porrò variolis legitimis mucus ille contagio infectus in cutis cellulas deponitur. Statum ad hanc depoſitionem requiritur tempus, brevius in his, tardius in illis, pro acredinis naturâ : in confluentibus & copioſis breviori tempore opus eſt, quippè quòd ſibi rodendo viam cudit faciliorem, imò in putidiſſimis, licèt copioſa ſit depuratio, non ſufficit illa tamen liberando corpori quod totum ſanie cùm defluat, mors viſceribus eroſis accidit. Sed ſymptomata quæ ad variolas ſolas referuntur fuſiùs exponere & in ſylvam ligna ferre extra propoſitum foret. Satis fuerit hìc annotaſſe multa in morbis illis in quibus pars ſanguinis mucoſa depuratur, cum phlegmonodæis affectibus eſſe communia, in eoque à rubeolis, morbillis, morbis phlyctœnoſis differre, quòd omnes illi affectus ad eryſipelas referantur, hi verò ad phlegmonem, verâque eruptionum ſuppuratione diſtinguantur à ſe invicem, licèt illi morbi poſſint dùm incipiunt confundi inter ſe ; tamen rarus error eſt, non ſolùm attendenti ad ea omnia quæ antecedunt ſymptomata, ſed etiam eruptionis modum funditùs inſpicienti. In noſtris enim macula profundior eſt & quæ ſub digito non evaneſcat ; in aliis compreſſio digiti nullum mali relinquit veſtigium. Morientibus in eruptione variolarum ſub cute & in ipsâ cute reperitur cuneolus induratus cujus apex ad ſumma cutis pertingit, ubi incipit inflammatio. Demùm inflammatio illa terminatur in pus verum non inflammabile, in aquâ ſolubile, reliquiæque poſt depurationem ſuperſtites ad abſceſſuûm pure plenorum genus referuntur : qui quidem abſceſſus non ceſſant, niſi exhauſtâ materiâ atque reſtitutâ ſanitate. Rem ultrà non ponderabimus, licèt hâc ex theoriâ multa circa variolas ſolvantur obſervata ſymptomata, necdùm ſatis explicata.

Nec verò variolæ ſolæ ab hujus mucoſæ partis affectu inflammatorio oriuntur. Locus ſeſe dabit per univerſum hujus Tractatûs ambitum plures alios ab hâc origine pendentes morbos recenſendi qui omnes ad abſceſſum referuntur. Si verò nunc ad variolarum curationem exponendam noſtra non ſeſe vertit opera, indè nos velimus excuſatos, quòd res ab auctoribus ampliſſimè tractata noſtro non indigeat labore, reſque de morbis cutaneis tractantibus ſit prorsùs inutilis. Supereſt ergo ut nihil videamur omiſiſſe ut de iis agamus morbis qui nec ſuppuratione, nec reſolutione terminantur, id eſt partis corruptione, aut arefactione, ſeu gangrænâ.

Duplex eſt morborum depuratoriorum genus quod morte partis terminetur. Violentiſſimum aliud, aliud contrà lene, tardum, & viribus deficientibus imbelle. In primo genere omnia ultrà actionis legitimæ terminos vehementer abrepta nihil regulare afferunt, ſed quod depuratur, aut præ naturâ ſummè putridâ corrumpitur illicò, coctionem reſpuens, aut propter vehementiſſimam inflammationem areſcit, & ſiccum exſtinguitur. In priore caſu phlyctœnæ gangrænodes, latæ, putridæ tabum gangrænoſum quo turgent effundunt. Separatur à ſubjectâ cute quaſi per lemas epidermis, & aliquandò accidit ut pedis aut manûs formam integram ſervare potueris. Mucoſus textus defluit, cutis livida & muco peruncta tenaci, ſed vappido linteis ſuperpoſitis adhæret ; tanta eſt veneni illius peſtiferi efficacia quod nobis deſcripſêre Thucydides, Lucretius, imò & aliquâ ratione in actis Acad. Pariſienſis Poupartus.

In poſteriore caſu fit macula arida, ſeu gangrænoſa, per ſe ſenſu deſtituta, ſed ſummè dolentibus vicinis partibus ; quarum rubro-fuſcus color ſerpere malum indicat, pulſu intereà qui ſummam modò exerebat violentiam ſummoperè debilitato atque vacillante. Hùc referuntur petechiæ, vibices, maculæ luridæ, quæ ſingula dùm apparent morbi finem annuntiant, ſed teterrimum. Licèt tamen aliquandò, notante Galeno, nigræ maculæ optimo omine ad cutem apparuerint, ſi ſcilicet brevi natura invigorata mortua à vivis ſecernat, remque accidere viderim in viri opulenti ſervulo cujus poſt trium aut potiùs quatuor dierum febrem, manus & brachium enormiter tumefactum ceſſante febre in gangrænam abierunt, à quâ uſu largo tùm externo, tùm interno kinækinæ citò liberatus fuit. Fatendum tamen eſt rarò admodùm

morbos hoſce inter verè depuratorios eſſe recenſendos, cùm novum morbum novamque ferociam morbo afferat tabum gangrænoſum. Sed mutatur tamen morbi natura, & novam prorsùs indolem à conſtitutâ gangrænâ induit; imò & ipſa gangræna cauſæ à quâ pendebat morbus opitulatur, undè ſublatâ gangrænâ tollitur per ſuppurationem legitimam morbus.

Verùm in hiſce omnibus caſibus ſpes ſupereſt poſſe per vires vitæ retundi actuoſitatem veneni, temperari, aſſignari partes inter vivas atque mortuas limitem quem rubor vivax limborum declarat ſatis. At in illo morborum genere quibus imbellis natura vix aliud præter gangrænam efficere poteſt, quid ſupereſt aliud agendum, aut ſperandum præter mortem, depoſito quidem in partes ab actuoſitatis centro remotiſſimas veneno, fatum ineluctabile retardat natura, ſemper in meliora vergens, ſed deſunt vires ſine quibus aut ars, aut natura nil ſibi ſperare poſſunt. Diuturnum tamen hujus gangrænæ exemplum in viro qui multis agitatam laboribus vitam exegerat, jam ſexagenario majore, vidi plures per annos prorogatum, lethiferum tandem. Gangræna ab anxiosâ febre incœperat, quæ plures per dies ſine typo certo durabilis, poſteà in maculam ad extrema pedis deſierat, ortam cum tormentis atrocibus & quæ fidem exſuperant. Conquieverat malum ſine ullâ ſuppuratione, limeſque malo videbatur impoſitus, cùm ſimilis & cum ſimili anxietate poſt annum renovata febris novam gangrænæ reddere viſa eſt actuoſitatem ſopitaque revocare tormenta: quod cùm tertiâ vice accidiſſet, pedis cutem univerſam conſumpſit gangræna denudatis tendinibus, ægerque inter ejulatus atque atrociſſimos dolores vitam triſtiſſimam morte placidâ finivit.

Verùm ſi omnium horumce morborum curationem inire foret animus univerſum medicinæ ambitum comprehendere neceſſarium foret, & extrà operis propoſiti limites longè vagaremur. Suffecerit annotaſſe diviſiones haſce morborum depuratoriorum.

Addere ſatis fuerit ex poſitis principiis intelligi poſſe varias humorum nocuorum inter ſe complexiones atque intricationes cùm aliquandò fieri poſſit ut unus idemque humor & ſerum acre & lympham mucoſam adoriatur. Quo in caſu ſumma certè humoris copia, acrimonia maxima, vix medicabilem noxam infert. Alioquin enim facilè fatebuntur naturæ obſervatores rarò venenum quodlibet, niſi ſummè putridum ſit, omnes adoriri humores,

ſed contrà huic, illive adhærere : undè ſit ut in peſſimis tantùm variolarum ſpeciebus, cùm jam omnia conclamata ſunt, phlyctœnæ attollantur peſſimè eryſipelatoſæ, gangrænæque mox inſtantis prænuntiæ.

CAPUT III.

De affectibus cutis depuratoriis non acutis ad univerſam cutem pertinentibus.

Morbi de quibus hùc uſquè diximus acuti, & magno impetu deferveſcentes, altè ſub corpore intumuerant. Venenum ſub imis conceptum penetralibus cutis excluſit, fovit, concoxit, & fugavit. Verùm illi morbi inter cutaneos non recenſentur, jure quidem ac meritò, cùm ipſius ſubſtantiam non afficiant, ipſique alieni ſint.

Cutanei affectus de quibus nunc operosè agendum eſt depuratorii ſunt, id eſt à causâ intùs enatâ pendentes corpus à majoribus malis liberant ; hi, vel tumorum nomen præferunt, vel ulcerum formam habent ; ſæpè participem utriuſque naturam ſibi vindicant, cruſtas ſcilicet tuberoſas extrà cutim extantes progenerant. Quæ quidem diviſio, licèt rerum naturam non omninò exhibeat, tamen aliis dilucidior hìc ſervanda nobis apparet.

ARTICULUS I.

De affectibus in cutem depuratoriis qui ſeſe per tumorem externum produnt.

In hoc articulo de iis agitur morbis qui nullam ſuppurationem aut evidentem, aut ſaltem durabilem concitant, ſed potiùs formam atque conſtitutionem cutis immutare nati ſunt, ſive reſolvantur illi, atque per inſenſibilem perſpirationem tollantur, ſive levis tantummodò aqua exeat, ſerumve, quod tumori non reſpondeat, aut malum non tollat.

Omnibus autem accuratè perpenſis, duplex tumorum genus exſurgit. Diſtinguemus ſcilicet 1°. tumores ſeroſos à ſero acri

pendentes ; 2°. mucoſos ab humore mucoſo, aut corrupto, aut exuberanti naſcentes, ſi quidem humorum genus utrumque per cutem exit perſpiratione inſenſili.

Hinc ergò primò eos exequemur tumores qui ad eryſipelatum genus referuntur, poſteà verò ea quæ phlegmonodæam æmulantur naturam deſcribemus ; modumque curandi pro cauſarum ratione, non ad empyriſmum qui hiſce in morbis maximas partes agit, exponemus.

PARAGRAPHUS I.

De Eryſipelate, ſeu igne ſacro, & tumoribus eryſipelatodeis.

Jam pluries in hoc Tractatu de eryſipelate actum eſt. Cùm enim tumoris genus quoddam exhibeat à mille cauſarum ſpeciebus pendens, mille etiam formas accipit. Hìc agitur de morbo per ſe exiſtente, ſua ſibi ſymptomata vindicante, nec alieni morbi ulla referente veſtigia. Malum illud ſæpè per varias corporis partes, nunc hùc, nunc illùc ita decurrit, ut illo nulla quandoquè careat, imò à capite ad remotiſſimas corporis partes intra ſpatium temporis fertur breviſſimum, ſquammas tantùm in ſublatâ relinquit epidermide, tanquam præſentiæ ſuæ reliquias. Ubicumquè reperitur eryſipelas, cutis tumore aliquo, levi quidem illo, & vix notando attollitur, at ejus ſubſtantia durior evadit atque compacta & addenſata magis. Nunquam in veram ſuppurationem abit, ſed reſolvi videtur, licèt aliquandò ſuperpoſitas habeat phlyctœnas, à quibus nullâ ratione judicatur, imò nec minuitur, ita ut phlyctœnæ inter morbi ſymptomata rectè habeantur.

Eryſipelas verò, cùm ſpectatur ut morbus cutaneus, ſive ut morbus per ſe exiſtens & independenter à causâ notabili cujus ſymptoma eſt, vel fixus & conſtans in unâ parte deſævit, aliis omninò intactis, vel ab unâ parte in aliam defertur, ſcenæ locum mutans, nunc quiete, nunc ſævitiâ in diverſos actus diſcerpit ludum ; vel demùm eryſipelas longo ſopitum intervallo per paroxiſmos multùm à ſe diſtantes recrudeſcit, fitque morbus quaſi verſus in habitum. Quæ tres morbi ejuſdem ſpecies peculiarem à nobis poſtulant expoſitionem.

Primam eryſipelatis ſpeciem antiqui ſatis perſpexerunt, & deſcriptam invenimus ab omnium ferè auctorum catervâ à Celſo

ad Avicennam uſquè, imò etiam ab Hippocrate deſignatam judicamus, *ſub ignis externi & tumoris bilioſi* nomine; quamvis eryſipelas vulgò ab Hippocrate inter ſymptomata relegetur, Galenuſque (*a*) præceptori ſuo conſentiat. Verùm malum illud per ſe exiſtit, & utut minora ægro & Medico faſtidia intentet, minùs mobile ſit, minùs in ſymptomatibus variabile, arti cedat faciliùs quàm eryſipelas, aut ſymptomaticum, aut criticum; aliquandò tamen ſymptomata invehit nihilominùs vehementia, febrem, phlyctœnas; at in eo differt ab eryſipelatoſis acutis affectibus, quòd per ſe naturam, niſi arte præpoſterâ coactum, nunquam mutet, quòd corporis functiones non peſſumdet, quòd diutiùs perſtet quàm ſimplex depuratio poſtulare videatur.

Mox oriturum præcedit ſemper aliqua febrilis anxietas, doloreſque οςεοκοποι quales in homine ſentiuntur cui ſanitas vacillat perſpiratoriuſque humor coctione debilitatâ ſuppreſſus eſt. A parvis incipit malum initiis, mox grandeſcit illud, & maxima occupat ſpatia, non ſine ſubjectarum partium tumore arearumque cutis in granula tumefactarum duritie. Circa caput ac collum thoracemque ſæpiùs ſævit, ibique calor perſentitur punctorius, cum gravitatis dolorificæ ſenſu. Si in caput decumbat, oculi ſæpè clauduntur, liveſcunt quaſi ſanguine effuſo palpebræ, tenſa circa cartilagines aurium cutis dolet eximiè, retorquentur labia, ibique phlyctœnæ agglomerantur, gula dolet. Jactatur anxiè æger, & circa noctem qui artus occupant dolores, recrudeſcunt; undè æger inſomnis calori æſtuanti addit imaginationis tormenta. Quò vehementiùs malum, eò etiam gravius eſt, ſed brevius. Diuturnum eſt quod lenius adoritur. Raró tamen in mortem terminatur, niſi ab eâ pendeat causâ quæ poſſit retropelli. Tunc enim è nobilioribus viſceribus nullum eſt in quod non poſſit atrociter deponi, undè antè omnia cauſæ ſtudendum eſt quæ ſola prognoſim facit. Hanc undè videmus eſſe & obſcuriorem & difficiliorem diagnoſi quam oculus hiſce in rebus exercitatus ſolam facit.

Finientis eryſipelatis ſigna dant laxior cutis habitus, ejuſque rubor jam non adeò nitidus, ſed ad flavum declinans, ſquammularum apparitio à ſejunctâ epidermide; uno verbo, erethiſmi ceſſatio cujus etiam ſignum in urinis craſſioribus alvique excrementis reperies, ut & in molliori partium cutis etiam ab eryſipelate

(*a*) De Definit. Hipp. vocum.

vacuarum

vacuarum habitu. Pruritus qui priùs non aderat, in morbo ſeſe reſolvente, concitatur, & ſæpè ob violentas ægrorum manus, periculoſum eſt ne morbus recrudeſcat. Verùm ſumma pro cauſæ diverſitate temporum eryſipelatum varietas datur. Alia enim ſubitò & protinùs exardent ſummumque ſuî obtinent faſtigium; alia ſenſim inflammantur; alia demùm longam declinationem, non ſine recidivæ metu, exercent. Ubi omnia externè ritè peraguntur, excepto membri affecti pondere, doloreque aliquandò acerrimo, cum ſalubritate corporis vulgò bellè agitur, nec niſi languente eryſipelate languent ægroti, magnumque inſtat periculum, ubi eryſipelas illud ſine causâ evaneſcit. Illud verò, utì jam dictum, à cauſis pendet.

Eryſipelatis autem hujuſce ſpeciei, ſive diſtincti & unici quod nec aliæ labis ſecum ferat indicia, cauſæ aut accidentales ſunt, & ab externis non naturalibus cauſis petendæ, aut internæ, id eſt à diſpoſitione ſeri acriori repetendæ, quas ut expendamus, non ad poſſibilis theoriæ mentem, ſed ad practicam obſervationem, notabimus internis ad eryſipelas diſpoſitionibus maximè donari juniores & qui plethorici ita ſunt, ut facilè tamen ſeri ſuperfluam copiam in iis diſtinguas; hinc illi fugacibus catharris conflictantur; iis nares facilè implentur, ait Hippocrates, ob cœnam inſuetàm aut pleniorem; illi facilè à frigore ſtringuntur; eos calor exanimat; his & ad impreſſionem lucis vividam oculi lacrymas effundunt ſalſas, nares levi de causâ, ut frigore inſolito, aut inſolatione ſubitâ turpiter defluunt, dentes facilè dolent, leveſque per totum corpus horripilationes non deſinunt in morbos, ſed leviter reſolvuntur, facilè recrudeſcunt. His adeſt ſumma fibrarum ſenſilitas, ſed ſimul ſubeſt illa acredinis ſpecies quæ ſoli ſero inſidens partes vellicat tantùm, vixque eas obſtruit, ſanitatem ideò aufert, morbum non facit. Viget intereà appetitus ad cibos, quos pleniores carpunt avidè; titillatur enim ſtomachus ab acri exuberante quod nomine bilis veteres deſignaverunt. Undè ad eryſipelas maximè proclives ſunt, tùm ii quibus cùm copioſa adſit ad perſpirationem materies, facilè tamen illa ſupprimitur, tum ii quibus refluus humor ſigna dat non indubitatæ acredinis. Hìnc etiam pueris non rara ſunt eryſipelata, cùm humores tenuiſſimi acredinem ſibi facillimè aptent, ſed hoc in infantibus eryſipelas ſero multùm diffluit, undè illud peculiari nomine *undimiam*, ſeu eryſipelas humidum (*a*) vocaverat Avicennas.

(*a*) Fen. 4, lib. 4, cap. 3.

Interna ergo eryſipelatis hujus cauſa univerſalis eſt, ſerum acre, quod ſi in cutem quâcumque de causâ irritatam glomeretur, fit eryſipelas plus minuſve diuturnum pro cauſæ copiâ. Serum illud acre nunquam magis eminet, quàm ubi incerta eſt perſpiratio; nec illa magis incerta, quàm cùm alimentorum concoctio ex acribus conſtans particulis, peccat tamen inertiâ. Undè eryſipelata maximè epidemica iis ſunt nationibus quæ victu acri incoctili utuntur, cœpis, alliis, piſciumque variis generibus, notante apud Indos Bontio, apud Ægyptios Proſpero Alpino, ſi præſertim, externæ & accidentales eryſipelatis cauſæ concurrerint quæ à variis ordinibus rerum repetuntur.

Omnia quæ externè agunt in perſpirationem, aut in vaſa cutis eryſipelati inducendo conducunt. Ita equitatio fortis adverſo vento frigido, quæ cutim ſimul ſiccat & obſtipat, quæ cogit & coagulat affluentes humores, acri per cutem exeunti moras injicit. Fit enim erethiſmus & eryſipelas. Contrà ſolis nimiùm irradiantis vehementia in partem aliquam fixior hanc eryſipelate tingit; nec mirum, cùm ſiccet potenter, liquidioribuſque in vaporem actis, reſiduum acre relinquat. Sic vidi virum robuſtum maximè cui, dùm in flumine balneum captat & refrigerium, ſol impendens durabilem eryſipelatis notam inuſſit, non ſine maximè incommodo pruritu. Vinum, liquores ſpirituoſi immodicè ſumpti ſub aëre fervido idem effecerunt, nec multùm differunt ſive ſymptomatibus, ſive cauſis binæ eryſipelatum ſpecies, nunc diſtinguendæ, quas ſeorsìm exponemus, non ſymptomata quæ eadem ſemper ſunt, ſed cauſas altiùs rimati.

Propior illi de quo modò loquebamur eryſipelati ea eſt hujus mali ſpecies, quæ non in uno loco fixa nunc ſerpit, & ſerpendo per vicina propagatur, nunc ab aliâ in aliam partem fertur, ſpreto viciniæ jure. Hanc qualem vidiſſe contigit liceat deſcribere. In illibatâ ſanitate cum levi pruritu à vultu incipiens, ad thoracem & brachia ſenſim proſerpit, nec dorſo, lumbis, femoribus, ac cruribus parcit, ignis more ſeſe propagans ita ut ab unâ die ad alteram ſedes novas, deſertâ priori vicinâ, occupet. Adſunt radii eryſipelatoſi qui iter mox deſcribendum declarant. Malum non in eâdem parte diù ſtabile, diù tamen vexat, antiquam aliquandò repetens originem. Immunis antè alias fit pars illa quæ prima labem ſuſceperat. Nec vehemens eſt, ſed non caret retropulſionis periculo, quod & tuſſis & anxietas in ſanitate

alioquin inculpatâ ſatis denuntiant. Nulla cum evidens ſanat vacuatio. Poſt toleratum huncce morbum tota, quantacumque eſt, cutis in ſquammas & furfures abit. Renovatur epidermis, quâ nondùm in priſtinam humiditatem veteremque nitorem reſtitutâ, recidivæ ſemper eſt metus. Nec video quid illa ſpecies eryſipelatis ab illâ ignis ſacri ſpecie luculenter à Celſo deſcriptâ differat, cujus dùm numerat ſpecies duas, gradus, non ſpecies videtur diſtinxiſſe. Ex illius enim deſcriptione alterum ad cutis ſuperficiem non elatum eſt, latum, ſublividum, inæquabiliter tamen, alterum tumidum, puſtulis plenum quæ pus fundant, ſeu potiùs, ut rectè ait, humorem qui inter ſaniem & pus eſſe videri poteſt. Hoc morbo ſeniorum corpora præcipuè tentari ſcribit & ea quæ ſunt mali habitûs, quibus nos ea addemus omnia corpora quæ malè perſpirant. Cruribus verò ſacrum hunc ignem adſcribit; forſan olim apud Romanos in cruribus per veſtium morem obſervatum frequentior fuit: in juniorum verò corporibus & vigentis ætatis robore reperitur altera eryſipelatis ſpecies, quæ non ut ignis ſacer à parte in partem ſerpendo gliſcit, ſed ab unâ diſſitâ in aliam remotam fertur. Hæc quidem differentia primo aſpectu videtur inter utramque eryſipelatis ſpeciem diſcrepantiam ingentem conſtituere; nec tamen illa pendet ab aliâ ratione quàm à conſtitutionis differentiâ quæ ineſt inter partes ad excipiendum eryſipelas plus minuſve diſpoſitas. Ita à facie in genitalia ſæpè ruit eryſipelas, quod jam intellexerat Hippocrates, ab aurium poſticâ parte ad articulos fluxiſſe vidi, ab his in oculos, indè pruritus per univerſi corporis ambitum vagari obſervatus eſt, & non raro, mutatâ mali ſpecie, ferri ad interiora, varioſque ibi producere morbos, anginam, peripneumonias, quibus morbis bellè finitis & perfectè judicatis, ſæpè cauſa eryſipelatis ſublata fuit. Aliquandò tamen poſt elapſam unius aut alteriûs tempeſtatis viciſſitudinem reviviſcebat eryſipelas, tertiamque à nobis recenſitam producebat eryſipelatum formam, recurrentium ſcilicet, aut periodicè, aut erraticè & improvisò.

Cap. XXVIII, lib. V, 4.

Periodicè recurrere dici debent eryſipelata quæ ſtato tempore & quaſi prævifa renovantur. Hominem novi aliundè ſanum, qui bis in anno versùs utriuſque æquinoctii tempora eryſipelate tentatur. Primus & alter eryſipelatis hujus periodici inſultus, cum febre violentâ præviâ, dein tumore cutis, coloreque ejus

ſublivido adoriebatur, gravis aderat morbus, gravibus ſtipatus accidentibus, ad quatuordecimum uſquè diem protenſus, dein per quemlibet annum ſine febre præviâ, ſed cum horripilatione quæ ſibi anxietatem adſiſcit comitem, rubore levi, nunc in hanc, nunc in illam partem ad diem ſeptimum protenditur. Gravior eſt & diuturnior ea annua eryſipelatis forma quam quotannis ſub veris tempore emicantem obſervavi. In utroque levis ſudor ſub morbi finem reſtitutaque vacuationum libertas malum ceſſare indicant; quod etiam cutis mollefacta compages, flaveſcentia, atque à priſtinâ tenſione reſidua rugoſitas apertè declarant. Sed, quod maximè annotatum velim, qui, antequam ipſis appareret eriſipelas periodicum, viri natu grandiores, erant & cauſarii & ad omnia capeſcenda mala prompti, ab hoc tempore firmâ valent ſenectute, vigentque & animo & corpore.

Erratici eryſipelatis occaſio datur, quoties in modò memoratâ ad hunc morbum diſpoſitione concurrunt cauſæ anomalæ. Sic virum novi militarem qui nunquam aëris uvidi humiditati exponitur per horam unam aut alteram, quin illicò corripiatur eryſipelate, turmamque cui præerat pedeſtrem deſerere invitum coegit redeuntis mali conſtantia. Idem ſi ut liberiùs viventibus mos eſt, ſeſe ſpirituoſis liquoribus ebibendis ſiverit allici, illicò plectitur eryſipelate per plures dies. Nec aliam crediderim eſſe quærendam diſcrepantiam inter anomalum & periodicum eryſipelas, quàm quæ repetitur à cauſarum malè morato influxu. Nec ergo alia eſt hujus cauſa efficiens, ſed tantummodò differunt inter ſe cauſis occaſionalibus.

Nunc ergo ad cauſarum notitiam methodoſque curatorias noſtra ſe vertit inquiſitio. Nam ut eryſipelatis cujuſcumque facilis diagnoſis, non ita ſemper ſimplex cauſarum inveſtigatio; filum regat obſervatio.

Si igitur apum, culicum morſus venenatos excluſeris & alias accidentales prorsùs cauſas, primò quidem & antè omnia illud memorari velim omnes & ſingulas eryſipelatis in cutem ſeſe deponentis ſpecies inter morbos à ſuppreſsâ perſpiratione pendentes eſſe recenſendas.

2°. Verò perſpirationem in cute hærentem non producere eryſipelas poſſe, niſi aut ſubitò, dùm ad cutem hæret, ſuppreſſa ſit, aut acris præter modum fuerit.

Si in parte ſeroſâ latet acre ſalinum, tunc non modò quandiù

vivit illud intrà vaſa ab eryſipelate ſecuros ægrotantes pronuntiare non poſſumus, nec tantùm aliorum morborum vices explet eryſipelas, ſed etiam ab illis excipitur.

Acredinis quæ eryſipelatoſam eruptionem nunc hùc, nunc illùc, nunc vagis, nunc certis temporibus efficit naturam aut obſervatione definire, aut experimentis excipere impoſſibile eſt. Verùm hos ejus effectus deprehendet obſervator.

Ut ſeroſa omnia perſpirationi rebellia excrementa, acre hoc eryſipelatoſum nares afficit, oculos, œſophagi ſupremam partem, ſternutamenta, tuſſes acres, nil ſcreatu dignum excernentes, concitat. Tum nervos, parteſque ſenſiles membranaceonervoſas angit cruciatibus, aliquandò in tumores attollit elaſticos, ſubitò erumpentes, deſinentes ſtatìm, ſuppurantes nunquam. Ita ut, re perpensâ accuratiùs, inter cauſas eryſipelati efficiendo idoneas quatuor tantùm claſſes recenſeamus.

Primum cauſarum genus conſtituunt humores catharro efformando idonei. Scilicèt quamvis aliter alii putent, prima catharrorum cauſa latet in officinâ coctionis; nam coctio cruda perſpirationem antè omnia lædit, undè cùm humor ad exitum tardus, & craſſis partibus ad ſuperandos perſpirationis tenuiſſimos calles non tenuatur ſatis, hæret ille, nec facilè ad urinæ vias fertur. Acredinem ergo loco coctionis induit; quæ acredo hæret ad cutem, & ibi eryſipelas concitat, aut in membranâ Schneiderianâ, aut in pulmonibus catharrum format. Undè neceſſarium eſt fontem talium eryſipelatum avellere conanti ut antè omnia functionibus ventriculi & organorum concoquentium invigilet. Nec magis actuoſa eryſipelatum catharralium alia cauſa eſt quàm quæ à concoctione pendet. Eam ſpeciem prænuntiant mox futuram ſtomachi anxietas, nauſea, ventriculi & totiûs corporis pondus ac dolores oſſifragi; mox implentur ac turgent nares, & in hâc præviâ ſymptomatum turbâ, quam rectè cum cauſis accidentalibus notiſque regionum atque tempeſtatum frigidis ſimul atque humidis vitiis contuleris, tota conſiſtit cauſæ eryſipelatis catharralis diagnoſis.

Secundum cauſarum genus efficit acredo illa ſeroſa rheumatiſans, quæ vix ſine ullo tumore cruciatus enormes affert, in hoc cum catharrali cauſarum genere congruens, quòd hæc in illam facilè mutetur. Differt tamen ut videtur per ſubtilius acredinis genus, quod exardeſcit vehementiùs & à contractili indole partium

in quas decubuit tenacitatem & pervicacem indolem mutuatur. Undè, ubi in eryſipelas vertitur, bellè agitur cum corpore quod pruritu atrociſſimos cruciatus vulgò redimit. Nonniſi debilitatis atque tono carentibus ſenum naturis, converſio illa accidit, fitque eryſipelas longum per ſe vixque criticum. Nec vulgò ita priſtinam dedidicit naturam, quin ſtipetur doloribus vagis, anomalis, cruciantibus, de quibus tam doctè ſcripſit ſummus obſervator Ballonius. His ſignis concomitantibus prægreſſiſque ægri benè cognoſcendis affectibus diagnoſis hujus generis eryſipelatum conſtituitur.

Tertium de quo agere hìc neceſſarium eſt ſola facit arthritis, aliquandò ſæviſſimo juncta eryſipelati non ſine œdematis illiûs inflammatorii miſcelâ, aliquandò verò in ſenioribus in eryſipelas faceſcens. Quamvis enim vehementiſſima arthritis non ſerum tantùm acre, ſed etiam mucaginem adoriatur & penetret intimiùs, leviori arthritidi aliquandò accidiſſe vidi ut ejus loco periodicum eniteat eryſipelas, quod etiam nunc quotannis video, pulchrè ſecum actum exclamante ægro; licèt enim, ſaltem ut mihi videtur, in hoc eryſipelatis genere ſummus ſit pruritus, nulla tamen inſtituenda eſt comparatio inter hoc incommodi genus & dolorum arthriticorum vehementiam. Sed in hoc eryſipelatis genere difficilis admodùm diagnoſis eſt. Arthritidem enim vidi etiam eryſipelati ſuperveniſſe, de quâ nec anteà ſomniaſſe licitum fuerat, niſi tamen incerta illa futuræ arthritidis ſigna, ructus, flatus, ventriculi irritationem pro diagnoſi habere volueris.

Quartum demùm ad ſymptomatica eryſipelata revocandum eſt. Illud pendet à cauſâ venenatâ corpori prorſùs extraneâ, ſive per contagium ea fuerit intrà ſuſcepta, ſive etiam per naturales quæ humoribus noſtris innaſci poſſunt nocendi formas intùs & ſub ipſis viſceribus intumeſcens ingeneratum fuerit. Talia ſunt venena illa acria morbillorum, quæ tam facilè in tenerâ, præſertìm infantium, cute, ab alio ad alium traducuntur, & ſemel in ſanguinem immiſſa ibi multiplicantur. Tales ſunt maculæ illæ eryſipelatoſæ quæ in ferventiſſimis tempeſtatibus per febres erumpunt, & partim ab humorum acrimoniâ, partim ab æſtu aquam cruoris exhauriente, producuntur; hinc varia nomina ab hiſce ſymptomatibus febres ſortitæ ſunt, ut ignis perſicus, febris purpurata hungarica, de quibus conſulantur Sennertus, Hoffmannus, aliique præſertìm rerum Germanicarum medicarum

auctores. Verùm eryſipelata illa depuratoria ad nos non pertinent : de iis quod dicendum erat jam dictum eſt. Poſſunt verò, etſi rariùs accidat, lentiùs hujuſmodi venena intumeſcere & in chronicam labem faceſcere. Nec crediderim poſſe adeò ſecurè concubitum cum illis exerceri qui eryſipelate familiari laborant. Quid enim ? cùm ipſa arthritis ſæpè vix refellendis experimentis videatur ducta contagio ? An non illud eryſipelas quod ipſam excipit poſſit etiam eadem fata ſubire ? Nunquam tamen ſimiles caſus vidi, nec niſi conjecturâ id aſſequi poſſe videor. Sed rationalem ſufficit eſſe conjecturam, ut indè ineantur medica conſilia.

Forſan etiam non videbuntur in hâc eryſipelatis noſtri cauſarum enumeratione ſatis comprehendi aliæ multæ poſſibiles. Sed cùm methodum noſtram ad praxim inſtituere fuerit animus, in verbis aucupandis tempus terere inutile eſt ; hiſce in cauſis concluditur quidquid praxis videt. De morbo diſtincto agimus, non de claſſe cauſarum, ut clariùs apparebit ex eâ quam nunc inſtituimus diagnoſi.

Diagnoſis eryſipelatis præſentis facilis ad oculum patet. Ipſe diſtinguet oculus, an ſimplex ſit eryſipelas, an ex illo genere quod antiqui νὴμας vocaverunt, id eſt vagans, ſive perodicum ſit, ſive erraticum ? Nam eryſipelatis non vagi cauſa conſtans & ut plurimum eſt evidens, aut epidemica. Vagum ſi primâ fronte non judicaveris, tale ſe prima docebit recidiva. Sed periculum eſt ne redeat eryſipelas quod, antequam erumpat, cauſæ latentis interioris ſigna dedit; ſcilicet ſi poſt anxietates appareat prævias, capitis dolores, vertigines, &c. ſi præceſſêre horror, frigus, febris, & tuſſis ; ſi celeriter ad reſolutionem inclinet & ſigna præcocia finis det, cùm tamen prævius tumultus magnus fuerit & metuendus. Latentem enim, non ſanatam cauſam indicat præpoſtera ſolutio, adeòque recidivas ex Hippocratis oraculo. Præterea formido hæc augetur à cauſarum cognitione, quarum diagnoſis in eryſipelate, ut & in aliis morbis maximi eſt momenti.

Diagnoſis quâ cauſam eryſipelatis catharroſam agnoſcemus pendebit ab enarratione earum rerum quæ perſpirationem ſupprimere potuerunt, ſi illas præcipuè contuleris cum phœnomenis quæ à coctione vitiatâ poſſunt pendere. Præterea eryſipelas quod ab illâ pendet cauſâ raro ſolum ſe prodit, ſed adſunt ſimul horrores, rigor quidam calorem alternè excipiens, coryza, gulæ,

amygdalarum glandularum inflationes ; præcipuè verò & antè omnia plumbea totiûs corporis gravitas, unà cum doloribus gravantibus, omnemque machinam miſerè diſtrahentibus. Tùm verò eryſipelatis locus hìc accedit. Nam vulgò eryſipelas illud in vultum, faciem & aures decumbit, rariùs in alias partes, niſi jam œdematoſæ illæ fuerint, aut aliâ quâcumque de causâ debilitatæ. Præterea verò eryſipelas illud catharroſum multò magis complicatur atque connectitur cum œdemate catharrum quemcumque comitante, quàm aliud quodvis eryſipelatum genus.

Eryſipelatis à ſero acri rheumathiſante pendentis diagnoſim conſtituit ipſe dolor, aut in articulos prævius, aut ipſam eryſipelatis ſedem occupans. Illud morbi genus vix ſeſe in tumorem attollit : vix aliud tot phlyctœnas concitat ; vix aliud tot dolores acutos parit, ita ut maligni aliquid in malo ad aſpectum ſimplici latere omnes ſuſpicentur vel indoctiores. Præterea nec benè tollitur, nec facilè ſedatur, nec eo deſinente in alias partes ſævire ceſſant dolores. Undè eryſipelas illud & ſævius eſt, & metuendum magis illo hujus mali genere quod & arthritidem accipit & in hujus locum ſuccedit.

Fatendum eſt, & pluries dabitur occaſio illud fuſiùs demonſtrandi, ſeſe in locum arthitridis aliquandò mala cutanea graviora patefacere ; imò & ſæpè malum ſæviſſimum per eruptiones cutaneas maximè atroces extingui. Verùm ubi levior arthritis in malum eryſipelaceum abit, vulgò levius illud eſt &, utut pertinax, dolores non concitat graviſſimos. Nam hìc de eâ non loquimur eryſipelatis ſpecie quæ arthritidem comitatur & cum eâ erumpit, cum eâ pariter ſubſidit : eryſipelata illa periodo cum arthitride conſonant, cum eâ ſolvuntur, cum eâ reditura.

Ancipitis plena periculi eſt diagnoſis illa quæ veneni latentis & in eryſipelas abeuntis naturam vellet deſignare. Gradus violentiæ in eryſipelate gradum nocentis cauſæ deſignat, concomitantia cætera naturam. Verùm à veneno quocumque pendere eryſipelas indè ſagaciùs odoraberis, quòd, excepto acri illo, cætera ſana ſint, quòd nulla è prædictis cauſis ſuî ſuſpicionem offerat ; quòd contrà prævia ſymptomata, ventriculum antè alia viſcera nauſeâ, thoracem tuſſi, caput vertigine affecerint ; quæ ſigna latentium venenorum intumeſcentiam vulgò declarant.

Verùm in tantâ cauſarum obſcuritate non ii ſumus qui ſtatim putemus præſumendam cauſarum curationem : nec ſtatim talem diligentiam

diligentiam res poſtulat. Omne enim eryſipelas, ſive dùm incipit, ſive dùm ad vigorem pervenit, eadem prorsùs agenda indicat, adeòque & deliberationi & diſcuſſioni locum relinquit; rarum eſt, dùm ſua percurrit tempora, quin non aliqua cauſæ propria videri ſinat ſymptomata quæ nos in agendis poſteà dirigant & quaſi deducant, prognoſimque atque cauſarum curationem indicent.

Prognoſis enim eryſipelatis per ſe ad cutem ſine acutâ febre perſtantis nunquam funeſta eſt. Si cauſa eryſipelatis hujus ſit generis quæ retropelli poſſit, peſſima & acutiſſima mala invehit citò lethalia, tuſſes, phrenitides, vomitus enormes & cohortem febrium omnium acutarum quas veteres bilioſarum nomine deſignaverunt.

Sed in ipsâ parte perſtans & obdureſcens eryſipelas poteſt, malo per inopportunam medelam aucto, in gangrænam abire, vel phlegmonodæam induere ferociam. Prius vidi accidiſſe, cùm pravo conſilio erumpenti malo apponerentur adſtringentia; vidi etiam idem accidiſſe à naturæ debilitate atque inertiâ in ſene decrepito à causâ prorsùs oppoſitâ. Sed in hoc caſu eryſipelas illud à degeneri ſanguinis craſi merè ſymptomaticum, veluti prævium gangrænæ habendum erat. Phlegmonodœam ſi induerit naturam, jam propriam amiſit indolem; de eo tumore agetur alibi. Sed illud ſæpiùs noſtro malo accidit, ut abeat in œdema illud calidum quod ſemper plus minuſve cum illo connectitur; arthriticis præcipuè eryſipelatibus œdema conjungitur, & poſt illud benè ſolutum tantummodò ſanatur. Necnon verò poſt violenta artuum eryſipelata quæ crura præcipuè affecerunt remanet ingens in crurum vaſis delaſſatio, ingens textûs cellularis diſtentio, undè hiſce malis pluries fatigati, ſæpè malo in habitum verſo, per totam vitam crura habent tumentia, ſi jam adultæ ætatis limites tranſierint, aut per longum ſaltèm temporis ſpatium, ſi junior ætas reſtitutionis ſpem attulerit.

De eryſipelatis curatione acturis tria tempora diſtinguenda ſunt, quorum unumquodque varias omninò agendi intentiones, ſive, ut aiunt, indicationes offert. Primum omnibus commune illud eſt in quo ſæviens eryſipelas nihil aliud exhibet oculis præter inflammatæ partis ſpectaculum; in eo tota curatio eryſipelatis præſentis conſiſtit.

Ubi morbus conticeſcere videtur, ſed minax recidivam intentat,

aliud agendum ſupereſt. Adeſt tempus in quo cauſa varietates ſuas altè imprimit ; adeòque cauſarum inſtituenda eſt curatio, ut mali recidivæ præcaveantur, cauſaque vivax funditùs tollatur.

Tertio demùm tempore omnia deſævière, pacato mari vehimur, relaxata omnia atque ab inflammatione fatigata roboranda ſuperſunt, & ad priſtinum tonum à quo præ nimiâ tenſione deflexerunt reducenda. Hæ ſunt tres illæ indicationes ab Hippocrate primùm, dein à Galeno dilucidiùs & ad naturæ normam in omnibus inflammationibus requiſitæ ſine quibus integra medela nequit conſtitui. Si qui quidem morbus conſtat ex obſtructione vaſorum cum erethiſmo junctâ, imò per erethiſmum factâ, is poſtulat antè omnia ut tollatur erethiſmus ; poſteà verò quæ priùs omnibus ſtrictis & coarctatis nullatenùs tolli poterat remediis obſequitur cauſa infarciens : quâ ſublatâ, vaſa ultrà tonum diſtenta in relaxationem abire neceſſe eſt, adeòque ab arte robur expoſtulant.

Primo ergo tempore in quo omnia ſæviunt & conſtringuntur erethiſmo prima medela à venæ ſectione repetenda. Circa hanc inſtituendam gradus mali, vires ægri conſilium dabunt, non neglectâ interim cauſæ, ſi evidens illa ſit, conſideratione. Sanguinis miſſione laxatur erethiſmus, hâc, ſanguinis motus contemperatur & mali præcavetur impetus. Revulſivas venæ ſectiones & ad artis leges è remotiſſimis partibus inſtituere familiare eſt. Sic quoties vultum impetit eryſipelas, eò audaciùs ſaphœnam tundimus, quòd in junioribus præſertim eryſipelas illud cum narium hæmorrhagiâ jungatur. Maxima curationis pars in hâc rectè adhibendâ conſiſtit ; ab illâ ſi vires ſuadeant auſpicandum Celſus (*a*) præcipit. Et ſi venæ ſectionis ſuaſor (*b*) Galenus parciùs videtur eâ uti in eryſipelate, ut notaverunt auctores neoterici, id ab eo pendere crediderim quòd eryſipelatis curationem propriam tantùm ſectatus ſit, univerſalem verò ad curationem inflammationis retulerit, non verò quòd à flavâ bile pendentem catharticorum vi ſtatim adoriendam judicaverit. Nec certè eadem lex eſt venæ ſectionis atque in vehementiſſimo phlegmone. Poſt temperatum venæ ſectionis ope ardorem effrænem, periculumque phlegmonis cum eryſipelate miſcendi, tunc ætatis, ſympto-

(*a*) Lib. 5, c. de Medic. S. loca.
(*b*) Meth. Med. Glaccon. l. 1.

matum, cauſæque præſertim habenda ratio. Nam, etſi nullum ſit retropulſionis periculum in multis eryſipelatum generibus, ut ſunt ea quæ intulit accidentalis cauſa, ſpecies plures ſunt in quibus vel ipſi reſolutioni nocere poſſet de viribus neceſſariis detrahens vacuatio : adeòque viribus conſulendum.

Poſſunt igitur dari caſus, rari illi quidem, in quibus venæ ſectio poſſet eryſipelati nocere, ſi vires infirmet illa & reddat expellendo veneno minùs idoneas. Verùm quo in caſu ſanguinem audaciùs mittere poſſumus, quâ contrà de ratione illi parcere conveniat, ex libris diſcere impoſſibile eſt, virium menſura ex functionum ſtatu concluditur. Primo illo eryſipelatis tempore nulla alia diæta convenit quàm quæ ad omnes acutos morbos pertinet, ſive illa in extremâ violentiâ fuerit ſumma, ſive tantummodò pro gradu mali accurata & ut aiebant antiqui ἀκριβής. Sanguineum autem laticem inſigniter latice aqueo proluere ſecunda indicatio eſt venæ ſectioni ſuccedanea ; undè & acredo retundatur humorum, criſpataque laxentur ſolida. Ut verò aqua ſimplex & facilè elabitur, & fluidis per motum vehementiorem raptis vix adhæret, adhibetur aquoſus liquor, leviter ſalinus qui penetret, leviter oleoſus qui omnibus ſanguinis partibus miſceatur, eaſque cùm non eumdem obtineant tenuationis gradum, contemperet. Talia ſunt levia decocta pulli, vituli, aut ſi in aliquo putredinis metu tibi animalium ſucci jure meritòque ſuſpecti ſint, ſerum lactis vaccini, vere præſertim novo, cùm turgent plantæ quibus armenta utuntur ſucco novo atque ſaponaceo antè omnia alia medicamina arrideat. Tùm decocta foliorum & radicum graminis, patribus noſtris adeò decantata, ut & foliorum taraxaci, cichorii, ſonchi, ſcorzonneræ multorumque aliorum vegetabilium ſeſe inter ſe ſupplent invicem, variaſque indicationes, nunc à ventriculo laborante, nunc à debilitatis jecinoris deſumenda functionibus implent, ſi quidem nulla eſt adeò ſimplex natura hominum, ut non in multiplici parte peccet. Nitrum addere ſæpè profuit, ſed parcâ doſi, ne ſalinum in morem agat.

Sed ferventis inter æſtatis incendia maximè ſalubre potûs condimentum attulêre fructuum horæorum ſucci ſaponacei, tùm urenti contemperandæ bilioſæ acrimoniæ, tùm craſſiori lymphæ textui ſolvendo, tùm etiam laxandis craſſioribus atque compactioribus ſolidorum lineamentis utiles. Sed brevì primus ille ſe ſedari

ſinit erethiſmus, omniaque temperatiora, non cauſæ tantùm proximæ, ſed etiam accedentis ſaburræ rationem haberi poſtulant. Quod quidem ad omnes æquè eryſipelatum ſpecies pertinet; nam eryſipelatis cujuſcumque cauſa efficiens à ſupreſsâ perſpiratione pendet quæ ſemper coctionem primam vitio afficit. Imò plura ſunt illiûs genera quæ ab hâc unicâ cauſâ pendent. Undè in vultûs & faciei præſertìm eryſipelate plures ſunt auctores qui, poſthabitâ, immeritò quidem, venæ ſectione, illicò alvum ſolvendam prædicant, à quâ ſolutione & ſumma fit revulſio, & materiæ crudæ & incoctæ ſubſtractio.

Verùm licèt maturè ſubtrahendum illum fomitem cum iis arbitremur, ea tamen ſeligi volumus medicamenta quæ alvum quidem ſubluunt, ſed ſine ullâ irritatione incuſsâ, aut ſupprimendæ perſpirationis metu. Ut ſunt polypodium quernum, mercurialis aliæque plantæ illæ molles ſimul & laxantes quibus addimus manna, caſſiæ medullam, pruna laxantia, tamarindos, imò & in durioribus, nec facilè laxandis naturis folliculos & folia ſennæ. Difficile eſt ea pro diverſis naturis ita aptare & diſponere ut in regulam univerſalem tranſeant; notaſſe ſufficiet laxantia illa formâ præſertim liquidâ eſſe exhibenda & eò feliciùs agere quò offeruntur liquidiora; ſic enim & diluunt, & ſolvunt, & aperientium dotes adipiſcuntur.

Hæc quidem omnia ad quæcumque eryſipelatum genera pertinent æqualiter. Sed jam tempus primi furoris ſedatum omniaque in vado poſita ſuadent ut ad cauſam generatricem noſtras vertamus curas. Quippè ni tollatur illa, vel ocyùs, vel tardiùs tanto parta labore tranquillitas evaneſcet. Catharralis cauſa reſarciendam eſſe perſpirationem indicat. Sed hæc, niſi laxatis vaſis & coctionibus ad meliorem normam mutatis, in integrum reſtitui non poteſt. Quippè elaboratiſſimum excrementum naturæ laborem integrum requirit. Benè actum eſt à naturâ cum ægro, ſi retenta materies ad urinas deferatur; ſed via hæc ut raro integrè & abſolutè vitiatam vacuat materiem, ſic ad naturam unicè pertinet. Poſſumus undoſum urinarum laticem augere; at criſim per urinas æmulari ſatagenti arti non licet. Ergo ſi obſtinatum fuerit eryſipelas, materiem illam per alvum ſupereſt ut avehamus, ſimul verò tibi inſederit memoriæ, ipſis amara ſtomachica miſcuiſſe, ut ſunt & plantarum amararum decocta, ſucci, &c. quibus ex præceptis pharmaciæ fiunt apozemata, juſcula, imò & boli

multâ poſteà aquâ diluendi. Stat ſua cuique conſulenda ideò ſyncraſia.

Ut autem recidivæ metus ſimul præcaveatur, ſimul perditus vaſis atque organis debilitatis reddatur vigor, rebus, ut videtur, in integrum reſtitutis, prima coctionum cura habenda eſt. Sobrietas ita ſervanda, ut à menſâ ſurgamus alacres, nec dubiâ illâ, aut irritante, ſed ſimpliciore victu inſtitutâ, oleribus divite & carne animalium, aut granivororum, aut gramine veſcentium molli, nec putridâ. Suppetias ſibi ſi poſtulet ventriculus, has ex vino generoſo leni repetes, aut robur ſtomacho addent aquæ ſimplices diſtillatæ ex menthâ, menthaſtro, meliſsâ, cinnamomo parcâ doſi ſumptæ ad ſemi-unciam, vel extracta aromatiſata eárumdem plantarum, confectiones, aliaque ſtomachica, è quorum numero liceat eximere ea quæ cum ſpiritu vini parantur. Agunt enim directè in ipſam lymphæ ſubſtantiam : nec in uno, vel minimo horumce cutaneorum morborum, vel unam ſpiritus vini guttulam hauſeris, quin ferè illicò ad cutem acuti cruciatus tuæ te imprudentiæ admoneant.

Verùm ſobriam & exercitatam præcipuè vitam ducere neceſſe eſt. Ne enim hìc recocta toties de exercitii commodis ab Hippocrate præcepta obſervataque Sanctorii repetam, ipſa ratio indicat quantùm in augendâ perſpiratione, aut ejus bellè ferendâ ſuppreſſione, valeant exercitia. Nec ii nos erimus qui incommodis catharralibus præcavendis onerari ægros veſtimentis præcipiamus. Cruda ſic ad cutem attrahitur materies & incocta, augetur ſudor, ac vaſa turgentia facilè concipiunt eryſipelas. Contrà ſalubre eſt vaſa corroborari frigidiuſculo tepore ad quem inducendum aëris liberi libera exceptio ſummoperè conducit, niſi culpæ fuga nos in illud vitium deducat, ut extrema aëris ſubitò captemus, calenteſque gelu boreale ſubeamus, & dùm fugimus eryſipelata, in illa incidamus.

Has inter cautiones principem ſibi locum vindicabit balneorum uſus tepidorum & frigidiuſculorum, quibus cùm ingens toties lotis meatibus libertas concilietur, mirum eſt quantùm egreſſis ab aquâ perſpiratio adaugeatur, præcaveanturque morbi cutem minitantes. Uno verbo, eadem eſt curatio hujuſce eryſipelatis atque cæterorum omnium morborum catharroſorum, in quibus id antè alia agendum ut coctiones omnes à ventriculo ad ultima uſquè excrementa, ex ordine valentioris naturæ peragantur.

Nec alia ferè curatio illud eryſipelatum genus comprehendit quod à rheumaticâ labe ſumit natalia. Origo enim eadem ; nec differt à catharro rheumatica illa diſpoſitio, niſi quòd ſerum acrius ſit & veteris labis impreſſæ tenacius. Medicamenta tantùm expetit illud valentiora quibus impactas altè materias & in membranis nervorum ſtagnantes diſcutiat natura, quod raró fieri poteſt, niſi ſummè aquâ dilutæ fuerint actuoſæ ſaponaceæ moleculæ, quæ attenuationem altè devehant in minutiſſima vaſa penetrabiles. Undè hìc uſum, quieſcente penitùs malo, reperiunt mixta catharticis atque reſinoſis ſolventibus potentiſſimis attenuantia, guaiacum, ſarſaparilla, lignaque indica ponderoſiora, aut plantæ apud nos volatiles antiſcorbuticæ dictæ, aut ſales ex animalibus volatiles, quibus adjunguntur ſulfura illa tenuatiſſima mineralia antimonii metallicis partibus juncta, quibus ea ineſt benè obſervatione conſtanti demonſtrata facultas, ut plus adhuc perſpirationem juvent, quàm ſudorem eliciant. Veriſſimum enim illud comperitur à Deſault Burdigalenſi obſervatum, equis antimonium ſumentibus duplo plus ſordium eradi, quàm antequam illo uterentur. Sed in hâc peragendâ curatione methodis omnibus & medicamentis celebribus maximè palmam præripiunt aquæ thermales, ſi præſertìm ſolventi quâ eminenter pollent virtuti facultatem etiam addant catharticam.

Harum rationem agendi atque actuoſa principia excutere ſi velimus, actum agere videamur. Conſulatur antè alios Carolus le Roi qui arte nativas æmulari dùm docet, pauperibus ingens paravit ſubſidium vir celeberrimus. Certè in iis ſacra figitur ægrotantium ab eryſipelate recurrente anchora ; pluſque apud illas auxilii reperiant, quàm in incertâ cauterii inurendi methodo quod ipſis jure, an injuriâ plurimi ſuadent.

Et certè ſi partes aliquas vitæ aut ſenſibus pretioſas adoriatur eryſipelas, illud revulſione factâ in minùs nobiles partes advocare fas erit, quas aut cantharidum morſu, aut ligni ſani quod *mezereon* vocant impreſſione, vel demùm chirurgico ferro, aut cauterii applicatione irritando ſuſcipiendis vagis atque errabundis humoribus ars ſagax habiles reddit. Tunc ſua cauterio laus erit certa. Illud potiſſimùm efficaciam omnem exercere debet in illâ eryſipelatis ſpecie quæ pendet à veneno extraneo reliquiiſque morbi qui, ſedato incendio, partibus tamen nocivis non omninò corpus exhauſit.

Hujus enim exiſtentiâ veneni ſemel comprobatâ quod ad nullas cognitas acrimoniæ ſpecies poſſit referri, poſt univerſalia inflammationis remedia, extincto eryſipelate, illa pharmaca quæ acrimonias quaſcumque demulcire atque delinire poſſunt adhibenda eſſe obſervatio demonſtrat. Tùm verò ſummè proderit veneno illi in corpore prorsùs extraneo, nec ab humorum craſi pendente certum afferre exitum. Ad quem quidem ſcopum attingendum, nil cauterio præſtantius eſt quod, dùm partem irritat, revulſionem perpetuam humorum efficit, nec ſinit alias, præcipuè internas, partes novum irritationis punctum exitum molienti parti offerre. Si quidem perpetua eſt in naturæ officinâ vis quâ in debiliora viſcera partes nocivas amandat.

De genere verò inurendi cauterii multa ſunt quæ hanc illi præferendam methodum indicent. Levius eſt illud & vix ſub epidermide poſitas partes attingit quod cum ligno ſano inuritur, maximam tamen ſeri acris portionem vacuat. Profundiùs & ex alto magis trahunt facta ex cantharidibus veſicantia. Ipſius adipis ſedem adoritur & conſtantiori fluxu profundiorique tractu humores detrahit chirurgicum illud quod, vel igne, vel ferro inuritur. Undè videretur prius eryſipelati aptari meliùs, niſi præſens ſemper adeſſet exſiccationis periculum. Poſteriora verò præſentiùs malo cuivis occulto conſtanti vacuatione opitulantur.

Verùm fatendum eſt periculis indè obviam iri, non cauſæ detrahi. Nec graſſanti veneno ſatis eſt, ſi prædominetur, vias aperuiſſe quas aliquandò ita immani impetu adoritur, ut pars affecta cauterio humore illo immaniter intumeſcat, inflammetur, ſæpèque culpæ immeritus accuſetur artifex. Hùc ergo omnia delinimentorum genera interiùs addenda ſunt. Juſcula illa teſtudinum fluviatilium & limacum decantata famam obtinuêre, forſan meritis grandiorem, aut lenientia ſaltem & demulcentia ſunt, & hìc reperire locum debent, licèt non ſatis iis fidendum ſit, ſi non omnia ſimul, & in cibo, & in potu concurrant in eumdem ſcopum. Æger eſto abſtemius. Imò & profuit ſæpè aquam quam pro potu uſurpant leniorem facere addito ſemine lini, arabico aut tragacanthi gummi, imò & multis ſolemne fuit aquam vitulinâ carne coctâ leviter intingere. His adduntur juſcula lenia ex pullo, vitulove, cum farinis leniſſimis intincta ter aut quater in die exhibere, quales præbent farinas hordeum, avena, mays. Ex quibus, apud Italos præſertìm, conficiuntur paſtæ, quæ dùm

emolliunt, ſimul acrem victu perpetuo retundunt materiam. Sed in illo genere cæteris omnibus lac antecellit, ut & omnis ſpeciei lacticinia, quibus antè omnia proderit pro univerſo victu uti, quod non in hâc eryſipelatis ſpecie tantùm commendatum eſt, ſed etiam in arthritico atque rheumatico felicem locum invenit. Si lacte vaccino aut caprino repugnarit, aut non licuerit vixiſſe, ſaltem bis de die, per longum temporis ſpatium proderit aſinino uti, quod ut levius, ita mollius ac partibus contemperandis maximè aptum eſt.

Hæc illi eryſipelatis ſpeciei conveniunt; imò poſt uſum lactis methodicum vix alia ſuperſunt peragenda, ſi quidem non demulcet ſolùm lac, ſed nutrit & roborat, adeòque inter tonica replentia numerari poteſt.

Verùm ſi aliquid laxitatis adhuc appareat quod arguat partium debilitatem, non idcircò ad vulgaria recurrendum tonica quæ æſtum poſſint inferre, vaſiſque non robur, ſed criſpaturam inducere valeant: illa ex eo genere petenda ſunt quod ſimul diluat, ſimul demulceat, parteſque tonicas addat partibus refrigerantibus. Tale ſubſidium præbent aquæ martiales, ſeu ferrugineæ, in quibus ferrum ſubtiliſſimum, ſive unitum baſi ſalinæ, ſive per ſummam principiorum tenuitatem in aquâ ſuſpenſum intrà ventriculum accipitur & inteſtina, ibique primariam vim tonicam inteſtinis affert, dein intrà ſanguinem ſenſim admiſſum, tonicam vim ſolidis afflat, dùm ſubitam ab iis conſtrictionem arcet ingens aquearum partium moles, acrimoniæ diluendæ per ſe apta & efficax.

His multò ſatius eſt vaſa corroborare, quàm topicorum applicatione, aut appoſitione, quæ aut irritant, aut ſtringunt, ſicque, aut materiam crudam adhuc repercutere valent, aut, ſi immeabilia vaſa fuerint, eryſipelas in phlegmonem convertunt, quod eò magis cautelæ atque prudentiæ poſtulat quò decantata magis topica, ſub reſolventium titulo, verè & reipsà adſtringentia ſint; quo quidem vitio non immunia ſunt prædicata à (*a*) C. Cornelio Celſo topica, præcipuè verò cupreſſi nucum uſus quæ verè adſtringentes, imò ſtypticæ ſunt. Nec Oribaſio ſpumam æris & ceruſſam ſuadenti credendum eſt. Sæpè apud nos evenit ut titulo refrigerantium adhibeantur remedia leviter adſtringentia, quæ ſæpè effectus præſtitêre utiles, dùm intereà intùs recepta labes gliſcit,

(*a*) Lib. 5, cap. 33.

eryſipelata

eryſipelata quidem ad cutem non concitans, ſed interiores advocans tumultus. In eryſipelate quod nullum interius venenum pro causâ habet, poſtquam erethiſmus lenior factus eſt, utilia ſunt hujuſmodi topica, in aliis caſibus nociva. Ita aliquandò aquam frigidam ex Hippocrate, aliquandò rigentem glaciem applicavêre. Ita ſæpiùs utuntur oxycrato, aut famosâ illâ plumbi in aceto ſolutione, quam aquam vegeto-mineralem vocant & cui virtutem eximiè reſolventem amant tribuere, quamvis reverà adſtringens ſit & repulſione materiæ reſolvat, undè falſo hoc titulo ſæpiùs peccatum eſt.

Quantumvis ergo Celſus, Oribaſius, imò & recentiorum Medicorum plurimi fidem ingentem topicis videantur adhibere, meliora ſuadente Aetio (*a*) qui frigidis ait eryſipelata nigreſcere, vix, ſi ſecurus ſtare velis, ad illorum uſum ulla ſe dabit occaſio.

Nec tamen ii ſumus qui in principio eryſipelatum adhibenda emollientia, aquaſque emollientes, ut ſunt decocta altheæ, lactucæ, betæ aliorumque ſimili virtute præditorum vegetantium non laudemus, ita tamen ne flacceſcant vaſa, & in atoniam abeant; hinc flores ſambuci, chamæmeli, meliloti leviter aromaticos prætollimus, aut etiam decocta ſecalina, orobi aliarumque farinarum quæ ſimul & emollientes, & tonico quo donantur levi principio reſolventes dicuntur. Quibus quidem in adhibendis medicamentis illud antè alia volumus annotatum, levioris eſſe armaturæ iſtius generis præſidia, nec cum internorum medicamentorum adminiculo poſſe conferri.

Alii ſunt tumores eryſipelatoſi qui non re, ſed nomine differunt à veris eryſipelatibus. Illa eamdem prorsùs ſibi poſtulant curationem, niſi quòd cùm peculiarem adoriantur partem, vulgò multò plus phlyctœnarum ſecum trahant.

Sic ignis ſacer apud Hippocratem nihil aliud eſt præter eryſipelas (*b*), quod etiam in utero annotavit. Sic etiam ignes ſacri populariter vagantes in conſtitutione peſtilenti nil aliud menti offerunt præter eryſipelas ſymptomaticum. Quod etiam morbi genus ſub nomine Πυρος ἀγριυ (*c*) deſcripſit. Hinc ſæpè, imò ferè ſemper eryſipelas pro ſymptomate habuit ad prognoſim relativo, ut ſi in anginâ ad extra feratur eryſipelas, bonum, ſi ad

(*a*) Tetrabibl. 4, lib. 4.
(*b*) De Morb. pop. de Morb. Mul. 14, Epid. 3, Sect. 3.
(*c*) Galen. de Vocibus Hipp.

interiora retrò vertatur pernicioſum edixit. Et idem (*a*) tamen pulmonis eryſipelas diſtinctè memorat, ſeu morbum quem nos inflammationem bronchiorum ſuperficialem vocare poſſemus, cùm in interioribus inflammationibus diſtinctio illa à Galeno adhibita inter tumorem pulſantem qui phlegmona conſtituit, & non pulſantem qui eryſipelas conſtituit, nulla ſit, aut eſſe poſſit.

At in deſcriptione ignis ſacri quam nobis Celſus reliquit videtur eryſipelas aliquandò non ſimplex fuiſſe, ſed compoſitum. Scilicet veneno altiùs infixo habetur ulcus junctum eryſipelati (*b*); ulcus porrò in cute à causâ in ipſam cutem agente natum ſemper habet adjunctum eryſipelas. Quæ quidem miſcela jam olim ab Hippocrate (*c*) notata eſt & diutini mali, atque per ſe metuendi notâ infamata. De eo ergo alio loco agendum erit, cùm eryſipelas malo graviori accedat, ſitque naturâ ab hoc noſtro diſſimile. Non idem eſto judicium de illo eryſipelate quod antiquis, præcipuè verò Scribonio Largo ζώςηρ (*d*), & Plinio zona dicitur, atque inter eryſipelata memoratur. Quamvis enim poſſit aliquandò pro puſtularum congerie haberi, ut vidi, & tunc ichore illæ repleantur, ut alibi ex morborum deſcribendorum expoſitione obſervandi dabitur occaſio, vidi tamen zonam illam verè eſſe eryſipelas, & à lumbis à quibus incipit, non tantùm in ventrem univerſum ſerpere, ſed etiam ad humeros in collum, aut femora ferri, nullâque ratione ab eryſipelate primæ quam deſcripſimus ſpeciei, nec causâ, nec ſymptomatibus differre. In quo certè à deſcriptâ apud memoratos auctores zonâ diſcrepat, quem morbum fœdum phlyctœnis in gangrænam facilè vertendis, longoque cruciatu homines perimentem deſcribunt. Omnibus enim noſtri eryſipelatis generibus in ſolâ deliteſcentiâ periculum poſitum eſt, ut jam dictum. Agimus enim de eryſipelate, prout morbus eſt, nec amplior erit inquiſitio circà eryſipelata ſymptomatica, qualia ſunt ſcorbutica, venerea, ſtrumoſa, ſeu ſcrophuloſa; cùm enim morbus aliquis in cutem defertur, non poteſt eryſipelas non invehere.

(*a*) De Morb. lib. 3.
(*b*) Ita rem intelligit Aetius Tetrabibl. 4, Serm. 2, cap. 59, lib. 5, cap. 28, art. 4.
(*c*) L. de Ulceribus.
(*d*) Cap. 62, lib. 3.

PARAGRAPHUS II.

De Tumoribus ſejunctis qui ad cutem depuratoriè exeunt.

1°. *De Papulis.*

Papulæ, tumores ſejuncti ſupra cutem eminentes, cum puſtulis quæ græcè dicuntur Εξανθηματα, φύμαλα vulgò confunduntur. Verùm puſtulæ ut & φῦμαλα in ſuppurationem abeunt, aut certè quoquo modo mutantur. Papulæ quæ propriè Græcis ϐλασθήμαλα, & latiores ſunt, nec adeò circumſcriptæ, & reſolvuntur inſenſili perſpiratione, undè factum apud Latinos verbum illud *papulo*, *papulare.* Sic Cœlius Aurelianus (*a*) de rubefacientibus medicamentis ait *admovenda illa emplaſtra quæ corpus valeant papulare.* Eodem ſenſu Virgilius (*b*) *ardentes papulas*, dixit: Celſus (*c*) verò duo papularum genera diſtinguit, ſed non adeò ad naturæ normam; nam deſcriptio ejus ad herpetes refertur, ut alibi obſervandi dabitur occaſio. « Alterum eſt genus, ait, in quo cutis in » minimas puſtulas exaſperatur & rubet, medium habet paulò » levius, tardè ſerpit, idque vitium maximè rotundum incipit, » eâdemque ratione in orbem procedit: alterum eſt quod Græci » ἀγρίαν dixêre in quâ magis cutis exaſperatur exulceraturque, » ac vehementiùs & roditur, & rubet, & interdùm etiam pilos » remittit. Quæ minùs rotunda eſt, difficiliùs ſaneſcit; niſi ſublata » eſt, in impetiginem tranſit ».

Verùm licèt hìc ſumma vocum confuſio aliquam retineat ambiguitatem, videmus Trallianum (*d*) cùm de ulcuſculis denſis vix deprehendendis per oculum loquitur, ea papulis ſimilia pronuntiare. Undè papulæ ulcerationem non important ſecum, adeòque indè à puſtulis diſtinguuntur.

Papularum verò, rem accuratè ſcrutantes, duplex genus proſequemur. Quarum alias ἀγρὶας, ſeu malignas vocabimus, auctore Celſo, alias ſimplices, leves, atque benignas à quibus exordiemur. Quippè ſimpliciora ad compoſitorum nos deducent cognitionem.

Papularum leviorum, ſeu ſimpliciorum non eadem eſt forma,

(*a*) Tard. 2, 1.
(*b*) Lib. 3, Georg.
(*c*) Lib. 5, c. 27, 18.
(*d*) Lib. 1, cap. 7.

origo non eadem. Sic enim juniorum, præcipuè verò puellarum cutis deturpatur papulis ; hæc inter rotunda tubercula cutis ſanæ intervalla exhibet : aliquandò porriguntur papulæ in maculas. Vix ulla datur æſtas ferventior quin ſimiles exoriantur in cute tumores, qui nullâ attentione digni intra paucos dies ſanantur, epidermide in leve vixque notandum furfur abeunte. Senſus in his, aut nullus, aut levis admodùm, & veteraſcentibus, jamque flaveſcentibus aliquis jungitur pruritus. Si verò cauſa, aut increſcat, aut in partes jam papulis infeſtas pergat, abire ſolent illæ in veras phlyctœnas, & ſine ullo pulſantium arteriarum ſenſu vertuntur in eryſipelas. At ſæpè creſcendo nihil aliud afferunt incommodi, niſi quod reticularem Malpighii textum penitùs exſiccent, ſicque epidermis in lemas abeat, duriorque altera enaſcatur & veteri tenuiori durior altera ſuccedat. Id Europæis ferè omnibus in æſtuoſas Indias navigantibus, non in aere Oceani humidiori, ſed ubi arentes ſole directo & impendente terras attigerint, evenit. Quod certè ex iis quæ illos manent incommoda leviſſimum eſt.

Papulas pariter leves & aliquandò ſummè prurientes erucarum, aliorumque inſectorum acrium decubitus in cute tenerâ puellarum fecit, nec poſſum dubitare quin ipſe viderim inflatam in nitidiſſimâ puellâ mammam plures per dies in quâ ſedem fixerat & quam acri viſco infecerat eruca. Multa ſunt inſectorum genera quæ idem efficiunt, præcipue apud Americanos, imò morſus culicum apud nos papulas elatas ſummè prurientes efficit. Idem apes, idem apud Americanos varia illa inſectorum genera, quæ *maringuoins* vocantur, non pueris, aut nitidæ cuti virginum ſoli, ſed etiam fortium virorum lacertis infeſta, undè mos illis deductus ut vernice ſeſe obdurent & quaſi incruſtent. His omnibus tumorum generibus ſuppuratio nulla, nulla viſibilis vacuatio ſolutionem affert.

Verùm etiam ad leves papulas excitandas cauſa datur interior. Primaria ea eſt quæ ſubitò invadit & per inextricabilem ſympatheiam oritur. At illam quotidiana comprobat obſervatio. Sæpè mytulis, oſtreis, aliiſque marinis cruſtaceis imprudentiùs comeſtis, ſubitò non ſine pruritu atque calore per totum corpus papulæ latæ rubeæ erumpunt. Simulque & gula inflari & aliqua tuſſis exurgere. Hæc intra breve horarum ſpatium peraguntur ; vulgòque à ſomno reſarcitâ perſpiratione omnia pacata reperiuntur, niſi tamen in delicatioribus aliqua febricula aliquot horarum excan-

deſcat. Sed quod à mytulorum aut oſtreorum eſu ſæpiùs accidit, id etiam à mitiſſimis alimentorum in quibuſdam exoritur. Idem vidi & ab abſorbentibus terreis non ſine ſtupore enatum. Quod idem à vini Hiſpanici uſu aliqui patiantur non mirum. Verùm licèt cauſa non ſemper adeò evidens ſit, fatendum eſt obſervatione conſtare quòd ſimiles papulæ leves atque vix durabiles, ferè ſemper à causâ intra ventriculum latente pendeant. Et licèt obſcura ſit ſimilium cauſarum agendi norma, tamen cùm, Sanctorio rem demonſtrante, intima ſit & arcta concordia inter coctionis officia & perſpirationis exitum, nil mirum ſi exeunti obices ponat ventriculi ſpaſmus inexpectatus.

Prætereà verò omnes cauſæ quæ in perſpirationem magno impetu exeuntem agunt, poſſunt ſimiles papulas producere, ſicque eam impedire, ut in primo temporis puncto in papulas abeat, poſteà verò repercuſſa morbos alteriûs generis proferat catharrales, ſcilicèt tuſſim atque pertuſſim in infantibus, febres in ætate juniore ferventes, intermittentes verò in ſenibus; undè illud non adeò rarum papularum in principio morborum erumpentium ſymptoma ab aliâ causâ non pendet, aut pendere poteſt. Nec minùs indè ſentitur quanta ſit papulas inter & eryſipelas affinitas atque naturæ conjunctio.

Diſſimilis multùm ratio eſt, & cauſa ex altioribus repetita principiis in illo papularum genere quod malignum vocamus. Duplicem illarum ſpeciem diſtinguimus. Prima malignarum ſpecies eſt quæ minori quidem ſymptomatum apparatu ſtipata exoritur, ſed vel immobilior perſtat, vel obſtinatiùs renaſcitur; alteram hoc titulo ideò proſequimur, quòd & ſymptomata exerat vehementia & medentum ſummam ſibi curam expoſtulet.

Priorum cauſa in viſcidâ humorum ſtagnantium & acrium craſi reponenda eſt. Scilicet pars humorum perſpirabilium altera feroſa eſt, mucoſa altera & craſſior. Hæc ſi ad cutem malè morata & ſpiſſior conſtiterit, vaſa cellulaſque poteſt in tumorem attollere, & papulas efficere, quæ ſi denſæ atque confertæ prodierint, craſſeſcit corium, ut in animalibus pluribus, fitque durum, & niſi ceſſaverit cauſa, verti malum in impetiginem metus eſt. Spiſſum enim illud mucoſum per ſe ranceſcit, fœtet, corrumpitur, imò & degener factum poteſt in puſtulas & pus verti. Plures ſunt morbi de quibus alibi agendum erit qui ſimilia exhibeant phœnomena, ſed raрò illi inter depuratorios morbos

recenſendi ſunt, cùm à ſtatu humorum univerſo pendeant, nec maſſam liberent, ſed illius vitiatæ ſignum exhibeant.

Verùm non eadem adeſt in papulis omnibus cauſæ vehementia, non idem naturæ impetus. Sæpiùs, vitio ſub humoribus concepto, quotidiana coctio vitiata malum redintegrat; papulas nunc erumpere videbis, nunc deliteſcere. Omnes enim, quotquot ſunt, papulæ nullis aliis accidentibus inſignes, ſi diuturnæ ſint, à coctionis vitiis pendere à quâ ſolâ perſpiratio Sanctoriana regitur, practici omnes fatebuntur; papuloſus eſt æger, ſed evidentioribus torquetur papulis, quoties à juſsâ regiminis lege recedit, imò ferè nullæ exurgunt, quoties ſervatâ alvi libertate, ſeveræ obſecundat diætæ.

Aliquandò ita ſe res habet ut multis malè concoquentibus tempore hyberno diarrhœa obtingat torminoſa quos æſtate vexant papulæ. Hinc ut ſanctiſſimus naturæ obſervator edixerat Hippocrates (*a*), eadem eſt theoria papularum atque præternaturalium ſudorum. Papulæ præſertim æſtate vexant, quæ per hyemem deliteſcunt. Dantur in cute ſtructuræ quæ vix illis carent ullo tempore, præſertim in juniore ætate; nec rarum eſt in febribus intermittentibus omnes paroxyſmos à papularum èruptione incipere quæ poſteà deferveſcente paroxyſmo & in ſudores abeunte diſparent omninò, donec recrudeſcat novus paroxyſmus, quod quidem ſymptoma in intermittentibus febribus non periculum, ſed diuturnitatem, ob perſpirabilis materiæ craſſitiem & moram præſagit.

Summè diſtinguendæ ſunt papulæ à maculis petechialibus quas in ipſo febrili æſtu per fervorem tempeſtatis æſtivæ immanes obſervavêre Torti atque Valcarenghus, quæ ſummum incendium adeòque periculum ingens præſagiunt.

Altera papularum malignarum ſpecies & ſymptomatum ferociam & mali diuturnitatem conjungit, non eâdem tamen vehementiâ. In genere ad papulas tenuiſſimas refertur morbus ille quem veteres Medici Oribaſius, Aetius & inter Arabas Avicennas & Haly Abbas, ſub nomine prurit̂us deſcripsêre. Acredo quam pro causâ ipſi adſcribunt bilioſa analogiam cum eryſipelate indicat & ſub *pſydraciarum* nomine Paulus (*b*) idem intellexit. Certè pruritus ſummus ſummam acredinem deſignat; at quæ ſit hujus

(*a*) De Morb. popul. 3, 5.
(*b*) Paul, lib, 3, cap. 3; Manard. lib. 7, Ep. 2.

acredinis natura nec ipſæ cauſæ excitantes indicant. Rarò morbi illi cutanei acerrimi in eos graſſantur qui cutim nitentem habent, & munditiem affectant, aut victu utuntur moderato & lauto; nautas, gregarios milites potiſſimùm impetunt & eos quos paupertas in locis depreſſis & humidis cubare cogit, ſi ſimul intereà ſalinas muriaticas, fumo ſaleque induratas carnes paucis conditas vegetabilibus ament comedere. Si divitibus idem ſymptoma accidit, iis præſertìm res evenit qui ſeſe embammatibus delectant; qui ſpiritus acres pro potu requirunt, modò tamen cauſa illa non ſimplex fuerit, ſed à cœlo aquoſo, nimboſo, cœnoſo adjumenta ſumpſerit; nam quæſtio hìc non eſt de venereis illis papulis quibus diro contagio ſub veneris jugo connexi impetuntur, nec de ſcorbuticis ſibi peculiarem atrumque colorem vindicantibus, quamvis forſan ab iiſdem cauſis ipſe ſcorbutus originem trahat.

Nec diffitemur tamen præter modò recenſitas cauſas dari cauſam obſcuriorem non unius generis papularum quæ contagio videntur propagari, contractæ attactu & contubernio proximo, & nunc cum eryſipelate, ſi minùs prurientes ſint, nunc cum pſorâ & ſcabie confunduntur.

At licèt hìc confuſio ingens non rerum, ſed vocum æquivocationem ſinat, non magnoperè metuendam in adhibendâ curatione, tamen aliquod inter eryſipelas, malignas illas papulas confertim exeuntes, & ſcabiem de quâ mox agemus diſcrimen videtur intercedere. Primò à ſcabie differunt quòd papulæ illæ vulgò magis confertæ ſint & elatiores; 2°. quòd rubicundæ magis & minùs aridæ ſint; 3°. quòd ſæpè ſanatis febribus ſuperveniant; 4°. quòd latiores ſint & ſæpiùs recidivam patiantur, quàm vera atque legitima ſcabies; 5°. quòd in furfur abeant notabile; 6°. demùm quòd remediis ſanentur à ſcabiei curatione alienis. Secundò ab eryſipelate facilè eas diſtinxeris quòd ſejunctæ ſint papulæ illæ, cutemque per intervalla nitidam, vel in loco ægro, exhibeant, quod de eryſipelate dici non poteſt; morbi tametſi illi ſæpè jungantur atque maritentur inter ſe, quo in caſu an morbus eryſipelas dicendus ſit, an papularum nomen ſibi vindicet, indicio erunt morbi principium & progreſſus. Qui enim verè papuloſus dici debet, à papulis incipit diſtinctis, nec niſi decurrente morbo eryſipelas ſibi adſciſcit, quod etiam antè morbum abſolutum ceſſat.

Quantumvis verò malignæ dici poſſint iſtiûs generis papulæ,

non propter illud quod important periculum hoc titulo diſtinguuntur, rarò enim ad mortem uſquè eorum protenditur ferocia, & ſi quandò papulæ ad nigredinem uſquè progreſſæ gangrænam & indè peſſima & lethalia attulerunt ſymptomata, illæ ab alienæ labis conſortio erant ortæ, aut præ vaſorum atoniâ in ſenibus impotentem omninò deſignavêre ſanguinis circuitum. At multæ metuendæ ſunt immani & enormi pruritu quem tantâ concitant ſævitie ut aliquandò, ſi ſibi à ſcalptu temperent viri fortiſſimi, periculum ſit ne in convulſiones incidant. Indè immanem ortam vidi tentiginem, & coopertâ papulis penis cute, quemdam perpetuum ſatyriaſmum, non ſine exilientis ſeminis jacturâ. Undè miſeri inſomnes contabeſcunt: nam ſerò præſertìm & lecti exoptato calore malum ingraveſcit & exaſperatur. Nec mirum eſt ſi, malo perpetuò creſcente, febris accendatur lenta, quæ ſi vertatur in hecticam, corruptis atque peſſumdatis coctionibus, poteſt poſt longa tormina hominem è medio tollere: quod rarum tamen omninò. Pruritus illi antiquis benè cogniti & Aëtio præſertìm deſcripti, papulæque primo aſpectu leves, eâ ſævitiâ aliquandò ferocientes ut omnem exſuperent conſtantiam, ab auctoribus ad atram bilem referebantur.

Verùm illi affectus ferè ſemper à graviori causâ pendentes inter morbos cutaneos locum ſibi non vindicant. Et rarò ſoli obſervantur ſine morbi gravioris præſentiâ, Ita Κνὶσμώδεα corpora phthiſicorum appellat Hippocrates (*a*) quibus acre purulentum ad uſque extrema devectum pruritus & papulas attollit.

Pruritus enormes non ſemper denſæ confertæque papulæ afferunt, paucæ vix aſpectu notandæ occurrunt, quæ hominem convellant. An hæc planta noctis ab Avicennâ deſcripta? Certè novi ornatiſſimam fœminam quæ ita papulis paucis vexatur, ut quoties iſtæ externam corporis ſuperficiem occupent, nunc in hâc, nunc in illâ parte, cum acri cruciatu, illa ſe bellè habeat; ſummum capitis dolorem, aut diarrhœam, ſeu potiùs tormina expertura, ſi non vexetur cutis ſymptomaticis papulis; ſed aliàs de epinyctide & de morbis qui aliquam tantùm partem occupant dicendum erit.

Ad curationem igitur properantibus antè omnia neceſſarium fuerit morbi natalia deprehendiſſe, ne ſimilia aſpectu, ſummè diſcrepantia cauſis, inter ſe confundantur. Atque ideò de cauſis

(*a*) Lib. 6, Epidem. 1.

tùm

tùm quoad diagnoſim, tùm quoad prognoſim antè omnia ſollicitè tractandum eſt.

Et certè papulæ leves atque fugaces levibus atque ſubitaneis cauſis debent originem & ſymptomatum levitate diſtinguuntur. Eæ confertim exeunt & cum causâ proportionem ſervant, vixque ullam ſibi curationem expetunt, niſi eam quæ, remotâ evidenti causâ, tollendo ſymptomati apta eſt. Si quæ medicamenta exterior cutis conditio poſtulaverit, ex refrigerantibus & leviter adſtringentibus lenibus illis atque anodynâ vi præditis tota conflantur. Hùc aqua roſarum, hùc oxycratum ex aceto roſaceo multâ dilutum aquâ, hùc etiam aqua illa vegeto-mineralis in multis caſibus nimiùm celebrata, ſibi jura vindicant.

At ubi innotuit cauſa ex internis oriunda vitiis ea ſupprimenda aut fuganda eſt. Verùm in rebellibus atque malignis quarum cauſa non adeò manifeſtè apparet, res ſæpè altiùs inquirenda. In pruritu immani aliquandò venereo, ægri confeſſionem rimari neceſſe eſt, neganti, ſuo periculo, extorquenda illa eſt ex adjunctis & concomitantibus. Arthriticas papulas, ut ex eryſipelate compertum eſt, divinare facile erit, ſi abſit illa quæ debuerat adeſſe: ſcorbutum ſua prodent ſigna. Sed quid agendum in violento & rebelli malo, ubi cauſa fugit inquirentes: certè primùm importuno igni medicina quærenda eſt per antiphlogiſtica illa remedia quæ cuilibet inflammationi ponunt obices. Venæ ſectio ita primùm & antè omnia alia præſidia adhibeatur, eâ lege ne vires frangat, & dùm vaſa majora ſubſidunt, ne minora ſpaſmo conſtricta intrà circuitum papularum materiem repellant reddantque viſceribus principibus depoſitam in minùs periculoſa loca luem. Poſteà verò ſero lactis copioſo proluendus æger, vel admovenda levia decocta ex pullo & vitulo extracta, undè feratur humor noxius ad renes, quâ patente viâ, perſpirationis vitiatæ delicta minùs ſentiantur. Tùm ſedato aliquâ ratione erethiſmo prima eſſe debet cura, ne à vitiatis concoctionibus ſaburra acrior, aut etiam aceſcens in perſpiratoria emunctoria feratur, adeòque ſubluenda alvus eccoproticis, catharticiſque levioribus, ne ſtringente ſpaſmo exorto retropellant vaſa cutanea acceptam materiem; nec inter leviora cathartica metus ſit apud quoſdam ex præjudicatâ opinione natus ſalia neutra exhibere, quæ cùm ad intima ſolubilitate facilè poſſint pervenire, materiem ipſam poterunt tenuare atque diſcerpere; imò è catharticorum numero perſpirationi mini-

mùm nocent. Ita ad finem paroxyſmi, arte opitulante, natura nos deducit, tuncque proxima eſto cura ut ſecretiones omnes humorum liberiùs fiant & paulò uberiùs, undè accita ſenſim materies nocens & purè excrementitia alvum reperiat liberam atque patentem per quam feratur illa quaſi declivis. Quâ quidem in ratione agendi plurimùm confert, verno & autumnali præſertìm tempore, quo ſuccorum ſaponaceorum ubertas ingens plantas alluit, uſus illorum vegetabilium qui leni ſaponaceoque ſucco turgeſcunt, qualem præſtant cichoria, taraxacum, ſonchi, aut potentiùs reſolventes naſturtii & ſimilium, fumariæ, eupatorii, agrimoniæ, chærophilli, ſcolopendrii facultates, quorum decocta levia diù & obſtinatè aſſumenda; imò, quod potentius eſt, eorum ſuccis depuratis remiſcentur ſaponacea ſalia, qualia præſtant terra tartari foliata, ſales fixi tàcheniani, quibus plantarum virtus adaugetur, dùm ſimul ſpiculis ſalinis bilis exitus provocatur, ne craſſior ad cutem feratur. Sal vegetabile, aut rupellanum, vel admirabile glauberi, vel ſolvendi virtute præſtantiora arcanum duplicatum & ſal ebshamenſe neutra ſpicula ſolventia bili addunt, facilè ſolvuntur & altè penetrant; iis alia plurima ſimilis fabricæ poſſunt pro re natâ admiſceri. Identidem tamen, ne ſtagnet humor, tardiorem aut minùs mobilem alvum ſollicitare licuerit cathartico leviori, quibus omnibus adimpletur papularum, aut rebellium, aut recurrentium ſanatio. Nam recurrere poſtquam ſedatæ ſunt rebellionis atque pervicaciæ ſignum eſt maximum.

Rebus in vado conſtitutis, & corpore puriori facto, jam ad perſpiratoria vaſa ſeſe noſtra feret attentio. Hæc porrò patentia nunquam tutiùs efficies quàm per uſum balneorum tepidorum domeſticorum. Sed illa non ita ſunt uſurpanda quaſi cuti nitidæ reddendæ tantummodò inſerviant; ſed in iis ita, & tempore & continuatione inſiſtendum, ut ingens fiat liquidi aquei mollientis per vaſa aperta reſorptio. Quoniam illa reſorptio nunquam fortior eſt quàm in jejunis corporibus, proderit ipſa jejuno corpore in uſum revocare. Certè lenteſcit & mollior ab ipſis evadit ſolidorum rigor & humoribus indoles aquea redditur; & quoniam acredo ferè ſemper à ſale, minùs ſalina indoles humoribus conciliabitur. Prætereà verò quantùm reſtituendæ perſpirationi adeòque miaſmatibus expellendis tepida balnea conferant ſatis aliundè notum eſt, quo titulo quantùm in papulis debeant prodeſſe evidens eſt. Tepida tamen ægris præcipiantur, non fervida;

ne toti corpori noceant, dùm partem unam ſublevare ſatagis, non frigida, ne repercuſſus humor nobiliores partes invadat.

Nec mirandum ſi inter balneorum uſum plures papulæ prodeant? Etenim laxatis vaſis, ad cutem omnia deferri æquum eſt. Sed nulla indè ratio eſt cur minùs balneis fidamus. Noſtrâ enim intereſt & ſcire quantus ſit hoſtis quem habemus debellandum, & quantam debeamus auxiliorum admovere ſuppellectilem. Hinc nulla alia in adhibendis balneis eſto regula, quàm reſtituta cutis mollities, pruritũum imminutio, quibus demùm magno labore compertis ad fortiora tutiùs remedia poterimus pervenire. Sæpè profuit aquas & balnea adire calida, ſeu thermas illas nativas quibus id ineſt virtutis, ut perſpirationem egregiè juvando, ſimul ſulfure ſaponaceo ad inſtar hepar ſulfuris accommodato potenter attenuent atque reſolvant, formam omnem omnium humorum copiosè affatim quâcumque viâ introductæ immutent prorsùs, & in leniorem indolem convertant; quæ rarò, etſi aliquandò, fallit methodus: hæc præstereà ad omnes æquè homines regione locoque diſſitos, aut invalidos opibus non pertinet; ergo rationalis atque dogmatica methodus hìc advocanda.

Utile eſt reſtitutâ meatuûm libertate naturalique humorum impetu, actionem naturæ quaſi à tergo ſequi, oblitoſque viæ humores ad cutis vias revocare. Quem ad uſum, poſtquam ſaponaceorum vegetabilium diluentiumque actio, partes humorum vitiatas partim meabiles reddidit, partim expulit, Græci recentiores Aetius, Oribaſius, Paulus qui de pruritu ſcripsêre, aromatica levia acorum, crocum, dracontium, ſantala varia præſcribunt, aut, ut Alexander Trallianus, Hippocraticos veteres imitati hellebori utriuſque uſum eruditum balneis atque cibis convenientibus intermixtum ſuadebant.

Nos verò ad eumdem uſum ptiſanas ſudoriferas ſolventes ex Americanis conflatas lignis in uſum adhibemus, imò & ne morantes veneni nocentis particulas non ſatis attrahant, ſennam ipſis, ſaliaque neutra adjungimus quibus ad alvum, defectu ſudoris, præceps agatur eorum efficacia. Verùm cùm ea methodus ad morbos quoſcumque lymphaticos æquè pertineat, de his & de antimonialium uſu alibi fuſiùs loquendi ſeſe dabit occaſio, cùm rarò ad papulas ſolas curatio illa pertineat. Hæ, omnibus ad naturæ normam reſtitutis ſecretionibus, vulgò ſanantur, adeòque rarò tantum ſibi poſtulant remediorum apparatum. Undè etiam

patet, verè malignas illas tantùm dici poſſe papulas quæ à lymphæ vitio inſpiſſatæ atque acris pendent, eaſque ſolas rarò exiſtere, ſed cum aliquo è morbis modò tractandis coincidere. Nec tamen negaverim ſerum acre papulas rebelles poſſe aliquandò concitare, quales videntur illæ quæ ſub nomine *eſſere* ab Avicennâ (*a*) deſcribuntur, ſed tunc cum pſorâ atque ſcabie confunduntur & ſymptomatibus & curatione.

2°. *De Maculis depuratoriis.*

Rarò quæ corpus humanum deturpant maculæ, & in univerſam ejus ſuperficiem feruntur, verum atque ſingularem concitant morbum eumque depuratorium. Mutari cutem in ictero atque graviditate non novum eſt ; ſed hæc macularum eruptio non ad hujuſce noſtræ claſſis morbos pertinet. Nec tamen negandum eſt dari morbos qui per maculas, aut chronicas, aut redeuntes ſibi depurationem aliquandò quærant, quanquam iſtud depurationum genus ab auctoribus ferè prætervifum fuerit, aut vix à papulis diſtinctum. In perpendendis autem hiſce maculis, aut chronicis, aut redeuntibus, ſive erraticè, ſive periodicè, antiquos auctores ſequemur, cùm theoriam tenerent ab inſpectu ſolo mutuatam, ita ut aliæ ſanguineæ nominentur, aliæ bilioſæ, quaſdam à pituitâ deducerent craſſiore ; peſſimæ verò atræ ſic dictæ bili adſcribantur. Hâc quidem in recenſione cùm nullum habeam ducem, quæ viderim breviùs exponam. Sanguineas maculas etiam ſine febre, vel cum febre levi & ephemerâ per plures dies perdurare, nec niſi cum pruritu decedere vidiſſe me ſi dixerim, tales ſe vidiſſe omnes uno ore fatebuntur Medici. Hæ ſæpè quotannis rediêre, univerſumque deturpavêre corpus per aliquot dies. Ad papularum naturam accedunt, niſi quòd leviores ſint ; cùm abeunt illæ, levi furfure ſoluta renovatur epidermis. Nec quotannis tantùm, ſed etiam ſæpè pro re natâ, violento ſcilicet exercitio, liquoribus acribus imprudentiùs aſſumptis renovantur. Illud quidem malum leve eſt, & ad juniores tantùm pertinet, ſed depuratorium aliquandò eſſe poteſt, cùm antè eruptiones haſce ſanitas minùs habetur illibata, ſed tantùm vacillans quæ his peractis firmior exurgit. Quæ per totum corpus rariùs occurrunt maculæ illæ ſanguineæ crura ſæpiùs occupant, quarum

(*a*) Fen. 3, cap. 6.

ſæpè apparitio non levis atque facilè evanida, ſed conſtans, imò per menſes atque annos durabilis apparet. Illæ verò non unius naturæ ſunt.

Quædam enim pulicum morſibus ſimiles, febres intermittentes aliquandò excipiunt; quædam latæ & ſuggillationis inſtar, latentem ſignificant & deſignant acredinem. Imò ſæpè cum latis illis & extenſis aliæ reperiuntur quæ pulicum morſus referant. Aliæ longiſſimæ ſunt, aliæ breviùs abeunt & faciliùs curantur. In illis quæ fixiorem ſedem ſibi poſuêre ſedulò, ut in papularum eruptione, ad cauſas attendendum eſt. Sæpiùs enim latet aliquid ſcorbutici. Nam, notante Eugaleno, maculæ quæ erumpunt ſcorbuticæ, pro criſi habendæ ſunt, & licèt ab iis ſcorbutus non ita penitùs ſanetur, ut nihil intùs morboſi remaneat, tamen iis erumpentibus fatendum eſt liberiora reperiri interiora, cauſaſque intùs nocentes quaſi à centro propulſas ſaltem per tempus aliquod conticeſcere. Iis maculis ſola cauſæ propria & addicata curatio convenit, & aut acris cogniti per ſpecifica emendatio, aut incogniti per univerſalia mitigantia curatio. Nam nunquam macula ſimplex nec cum duritie, aut tumefactione juncta aliquid abſtruſioris medicinæ ſibi vindicavit, ſed diætâ molli, levi, ſaponaceâ, aceſcente, adeòque condenſante abſolvitur, cui prævia eſſe potuerit venæ ſectio, modò ſimul acredinem per diluentia temperatam tollat à tergo catharſis benignior.

Bilioſas acriores maculas reperire non adeò rarum. Depuratoriæ verò bilioſæ rariores ſunt. Scilicet malè ſecreta bilis, vel ob ſecernentium vaſorum inertiam, vel ob ipſiûs bilis pinguedinem minùs ſalinam intrà ſanguinem regurgitat, & ad varia excrementis educendis ſacrata emunctoria fertur, quâ ſeſe fluento liquorum eripiat, undè etiam ad cutis vaſa fertur & ſupra illam ita aliquâ ratione exuberat, ut colore mutato potiùs macula quàm tumor dici poſſit. Sæpè totum corpus talibus maculis deturpatur flaveſcentibus, luridis, terreis, quæ etſi depuratoriæ dici meritò non poſſint, cùm cauſam non tollant, quia tamen quotidianum bilis proventum à ſanguine everrunt, ſymptomati medentur, affectuſque bilis præcavent ſuperfluæ & in viſcera nobiliora deponendæ. His causâ tantùm ſublatâ mederi licet, tollit tamen ſimiles maculas, aut alvi fluentis beneficium, aut urinarum arte vel naturâ facta diluvies. Acria verò diuretica quæ fervorem ſanguini & ſolidis nimium adderent tonum hìc exulare jubet ratio,

aperientibus lenioribus & diureticorum uſu tota res abſolvitur.

A pituitâ redundanti maculas expectare cutaneas impoſſibile eſt, cùm maculas contrà aqueus humor eluat; verùm à veterum ſic dictâ atrâ bile & plures reperire & diuturnas, nec unius generis facile eſt, ſive illa melancholia ſimplex dicatur, ſive bilis atra, hæcque vel quieta ſit, vel mota, id eſt in furorem acta circuitûs vi & impetu. Bilis quidem atra in motum acta efferum, mortem certiſſimam & atrociſſimam non ſine maculis gangrænicis infert. Sed quid hìc de cute agamus, cùm in totum corpus agat malum prorsùs immedicabile & paucorum dierum ſpatio cum ingenti tumultu univerſum corpus deſtruens. At maculas dari ſimpliciores melancholicas tamen atque depuratorias jam pridem apud omnes in confeſſo eſt. Ita Plautus in Mœnechmis: *viden' corpus totum maculis aſperari luridis, atra bilis vexat hominem*; de his mentionem fecêre Hippocrates, Aëtius, Paulus & quicumque de melancholiâ ſcripſêre auctores.

Has diù perdurare, imò nullo limitari ſpatio certum eſt; quippè qui eas per integrum triennium perduraſſe viderim. Exceperant hominem à delirio melancholico furenti atque violentiſſimo, in imbecillitatem delapſum. Imò virum novi hodiè adhùc vivum, ſed cauſarium qui à mercurio intùs per nimium morbi non exiſtentis timorem ſuſcepto, ignotâ præparatione atque pondere poſt cruciatus enormes in artubus qui ſubitò hominem prehenderant, ita ut in ejulatus miſer rueret, quaſi exploſione factâ, cutim denſiſſimis maculis habuit fœdatam, quæ hodiè etiam exſtant, licèt poſteà & balnea & uſum internum aquarum thermalium expertus fuerit, & abreptus imaginationis ægrotantis phantaſiâ nulla non expertus fuerit remedia. In hiſce omnibus caſibus bilis videtur in ſuâ ipsâ origine peſſumdata, indè verò in ſanguinem per ſpaſmum hepatis reflua, vi naturæ ad extrema uſque cutis vaſcula delata fuit; imò & in caſibus in quibus remanent immotæ maculæ ſolidata bilis ſuam amiſit fluiditatem, in ſpiſſum reducta corpus, fœx à partibus rubris ſanguineis reſidua & craſſior. Verùm ut in omnibus hiſce morbis facilis eſt diagnoſis, ità prognoſis morbi cauſæ prognoſim ſequitur ad quam ſemper omnis medicatio debet dirigi, circà quam longiores non erimus. Nam eadem eſſe debet, ſi cauſam ſejunxeris, macularum atque papularum curatio.

3°. *De Pſorâ & Scabie.*

Si ſeorſim ab obſervatione naturæ & ad auctorum fidem de eâ ſcabie quam nos vernaculo idiomate *la galle* vocare ſolemus, tractare animus eſt, ingens vocum & nominum exorietur confuſio. Hippocrates enim videtur nomine (*a*) Ψῶρας non eam tantùm quam nos obſervare aggredimur affectionem intellexiſſe, ſed cætera omnia malorum prurientium genera. Cujus ſi voces ad accuratam loquendi diſtinctionem ponderare velis, tria tantùm morborum cutaneorum genera agnovit, pſoras, lepras, lichenes. Quas etiam lib. de affectionibus in curandi methodo non ſejungit.

Galenus etiam & alii ferè omnes auctores Græci lepram vix à pſorâ niſi gradu diſtinxêre (*b*); ita ut Celſus primus ſit, qui diſtinctè de ſcabie tanquam morbo peculiari ſcripſerit. Fernelius pſoram Græcorum longè à ſcabie differre pronuntiat (*c*), quod ſi verum fuerit, ignotam veteribus Græcis fuiſſe ſcabiem dicendum foret, quod nullâ ratione veroſimile videri poteſt. Idem etiam cum nobis annotavit magnæ in hiſce rebus auctoritatis vir Jo. Manardus (*d*) qui primus & antè cæteros intricatiſſimam nominibus materiem in aliquod lumen extulit.

Eamdem amplectitur opinionem (*e*) R. Stephanus qui in hoc peccavit vir non Medicus, at ſummâ eruditione diſtinguendus, quòd ſcabiem cum impetigine confundi voluerit, affectionem ſquammoſam, ut Celſus ait, cum morbo papuloſo, qualis eſt ſcabies. Hùc etiam redit leviſſima tamen (*f*) Plinii auctoritas qui pſoram à ſcabie vix diſtinguendam cenſet. Lepram verò & ſcabiem confundit Paulus Ægineta (*g*); impetiginem etiam cum ſcabie & pſorâ, ipſis quaſi daret originem, (*h*) Oribaſius intermiſcet & eodem nomine deſignat.

Undè non parum videntur emolumenti in artem induxiſſe (*i*) Aëtius & Archigenes, qui ſpretis nominibus, omnes pruriginoſos

(*a*) Lib. de Affection. Aphoriſm. ſect. 3, Prænot. & alibi paſs.
(*b*) Lib. V, cap. 29, 16.
(*c*) Lib. 7, cap. 4, de extern. corp. affectibus.
(*d*) Lib. 7, Epiſt. 2.
(*e*) Theſaur. ling. latin. ad verba citata.
(*f*) Lib. 20, cap. 16.
(*g*) Lib. 4, cap. 110.
(*h*) Synops. lib. 7, cap. 8 & ſeq.
(*i*) Tetrabibl. IV, lib. 1, cap. 130, 131, 132 & 133.

affectus ſub eodem nomine comprehenderunt, cum eâ tamen diſtinctione quòd alii tumores excitent, alii ſquammulas, furfur alii, cæterùm vix in curatione differant. Scabies verò à ſcabendo ſeu ſcalpendo dicta, ad omnes pruriginoſos affectus pertinet non puſtuloſos, ſed papulis aſperos, quanquam & veterinarii ſub nomine ſcabiei omnia cutanea armentorum mala comprehenderint, ut patet ex Varrone & Virgilio (*a*) paſſim in Georgicis, de quâ quidem verbi ſignificatione ſi ampliùs dubitare libuerit, fidem extorquebunt metaphoricæ hujus vocabuli interpretationes (*b*). *Occupet extremum ſcabies*, ait Horatius, qui (*c*) & lucri ſcabiem etiam vocat immoderatam multa poſſidendi libidinem. Cicero (*d*) ipſe ſcabiem voluptatis appellat illam impuram deliciarum titillationem quæ nos à vero avocat. Ex generico morbi nomine ſpeciem morbi fecit Celſus quem ſecuti ſunt auctores poſteriores ætate, ſed vix aliter quàm ſub pſoræ nomine Græci, Aëtius, Ægineta, Oribaſius & alii de ſcabie locuti ſunt.

Nec diſtinctiùs de morbis hiſce egêre mutatis vocabulis, magnâque indè exortâ confuſione Arabes. Meliùs tamen & magis ad mentem Græcorum Avicennas (*e*) qui licèt nomen ſcabiei à latinis, ſaltem ſi interpretibus fides adhibenda fuerit, mutuatus ſit, tamen eam qualem nos intelligimus ſub nomine *ſahaſati* ſiccæ deſcripſit, aliam tamen humidam diſtinguens quam morbi *bothor* principium eſſe vult. An pſora hæc eſt Græcorum lepræ prævia? Tædet hìc, operæque pretium nullum eſt varia Haly, Rhaſis, Avenzoar nomina referre, nugiſque inſudare quæ poſt multos nocturnos diurnoſque labores nos bonæ frugis ſteriles reliquêre. Celſum ſectari liceat, ſcabiemque, relictis auctoribus, qualem in plurimis vidimus, explanare.

Sub ſcabiei nomine morbum illum intelligimus quem Celſus primus ex Medicis veteribus ab aliis diſtinxit. Hic conſtat ex aſperitate cutis pruriginoſâ, & in eâ concluditur, ita ut illâ finiente finiatur, reviviſcat reviviſcente. Differt ergo ab impetigine & lichenibus quòd ſquammas in cute non producat, à pſorâ quòd non ſit morbo ulceroſo prævia. Hujus duplicem ſpeciem diſtinxit Celſus : alteram ſimplicem vocat, alteram αγρίαν, ſeu ferocem,

(*a*) Georgic. lib. 3.
(*b*) Lib. 2, Satyr. 2.
(*c*) Ibid.
(*d*) De Oratore.
(*e*) Fen. 7, Tract. 3.

nullamque

nullamque niſi à ſymptomatum vehementiâ naſcatur, diſtinxit inter utramque naturæ diverſitatem. At omnes ſcabiei ſic dicendæ ſpecies in id conſentiunt, ut cutis univerſi corporis, exceptâ forſan facie, quam rarò ſcabies attingit, aſperis papulis ad baſim duriſſimis, ad apicem, ſi vitrum præſertim adhibueris opticum, pellucidis vitietur. Tùm adeſt pruritus enormis & ſcalpendi deſiderium immane, ſerò præſertim redivivum, nec tamen omninò per diem ceſſans, recrudeſcenſque, quoties ad focum aſſidemus, aut quâcumque de causâ motus ſanguinis incitatur. Scabies quævis eodem modo ad ſalutem finitur, reſolutis ſcilicet, ut ſaltem ad oculum apparet, papulis illis, leviorique tantùm epidermidis deſquammatione, quæ vix furfur aliquod oſtendat.

Omnes ſcabiei ſpecies mihi ſaltem cognitæ contagioſæ ſunt, & ab homine in hominem attactu proximo, concubitu, communione veſtium contrahuntur. Hinc in magnis noſocomiis quotquot ibi ad Chirurgiam ediſcendam appellunt, ſcabiem contrahunt, quæ cùm in nullâ internâ diſpoſitione fundata ſit, levis eſt ut plurimùm & facilè eluitur : ſed ſæpè miſeris ægrotantibus evenit qui poſt pravum præ inopiâ victum ad hæc pauperiei diverſoria ob leves affectus accedunt, ut indè ſanati quidem redeant, ſed immaniter & plures per annos ſcabioſi. Magna ergo & vulgatior ſcabiei differentia à corpore in quod incidit repetenda eſt. Nam ſi hæc in corpus benè paſtum & ſanum incidat, levis eſt, & tùm prognoſi, tùm curatione ab aliis diſtinguenda. Si humoribus effœtis & corpori cacochymo accedat, gravior eſt & magis rebellis. Prætereà aliæ omnes etiam ſcabiei cauſæ poſſunt pariter vel leviores eſſe, vel graviores, corpori infirmo accedere, vel ſano. Sed nullam aliam video ab ipſiſmet cauſis poſſe haberi differentiam.

Alia ergo ſimplicior eſt & levior, alia verò ferina, ut jam pridem annotavit Celſus. Nam eſſentialibus ſymptomatibus inter ſe non differunt. Aliæ ſcabiei ſpeciei baſis puſtularum, licèt ut in cæteris dura ſit & aſpera, rubeo vividoque colore diſtinguitur ; undè ab auctoribus ſanguinea dicta fuit, quaſi penderet à ſanguine acri ; aliam rubor non comitatur, & contrà albeſcens eſt puſtula ſcabioſa ; undè pituitoſam, ſive lymphaticam dixerunt. Si color intervallorum inter papulas in cute minùs floridus ſit, & ad pallidum, luridum, flavumve colorem vergat, tunc ſcabies bilioſa erat. Immanitas pruritûs atrabilariam ſignificabat.

At fatendum quod res eſt, illæ quidem, quotquot ſunt, diverſitates accidentia ſunt hominis ægrotantis, non morbi. Ita omnibus pariter ſpeciebus convenit ut ſæpè per hyemem ſilentes, vere novo invaleſcant atque reviviſcant, reprimi videantur per æſtuantes temporis ardores, renoventur ad autumnum, ita ut multi ſint homines quaſi à proprio fundo ſcabioſi, qui tantummodò quotannis bis ad utrumque æquinoctium ſcabie videantur laborare, quæ, cùm pruritu ceſſante miteſcat, negligitur. Vidi ſic hominem cui cutis per totum annum aſpera & papulis duris horrida ſcabiem intùs vigentem prodebat, hanc tandem, enormi pruritu per æſtatis ferventiſſimæ calores exorto, curandam commiſit & ſanavit pleniſſimè, poſtquam eam plures per annos innoxiè ſervaverat, non ſine legitimâ communicati in alios contagii ſuſpicione.

Maximas vulgus ſcabiei differentias ſibi proponit à duratione mali, circà quam etiam fabellas aniles narrat quas ab Arabibus mutuatur; aliam ſcilicet menſium ſeptem, aliam ſeptennii ſpatio comprehendi, hancque à concubitu cum ſcabioſis canibus contrahi. Certum eſt aliam facilè ſanari, aliam multò difficiliùs. Quibus tamen in diſtinguendis, de ægrotantibus ſiſcitandum eſt an non immorigeri ſint, an non cauſa mali vivax ſit & renovata? Nam v. g. certum eſt ſcabiem multis regionibus quaſi endemicam eſſe, quas ſi non deſerueris, difficiliùs ſanabere. Sordes & immundities linteorum ſcabie infectorum morbum etiam perpetuò renovant, undè, paucis tantummodò exemplis exceptis, multò magis obſtinatè à ſcabie premuntur ægri pauperioris ſortis, quàm divites & omni opum atque munditiei copiâ diffluentes. Nec tamen diffitebimur inter papulas ſcabioſas dari plures quæ duriori, firmiori & magis aſperâ baſi notandæ ſint, quas ideò & remedii & omni curæ rebelles fieri neceſſe eſt, cùm quæ dura ſunt & aſpera ex ipsâ ſuâ naturâ diſcutiantur difficiliùs.

Blanda & cum non ingrato titillationis ſenſu qui vix papillas nerveas vellicet altera ſcabiei ſpecies eſt; altera ferocior & in immanes ac ipſo dolore immani redimendos pruritus conjicit. At ea diverſitas à corpore venenum excipiente, non ab ipſo veneno repetenda eſt, cùm à levioribus graviores per contagium communicari viderint omnes, & à gravioribus leviores; ſcilicet prout cuique ſenſus vel magis, vel minùs exquiſitus eſt, ſentit aut acutiùs, aut obtusè magis. Id obſervare pronum eſt in ſcabiei ſpeciebus epidemicis. Dari enim & papulas & ſcabies epidemicas videtur auctor eſſe

Hippocrates (*a*), aut quiſquis ex ejus ſcholâ lib. 5 epidemiorum ſcripſit, nec diffitentur auctores varii Baglivi, Deſmars, Huxham (*b*), &c.

Ex his patet ſcabiem unam eamdemque ſemper eſſe, morbumque conſtituere diſtinctum, licèt minùs in eâ fuiſſe videantur opinione Graiorum Medici.

Ejus autem phœnomena alia neceſſaria ſunt, alia non neceſſaria & accidentalia. Ita verò curſum incipit, progreditur, abſolvit. Rarò cum impetu adoritur, ſed ſenſim ad manûum ſupremam partem, inter digitorum intervalla pruritu, primùm non inſigniter notando, ſed ſenſim ſub veſperam increſcente ſeſe animadverti ſinit. Poſteà multiplicantur papulæ, nec brachia ſolùm, ſed dorſum, lumbos, axillas, demùm crura & femora invadunt, ſed per intervalla temporis quæ notare impoſſibile eſt, cùm citiùs in his, in illis tardiùs curſum morbus abſolvat. Papulæ nunc ſolitariæ ſunt, nunc confertim agglomeratæ, & inter puſtularum ſibi appreſſarum glomeramina longiora reperiuntur intervalla. Pruritûs ſedes in ipsâ papulâ eſt; cutis illorum qui verè & funditùs ſcabioſi ſunt, in ipſis etiam intervallis aliquâ ratione aſperior eſt; quod in iis minùs notatur qui recenti contagio ſcabiem contraxerunt. Cætera quæ ſcabiem ad ſummum ſuî faſtigium evectam comitantur ſymptomata pruritûs ſunt effectus. Cutis ipſa integra eſt, nec niſi in faſtigio papulæ humor aliquis inſpicitur ſcalpendo & lacerando attractus, ichoroſus, & quaſi à bullulâ in faſtigium papulæ exiſtente ſolutus. Cætera quæ reperiuntur in cute vulnera unguium lacerantium veſtigia produnt, diſciſſaque vulnerum horum labia brevì coaleſcunt, noviſque atque quotidianis locum cedunt; ita ut cutis tota cruentata, atque lacerata, ſi à ſcalpendo miſeri temperare poſſint, brevì ſanum offerat aſpectum, nec plus in locis vulneratis quàm in aliis attolluntur papulæ.

Toleratur malum illud, ubicumque mediocriter ſævit, pauperioreſque non deliciis aſſueti, ſed ad labores nati, vix de illo ſanando cogitant, modò non abrumpantur ſomni, & appetitus non deleatur. Verùm raro ab iſtâ negligentiâ malum non increſcit. Cùm enim partes attactu ſcabiem contrahant, illudque veſtium contagio communicari extrà dubium ſit, multiplicari à ſorditie & contactu mutuo partium poſſe labem evidens eſt. Verùm, ubi vel cum ſummo impetu prorupit, quod aliquandò evenit,

(*a*) Sect. 3, aph. 20.
(*b*) V. Miſcellan. nat. cur Dec. 3, ann. 9, obſ. 205.

undè factum eſt ut aliquandò ſcabies pro impetigine fuerit habita, vel increvit ad ſummum vehementiæ malum, tunc vigiliæ truces & pruritus ferè convulſivus maciem inducunt, cibi faſtidium, imò febrim lentam & tempore ſuccedente hecticàm, multiplicatoque malo quæ ad cutim fiebat depuratio vertitur in interiora, tuſſiſque arida ſiccaque decubitui in pulmones præludit. Quo triſtiſſimo eventu ſemel poſito, abit malum in mortem certiſſimam. Rarò in ſcabie alvus laxa eſt, communiùs ſcybala dura, nigricantia exeunt, forſan à peſſumdato bilis tenore. Nam non rarò ſcabioſi flaveſcunt, quod cùm à vigiliis præcipuè pendeat ſymptoma, tamen à vitio bilis aliquandò repeti poteſt; certè in omnibus ægrotantibus qui alicujus momenti ſcabiem experiuntur urinæ fluunt tenues, aqueæ, decolores, ut in morbis perſpirationem ſuppreſſam ſupponentibus, eæque vix aliquid ſalini ſedimenti continere videntur.

At ſive in eminentiſſimâ ſcabie, ſive in remiſſiori papulæ vix differunt, niſi quòd in illâ aliquandò baſis papularum ferè flammea ſit, & pruritui addatur mordacitas quædam verbis vix deſcribenda. Aliundè nec in principio morbi, nec ſub ipſius finem ulla in ipſo papularum corpore annotatur differentia notabilis, ſed ſemper in morbo longiore crura, imò & femora tumentia vires fractas indicant (*a*).

Cauſa ergo ſcabiei nulla alia proxima quærenda eſt præter venenum ſui generis, ad cujus naturam meliùs rimandam atque divinandam cauſæ malum excitantes attento oculo ponderandæ ſunt.

Inter haſce cauſas primum certè locum obtinere debet aëris humiditas frigida, quæ dùm perſpirationem malè ſupprimit & ſubito inſultu in corpora prædiſpoſita incidit, ſcabiei anſam præbet, quam tamen per ſe non producit. Hippocrates quidem vernæ tempeſtati morborum cutaneorum eruptionem adſcribit, ſed Fredericus Hoffmannus vir magni in arte momenti, mentionem injecit de ſcabie quæ anno 1716 Halenſem urbem epidemicè infecit; hanc autem unicè humidæ & frigidæ tempeſtati vult adſcribendam. Verùm licèt ab hâc causâ & affectiones catharrales naſcantur & peſſimi generis mala, ſcabiei eruptio indè nunquam naſcetur, ſi non alia ſimul cauſa concurrat.

At fœcundiorem ſcabiei cauſam ſuppeditat victus in omnibus ferè pauperioris ſortis maximè inordinatus & viribus concoquen-

(*a*) Jo. Lang. Epiſt. 16, tom. 1.

tibus vix unquam proportionalis, cùm nunc turgeant chylo crudiori venæ, nunc inopes omnium rerum longam tolerare famem debeant. Quis non ubicumque gravi & acri chylo vaſa onerantur, non aliquem pruritûs ſenſum experitur? Notat & rectè quidem Hoffmannus quòd non raró pruriginoſi affectus iis incidant divitibus qui poſt opiparam ſimul atque exercitatam vitam à ſolitis remittunt exercitiis. Undè, notante eodem, ſæpè ab hæmorhoïdibus delitéſcentibus exorta fuit ſcabies, niſi illis reſtitutis ferè immedicabilis: ſed hanc ſcabiei ſpeciem non veram eſſe ſcabiem obſervavi, at puſtulas herpeticas. Quantò magis iis periculum idem impendet qui nullo delectu craſſiora abſorbent cibaria ſale fumoque indurata, aut mucida, fracida, ſaleque ſcatentia acerrimo.

Aquæ crudæ ſeleniticæ quæ baſim terream ſpiculis ſalinis præbent, aut muriâ corruptâ & ſtagnante infames ſunt, non coctionem ſolùm, ſed ejus producta & depurationes inficiunt. His certè ſub auſpiciis naſcitur venenum ſcabioſum, quod, ubi tenuior ejus portio, aqueaque materies ad renes ob ſuppreſſam perſpirationem fertur, hæret in cute, eamque inficit. Id verò ſæpiùs accidere debet in aëre cœnoſo, humido, non renovato; qualis eſt carcerum in quibus ſontes accumulantur athmoſphæra; qualis eſt aër tuguriorum depreſſorum in aquarum ſtagnantium & putridarum viciniâ; tales in iis locis reperire eſt, quos nunc aqua marina exundat, nunc æſtus ſolis fœtos conchyliorum, piſcium & inſectorum cadaveribus exurit, & qui ventis ſalubribus non perflantur, nec depurantur. Indè ſæpè fit ut cum aliis morbis jungatur ſcabies, ſcorbuto v. g., quam indè ſæpè ſcabiem ſcorbuticam vocavere; ego verò mixtam ſcorbuto indè dixerim, quòd cum ſcorbuto antiſcorbuticis non ſanetur, ſed ſibi propria, expulſo priore morbo, vindicet medicamina.

Hiſce cauſis in ſcabie inducendâ primariis fomentum addit, forſan & cauſam, ſordities. Etenim cumulata in cute craſſæ & indigeſtæ coctionis excrementa mucum conſtituunt vappidum acrimoniamque ſingularem ad ſpontaneam, mixtâ putredine, vergentem exhalant; undè in veſtibus ſqualidis, non renovatis, odor fracidus, fermentatus olet malè, qui delicatulos in animi deliquium ferè adigeret, & qui in morbis cutaneis eam malignitatem acquirit quæ vix à fortioribus tolerari poſſit. Hæc agglomerata ſordities forſan ſcabiei cauſa proxima eſſe poteſt, vitium perſpirationi inferens ab eâ acceptum, indè nuſquam gentium frequen-

tiùs habitat ſcabies quàm in illâ externâ impuritate ſordidâ.

Hinc factum eſt ut plures Medici non aliam agnoverint cauſam morborum horumce cutaneorum contagioſorum præter verminoſam luem ; dùm ſub unâquâque puſtulâ credunt ova inſectorum deponi, quæ perpetuâ generatione renovata, morbum renovant, exemplo ab arboribus ducto qui tot morbis ampulloſis atque tumoribus duris laborant, quorum tamen cauſa nulla alia eſt, præter inſectorum morſus ibi nidulantium, certamque ſibi ſedem parantium. Prætereà ſumma eſt analogia inter evidentes culicum aliorumque inſectorum morſus, qui ſub finem æſtatis in humana corpora ſæviunt, & morbos pruriginoſos quoſvis, undè non improbabile ipſis videbatur ſcabiem alioſque hujuſdem generis affectus à prurientibus inſectis deducere, circa quod tamen microſcopium ipſum vel acutiſſimum, ſi repetitis experimentis credere fas eſt, cæcutit.

Fidem ſibi indè arrogant quòd ſumma ſit contagii ſcabioſi ad communicationem facilitas, quippè ſi hodie, aut ſcabioſi veſtimenta indueris, aut cum ſcabioſo concubueris, cras te pruritus vexabit ſcabioſus, quem ſi non neglèxeris, ſed in primo inſultu detegere fuerit datum, curabis & ſanabis omninò iis adhibitis quæ præſertìm ad perimenda inſecta & eorum ova valent, ſulfure & mercurio. Nec verò, ſi conferret hùc exempla ex brutis petita advocare, ignotum eſſet in ovibus & equis ulcera verminoſa aliquandò reperiri, imò & confertiſſima.

Quamvis autem plures ſint Medici, nec deterioris notæ, qui hiſce ratiociniis abuſi ſint ad admittendam in quibuſlibet contagioſis morbis luem verminoſam legitimam, ſibi meretur attentionem eorum opinio qui credunt à vermibus pendere ſcabiem, cùm nec abſurdum ſit, nec ridiculum inter animata nociva corpora dari aliqua quæ viſus non attingat & quæ ſeſe in cutem inſinuent, imò multa hujus generis ſint quæ ſe non ſinant aſpici.

Prætereà auctoritate præſtantiſſimorum in phyſicis rebus introſpiciendis virorum hæc ſententia fulta eſt, cùm vir in hiſce ſummæ auctoritatis Richardus Mead eam pro certâ tenuerit, ſanationeque perpetuâ ſcabiei per topica confirmatam crediderit. Acceperat hanc à Coſimo Bononio (*a*) qui in epiſtolâ ad Fr. Rhedi de vermibus corporis humani, viſa ſibi per accuratiſſima microſcopia animalium corpora, & eorum ova in ſulcis cutis latentia

(*a*) Phil. tranſ. 283.

depingit, ea tamen nec Meadius (*a*) ipſe, nec alii obſervatores poſteà ſe vidiſſe aſſerunt.

Attamen, licèt non viſa negare injuſtum ſit, pluribuſque ſcabiei caſibus hæc hypotheſis correſpondeat, fatendum tamen eſt non omnes ſcabiei effectus atque phœnomena ſatis explanari, poſitâ epidemiâ verminosâ. Etenim in confeſſo eſt apud omnes, 1°. plures morbos febriles per ſcabiem tandem extra erumpentem fuiſſe omninò perſanatos, eâque emicante ſymptomata omnia interna prorsùs ſanata fuiſſe. Quod fieri non potuiſſet, ſi in ſolâ externâ cute ſcabies hæſiſſet. Quòd autem ſcabies ſæpè depuratorius morbus ſit qui moroſitatem longo tempore vexantem tollat, omnes Medici viderunt, nec me ſolum teſtem adducam, ſed omnes ferè omnium ætatum obſervatores Schenkium, Hildanum, Riverium. 2°. Verò ſcabiei imprudenter retropulſæ in pulmones, viſceraque effectus notiſſimi ſunt, & apud eoſdem auctores celebratiſſimi; aſthmata, inflammationes, febres mali moris appoſito induſio ſcabioſo ſanatas videmus. Quod quidem quotidie in magno Pariſienſi noſocomio obſervatur in quo perpetuus reperitur ſcabiei proventus. 3°. Verò ab insertâ per inoculationis ſpeciem novam intra vaſa ſanguinea ſcabie morbi interni ſæviſſimi, qualis eſt mania melancholica, ſanati ſunt, teſte Merklino. Quæ omnia à morbo quem inducunt inſecta pendere non poſſunt, ſed à fomite qui, dùm intra vaſa circuitu perenni abripitur, functiones lædit, viſcera criſpat & in ſpaſmos ſæviſſimos abripit, morbum quemvis mentientes; ubi rursùs ad cutem deponitur pruritu enormi angit, torquet, excruciat, intactâ alioquin ſanitate interiori.

Si ergo aliam ſcabiei cauſam efficientem quærere eſt animus, eam certè in acrimoniâ ſcabiei ſpecificâ reperiemus quæ, dùm ſero ſalſo & acri inſidet, muriaticum quid ad guſtum videtur obtinere, non quidem volatile, ſed tamen odore imbutum ſpecifico, penetranti & contagioſo. Ipſa cutis aſperitas ſatis deſignat partes illas acres vellicanti donari ſale quem mucus inviſcare atque irretire poteſt. Sed licèt has qualitates evidenter in veneno ſcabioſo reperiamus, non eum tamen ita cognitum fatebimur ut poſſit huic acredini ſpecificè adverſa & oppoſita medicina ſic offerri ut protinùs debelletur. Satis eſt ut poſſit per univerſalia acredinis delinimenta obtundi.

(*a*) Monita & præcepta Med. cap. 13.

Diagnoſis exiſtentis & ſemel poſitæ ſcabiei facilis eſt, ut & cæterorum omnium morborum ad cutim efflorefcentium. Tota enim in aſpectu conſiſtit. At quomodò ſcabies à ſimplicioribus papulis diſtinguatur, ſola aſperitas atque durities tractanti indicabit. Ineſt enim ſcabiei quædam in ipsâ papulâ ſcabrities quæ in aliis non reperitur. Solent vulgò Medici digitorum intercapedines atque ſummitates inſpicere, in quibus malum vulgò plus furit. Quod verum præcipuè eſt in iis ſcabiei ſpeciebus quæ contrahuntur per contagium. Cùm certè contagii effectibus manus præcipuè obnoxia ſit, quod non in omnibus æquè ſcabiei varietatibus reperitur. Difficilius eſt multò latentem hariolari ſcabiem quæ ſæpè ſine præviâ prophaſi incautos adoritur, & ſi ſymptomata turbaſque ante eruptionem in corpore concitat, non ſcabiem, ſed ventura quævis mala præſagit. Diſtinguere verò cauſas venereas, tùm ab ipſo aſpectu licitum erit, tùm præcipuè à præcognitâ ægri vivendi confeſſione, quam ſpontè æger fatebitur. Nam illæ quas veteres ſub nomine ſanguineæ, bilioſæ, &c. à ſe invicem diſtinguebant, differentiam tantùm merè accidentalem conſtituunt, eæque potiùs ab ægrotantis diſpoſitione repetendæ ſunt, quàm ab ipſius morbi naturâ, uti jam dictum eſt.

Sed quæ levem in diagnoſi conſtituendâ differentiam afferunt accidentales cauſæ graviorem in prognoſi attentionem merentur. Utcumque enim fatendum ſit omnia ſcabiei genera tenacia eſſe & per ſe, atque ſine artis auxilio, vix ſanari poſſe, alia tamen levia ſunt, & ſæpè, præſertìm apud pauperis ſortis homines per multos annos ſine gravi feruntur incommodo; alia contrà pruritum enormem, vigilias atque maciem ſtatìm inferunt & præſens artis auxilium expoſtulant; undè αγρια, ſive ferina ſcabies diſtinguitur. Nec certè vacat illa periculo, quam malè tractatam & negligentiùs habitam phtiſim induxiſſe vidi, ſed lentam illam, nec niſi poſt longam annorum expectationem perimere aptam. Verùm licèt in viro cachectico, diætæ inconditæ dedito, & animi mœrore confecto, res ſic viſa ſit, rarum eſt efficaci medicinæ ſcabiem non cedere; niſi tamen intùs retropulſa morbos fecerit atrociſſimos, maniam, notante Merklino, aſthma, & hydropem pectoris ut ipſe vidi, ac peſſimam melancholiam. Imò & vidi puellam quæ cùm febre acutâ, ob ſcabiem ſuppreſſam, tuſſique importunâ decumberet juſtumque incuteret timorem, appoſito ſcabioſo induſio intrà nycthemeri ſpatium pleniſſimè convaluit. Undè licèt

ipſa

ipſa per ſe pruritûum ferocia ad curationem miſeros ſcabioſos invitet. At enim etiamſi tolerandis illis malis ſe ſatis ſentirent idoneos, non idcircò tamen negligenda ſunt ad hujus ſanationem artis molimina, cùm non vacet ſcabies periculo. Imò inveteraſcens illa quamdam volatilitatem acquirit quâ retrò pellatur, & interiora ſubeat faciliùs.

De ſcabiei curatione magna eſt apud auctores differentia, nec apud antiquos tantùm, verùm etiam apud recentiſſimos. Hippocrates (*a*) enim omnium primus ad ſcabiem curandam poſt diluentium uſum fortiſſima commendat purgantia, peplium, helleborum, aliaque hujuſmodi. Prætereà ſcabiem à cæteris cutaneis morbis parùm, aut nullâ ratione diſcriminat, ſed illos omnes unâ curatione attingit, ita ut morbi naturam ab humore prædominante, pituitâ v. g., aut bile hariolaretur, iiſque indè ſua aſſignaret medicamina. Ornavit præceptoris methodum Galenus (*b*), balnea, cucurbitas, diluentia admovens & pharmacis miſcens purgantibus. Deindè verò topica commendat deterſiva, & aliquâ ratione exedentia, ex aloë, myrrhâ, ære, alumine, thure, imò non reformidavit adſtringentia, qualia ſunt ex vegetantibus malicorium, acaciam, ſuccum myrti. Ex famoſi illiùs Aſclepiadis ſimulque Hippocratis ſcholâ quæ utilia ſibi videbantur conjungens Celſus, exercitium, balneum, abſtinentiam ab acribus pro ſolis internis remediis in uſum adhibet. Balnea primus omnium antiquorum nitrata commendat, id eſt ex ſale alkali fixo, ad inſtar naturæ, minerales aquas factitias, quibus corpus immergatur (*c*); at, cæteris remediis internis prorsùs neglectis, crocum, æruginem, myrrham, nitrum, ceruſſam in unguentis applicat. Forſan in maximè prurientibus & inflammatis lupinos, crocum, lenticulas prædicat; ſed præcipuè celebre ad uſque noſtra tempora unguentum edocet à pecoribus ad homines tranſlatum, ex oleo, ſulphure & pice conflatum, quod nos etiam hodie in uſum, paucis mutatis, advocamus. Therebentinam cum ſulphure laudat pariter Oribaſius (*d*), helleborum utrumque, lupinos amaros, fimum caprillum, &c. Hæc illis cæteriſque inferioris notæ Græcis intentio fuit, teſte eodem Oribaſio (*e*), ut purgarent cutim, & idcircò illi

(*a*) Lib. de affect.
(*b*) L. de Conſt. Art. Medicæ.
(*c*) Lib. 5, cap. 28, 16.
(*d*) Synops. Lib. 7, cap. 48.
(*e*) Lib. 7, cap. 7.

omnes interiora purgantia vix commendant, quòd, aiunt, nulla ratione opus ſit ex alto attrahere, ſed vaſa cutis ſola repurganda ſint. Galenus (*a*) tamen diſertè monuerat cautos eſſe debere in deterſoriis & purgantibus cutis adhibendis Medicos, corpore non puro, quæ ſcilicet tunc obſtruant & obſtipent, hæreſcereque cogant ſordes in emunctoriis impuras. Hinc forſan Archigenes (*b*) antè alia omnia remedia venæ ſectionem celebrari imperat, & per omne remediorum, tùm prædictorum, tùm aliorum ejuſdem farinæ curriculum catapotia ſerò danda ex aloës doſi mediocri edicit; balneo cæteroquin utendum & diætâ miti atque demulcente.

Fruſtrà hìc in exſcribendis cæteris græculis inſudaremus. Notaſſe ſuffecerit & mirari quantulas partes in eorum methodo agant interna medicamina, quàm magnæ contrà laudes maneant fortiſſima adſtringentia, atramentum ſutorium, alumen, &c. quæ remixta corrodentibus magis adhuc evadunt obſtipantia. An aliqua in morbis, an in hominum naturis emicabat diverſitas?

Pleniùs & meliùs circà interna medicamenta Arabum princeps Avicennas (*c*), qui ad curam *eſſere* quam legitimè cum ſcabie confundas, primò phlebotomiam adhibet, poſteà verò purgantia, ſed non ad veterum morem draſtica, ſed leviora ac benigniora, mechoacannam, mirobolanos, &c. Poſteà verò repetitis pluries catharticis, demulcenteque diætâ longiùs continuatâ, ad lotiones adſtringentes tranſit, eaſque ex vegetabilibus ſtypticis fortes, quodque mirere magis, eas interno uſu commendat. Una & eadem eſt cæterorum Arabum doctrina. Ex quibus ſimul commixtis Medici medii ævi ſuam confecerant praxim. Senſim tamen opes materiæ medicinalis augentur quæ ſola per obſervationes augeſcit; hinc apud Joubertum, Rondeletium lapathi acuti radices, fumaria, ſcabioſa jactantur, ut & apud Sylvium atque Fernelium noſtrum ſua ſulphuri, tùm extùs, tùm intùs appoſito maxima curandæ ſcabiei gloria competit. Camphora verò ad eoſdem uſus à Ballonio prædicatur, licèt hæſitanter. At generaliùs invaluerat methodus ſcabiem purgantibus vehementibus atque ſimul depuratoriâ atque deterſoriâ virtute pollentibus abſolvere. Undè famoſa fuit adversùs ſcabioſos morbos confectio ab Arabibus *hamec* dicta. Hæc baſim

(*a*) L. de Conſt. Art. Medic.
(*b*) Aetius Tetrabibl. Serm. 1, c. 26.
(*c*) Fen. 3, Tract. 1, cap. 14.

omnibus præbebat remediis quæ ad ſcabiem invocabantur. Ea eſt methodus quæ Helmontio (*a*) qui ſcabiem contraxerat à chirotecâ damicellæ ſcabioſæ quam induerat incautus, & à quâ venenum acceperat, adeò infauſtè, ſi viro fidem adhibere fas eſt, fuerat admota; dùm liquatis humoribus, ipſoque in maciem redacto, integra tamen manebat ſcabies. Apozemata ſcilicèt alterantia purgantibus remixta obtulerant, quaſi magnas in ſcabie partes jecur ageret. Quod vitium certè artificis fuit, non artis; quippè evidenter hæſerat in cute à chirotecâ contractum contagium, methodus porrò quæ in uſum adducta fuit repugnat methodo quam à veteribus Græcis hauſimus. Quid plura ? Etmullerus (*b*) jam maximam ſpem in externis topicis poſuit, cùm ſulphur mixtum alkali fixo & unctuoſæ materiæ remixtum habet pro ſpecifico in ſcabie curandâ, ſi ſimul internus addatur, aut viperarum, aut antimonialium uſus.

Riverius (*c*) verò mercurio dulci interiùs ſumpto cum diagrydio ſcabiem ſe ſanaſſe ſcribit, nullâ factâ mentione ullius topici. Et certè antiquiſſimum ad mala cutem exedentia remedium à ſcabie videtur ad morbos venereos fuiſſe traductum. Magnamque hodie inter medicamenta ad ſcabiem admovenda, tùm internè, tùm externè, paginam implet.

Sapientiſſimè verò Fredericus Hoffmannus (*d*) non tàm morbum ipſum quàm effera concomitantia ſymptomata à Medicis vult ponderari. Sic ſcabiei quæ in homine jam cachectico & molli ſævit per herbarum amararum, enulæ, lapathi, ſcabioſæ, fumariæ, taraxaci cum ſalibus neutris amaris remixta vult medicinam fieri, poſteà verò pilulas exhibet ex præparatis mercurialibus cum reſinoſis purgantibus remixtis. Demùm verò aquas thermales ad morbum penitùs ſolvendum commendat.

Verùm ſi ſcabies arida fuerit, pruritus ferox, vir ſanguineo præditus habitu & ad inflammationem diſpoſito, quod jam Riverius (*e*) laudarat & retulerat, à venæ ſectione curationem init, ſero lactis, aut decoctis emollientibus ægrum largè irrorat & remediorum calidorum & vulgò fumigeratorum contemptor, exemplo Henrici ab Heers (*f*) omnia dat mollia, aquea, lenientia, lactiſque

(*a*) De Febrib. cap. 5.
(*b*) Pyrotechn. ration. lib. 1, ſect. 3, cap. 2.
(*c*) Obſerv. 62.
(*d*) Tom. 4, lib. 5, cap. 5.
(*e*) Obſ. comm. ad Dabad.
(*f*) Obſ. pag. 200.

uſu tædioſo, ſed diuturno curam abſolvit, topicis parùm confiſus, ſed ea ex leniſſimorum medicamentorum reſolventium, chamæmeli, ſcabioſæ, meliloti, ſambuci, lapathique genere ſeligens. Quam quidem doctam atque ſapientem methodum ſecuti, iiſdem legibus curationem inſtituemus.

Primùm igitur & antè omnia ſcabiem diſtinguemus in recentem & contagio contractam evidenti, in vetulam, ſeu inveteraſcentem, præcipuè in provectâ ætate graſſantem. Secundò verò ſcabiei ipſius accidentia proſequemur, in quibus ferinam primò & ſuis metuendam pruritibus, ξύσμοι dixêre Aëtius & Oribaſius, ſcabiem comprehendemus. Poſteà verò differentias annotabimus quas ſcabioſo veneno imprimit corporum in quæ incidit differentia.

Ad recentem & contagio evidenti contractam ſolummodò pertinet curta illa ſupellex quam Meadius Bononi obſervationibus confidens ſcabiei aptavit. Sepoſitis remediis omnibus internis, ad enecanda inſecta illitiones ex ſulphure & mercurio dulci per paucorum intervalla dierum ſufficere pronuntiat. Et certè quidni nondum introductum per vaſa venenum invaſione ſubitâ occuparemus; ſicque morbum deſtrueremus antequam conſtitutus ſit. Simplicem illam methodum conſtans comprobat obſervatio, nec ullo alio adminiculo res indiget. Nec ſulphurata tantùm unguenta conducunt, ſed ſimpliciſſima ex detergentibus conflata ſufficiunt, ex lapatho, enulâ campanâ, aut illud quod apud nos vulgò, vel ipſi tirones in uſum adhibent, unguentum mercuriale debile neapolitanum dictum. Certè horum medicamentorum uſum, uſu interno demulcentium adjuvandum eſſe ſi protulerint, mecum conſentient. Acre enim quodcumque, etiamſi vel minima ejus molecula intùs irrepſerit, retundendum eſſe edicit ratio. Nec minùs cùm à bilis facilè evertendâ ſecretione multa acria in cutem ferantur, conducet ea adhibere laxantia quæ alvum ſubluant. Hinc ſerum lactis benè clarificatum matutino potu, me judice, commendes, aut plantarum mollium decocta, qualia præbent radices lapathorum, ſ agariæ, aperienteſque radices ferè omnes, tùm verò folia endiviæ, malvæ, cichorii, taraxaci, borraginis, aut minori doſi, cæreſolium, becabunga, naſturtium aquaticum, quibus pro re natâ adduntur terra tartari foliata, ſal vegetalis, ſed doſi parcâ quâ ſollicitetur levi ſtimulo alvus, non irritetur. Necnon etiam prudentia jubet, ubi diſparuit malum, hoſtem à tergo carthartico levi inſequi, ut refluus, ſi adſit, humor

cum bile extrà corpus feratur. Imò & balneis tepidis lenibus cutem ita mollire proderit, ut ſi quæ ſupereſſent intùs reliquiæ, hùc ferantur. Quibus peractis, ſi nulla ſcabiei remanent veſtigia, ſanatum abſolutè morbum rectè concludes. Intereà verò diæta cum medicaminibus coincidet, tenuis, mollis, non muriatica; nam pruritui excitando muriam conducere vel leviſſima obſervata docent, nec ſpirituoſis feta liquoribus, aut coffe, quæ omnia ſub ingreſſum noctis ferinum vulgò pruritum, vixque tolerandas titillationes concitant.

At à ſimpliciori hâc ſcabiei recentis curatione quantùm diſtant molimina quæ inveteraſcentem atque rebellem profligare poſſunt curationum molimina. Cutis aſpera eſt, papulæ duræ, corpus delaſſatum, vires acciſæ. Fruſtrà rem per topica aggrediare. Crudum morbum prorsùs exaſperabunt illa, fiet ipſa difficilior ſanatio.

Scilicet in omnibus illis morbis depuratoriis, qui in partem aliquam deponuntur, duplex ſtatus ut in acutis diſtinguendus eſt. Cruditatis alterum, alterum verò coctionis. Scilicet materia illa morâ & igneâ indole jura nocendi ſæviſſima obtinet, & curari ſe non patitur, immobilis & nociva, donec vel naturæ viribus, vel artis efficaciâ mutata, tenuata, liquefacta fuerit & mitior facta ac mobilior, hinc ejus acrimoniâ dilutâ, illinc laxatis meatibus. Quoties igitur luem aliquam chronicam ſuſceperunt tractandam Medici dogmatici de eo cogitant ut materiem mobiliorem reddant & vaſa magis meabilia, poſteà enim tutiùs & directiùs agunt corrigentia, aut vacuantia medicamenta, ſi quidem in corpus non ſolutum nulla eſt medicamenti actio.

Prima ergo in ſcabie rebelli curandâ indicatio in id tota vertitur ut rebellem ipſius retundamus indolem, parteſque nocivas diluendo mitigemus, vaſaque tenaci criſpata & obſtructa erethiſmo laxemus. Ergo antè omnia vulgò à venæ ſectione, ut plerique Græcorum, curationem auſpicabimur. Ipſa per ſe erethiſmo conducit. Quædam tamen ab ipsâ abhorrent corpora. Gallica noſtra exquiſitâ ſentiendi vi donata repetitam ſæpè poſtulant. Exindè intùs ſero lactis dulciſſimo corpus imbues, diætâque uteberis admodùm refrigeranti, qualem lactucæ, fructus horæi, cucumeres, herbæ ferè omnes & olera præbent molliſſima. Alvum, ne bilis reſorpta negotium faceſſat, leniter ſubduces. Caſſiam hìc, manna, tamarindos aliis antepones medicamentis durioribus. Indè confugies

ad balneorum tepidorum & domeſticorum uſum ; hæc, ſi vires valeant, mane & veſperi repetenda. Nulla, ne pruritus increſcat à balneo exeuntibus adhibenda frictio, ſed leni linteorum non calentium appoſitione exſiccabis. Lectus in quo reponuntur ægri non ferveat, imò non incaleſcat.

His peractis, nondùm ad topica confugere tutum eſt. Priùs enim & antè omnia in id omni ope atque operâ enitendum ut omnes ſecretiones liberæ evadant, imò & liberrimæ. Verùm ut ex omnibus depurationibus, ubi læſa eſt, ut eſt evidenter læſa in ſcabie, perſpiratio, bilis & excrementorum alvinorum maxima eſt ad mundificandam cutem efficacia, ita ut ab ejuſdem denſitate notaverit Hippocrates cutim excrementis onerari ; quidquid contrà effutiat Helmontius, ita medicamentis alterantibus res agenda eſt ut alvus non catharticis proturbetur, ſed mollioribus eccoproticis ſervetur laxior. Hùc ergo advocentur decocta plantarum aperientium de quibus jam egimus, ſed & penetrantiora & valentiora reddantur. Hùc radices lapathi, chelidonii, enulæ campanæ, bardanæ, folia borraginis, ſcabioſæ, agrimoniæ, eupatorii, fumariæ aliorumque de quibus jam egimus palmam cæteris præripiunt. Additur his, præ cæteris ſalibus, tartarus vitriolatus, ut potè qui plus ſolvendo præſtet. Horum remediorum uſui interpolantur cathartica quæ vim efficaciorem reſolvendi poſſideant eaque muco ſolvendo idonea, ut ſunt pilulæ ex partibus extractivo-reſinoſis purgantibus cum mercurio dulci, aut panacæâ mercuriali remixtis; his baſim præbent diagrydium, jalappa, turpethum, aut aloës quod ultimum in iis præſertim qui hæmorrhoidum ſuppreſſarum ſuſpicione laborant præfertur.

Ubi jam mali mitigationem ſymptomata arguere incipiunt, topicis utere ; jam ſoluta ſunt mali vincula. Eaque prætollenda ſunt topica, quæ cum detergenti facultate ſimul ſolventi diſtinguuntur efficaciâ, inter quæ palmam certè præripiunt mercurialia unguenta leniora, quæ ſcilicèt quartam tantùm mercurii partem ſub axungiâ occultant, eamque ſulphuri remiſcebis, ſi breviorem viam inire ſuadeat morbi inveterata ferocia ; de quo vide Etmullerum loco ſuprà citato. Sulphur ſolum axungiæ recenti remixtum pauperibus pro unguento eſt admodùm ſalutari. Profuit ſæpè pro omni topico ad thermales aquas confugere, imò tentatis fruſtrà omnibus, viſæ ſunt illæ inexſpectatis ſucceſſibus illuſtrari, præcipuè in illo ægrotantium genere qui indociles ſe Medicis præſtant,

eo præſertìm vitæ tempore, in quo cutis aridior & ſolida denſiora minùs ſe molliri ſinunt, vireſque ſimul de ſuâ conſervatione monitos nos volunt. Sepoſitis omnibus remediis, præſtat ægrotantes ad illarum aquarum thermalium genus advocare quæ cùm potentem bituminoſam atque ſulphuream virtutem habeant, purgandi pariter facultate donantur. Poſt enim prima præparata à quibus nemo ſcabioſus immunem ſe præſtare poterit, iis ſe proluant illi, & frequentibus hauſtibus ſimul alvinam bilem exonerent, ſimulque humorum molem immutent; dùm intereà quotidianis & diuturnis balneis cutem detergent & emundant. Rarum eſt ab iis aliquem redire minùs ſanum. Rariſſimum verò iis omnibus ritè & ex methodo peractis ſcabiem obſiſtere.

Verùm metuendum ſupereſt ne ex ſuis ruderibus poſſit reſurgere malum, & ſuppoſitus cineri ignis rursus flammam concipiat. Undè & latentis morbi reliquias expellere, & ne nova ſuccreſcat ſcabies cavere operæ pretium eſt. Hìc verò & quæ præviæ fuerunt cauſas rimari neceſſe eſt, hiſque obviam ire. Situm domorum mutare profuit; uliginoſas paludes exſiccaſſe, ſcabiem epidemicam ſuppreſſit; victu piperato, ſalſo, fumoſo caruiſſe, alvum ſervaſſe liberam & periodicam fuit utile: fœcum alvinarum biliſque vacuationem quolibet menſe, in decrepitis ſenibus, in quibus aliquid à perſpiratione reſtitutâ expectare piaculum foret, ſalubre fuit admodùm provocaſſe, præſertìm hybernis menſibus; ſed ætate florenti juvit perſpiratio aucta per radicis chinæ decoctum leve pro potu communi ebibitum, quamvis multi de hujus diaphoreticâ virtute, inter quos illuſtriſſimus Cartheuſerus, addubitent, liceat hìc plus obſervationi fidiſſe quàm ratiocinio. Hâc enim conſtantiùs epotâ plures recidivas anteà perpeſſus homo, nullam poſteà expertus, potui Americano grates perſolvit, de quo vide Veſalium de uſu chinæ radicis.

At illis quibus & vividior bilioſaque temperies, aut facilia flammam concipere ſolida adſunt, nocere poteſt diuturnus ſiccioris radicis Americanæ uſus, cui illud vitii ſubeſt, quod alvi ſiccitatem inducat, adeòque bili tardiorem moram conciliet, adeòque ejus intrà inteſtina acredinem extollat. Quibus tale malum impendet iis alvus ſervanda libera. Quem in uſum præcipuè conferunt pro potu communi aquæ minerales martiales acidulæ, ſi præcipuè virtute laxativâ polleant, quales ſunt Paſſiacæ propè Pariſios, aliæque ita multæ ut vix illis ulla regio careat, cùm aliundè pleræque facilè poſſint exportari.

Scabiei verò, ſeu potiùs papularum prurientium in temperamento mirè inflammabili curationem per diluentia & lactis aſinini uſum concordes deſcripsêre & H. ab Heers, & cum ipſo Riverius, locis citatis. Quæ, quamvis venenum ſcabioſum per ſe attingere vix valeant, ſaltem nos edocent quanti ſit pretii, & à ferventioribus medicamentis in tali corporis conſtitutione abſtinere, & quantùm etiam poſſit poſt toleratas ſcabiei injurias lac ad ſanguinem renovandum & reliquias morbi exſuperandas; ſive aſininum, cùm à bilis retentione metuendum quid ſupereſt; cùm enim potentiſſimè demulceat, laxat illud tamen & alvum ſervat liberam; ſive vaccinum aut caprillum, pro re natâ in junioribus præſertìm. Omnem enim paginam implebis, ſi cùm lacte antimonialia præparata diaphoretica ſic dicta, ut eſt bezoar minerale, antimonium diaphoreticum non lotum, imò & antimonium crudum ſimul adhibueris. Ea enim præparata fervente ſcabie vix adhibenda, cùm tonum vaſorum extollant, illâ penè exactâ ejus reliquias & immutant & proterunt, hocque præcipuè commodo benè ſe jactant, quòd cum lacte placidè concordent, ei miſceantur bellè admodùm, ideòque ejus virtutes exaltent & augeant. Verùm Medicorum eſt in arte exercitatorum & principiis fultorum dogmaticis hanc vel illam ſumendam indicationem pro re natâ ſuſcipere, in quibus raro aberrabit qui pathologica theoremata altiùs meditatus fuerit.

4°. *De quibuſdam Morbis qui ſcabioſi dicuntur.*

Cùm ex præcedentibus ſatis demonſtratum eſſe confidamus ſcabiei nomen apud auctores in ſenſu latiſſimè fuiſſe acceptum, nil mirum ſi ſæpè apud auctores variis morbis nomen idem impertiatur. Plurimi vix papulas à ſcabie diſtinguunt, quæ quâ ratione diſcriminari debeant ſuprà ſatis oſtenſum eſt. Prætereà verò aliis etiam morbis nomen idem inditum, nullo reſpectu ad cauſas, aut ad curationem habito. Ita J. de Vigo (*a*) inter ſcabiei ſpecies malum mortuum & *aſaphati* Arabum veras vitiliginis formas accenſet; & penè omnes auctores ſcabiei venereæ nomine vocant puſtulas venereas; quamvis non negandum ſit luem veneream aliquandò veram ſcabiei formam induere; ſed cum illis certè diſcrepantiis quæ naturam ejus ſatis ſuperque indicent. Rhaſes ipſe

(*a*) Chirurg. Pract. lib. 5.

inter

inter ſcabies numerat *ſeſel* (*a*) illud malum oculorum in quo palpebræ retortæ pruritu tentantur acerrimo : & quanquam non negandum ſit ſcabiem malè tractatam & imprudenti adſtringentium uſu retropulſam poſſe in oculos ferri, quod ut raró gonorrheæ accidit, rariſſimè ſcabiei evenit, id nunquam vidi, nec ullum alium auctorem præter Math. de Gradibus & Rhaſim legi annotaſſe : non negandum tamen depurationem impeditam mala ſimilia poſſe producere.

Scabiem ſcorbuticam multi pariter memorant, quam ego quidem ſic verè dicendam nunquam me vidiſſe memini, quamvis ſæpè utriuſque morbi conjugium in nautis præſertim, atque incarceratis hominibus reperire ſit : ſed utrique ſua competit curatio; ita ut à ſcorbuto incipiatur ; nam ſanguini ſcorbutico novam labem inſinuarent ea quæ ad ſcabiem curandam mineralia ſolventia præſcribuntur remedia. Undè, utut ingens pruritus moras reſpuat, ita tamen corpus à ſcorbuto liberandum eſt ut poſteà pateat remediorum ad ſcabiem expellendam inſtitutorum aditus liberior. In quâ re ſic regendâ difficultas nulla eſt ; nam ſi papulæ fuerunt ſcorbuticæ, unâ eâdemque viâ tollentur.

Directiùs cum verâ atque legitimâ ſcabie confunditur ſcabies illa melancholica à Fr. Hoffmanno & antè illum à Fracaſtorio diſtincta ſub nomine pſoræ à ſcabie (*b*), à Riverio deſcripta, à Rondeletio non prætervìſa, quam eo nomine videntur viri illuſtriſſimi donaſſe propter rebellem admodùm indolem, & cutis aſperam duritiem (*c*). Hanc veteres ut lepræ præviam crediderunt, Pauluſque rem diſtinctè pronuntiat, quem alii ferè omnes Græci pſoram deſcribentes ſecuti ſunt. In eâ odorem acidum, ſeu potiùs aceſcentem ſe ſentiiſſe teſtatur F. Hoffmannus. Viris in ætatem decrepitam inclinantibus in quibus & coctiones languent & ſecretio bilis vitiatur & perſpiratio imminuitur, aut vix cocta exit, aliquandò ſupervenit illa, pruritu metuendâ immani, crurum & femorum inflatione, moxque anhelitu hominem è medio tollens, aut miſerabili hydrope conficiens. Vernaculo vocabulo aiunt depauperari ſanguinem, nec ineptè quidem, ſiquidem vitiatis omnibus ſimul functionibus circuloque vitiatarum functionum ferali exorto, vix ulla melioris vitæ ſpes exurgit, quam tamen à vege-

(*a*) Math. de Gradib. de morb. ocul. CXIX.
(*b*) V. Fracaſt. de morbis contag. cap. 4°.
(*c*) Manard. lib. 7, ep. 2.

tabilium ſuccorum non aceſcentium, ſed contra alkali volatile ſubtilius, aut ſimillimum quid continentium repetere debemus, additis amaris volatilibus, quales ſe præſtant arum, ſcilla, cæpæ omnes, flores aromatici, aut radices ſerpentariæ virginianæ, pareiræ bravæ, camphorata Monſpelienſis, quæ ita adminiſtranda ſunt, mitiora minùs ægrotantibus ſeligendo, ut catharticis miſceantur ad diſtantiam coctioni humoris neceſſariam, ſimulque ut viribus parcatur. Verùm hìc antè alia omnia remedia diæta inſtituatur vegetabilis, non acris, non fermenteſcens ex pane biſcocto, & cerevifiâ lupulatâ; addatur exercitium modicum, & perſpirationi favendæ tepidiora adhibeantur balnea aërque campeſtris puriſſimus, roridus, nec fumo, aut illuvie urbium ſordidus.

5°. *De Lichenibus.*

Vulgatum eſt apud antiquos lichenum nomen. Λειχὴν dicitur ἀπὸ τοῦ λείχω lambo, quod cutem exteriorem quaſi lambat atque lingat, intactâ interiori ejuſdem ſubſtantiâ, ſed lichenum qui arboribus innaſcuntur more, cortici inſideat; undè etiam lichen apud rei agrariæ ſcriptores habetur pro morbo in ficubus & oleis arboribus maximè notabili. Morbum hunc ad tumores referre videtur vix poſſibile, cùm ex ſuâ naturâ cutim vix ſuperemineat, quanquam Aëtius (*a*) voce hâc uſus ſit, dùm de lichene ſcribit ὄγκος λειχηνώδης & Oribaſius (*b*) vocet morbum lichenum λειχηνώδων ὄγκων πάθος, idæamque hanc videantur à Galeno mutuaſſe qui inter tumores lichenes recenſet & ſic vult accipi.

Lichenum nomen apud Hippocratem (*c*) pluribus in locis, ſed præſertim in aphoriſmis (*d*), univerſaliter ſumitur pro endemicâ cutis efflorescentiâ, undè mirum videtur & parùm diligens ab interpretibus nomen illud latinè per impetiginem reddi (*e*), cùm impetigo ſui generis ſit morbus depuratorius, ut alibi dicetur. Sed in hiſce morbis magnam nominum confuſionem nos reperire jam pluries dictum eſt. Undè decet plus de rebus quàm de verbis eſſe ſollicitos.

Cùm ergò jamdudùm apud Hippocratem nomen illud fuerit uſurpatum, non tanquam novum nomen, ſed contrà pro morbo

(*a*) Tetrab. 2, ſerm. 4, cap. 16.
(*b*) Lib. 3, ad Eunap. cap. 57.
(*c*) Lib. 5, κατὰ τόπους cap. 5.
(*d*) Sect. III, 20.
(*e*) V. Paul. lib. 4, cap. 5.

endemico acceptum fuerit, mirum eſt Plinium (*a*) qui circà res medicas præcipuè frequentiſſimè cœcutit, lichenes pro novo morbo habuiſſe, eumque cum mentagrâ de quâ poſteà dicetur confudiſſe. Hic lichenes pro faciei morbo haberi vult, cùm non plus ad faciem, quàm ad reliquas corporis partes pertineat. Nec tamen plus Manardo (*b*) aſſentiemur Plinium carpenti quòd lichenes ab impetigine diſtinxerit, quam vult ipſe ſub hoc nomine ab Hippocrate & Galeno intellectam, ſaltem in aliquâ ſui ſpecie, imò & quam ab ipſo Plinio (*c*) alibi cum iis confuſam arguit. Sed viri in hiſce enucleandis verſatiſſimi ſententiæ non poſſumus manus dare, cùm impetigo, ut alibi dicetur, inter affectus ulceroſos ab omnibus numeretur; Manardus verò ipſe lichenes ad papulas referat, quæ nunquam ulcerantur ſed in farinam, ſeu furfur leve abeant verè lichenoſum; undè lichenes parùm à Græcis intellectos, & ab Arabibus, ut mihi ſaltem videtur, prætermiſſos, pro depuratione cutis particulari habebimus, cujus nobis idæam exhibere poſſunt eruptiones illæ quæ Gallis dicuntur *dartres farineuſes.*

Cùm ergò nobis deſint auctores, rem ex obſervatione practicâ qualem mihi videre licuit expendam. Ac primò ſub lichenum nomine intelligitur, rectè quidem, nec aliâ ratione comprehendi poteſt, aſperitas ſummæ cutis in lemas tenues foliolorum ad inſtar diviſæ, quaſi à ſublatâ epidermide, nunc hanc, nunc illam partem cutis occupans, raròuniverſam. Aliundè ſiccus ſemper eſt lichen & aridus, nec ullum ſtillat humorem. Ita ut tres ipſi caracteres à naturâ impreſſi ſint. 1°. Subjectam cutim non indurat. 2°. Siccus eſt. 3°. Epidermidem in foliola convertit.

Lichen per ſe vix ullam pruriginem affert, ſenſum contrà obtundit, aliquandò tamen per accidens & præcipuè ad limbos pruritum concitat, quod facilè hariolaberis, ſi ad ejus varietates libuerit attendere.

Lichen enim alius eſt ſimplicior, alius epidermidem in determinato ſpatio attollens, limbo terminatur rubello, quam lichenis, ſeu potiùs lichenum ſpeciem, licèt ut plurimùm figurâ donetur irregulari, aliquandò ita circularem in plurimis partibus vidi ut circino deſcripta videretur. Ejus etiam aliquandò multiplicatio tanta eſt, ut nulla pars ſit in toto corpore quæ non iis circulis

(*a*) Lib. 26, cap. 10.
(*b*) Lib. 7, Epiſt. 2.
(*c*) Lib. 20, c. 1.

omninò repleatur, paucis admodùm intervallis ad eruptionum formam.

Tertia demùm ſpecies rarior eſt quæ non ambitum modò circularem obtinet, ſed etiam fundum omninò rubentem. Hæc in aliis partibus rara, in vultu fœdè frequentior eſt. An hæc eſt mentagra Plinii? Sæpè certè cum fundo miſcetur herpetico, undè, ſublatis qui primò apparuerant lichenibus, in verum herpetem mutatur. Compoſitum ergo morbum conſtituit, non ſimplicem. Illa ſæpè venerea eſt. Lichenibus his aliam morbi ſpeciem adjungere liceat quam cum porrigine velim confundi, ſi porrigo ad morbos cutaneos in capite proprios non referenda eſſet. Hujuſmodi elementa pluries vidi, exquiſitum ſemel. Cutis quaſi ſquammulis horrebat levibus illis tota quanta erat in homine nobili quinquagenario & Aremorico; albida ergo undequaquè, attactui cæteroquin mollis, nec tractanti durior. Facies non admodùm ſquammoſa, nec tamen ſquammis carens. Cæteròquin ſanus degebat, niſi quòd noctu cutis ardens ſomnum arcebat; undè macilentior factus pejora ſibi timebat; increverat ſenſim morbus, ſed jam à pluribus annis eâdem lue laborabat; quam dùm mihi aliiſque in conſilium accitis Medicis oſtentare vult, dùm mutat vivido motu induſium, ſternutatio omnibus ſimul oborta materiæ declaravit acredinem volatilem. Nulla cæteroquin ullâ in parte rubedo, alvus inculpata, urina benè cocta, ſudor nullus unquam.

De ægro in patriam reduce nihil omninò audivi, niſi quòd poſt paucos annos, morbo acuto interemptus fuerit. Alii poſt paucos annos perfectè convaluêre, ſed non ille gradus morbi aderat, nec tamen univerſalis.

Ex his ſatis intelligitur quòd licèt lichenes uniûs ejuſdemque morbi aſpectum præ ſe ferant, cauſis tamen multùm inter ſe differant. Tres tamen præcipuè ſpecies tria cauſarum genera indicant.

Nam ſimplicior illa & prior ordine quæ ſæpè juvencularum atque puellarum cutem dehoneſtat nitidulam, iis præſertim in partibus in quibus tenſior eſt, ut in fronte & thorace, nullius momenti eſt, & eam ſæpè ab ancillarum incuriâ quæ acria cuti applicant pomata repetendam vidi: à calore aëris inſueto & ſubito, à liberiori aëris campeſtris & ventis perflati uſu, à liberiori ad focum ardentem aſſeſſu in pueris naſci levem lichenoſam farinam ſæpè obſervabis. Aliquandò acre aliquid latet, quod

cutim criſpet, ſejungatque à nativis vinculis epidermidem quæ dùm leviter attollitur, ſubtùs alia ſuccreſcit lamina : ita multi ſunt infantes quibus ad ſingulas dentitionis periodos irritatio lichenes exteriùs protrudit. Nec certè ſemper, licèt impreſſio quæ tam leves effectus exerat parùm metuenda ſit, negligenda tamen eſt. Quoties enim res univerſim per totum corpus graſſatur, & totam humorum molem acri intingi ſignum eſt, & perſpirationem minùs perfectè peragi, undè malum in œconomiam animalem non unum impendet.

Præterea ſerum acre epidermidem à ſubjectâ cute divellens non ſemper familiarem ſibi viam legit, & aliquandò palpebras & oculos infeſtat. Malum illud lichenum univerſalium ſimplicium juvenes, præcipuè viros, ſed quovis ætatis tempore mulieres divexare natum, in illas præſertim incidere mihi viſum eſt quæ antè ætatem & præter ſexum liquoribus ſpirituoſis abutebantur, aut cibis muriaticis ſale fumoque induratis, vel demùm piſcibus acribus ſalitis nimiùm delectabantur atque piperatis, ita ut noverim non unam cui res ita contingeret, ut nunquam, niſi poſt ſimilem in victu errorem, lichenes apparerent, meliori victûs inſtituto corrigendi, rursùs emergentes, ubi nova conceſſa ipſis foret libertas iis indulgendi.

Altior eſt eorum lichenum conſideratio qui rubro limbo eryſipelatoſo & aliquantiſper rubro diſtinguuntur, ſi præſertim maculæ illæ totum corpus æqualiter occupent, paucis relictis intervallis. Tunc enim acredo major eſt, brevìque non ſola exteriora ſymptomata concitabit, ſed nares, fauces intimas, trachæam & inteſtina invadet, ibique coryzam perpetuam, aphtas, deglutiendi & reſpirandi difficultatem, tuſſim & tormina rebellia procreare poteſt. Cauſa porrò acrior eſt & petita ex longinquo, licèt plures viderim qui, etſi obſtinatiſſimi fuerint, tamen ſævirent per hiemem, & primis æſtatis caloribus omninò diffugerent, ne relictâ quidem ſuî vel minimâ notâ. Aliquandò lichenes venereos dari diſtributâ inæqualiter nocente materiâ certum eſt. Dari ſcrophuloſos non inauditum ; ſed nunquam ſine alio concurrente ſigno morborum iſtorum diagnoſi formandæ ſufficeret lichenum eruptio.

De acris iſtius naturâ quod lichenes efficiat & non alia concitet ſymptomata vix accuratiùs poteſt pronuntiari. Videtur tamen illud in hâc præcipuè hærere mucoſæ materiæ parte excrementitiâ factâ quæ cum perſpiratione exit, & quæ vinculo inter epidermidem

& cutem faciendo habilis eſt. Mucus ille in lichenibus nimìs ſalſus videtur & minùs aptus connexioni illi efformandæ, ſimulque non ſatis acer, ut poſſit ſubjectam cutim corrodere. Undè ille morbus à ſalſo nimìs ſeri & muci caractere pendere videtur. Hinc ſi microſcopio lichenes luſtraveris, non ulcuſcula, non veſiculas acri ſero turgentes reperias, ſed hiatus occluſos & ſubjectam cutim quaſi criſpam & vellicatam obſerves; epidermis verò unâ ſuî parte ſoluta, alterâ cuti innexa apparet. Nec diverſa eſt natura tertiæ magiſque ſævæ lichenum ſpeciei quæ fundo omninò rubro donata eſt, niſi quòd cauſa acrior ſit, aliaque mala portendat, cùm cauſa & cutem ſubjectam, imò & adipem ſubjectum poſſit violare.

Diagnoſis morbi per ſe facilis eſt; non alium habet morbus noſter ſymptomatum decurſum, niſi quòd increſcat ſenſim, ſæpèque à parvulo puncti unius exordio in maximam corporis partem feratur. Nullus, niſi in rubro circulo circumdatis lichenibus, pruritus, at ſtupor aliquis cutis & ſensûs hebetatio : partes ſæpè primò occupatas deſerunt lichenes & vicinam occupant; ſæpè rubellus limbus aliquâ ſuî parte tollitur, miteſcente malo, ſæpè remanet integer, licèt vix lichenum ulla remaneat forma. Cauſæ diagnoſis ex antecedentium memoriâ trahitur; at ubi gravior eſt, ex cauſarum præteritarum recordatione & functionum præſenti intuitu deducitur.

Prognoſis verò pro cauſæ ratione varia eſt; ſemper & in quâvis ſuî ſpecie longus eſt morbus, & tardè ſive in malum, ſive in curationem incedens. Qui levior eſt, & potiùs à cutis naturâ pendet, quàm ab internâ humorum depuratione, vix aliquid metuendum exhibet. Antè pubertatis tempora emergentes lichenes, cùm nondum glandulæ omnes evolvi ſe ſivêre, eâ peractâ evolutione, ſanantur omninò, & nitidæ cuti ſuus redit decor, licèt hìc nihil addiderit ſui medicina.

At quæ aliquid inflammatorii præ ſe fert, & ſecundam aut tertiam lichenum ſpeciem conſtituit acrimonia, ea ſibi juſtam attentionem expoſcit; nam, aut multiplicato, aut repreſſo veneno, in herpetes poteſt mutari, aut in interiora viſcera deponi, ſecretiones vitiare, obſtructiones parere, phlogoſeſque obſcuras tardè & occultâ ratione graſſantes inducere, ſicque demùm, aut abſceſſibus occultis locum dare, aut ſcirrho atque hydropi.

Nec id pro fabulâ habendum. Nam multos reperire eſt qui

cùm diù & obſtinatè per primam ætatem lichenes paſſi ſint, poſteà aſthmaticis divexari ſe paroxyſmis mirati ſunt, ac demùm hydrope pectoris periêre, qui ſi maturiùs, aut cauteriis, aut veſicantibus fuiſſent curati, vitam adhucdum ducerent. Imò forſan à neglectis hiſce malis pars non minima obſcurarum illarum obſtructionum pendet quæ nobis in adultiore vitâ tantùm faceſſunt negotii. Obſcuras autem dico adeòque magis periculoſas, quòd materia lichenibus concitandis idonea parùm apta videatur vividæ inflammationi concitandæ.

Verùm, etiamſi per ſe parùm metuendam morbi idæam nobis exhibeant lichenes, diuturnum tamen malum conſtituunt, nec ulla eſt harum ſpecies quæ non ſemper, ut ſecurè tollatur, multa temporis intervalla poſtulet. Sic vidi in puero pubeſcente, cùm jam ſanguis incipit principiis turgeſcere actuoſis, & præſertìm ſalinis, evolvunturque principia illa muco infantili & informi priùs obruta, lichenes ſparſim per totam corporis ſuperficiem efflloruiſſe. Neglecti ſunt illi in ſcholari valentiſſimo, exercitatiſſimo, imò & pro ætate toroſo. Sæpè ſudoribus diffluebat ille, repreſſaque perſpiratio acris nullâ excipiebatur curâ? Quid multa? Catharrus ingruit, ſed remanſit naſi exterioris volumen pro corpore immenſum, quod jam propinquorum attentionem extorſit. Purgantibus diù incaſsùmque dimicatum eſt, donec magnâ pilularum mercurialium doſi tandem ſanatus fuerit naſus, ſimul deliteſcentibus lichenibus. Quod quidem ſymptoma lichenibus in puellis mixtum non unâ vice vidi, nec ſanatum facilè, imò per totam vitam perduraſſe, non ſine neglecti initio mali mœſtâ recordatione. Videtur ab hiſce exemplis demonſtratum non leviter eſſe prætermittendam lichenum curationem, circà quam inſtituendam variæ etiam lichenum ſpecies in animum revocandæ ſunt; itaque tribus hiſce ſpeciebus varia admodùm curatio competit.

Simpliciſſimæ enim, & ex accidenti externo natæ, ut climatis ariditati debitæ, aſſiduo ad focum aſſeſſui, ſi præſertìm è calidiori loco in frigidiorem cutis tenuior ac debilior ſeſe exponat, quid aliud quæremus, præter aſſiduum cutis fotum ita inſtitutum ut molliatur ſubjecta epidermidi cutis ipſaque epidermis emollita ſervet vincula. Huic officio parùm inſerviat aqua pura, ſed illa quæ arte ita parata ſit, ut unctuoſum molle contineat, aquamque applicet & applicatam ſervet. Tale ſubſidium præbent decocta

emollientia, altheæ, malvæ, verbaſci, conſolidæ majoris, pſyllii, aliique hujuſmodi plantarum mucagine levi turgentium ſucci, vel ad hunc uſum famoſa fabarum aut lentium decocta, aut aqua ex melle & ſimilibus farinis parata, mulieribus Britannis adeò jactata & apud noſtras quovis redempta pretio, cui poſſuntviliores, ſed æquè præſtantes ſubſtitui farinæ hordei, lini, ſimileſque hujuſmodi quibus ſimul addideris oleoſa, lenia, mucilaginea coſmetica, quibus tot inanes farciri libros ſolemne eſt. Idem præſtant axungiæ mollium animalium, pullorum gallinaceorum, ſuillus adeps recens, quibus additur aliquid aromatici quo cutis ſenſus acuatur & rancedo oleorum impediatur, quale præbent balſama Mechanum, Copaïvenſe, Peruvianum. Vitanda ſimul ſunt exſiccantia omnia. Imò cùm ipſe venti nimiâ vivacitate inſufflantis halitus, aut radiorum ſolis inſultus lichenes efficiat, matres ſolent puellas, aut à ſole abducere, aut caput velis levibus protegere, ne cutis areſcat & leviorem inducat lichenum ſpeciem. Verùm cùm iis res præcipuè accidat quæ aliundè, aut ſicciori viſcerum diatheſi peccant, aut in quibus ſecretiones minùs ordinatè procedunt, proderit ſimul varia vel ipſius ſanitatis phœnomena expendere, videreque an ſimilis aliqua ariditatem illam concitans cauſa lateat, illique opem ferre, quod opus peragendum ſecundæ lichenum ſpeciei curationem conſtituit.

Etenim ubi ſemel limbus apparuit rubellus, qui locum lichene infectum à reliquis diſcriminavit, nunc altiùs latentem cauſam hariolari neceſſe eſt; eaque, ſive ab acrimoniâ pendeat, ſive à mutatâ ſeri miſcelâ, illam adepta eſt indolem quâ poſſit nocere per ſe & à loco ad locum transferri. Hinc mutandum eſt ſtatìm vitæ regimen, illudque ſuſdeque vertendum. Acria omnia jubeantur exulare. Profuit multis abſtemios fieri. Omnia ſtudia animi prorſus ceſſanda, aut ita ſaltem mitiganda, ne noceant nimiis nixibus, & perſpirationis atque ſecretionum ordo prorſus intervertatur. Aer quantùm fieri poteſt ſeligendus eſt purior. Hæc quidem ita factitanda ſunt, ut diligentiùs & magis ſeverè fiant in malo maximæ extenſionis, minùs verò diligenter in levi lichene.

Poſteà verò cùm minùs tenax, minùs oleoſus humor horum morborum cauſa ſit, medicinâ aqueâ, diluente præcipuè omnis curatio inſtituenda eſt. Proderit ergo humorum acredinem ac indè natam ſolidorum ariditatem diluentibus æquè ac demulcentibus delinire; undè liquores pro potu, aut præcipuè manè jejuno

ventriculo

ventriculo affatìm ingerantur, qui dùm facilè ſtomacho abſorbentur, omnes interiores venas ſubeunt, adeòque per urinæ vias feruntur facillimè. Tales ſunt, verno præcipuè tempore, herbæ molliores mucilagineo ſucco turgeſcentes, eoque dulci, & quo intimiùs miſceatur humoribus animalibus, ſaponaceo. Talem ſuccum præſtant gramina, ſonchus, taraxacum, cichoria juniora, & omnes hujuſce generis plantæ quarum virtus videtur uniri & contineri in ſero lactis vaccarúm puro & recenti gramine viventium. Æſtate fervente idem præſtant auxilium ſucci fructuum horæorum benè maturorum, ſi aliquo exceſſu non laborent acidi omphacini. Hinc qui ſæpè ſub hyemis finem erupêre lichenes vernoque calore foti aliquod adepti fuerant faſtigium, ubi primùm fructibus illis horæis uſi ſunt homines, delitеſcunt, ſeu potiùs evaneſcunt, rursùm redituri.

Multi ſe credunt humoris illiûs præſentiâ urgeri intùs, malèque ſecum agi arbitrantur, ubi lichenes qui ſolebant quotannis erumpere, ſtato tempore non apparent. Verùm inerat quidem cuti illorum impreſſa diſpoſitio ad efformandos lichenes, materia non aderat ; quod eò certiùs dicere poſſum quòd plures noverim, cæteroquin ſanos, qui illicò lichenibus tentantur, ſi liquores hauſerint ſpirituoſos, fortes, & piperata atque acria cibaria ſumpſerint.

Sed præcipuum cum diætâ vegetabili atque diluente ad lichenes tollendos remedium à balneis repeti debet ex aquâ puriſſimâ paratis, tepidiuſculis, quæ non modò cutem mundam efficiant, ſed etiam epidermidem laxam, imò perſpirationem, ut uberiorem, ſic etiam humidiorem. Verùm ita cum ægrotis illis agendum eſt, ut non ſe credant ſanatos, ſi paucorum balneorum uſu lichenes diſparuerint ; cùm enim illi plùs à vitio cutis ipſius pendeant, quàm ab aliâ quâcumque causâ, mutanda eſt atque alteranda ipſa intimior cutis ſtructura, quod vix ſperandum eſt, niſi repetitâ laxatione fibræ quaſi molliantur, & laxentur cellulæ, undamque imbibant, & ægri fiant quaſi ſemi-hydropici.

At ubi remediis iſtis obſtiterit malum, pervicaciuſque vim eluſerit diluentium & balneorum, ad alterantia fortiora deveniendum eſt ; illa ſcilicet remedia quæ cùm unam præ aliâ ſecretionem non augent, omnes tamen intendunt, eamque principiis ſanguinem conſtituentibus per moleculas ſalino-oleoſas indolem addunt quâ ipſe nitidior fiat & naturæ conſonus magis. His addimus dupli-

catâ virtute mucilaginea lenia, cum quibus, ubi ſimul efferbuerint, adhærent illorum virtutes, ſicque certiùs ad ipſum perveniunt ſanguinem mutata minùs, rursùſque etiam principiis ſanguinis adhærent intimiùs, & cum illis meliùs miſcentur. Lenem illam mucaginem præbent vitulinæ, pullorum gallinaceorum & agninæ carnes. Tùm divitibus obtruduntur teſtudines, demulcentes eximiè ſimul & abſtergentes; leniorem è ranis ſuccum obtinemus: craſſitiem exprobrant illi qui ex cochleis & limacibus terreſtribus eruitur. His addunt radices lapathi acuti & aliorum oxalydum quæ bilem plùs aliis humoribus ſollicitant, & radices ſic dictas aperientes quæ urinæ vias præcipuè ſibi ſeligunt. Apii, petroſelini, fœniculi, bardanæ, tragoſelini, ſcorzonneræ radices plùs vias ſudoriferas affectare dicuntur. Corticem capparidos laudant alii, alii varias radices lignaque quibus ſcatent auctores: folia ſeliguntur ex naſturtio & cruciferis vegetabilibus, ſi non ea diſſuaſerit æſtus & ardor ægro innatus; ſin minùs, amariora, ut fumaria, taraxacum, cichoria palmam cæteris præripiunt. Æſtuanti liquorum indoli medentur borraginea illa quæ nitratæ plantæ vulgò ideò dicuntur, quòd in iis combuſtis fuſio atque nitro ſimilis deflagratio obtineatur. His omnibus adduntur varia pro re natâ pharmaca ſalina, nunc bili ciendæ, nunc augendæ urinarum ſecretioni dicata. Hæc, vel illa aut conſtitutio ægri, aut ventriculi atque primarum viarum ſtatus ſuadent; quandoquidem nunc prodeſt ſale amaricante anglicano aut ſedlizenſi alvum proturbare, nunc admirabili glauberiano, aut ipſo nitro ad urinas impetum ferre, nunc tartaro vitriolato intimiores meatus reſerare; quippè hic magis immutatus intrà ſanguinem defertur, & ibi diutiùs pererrat.

Prætereà verò hunc uſum per plurium dierum intervalla repetitum moris eſt catharticis actuoſioribus interrumpere, quibus partes à medicamentis illis intrà ſanguinem admiſſæ, ſimulque biliosæ ſolutiores redditæ vacuentur, novumque locum novis ſuccedentibus partibus præſtent. Sed poſt illorum medicaminum uſum, etiam deliteſcentibus omninò atque curatis, ut videtur, lichenibus, non ideò omnis cura Medicos effugit. Videndum enim eſt an aliqua lateat acredo ad genus cognitum referenda, eamque à tergo inſequi neceſſe eſt. Nec, quamvis naturam particularum acrium è phyſicis præcognitis determinare impoſſibile ſit, ideò tamen deſperandum eſt aliquid hìc certi edoceri, ſi ad ſymptomata quæ hanc, vel illam partem affectant ſeduliùs attenderis.

Sæpè bilis tardiùs fluens lichenes efformavit. Hos inſequeberis longo aquarum martialium ſalinarum aperientium & leviter laxantium uſu. Si contrà malè moratus humor, tuſſes, pſeudanginas produxerit, lactis aſinini repetita aſſumptio, aut etiam victus è vaccino lacte poterit ſopitum hoſtem proterere. Si catharros aut corizas efformaverit, vulgò uſus protractior ptiſanarum diaphoreticarum ex chinâ, ſarſaparillâ, ſaſſafras profuit, modò tamen ardore & ſiccitate medicamentorum corpus non deteratur. Cutis ipſa ſiccior balneis foveatur, aut ſaltem frequentibus lotionibus humeſcat. Imò non ſine emolumento oleoſis dulcibus inungi, indèque, aut ſtrigili, aut panno laneo cutem deradi fuit utile. Ineſt enim in lichenibusranceſcentia oleoſa ab adipe nata degeneri, quam potenter oleoſa illa abſtergunt. Nec certè negandum eſt dari ex hoc genere ſymptomatum quædam quæ ſint ab abſtruſioribus repetenda cauſis, adeòque & remedia & methodum exigant abſtruſiorem, ut ſunt lichenes venerei. Verùm cùm nunquam ſoli huic morbo dignoſcendo ſufficiant, ſed aliis incedant ſtipati ſymptomatibus, patet eos hìc nullum ſibi locum vindicare.

ARTICULUS II.

De iis Tumoribus qui in pus aut alium humorem vertuntur.

Hùc uſquè de iis actum tumorum ſpeciebus quæ, aut reſolvuntur, aut per inſenſilem mutationem abeunt, atque nullam in ſibi propriâ ac primùm aſcitâ naturâ ex rei neceſſitate mutationem ſubeunt. Undè, quamvis graviſſima poſſint ab iis exoriri mala morbique, ut diximus, & gravitate & duratione ſymptomatum maximè metuendi, tamen pars præcipuè affecta ſeroſa illa erat levis & citò difflabilis, nec niſi renovatâ & quaſi fermentante lue rebellis, hìnc nec metuenda fuit converſio, nec ſperanda. Simpliciter, ut Platonis verbis utar, habebamus (*a*) ἀποκεκριμμένον νόσημα in quo humores ab internis ad externa feruntur vi naturæ. Verùm in morbis de quibus nunc agimus duplicem operam agit ἀποκριθικη illa δυναμίς Galeno ſic dicta, ſeu *vis ſeparans.* Segregat enim mala à bonis ; ſegregata autem cùm

(*a*) De Repub. lib. 3.

præ ipſorum craſſitie non poſſit expellere, ea etiam novo labore immutanda ſuſcipit, undè etiam illa facultas διακριτικὴ καὶ προωτικη dicta eſt (*a*).

PARAGRAPHUS I.

De Puſtulis.

Primum hujuſce generis morborum gradum conſtituunt puſtulæ quæ à Celſo latinè ſic dictæ ab eo ita deſcribuntur, ut à maculis tumore, à papulis exeunte humore diſtinguantur. Hæ enim de quibus jam egimus βλάσηματα, ἐκθύματα dictæ, diſtinguuntur à puſtulis quòd reſolvantur, aut abeant in farinam levem, ἐξανθήματα verò omne illud genus puſtularum comprehendat, quod humorem fundit, adeòque aut in cruſtam abit, ſeu ἐσχάραν, aut emplaſtris obductum cicatricem accipit. Non autem accurata & ſedula Celſi deſcriptio ita Medicorum Græcorum ætate recentiorum permovit animos, ut aliquam hìc ambiguitatem verborum non ſinerent illabi. Ita Paulus Ægineta (*b*) vocat puſtulas citra ſaniem, id eſt veras papulas ἐκζέματα, ἐκζέματα, περιζέματα, quod quidem per nos licet, modò illæ cum puſtulis non confundantur, in quem incidiſſe errorem videtur auctor alioquin in re medicâ non levis auctoritatis.

Cùm plures puſtularum diſtinctiones Celſus admiſerit, tùm ea prima eſt antè alias quâ puſtulæ in acutas & chronicas dividuntur. Scilicet multi ſunt morbi acuti quorum criſis per puſtulas fit, de quibus hìc agere ullo modo non ſinunt propoſitæ limites materiæ. At de chronicis ſolis hìc res agitur quarum diviſio primaria eſt in benignas & malignas.

Benignæ puſtulæ illæ ſunt quæ nullum important periculum, & non una illarum ſpecies eſt, imò eumdem ſervant ordinem & eamdem naturam atque illæ quæ maximè periculoſæ ſunt. Undè eadem atque malignis diviſio competit. Seroſas ſeu lymphaticas aut recepto apud eos more pituitoſas φλεγματώδεις antiqui numerabant, tùm ſanguineas, bilioſas & eas quæ ab atrâ bile pendebant.

Hæc quidem diviſio puſtularum apud illos, præſertim verò

(*a*) Lib. 3, de facult. natur.
(*b*) Lib. 4, cap. 1.

apud Arabas, omnibus ferè morbis communis de puſtulis tractanti non omninò rejicienda eſt, niſi quòd eæ quæ ab atrâ bile pendere dicuntur nunquam inter benignas numerari poſſint.

Verùm ſummè inſtituenda & antè alias puſtularum diviſio eſt inter eas quæ ichorem fundunt, aut ſerum acre, malè coctum, & eas quæ ſanguinem ac pus, antequam rumpantur, continent, quarum aliæ baſim & circulum circumdantem inflammatum habent, aliæ faſtigio tantùm inflammantur; iis diverſa indita ſunt apud Græcos nomina, licèt non perindè facile ſit proprias verborum ſignificationes eruere. In genere puſtulæ lymphaticæ, ſi minutæ ſint, apud veteres Ἱδρῶα aut etiam κεγχρίας dictæ ſunt, quod Latini, Celſo auctore, verterunt per vocem *ſudamina*, & reverà puſtulæ illæ rarò ſine ſudore præcedenti apparent & videntur à materiâ acri mordaci per ſudores exitum molienti pendere. Diſtinguendæ ſunt illæ à veris phlyctœnis eryſipelatoſis quæ nunc malo omine, nunc meliori pro re natâ apparent in febribus ſudatoriis Hungaricis, & Anglico ſudore aut Picardorum ſudatoriâ febre de quibus hìc agere noſtri non eſt inſtituti. Quæ verò apud nos & ſine febre apparent, raró depuratoriæ ſunt, & à ſudoris acredine quam procreavit ardor tempeſtatis exurens pendent ut plurimùm, vixque aliam ſibi medicinam poſtulant præter diluentem atque refrigerantem.

Vidi puſtulas haſce humore lymphatico plenas illicò in faciem & totum corpus in illis exardere, qui ſordes longâ corruptione volatiles factas durâ everrebant operâ. Stercus murinum paleâ exceptum & ita exſiccatum ut in furfures tenuiſſimos abiret, manus & vultum juvenis aurigæ ſimilibus implevit puſtulis quas paucorum dierum ſpatio ſine artis ope ſanavit. Idem accidiſſe memini puero qui incautiùs nidum formicarum totamque rempublicam baculo everterat funditùs : exemplum cantharidum probat ſatis ſimilem halitum poſſe à non unâ inſectorum ſpecie effundi. Quod etiam multis metallorum arſenicalium foſſoribus accidere norunt metallurgi. Sed novi virum qui nunc impunè talia perpetrat, ſed qui cùm juvenis eſſet, nec vinum Hiſpanum illud forte & ſpiritibus oleoque eſſentiali refertum, aut potum coffé ſorbere non poterat, quin illicò puſtulis frons dehoneſtaretur lymphaticis illis & acriter per viginti quatuor horarum ſpatium dolentibus, poſteà per levem ſuppurationem abeuntibus. Hæc omnia vix morbi nomine digna, medicinâ non indigent, niſi diluenti & temperanti. Graviores ſunt ſpecies quædam

puſtularum quas, ut magis conſpicuas, diverſo nomine donaverunt.

PARAGRAPHUS II.

De Phlyctœnis.

φλύκταιναι ἢ φλυκτίδες quas inter genera puſtularum Celſus (*a*) recenſet, idem ſunt atque φλυζακίον (*b*) quorumdam græcorum. Videtur auctor (*c*) libri ſexti Epidemiorum eas vocaſſe puſtulas ut combuſtorum, ἐξανθήματα κνησμώδεα ὥσπερ πυρὶ καυστά. Hæ ubi confertim exeunt apud aliquos χαλαζα aut χαλαζιον (*d*) vocatæ ſunt. Quod nomen apud recentiores pro grandine, morbo oculorum uſurpatum fuit. Undè etiam aliquandò qui miliaris, ſeu κεγχρίας herpes dictus eſt, etiam phlyctœnodes dictus fuit. Sed illud morbi genus forſan meliùs ad Ὕδρωα, ſeu miliares puſtulas referri poſſet.

Verùm ne nimìs in vocabulorum minùs utilium diſquiſitione hærere videamur, ad aliam phlyctœnarum ſpeciem naturâ diverſam pertinere videntur & puſtulæ quæ Græcis & Hippocrati præſertim πομφοι dictæ ſunt, aut etiam, ſed obſcuriùs πομφολυγες, inter varos à multis numeratæ. Hæ enim puſtulæ, ſi Galeno (*e*) credamus, bullæ ſunt humore plenæ ſeroſo illo ac ſanguineis partibus turgido, fundumque habent ſanguine effuſo & concreto plenum. De hoc morbo agit Hippocrates in coacis, præſertim in linguâ. Sed ſimiles puſtulas in aliis corporis partibus ſæpè vidi. Differunt hæ à primâ phlyctœnarum ſpecie per indolem ſeri contenti & per fundi naturam qui ſanguine concreto contaminatur. Utraque phlyctœnarum harum ſpecies in morbis acutis jure meritòque pro peſſimo ſigno habetur, ſolutamque & ſanguinis compagem & ſolidorum texturam indicat ; ſed nec in morbis chronicis jam à longo tempore ſævientibus, ut ſcorbuto aut gangrænâ ſenili, melioris ſunt ominis, eadem enim indicant ; ſed tunc ſymptoma, non morbum efficiunt.

Verùm ubi phlyctœna ſimplex eſt & per ſe morbum conſtituit, rarò morbus gravis eſt, etiamſi per omnem corporis ambitum

(*a*) Lib. 5, L. C.
(*b*) Paul. lib. 4.
(*c*) Galen. comm. 1, in Epid. 6.
(*d*) Ariſtot. de morbis animal. 8, cap. 20.
(*e*) V. Galen. de vocibus Hippocr.

fuerit multiplicata ; imò & ſi plures phlyctœnas viderint Medici per corpus univerſum ſparſas, tamen illas pro eryſipelatis ſymptomate habendas cenſuerunt ſemper, nec niſi per cauſas accidentales, ut influxum venenatum halituum ab inſectis naſcentium. Aliquandò morbum hunc vidiſſe me memini, & cùm in uno aut altero caſu nulla nota eſſet cauſa phlyctœnis inducendis apta, non dubitavi eas ad cauſam accidentalem, licèt incognitam, referre, & facilis per aliquot dies quietos & à ſole remotos curatio ſatis indicavit veram eſſe conjecturam ; modò in eis non comprehendantur illæ quas poſt ephemeram febrem in junioribus vidi enatas & quas in acutarum numero recenſendas brevis illarum exiſtentia demonſtrat.

Altera phlyctœnarum ſpecies quas πομφοι, ut diximus, antiqui vocaverant, in univerſum corpus nunquam diffunditur, ſed illas ut plurimùm in ſeniorum cruribus obſervavi ; nonnunquam etiam in viris, raró admodùm in junioribus. Earum cauſas ad ſcorbuticam diatheſim referri vulgare eſt, imò & illæ ſæpiùs habentur à practicis ut ſcorbuticæ indolis, licèt non ſemper in hanc idæam conſentientem me habuerint. Has enim vidi perſpirationi ſubitò ſuppreſſæ in viris ſanguine alioquin acri præditis ſuccedere : ſic poſt lautas acribuſque fervidas vinis, & embammatibus epulas illæ naſcuntur. Quodcumque acre eſt perſpirationis vias affectat in aëre cœnaculorum fervido, quod ſi cohibeatur, ſubitò ſimiles poteſt phlyctœnas protinùs producere, ſi præſertim aeri externo fervidi ſeſe objecerint. Hæ ruptæ acre ſerum ſtillant epidermidem à cute ſejungens, & in affectum ulceroſum degenerant. Vidi ego hominem herpetibus pruriginoſis & acrem humorem ſtillantibus vehementer vexatum. Ceſſavit ipſi nullo adhibito remedio ſtillicidium illud, enato ſimul ad femora magno phlyctœnarum ſanguine maculatarum, & ſibi ſuccedentium numero. Dein ſuppurabant illæ, verum in pus abibant, leve, lymphaticum, diffluens, non coquendum, & tamen inducendæ cicatrici ſufficiens.

Phlyctœnæ à cauſâ natæ internâ, vel ſolitariæ & per longa nitidæ cutis diſtinctaque intervalla prodeunt, vel agglomeratæ & quaſi racematìm ; ſed præſertìm crura, ſemora, partiumque genitalium viciniam invadunt, locaque omnia quæ humore acri turgent, eique ſæpè fœtido exitum dant, undè natura illarum pleniùs intelligatur. Et iis præſertim accidunt quos aliâ de cauſâ

vexat quævis acrimonia, undè ſæpè mulieribus cancro laborantibus familiares ſunt, ſæpè etiam in morbis venereis emicant; nullamque aliam cauſam, nullamque proindè alienam curationem admittunt, ſed tunc ſimplices non ſunt, baſimque habent inflammatam, ac citò abeunt in affectum pure albido, ſquallido refertum atque ulceroſum, ita ut uſu periti harumce rerum non hæſitare poſſint circà diagnoſim. Prognoſis fata cauſæ ſequitur.

Curatio alia eſt externa, ſeu ut vocant palliativa, interna alia. Externa omnibus communis in eo conſiſtit ut ſerum illud vacuetur, parti læſæ ſero vacuæ ita applicentur emplaſtra ſaturnina aut abſorbentia, ne ſerum diffluat, ſed abſorbeatur pars aquoſa, quæ verò ſpiſſior eſt in parte retineatur ad pus conficiendum, aut ſaltem cruſtam cicatrici præviam inducendam. Emplaſtra verò non adhibeantur, niſi priùs pars cruenta, in plagâ reſidua, fuerit aut linteo carpto ſublata, aut per vinum mellitum, aut, ſi partes nimio ſenſu donentur, per hordei decoctum pariter mellitum penitùs elota. Verùm ſi ſeri fluxus metuendus ſit per quem tota corrumperetur vicinia, proderit quorumdam Chirurgorum artificium quo emplaſtris appoſitis foramina aptant per quæ poſſit ſupra emplaſtrum elabi ſeroſa pars illa, intactâ intereà ſubjectâ cute. Emplaſtra quæ ad hunc uſum adhibentur varia ſunt, ut diapalma, diapompholygos & illud celebratiſſimum nurembergenſe dictum quod, addito multo minio, vim abſorbentem eximiam adipiſcitur. Multa ſunt hujuſmodi emplaſtra quæ in horum locum adhiberi poſſunt, modò ſicciſſima ſint illa, & nullatenùs unguenti naturam redoleant. Nec hìc rara curatio in vulneribus commendata competit. Pluries in die deligandæ ſunt hæ plagæ, ne quod retinetur acrimoniæ nativæ adſcititium addat venenum. Quæ quidem ſanandi phlyctœnas methodus nunquam ad corpus univerſum pertinet, ſed ſæpè pertingit ad crura, ſæpè ad femora univerſa ſenum illorum in quibus vitalis circuitus elanguet & quæ phlyctœnis occupantur.

Interna phlyctœnas curandi methodus non adeò ſimplex eſt, aut univerſalis. Cauſa ſemper habenda præ oculis, quæ cùm ſummè diverſa ſit, ſummè etiam diverſam curationem poſtulat. Perſæpè enim ſcorbuticam, putridamve acrimoniam ſupponunt illæ, hæque propria cauſæ remedia poſtulant. Et ſi acrimonia quævis ſui caracteris indicia prodat externis ſignis, illicò ab illis indiciis captanda indicatio. Undè univerſa acrium genera recenſenda forent, ſi univerſalem hìc phlyctœnarum curationem perſequi

ſequi foret animus. Verùm licèt ſecretio quævis retenta, licèt acre quodvis introductum poſſit phlyctœnas inducere, perſpirationi tamen his atomis nocuis fœtæ ſubitò ſuppreſſæ debetur plerumquè earum exortus. Undè non demulcendæ tantùm acrimoniæ indicatio datur, ſed etiam laxandi ſolidorum erethiſmi qui ſubitam perſpirationis ſuppreſſionem comitatur ſemper. Nec deeſt in noſtris hiſce oris alvum laxandi neceſſitas, quia bilis exitus apud nos promptior quàm in ullis aliis oris, acrimoniam maximè eluit & ſecum abripit. Hinc ubi ſemel laxitas ſolidis inducta eſt, experientiâ freti huic maximè vacuationi fidimus quam fruſtra ſperes per aliam quamcumque ſupplere : cùm vix urina perſpirationis vices agens ſatis apertum callem eluendis humoribus aperiat, ſudor verò huic nunquam perfectè ſuppleat.

Verùm poſt fugatas atque debellatas exteriùs phlyctœnas, reſarcienda eſt perſpiratio, & renaſcenti epidermidi ac in veteris jam per ſquammas leves abeuntis locum redivivæ mollities inducenda eſt atque humiditas lubrica ut & firmiùs adhæreat & potentiùs extendatur. Quod efficient fotus tepidi laxantes, ſemicupia, balnea, frictus cutis leves ; forſan & ſi ſuaſerit cauſa & ægri temperies faverit, proderit interioribus aromaticis levioribus, volatilibus, multâ aquâ dilutis, ſimulque operâ caloris externi ſapienter adaucti, & leniter prorogati, ſudores aliquos prolicere, quem effectum præſtant bardanæ, ſcorzonneræ radices, aliæque ejuſdem generis ; ligna ſaſſafras, ſantalorum, folia borraginis, bugloſſi, echii, ſummitates veronicæ, chamædryos, chamæpytios, meliſſæ ; flores ſambuci, meliloti, aliique ſimiles, quorum hi tantùm in exemplum adducuntur, quibus in corpore laxato calidè aſſumptis, poſt ſomnum præſertim, quo tempore omnia meliùs è corpore exhalant, vapor tenuis ad cutim defertur ubertim, & perſpiratio univerſalis omnes corporis artus perluit.

Sed non ad omnes æquè illa pertinet curatio. Senibus v. g. & corporibus aridis vix ulla ſimilis vacuatio ſperanda eſt, aut arte procuranda. Satiùs illis ad cautelam alvus lubrica identidem redditur, ut illæ quæ ſuperſunt à coctione humorum univerſali reliquiæ ad magnum illud bilis emunctorium ferantur, & per illud eliminentur è corpore : quæ quidem praxis licèt ab inſtituto naturæ aliquatenùs diverſa videatur, aut ab eo averſa, tamen perſpirationi ſupplet. In quâ quidem methodo ſecundùm Hippocratis & Sanctorii dogmata ratio aliquatenùs tempeſtatum atque

regionum habenda eſt. Sudâ enim tempeſtate & calidâ in regione meliùs perſpirationi fidendum eſt, minùs verò in frigidioribus quibus magis eſt ſalutaris diarrhæa.

PARAGRAPHUS III.

De Puſtulis inflammatoriis.

Nunquam gravis eſt per ſe puſtula inflammatoria ſubitò rubens, ſubitò faſtigiata, quæ ſine tenſione aut lancinatione præviâ pus fundit vulgò aquoſum primò, dein ſecundâ periodo ſpiſſius. At quamvis depuratoriæ ſint, ferè ſemper præbent ſignum mali latentis & alienam ſedem occupantis; raròenim puſtulæ illæ apparent, quin aliqua lateat in parte intimiùs affectâ ſuppuratio. Ita hæ ſæpè ſuperveniunt phthyſibus pulmonalibus, aut in abſceſſu hepatis latent & ex ſanguine qui pure turget undequaquè regurgitant. Hinc nec criſim faciunt, nec levamentum à copiâ materiæ pendentes. Cæteræ verò omnes ſine phlogoſi naſcentes ad hydroas & phlyctœnas referuntur.

Longè major diverſitas intercedit inter puſtulas illas quæ inflammatione ſtipantur ad limbos, aut totæ inflammatoriæ ſunt. Has in biliofas, ſanguineas, aut atrabilarias antiqui diſtinxerunt: quid bilioſæ ſint puſtulæ difficile eſt intellectu, niſi hoc nomine intelligantur ſimplicia exanthemata in juvenibus præſertim naſcentia, quo tempore præſertim pubertas emicat, & eâ tempeſtate quâ ſeſe ver explicat, rediviva. Hæ quidem puſtulæ ſimpliciores ab acriori & actuoſo nimìs muco pendent, vulgòque aut ſtudioſis & malè concoquentibus accidunt, aut illis qui multum ſpermatis ingenerant atque colligunt, aut demùm iis qui acribus cibariis delectantur. Novi juvenem qui non impunè ſpirituoſorum liquorum levem uſum, vel ſemel, experiretur, quin illicò quaſi impetu facto in hanc illamve cutis partem punctorius quaſi lædentis aciculæ ſenſus oriretur, indèque orta puſtula intrà biduum pus non eliceret, quo abacto cicatrix fiebat. Multæ ſunt hujus generis puſtulæ cutim teneriorum juvencularum dehoneſtantes, quas aut vigiliæ, aut anxietates, aut protracta ſtudia, aut errata qualiacumque in victu inducunt, & causâ ſublatâ, ſine ullo alio medicamine tolluntur; multæ ſunt hujuſmodi puſtulæ quæ, cùm æſtate fervente appareant, ſub finem autumni prorsùs abeunt, & hæ

præſertim biliofarum nomine donandæ ſunt, cùm in hominibus plurima bilis acrioris principia generantibus appareant, alvoque profusâ vultus & artus eniteſcant, quaſi reverà principia bilis abundantioris ſimul & acrioris reſorpta illas excitaverint. Hâc causâ ſemel poſitâ, intelligitur cur tardatâ bilis ſecretione, vel per ſedentariam vitam, vel per liquores ob circuitûs tardationem concretos, tot emineant ad cutem puſtulæ inflammatoriæ, pure plenæ, ita ut ſi cauſam earum ſpectaveris, non immeritò dicantur bilioſæ.

Puſtulæ illæ quæ frequentiſſimæ ſunt, utut inflammatoriæ dicendæ ſint, ſimplices tamen ſunt, diagnoſimque facilem atque levem prognoſim obtinent, imò & causâ ſublatâ quæ ſemper ex rebus repetenda eſt non naturalibus, facilem curationem. Primùm enim & antè alia invigilandum coctioni eſt quæ gubernat cæteras ſecretiones, & ab ejus vitiis primariæ indicationes repetendæ ſunt, ita ut his aliquandò puſtulis uſus vini meraci profuerit, quandò ſcilicet languent functiones ob virium coquentium imbecillitatem, at ſæpiùs ſero lactis clarificato, balneis, & diluentibus medela ipſis appoſita eſt efficax. Sæpiùs verò ubi bilis regurgitat, acida ſaponacea paginam impleverunt. Sin minùs, obſtructis hepatis viis, bileque ſtagnante, ex vegetantibus aperientibus, ſaponibus amaris, atque ſalinis naturæ neutræ petenda eſt medicina, quam hìc referre longius foret & extrà operis propoſiti metam produceretur; cùm nulla ſit ex his methodus quæ non hìc poſſit non locum invenire.

Longè aliter ſe res habet in ſævioribus illis puſtulis quas verè cruentas vocare poſſumus, & quas antiqui, aut à bile acriori jam porraceam indolem nactâ, aut ab atrâ bile pendere arbitrabantur. Nec unus quidem, aut ſævitiei, aut pertinaciæ gradus eſt.

Reverà enim puſtulæ ſunt aliæ depuratoriæ in chronicis, ut dantur criticæ in acutis; aliæ contrà, aut ab exuberante materiâ pendent, aut ab ejus erodente qualitate, licèt aliquandò etiam ex aliquâ parte ſymptomati levando aptæ ſint, atque adeò aliquâ ratione depurationi ſerviant.

Verùm puſtularum illarum naturam nominibus variis deſignare antiqui anniſi ſunt. Undè ſumma exorta confuſio, apud Arabas præſertim, qui varia nomina pro lubitu ita finxêre, ut aliud Avicennas, aliud Rhaſis, aliud Haly Abbas eodem ſub nomine intellexerint, vel pro ſe quiſque diverſa iiſdem rebus nomina impoſuerit. *Eſſere*,

ſaire & bothor Avicennæ (*a*) puſtulas ſignificant, quarum *eſſere* plus acres atque lymphaticæ, ſed effuſo ſanguine mixtæ ſunt, *bothor* latiores & legitimo pure plenæ à pluribus pro variolis habitæ ſunt, & ſic ab interpretibus redditæ. Vix eadem nomina Rhaſes (*b*) uſurpat, ſed *puſtulas apantas* vocat, & dùm varia memorat earum genera, jam nominis oblitus, has *ſeras* vocat. Seram noctis vocat Haly Abbas quod Græci επινυκτίδα. Verùm hæc ſymptomata pro peculiaribus affectibus habenda ſunt, nec ad univerſalem tractationem attinent.

Sed ne rebus quarum vel ipſi auctores notitiam dare non poſſent videamur nimiùm inſiſtere, tria harum genera cum Græcis diſtinguemus. Quarum priores cum Hippocrate (*c*) ἐπιφλογισματα vocabimus, cùm cutis velut à flammâ exuſta in puſtulas elevatur cruentas, prurigine inſignes & ardore incredibili, quæ puſtulæ ad phlegmonas accedunt, eorum naturam ſervant & eidem auctori φλεγμασίαι dicta ſunt. Ad hoc genus etiam referuntur αμυχώδεα εξαιθηματα vel εξανθισματα apud coacas dicta, cùm ab iis cutis carpta, & quaſi unguibus vellicata videatur. Hoc puſtularum genus univerſim ad inflammationes pertinet, acremque ſupponit intùs materiem veræ ſuppurationi aptam & idoneam. Hæ puſtulæ à prurigine inſigni, imò & doloribus lancinantibus incipiunt, vulgòque in ſubjecti tumoris amplioris faſtigio naſcuntur. Furunculum jurares. At ſola in medio enata puſtula ſuppurationem aſſequitur, reſolvuntur reliquæ. Raro totum corpus obſident illæ, ſed hùc & illùc naſcuntur, unâque aut alterâ extinctâ, numeroſiores ſuperveniunt. Nec finis creſcendi atque reviviſcendi datur, donec, vel artis auxilio, vel naturæ viribus tota materies exhauſta ſit, aut quod non raro fit, materies intrà reſorpta graviores morbos induxerit. Undè deſcripſit Avicennas *bothor* pulmonis, ſtomachi, & aliarum partium.

Acre inflammatorium in ſanguine latens huic morbo anſam dat, nec raro morbis eruptivis, naturæ ſi fuerint inflammatoriæ, puſtulæ illæ ſuccedunt. Undè ars curatoria in illud innititur tota, ut laxatis per laxantia & diluentia ſolidis, mitificatis per demulcentia humoribus, reſolvatur denſum illud inflammatorium ope aperientium, ſaponacearumque herbarum, ſimulque ſalibus

(*a*) Fen. 1, lib. 10, Trent. 4, Fen. 4, lib. 4, tr. 1.
(*b*) Lib. 6.
(*c*) Aph. 23, lib. 5.

neutris moles humoris mucoſi nimiùm denſa frangatur. Cujus in operis partem cancrorum fluviatilium, millepedum ſubſtantiam addunt; imò & ſi aliquandò plus denſitatis quàm acredinis ſubeſſe indicet mali pertinacia, viperarum carnem, & ſalia volatilia addunt. Quod nunquam, niſi ſedato erethiſmo, tentandum eſſe indicat ratio.

Acrem verò illam materiam à tergo & per ſudoriferorum lignorum decoctum eſſe inſequendam ſuadent multi, quæ cùm ſolventi virtute eminenter polleant, hìc certè conferre multùm poſſunt, niſi puſtuloſus æger & juvenis & acrior ardorem ingentem ſanguine reſinoſo præditus eliciat, quo in caſu flamma facilè ſopita exſuſcitatur, malumque malo additur. Rebus ſic ſe habentibus, ſeri lactis benè clarificati uſus diuturnus & lacticinia, cujuſcumque generis illa ſint, aliis omnibus medicamentis certè anteponenda ſunt, præmiſſis tamen præmittendis, & præcipuè ratione habitâ cauſæ quæ in hiſce, ut ſummè variabilis eſt, curatorias etiam indicationes ſummè diſcriminat.

Non rarum eſt juvenibus, vel in ipſo ſequiori ſexu, cùm omnia turgeſcere incipiunt organa & quaſi orgaſmo concuti, faciem, naſum ſimilibus turgere puſtulis. Id etiam accidere vidi junioribus plus nimiò ſtudio deditis otioſo illi, & corpus incurvum expetenti, quia nempè coctiones elanguerent & bilis tardaretur ſecretio. Bilis reſorpta atque collecta ſimiles producit puſtulas. Vidi ſic monachum juvenem & pietate & laboribus litteratis inſignem, aquâ ſolâ pro potu uſum, qui puſtulis ſimilibus, non ſine intuentium calumniis, deformaretur. Bilis efficaciam, vires ſtomachi reſtituit vinum modicè potum, puſtulæ delebantur. Alter in eodem cœnobio grandior natu, mero indulgebat, vultus ruber veſtes albas dehoneſtabat. Vinum coagulum nimium bili inducebat, hunc ſanavit aquæ potus. Patet ex his quodlibet acre in ſanguinem reſorptum eoſdem effectus ex contrariis cauſis elicere. Semen retentum, quiſquiliæ uterinæ, jecoris forſan & lienis vitia, idem efficiunt, modò ſanguis acer, ſolidis erethiſmo conſtrictis, iis producendis conducat. Undè univerſale his malis remedium in victu ſimplici, præſertim vegetante conſiſtit, ſalinis non referto particulis, multò minùs fumoſis. Exercitia perſpirationem juvantia apprimè conducunt, quæ ſi ab inſtituto vitæ, quod immutare non ſemper licet, interdicantur, diuretica levia atque lenia, catharticaque mollia, cum aperientibus ſaponaceis mixta, ſine ullâ medicamentorum mineralium miſcelâ ſufficient.

PARAGRAPHUS IV.

De Terminthis.

Gradu & ferocitate mali proximæ ſunt eæ quas Græci τέρμινθοι vocavêre, puſtulæ. Hoc nomine donare videtur Galenus (*a*) eas quæ baſi rubrâ, purpureâ, in apicem nigrum deſinunt, eumque, utut ſummè dolentem, non tamen gangrænæ imminenti periculo deſtitutum, imò ei proximum; undè peſſima ſymptomatis forma aut in chronicis aut in acutis imminet. Dioſcorides Alexandræus (*b*) aliam morbi ſpeciem ſub hoc nomine deſignat, puſtulaſque ex nigro virideſcentes indicat, ſed exiſtentes per ſe atque morbum conſtituentes, peſſimi quidem moris, ſed non ita feralem. Quo in ſenſu illas accepiſſe videtur qui fuſiùs eas deſcripſit Oribaſius (*c*), Therebinthum vertêre latini; curationemque phymatis puſtularum ſpeciem ferentis in eo ait conſiſtere ut tumor totus in pus vertatur. Sed de peculiari hoc tumore alibi dicendum erit. Univerſum corpus raró ſimilis lues attingit.

Non mirum eſt ſi in concinno hoc noſtro atque eleganti vivendi genere, in quo ſumma mundities etiam pauperioribus colitur, malum illud raró appareat. Verùm non adeò inviſum eſt aut inauditum videre puſtulas illas nigrantes quæ vulgò in ulcuſcula degeneres abeunt, præſertim in viris qui in ſenectutem inclinante ætate vivunt incautiùs, ſalſiſque, fumove induratis delectantur cibariis, ſi præſertim humidiora incoluerint atque depreſſa loca; ita ut cauſa non unica, ſed plures ſimul ad hunc morbum inducendum concurrant. Affectus ille vappidis humoribus & ferè decompoſitis ſupervenit, partìm criticè, cùm aliquandò his apparentibus deſinant, aut ſaltem minuantur ſymptomata, partìm ſymptomaticè, cùm cauſæ vacuandæ quæ ſedet intùs in humoribus illa nunquam ſuffecerint. Scorbutico humori vulgò adſcribuntur puſtulæ illæ, quod quidem ut aliquandò verum, ita tamen non ſemper experientiæ congruit. Sed humor ille melancholicus craſſus à degeneri ſanguinis craſſamento pendens, ſæpè eas producit: raró ab aliâ causâ oriuntur, ita ut univerſa illarum curatio ab alterutriùs humoris curatione repetenda ſit; chirurgica verò tractatio

(*a*) Comm. 4, in libr. 6 Epid.
(*b*) Gorræi defin. med.
(*c*) Lib. 7, Synop. CXXXVI.

recte, ut Oribaſius docuit, in eo conſiſtat, ut mollibus adhibitis emplaſtris ſimulque antiputridis, ſuppuratio benigna in ſuppoſito phymate concitetur quâ ſimul & ſubjectæ partes tollantur, & ſupereminens puſtula. Sæpè accidit ut ſuperveniente gangrænâ, puſtula ſolvatur in eſcharam & phyma quod rubro-purpureum colorem præferebat, nigreſcat. Quo in caſu artis eſt cauſtico antiputrido quale præſtant lapis infernalis, butyrum antimonii, &c. gangrænæ limites imponere, dein tumorem ad ſuppurationem educere. Sed hæc ad tumorum tractationem pertinent, nec morbos univerſales cutis ſpectant.

Quod verò attinet ad diverſicolores puſtulas de quibus Dioſcorides Alexandræus ſcripſit, licèt apud nos raræ ſint, obſervantur tamen aliquandò, & eas reperire non infrequens eſt in infeliciſſimis illis hominibus quos vel lex, vel lege ſævior autoritas in carceribus humidioribus atque obſcurioribus incluſos coercet. Scilicet inertia vitæ in vinculis exigendæ, ſimulque ærumnoſa animi conditio, victus ſorditie & inopiâ infamis, ſed præcipuè ſquallor loci ab aëre non renovato, ſimulque animalium corruptis halitibus jam non elaſticis fœto, veſtiumque non mutatarum illuvies, ita in corpus agunt, ut peſſimè corrumpantur humores, exoriaturque fetidiſſimi ſcorbuti, an dicam, putredinis habitus, qui non reos modò chronicâ labe infecit, ſed & judices ipſos acutâ putridâque febre affecit, ut norunt Londinenſes apud quos & vincula & ſordes carcerum adhùc ſæviores ſunt quàm apud noſtrates. Hos vidi è clauſtris illis exire, puſtulis vireſcentibus & flaveſcentibus horribiles, miſerrimè fœtentes, quos tamen aëris uſus liberior, victus purior è vegetantibus, & ſpes addita ad meliorem vitæ conditionem revocabant. Similes puſtulas emplaſtris coercere piaculum foret, cùm metus eſſet ne retenta materies tabo putidiſſimo textum cellularem, indèque reliquos humores afficeret. Profecit ſæpiùs has forti kinækinæ decocto eluere ſæpiùs, ſimulque interiora antiputridis munire, cùm notum ſit aëris liberiorem attactum his perſanandis antè omnia proficere.

PARAGRAPUS V.

De Epinyctidibus.

Novam puſtularum ſpeciem conſtituunt epinyctides, ſeu potiùs

epinyctis, quam ita deſcripſerunt Paulus, Oribaſius (*a*), aliique Græci apud Byſantinos & Orientales Medicinam factitantes, ut ſi per univerſum corpus fuerit diffundenda, nunquam videretur ei ſuſtinendæ par vis humana. Hæc enim ſimplicis puſtulæ referens ſpeciem die quidem vix hominem vexat, & noctu ita miſerum dolore lancinante atque urente excruciat, ut ferendis doloribus impar videatur (*b*). Exulcerationem mucoſam vix fabam æquantem Celſus vocat, & cùm de omnibus aliis cutem obſidentibus morbis Arabes diverſitatem nominum ſummam inter ſe habeant, morbum hunc, nunc epinyctidis græco nomine, nunc feram noctis, puſtulam ſerotinam, & nocturnam vocant; undè id mihi concludendum viſum eſt eſſe in calidioribus locis magis commune, rarum apud nos malum, cùm præſertim rem ſeſe vidiſſe retulerit Chirurgus peritiſſimus, qui apud Syros cum Medico mihi amico profectus apud Alepenſes Chirurgiæ navavit operam. Hanc veteres, tùm magnitudine mali, tùm pertinaciâ ad atram bilem referebant, licèt aliundè breves ſint in exponendâ hujus curatione & parum diligentes. Sylphium commendant quaſi exſiccandi, ſine qualitate urenti, facultate præditum, lenticulam, herbam ſanguinariam, aut coriandrum viride appoſita laudat Celſus, nec aliam methodum adhibere præter illam quam omnibus puſtulis communem vult, abſtinentiam ab acribus, diœtam moderatam, exercitia.

Mihi verò epinyctidem qualem veteres Medici deſcribunt, ſerò periodicè dolores concitantem atroces, de die quieſcentem, videre nunquam contigit. At pluries morbum huic affinem obſervaſſe datum eſt. Puſtulam ſcilicet vidi pluries unicam, vix notabilem, mucoſo pure ſordidam, ſemper ad tactum ita exquiſito ſenſu donatam, ut digito levi atque ſuſpenſo tractata hominem in ejulatus enormes cogeret. Ea verò nunc mediocriter dolebat, nunc atrociſſima inferebat tormenta, ita ut vir & pietate conſpicuus, & robore inſignis, ſeſe pronum in pavimentum volveret ejulans. Alterum ſimili puſtulâ miſerè exagitatum criſis per pauciores & minutas puſtulas per totam cutem à viciniâ puſtulæ exoriendas liberavit; alter tractu temporis, poſt exhauſtas ſeri lactis hydrias integras, catharticisque pluribus benè purgatus, convaluit, triennio tamen poſt integram curationem apoplexiâ aſſumptus.

(*a*) Synops, lib. 7, cap. 37.
(*b*) Celſ. lib. 5, 28, 15.

Puſtulas

Puſtulas ſimiles atrociter dolentes, ſed non adeò effero malo vidi, quas ſub nomine eryſipelatis miliaris tractabant Medici, licèt dolor non in baſi, ſed in ſolo apice puſtulæ reſideret, undè res mihi potiùs ad epinyctidem referenda videbatur, quamvis indiſcriminatìm noctu, vel diù ſævirent; nocturni verò cruciatus adhibito opio ſedati fuiſſent. Omnes hos caſus veterum theoriâ fretus ad humoris melancholici impetum retuli, ſed quod unico verbo Celſus deſignavit, exulcerationem mucoſam vocans, multò meliùs horum naturam deſignat, non tamen quòd mucus, ut in morbis de quibus infrà dicendum erit, in ſuâ vitietur & peccet ſubſtantiâ, ſed quòd humore illo melancholico infectus, molem corporis intactam relinquat, atque ſanam, nec febrem unquam niſi ab irritatione, aut protractioribus vigiliis concitet. Undè in corpore alioquin ſano prognoſis ad exitum felix, ad longitudinem verò metuenda videatur.

Quanquam verò Medici omnes, tùm Græci, tùm etiam Arabes de epinyctide, ut de morbo horribili mentionem injecerint, tamen in puſtulâ hâc magnis eliminandâ moliminibus vix videntur attentionem præbuiſſe. Nam & Celſus & alii ut ſimplicem puſtulam epinyctidem tractant, detergentiaque atque exſiccantia apponunt: quæ curatio, raro, imò ferè nunquam epinyctidi huic noſtræ applicari poteſt. Ecquid enim? Nonne peſſimus humor incautè coercitus, vel in textum cellularem refluus, ulcera peſſima concitare poteſt? Aut fortunâ infeliciori intimiora percutere viſcera? Mihi verò poſt lotiones leniter reſolventes &, ut aiunt, diſcuſſivas, ſimulque anodynas, quales præbent infuſa florum ſambuci, meliloti, chamæmeli, imò & ſolani, morellæ dicti decocta, aliarumque ſimilium herbarum fotus, optimum viſum eſt ſi, cæteris omnibus incaſſùm tentatis, putrefacientia ſic dicta in actu ipſo fermentationis apponerentur ut aliqua ſuppuratio induceretur. Quæ quidem methodus diluentibus internis atque antiphlogiſticis ſuffulta mihi in unicâ & ſolitariâ, qualem deſcripſi, epinyctide ſucceſſit optimè; ſed tentare eam non licet, quoties confertæ hujuſmodi puſtulæ cutim infeſtant. Tunc enim omnibus ob mali violentiam in erethiſmum atque fervorem concitatis, omnia in diluentium leviter aperientium uſu conſtant, qualia præſtant ſerum lactis & plantæ omnes oleraceæ, molles atque ſaponaceæ, imò & quoniam in tantis doloribus ſemper aliquid ſibi ſaburra primarum viarum vindicat, poſt iteratum diluentium illorum uſum, levibus alvum

ſubluere catharticis, non irritantibus illis, ſed eccoproticis proderit; qualia ſuppeditant pro diverſâ ægri temperie, ætate, victu variè adhibenda, ſenna, manna, caſſia & ſalia illa media ex vegetantibus acidum ſibi ſumentia. Nec ſatis eſt in malo rebelli tot & tanta intùs medicamina cumulaſſe, niſi ſimul per exteriora laxantia reſtituatur perſpiratio, & amplior humoribus exitum molientibus per cutim via aperiatur. Hinc maximum hìc ſibi uſum vindicant balnea aquæ tepidæ univerſalia illa & diuturna, quibus quantùm laticis aquei abſorbeatur plures demonſtravêre inter quos noſter præfulget Monnerius. Prætereà, ſublatâ poſt balneum aquæ preſſione, ingens humorum vis & copia fertur ad cutim, & laxatis vaſis per illam quaſi torrente facto exit, undè & ſubtrahitur alendis puſtulis fomes, & materies ipſa puſtularum appoſitâ aquâ diluitur atque miteſcit: omniaque pleniùs ad omnimodam ſanationem diſponuntur, undè viris ſemel, aut epinyctidem, aut ſæviores puſtulas paſſis nunquam à balneis abſtinendum: quæ tamen non admovenda, pleno adhùc & crudis humoribus turgente corpore, ne pleniùs indigeſti humores ferantur ad cutim, & puſtulæ convertantur in ulcera cruſtoſa illa de quibus mox agemus.

At ceſſante malo, atque jam deferveſcente ejus ferociâ, proderit multùm illud à tergo inſequi per diætam lacteam atque aſinini præſertim lactis ſerò & manè aſſumpti uſum; quod lac, verno præſertim tempore, poſteà verò autumnali, plures per annos iis præſcribendum eſt quibus cutis ægrotavit ex illo præſertim genere morborum qui pendent ab acrimoniâ ſerum infeſtante, & mucoſam ſanguinis partem integram ſinunt, modò tamen bilioſus humor rectè per inteſtina defluat, exitumque ſibi perpetuum conciliet; nam nemo adeò puſtulis ſcatet atque illi in quibus hepar bile retentâ turget, uti abundè obſervatum eſt.

ARTICULUS III.

De Affectibus ulceroſis atque cruſtoſis in cutem decumbentibus depuratoriis.

Hùc uſque quæ deſcripſimus mala cutem tantummodò lambebant, & ipſi quaſi ſuperimpoſita videbantur; nunc quæ ſuſcipimus tractanda depaſcuntur ipſius cutis ſubſtantiam, & in ipsâ vivunt,

nullâ ejus parte intactâ, & ita ad eam pertinent, ut vix ad textum ſuppoſitum cellularem poſſint referri, in quo ab ulceribus communibus differunt, &, notante Galeno, à phagædenâ diſtinguuntur, quòd hæc in omnem ſenſum debacchetur, ſubjectaſque cuti partes invadat, affectus verò cutanei ulceroſi ſubſtantiam cutis non tranſgrediantur.

Prætereà verò non unum datur ſignum diagnoſticum quod affectus cutis ab ulceribus cutem perfodientibus diſtinguat. Nec pus idem eſt; nunquam enim album, leve & æquale eſt, ut in ulceribus, ſed verè mucidum, filamentoſum, inæqualiter compactum, & videſcens apparet. Nec labia ulceris eadem quæ in ulceribus cutaneis, ſunt enim aut alba & palleſcentia, aut tantùm eryſipelate tincta. Nec caro ſuccreſcens eadem quæ in affectibus cutaneis; aut nulla eſt, aut mucida. Præterea creſcunt in latitudinem mala ulceroſa cutanea, formamque ſæpiùs regularem affectant & odorem ſpirant, aut mucoſo-acidum, aut rancidulum, ſed vix unquam putridum; tumor in hiſce, aut parvus, aut nullus, ſed ſæpè durities quaſi coriacea viciniæ circumtenditur. Dolor in ulceribus cutaneis lancinans, rarus, arteriolarum pulſationem nunquam æmulatur, ſed ſummè pruriginoſus eſt. Vulgò malum extenditur per puſtulas ſibi cohærentes, aut quæ ſeſe quaquaverſùm extendendo, quaſi à centro ad circumferentiam inter ſe demùm conjunguntur, & in unum ulceroſum corpus coaleſcunt. Undè multò major pruriginis ſenſus ad limbos & ſæpè in vicinâ intactâ ad oculum cute, quàm in ipſo ulceris centro, ſi ſemel eroſâ omninò cute patuerit illud.

Indè etiam ſentitur quare vulgò ulceroſæ illæ affectiones magis rebelles ſint, quàm illæ quarum ſedes & textum celluloſum & partes cuti ſubjectas afficit. Scilicet in his & actio naturæ vivida eſt & undiquè efferveſcens mutationes producit ingentes; cùm autem cutis afficitur ſola, omnia languent & ad ſpontaneum humorum motum reducuntur, naturâ minimas partes agente.

Præterea verò qui depurationes cutaneas efficit humor cruſtoſas atque ulceroſas unicus eſt. Sublato enim ſero illo acri quod exhalat perpetuò & aliquandò concipiens acredinem morbos eryſipelatoſos & papuloſos efficit cutis univerſa conſtat muco à quo pelluciditatem nitentem accipit, & quo mutato, indurato, coagulato, concipit duritiem; perverſo autem atque putreſcente, cruſtas efficit & ulcera in quæ videtur illa verti: ſed ablato vitio,

deletarum cellularum locum occupant vicinæ ſuccreſcentes, ſicque priſtini vitii nulla remanent veſtigia. Intereſt igitur multùm illiûs qui morbos cutaneos tractandos ſuſceperit, mucum illum noſſe ejuſque formam, varietates & degenerandi modos perpendere; quod, utut jam in præliminiis operis factum ſit, pauca tantummodò addemus, undè originem morborum noſtrorum paſſu faciliori poſſimus ſubire.

Mucus animalis, licèt una & eadem ſubſtantia ſit, varias tamen formas in corpore obtinet, varios attenuationis recipit gradus à primo muci vegetabilis intra vaſa ſub chyli emulſivi formâ ingreſſu, ad uſque ſubtiliſſimum illum mucum alibilem qui ſolidis partibus adhæreſcens, vertitur in illas, fitque pro contentorum ratione nunc oſſea ſubſtantia, nunc in medullarem cerebri ſubſtantiam fingitur, nunc verò etiam ſeminalem auram accipit, & ſub ſpermatis nomine è corpore ad generationis opus erumpit. Exiſtit ergo in corpore animali pars mucida, crudior adhùc quàm illa quæ in lacte animali reperitur, ſubtilior & magis elaborata quàm quæ cum ſpermate exit, & unaquæque ſui gradus pars mucida proprietates, ſeu facultates obtinet, tùm univerſo muco animali communes, tùm ſuo gradui proprias.

Commune eſt omni muco partes extraneas tenuiſſimas inviſcare, intùs retinere, ſibi aptare, adeòque fomitem præbere & contagiis feralibus & ſalubribus inhalamentis, ita ut pars mucida medium junctionis efficiat inter extranea corpora & humores corpori inquilinos. Viſcoſum enim eſſe mucidæ eſt naturæ. Undè etiam communis eſt omni muco proprietas ablatâ aquâ concreſcere, aut additis partibus moleculas ad ſe adducentibus compingi atque coagulari. Hoc acida ferè omnia, & terrea ſtyptica atque abſorbentia cretacea efficiunt.

Verùm ſi mucum à primâ origine ſpectes, ad uſque ultimam ejus deſtructionem in quâ perit ipſius viſciditas, mucoſaque natura in putredinem vertitur, plurimæ ſunt proprietates ad quemque attenuationis gradum pertinentes, nec alteri gradui communes. Ita halitus fœcundus ad ſperma pertinet, & quamvis lateat in omni muco, in hoc tamen ſolo poteſtatem fœcundam exerit. Pro diverſitate conditionis & naturæ mucoſæ variolis aut benignitas inſurgit, aut maligna indoles. Præthereà mucus ille lacteus, & iſte qui cellulas cutis occupat, in fœminis puerperis facilè aceſcit & lacteos famoſos atque parùm intellectos affectus elicit in lactentibus

æquè reperiundos ; rancеſcit in ſenioribus & illis quibus opiparà vita varii generis farcimina & embammata ſuppeditat : putreſcit in iis quibus, aut lues à ventriculo putrida fertur in humorum molem, aut aliundè accerſita intùs erumpit. In tribus hiſce caſibus naſcuntur omninò diverſi, tùm indole, tùm ſymptomatibus morbi.

Aſt illud iis commune eſt quòd repoſiti in muco morbi, niſi ad putridam accedant indolem, adeòque muci ſubſtantiam deſtruant, ut peſtilentialibus morbis propriúm eſt, difficile admodùm proſerpant, ob tenacem muci indolem, nec ſanentur facilè ob cauſam eamdem. Irretitur enim morbi fomes & tantò plus de actuoſitate ſuâ amittit, quantò ſpiſſiori muco inſidet. Patet indè cur cùm cutis muco turgeat, imò totà ferè mucoſa ſit, morbi muci facillimè in cutem deponantur ? Cur infantibus & pueris illi morbi ad acidum adeò facilè vergant ? Et quî fiat ut morbi ſimiles in diverſis ætatibus ac vitæ conditionibus aliquandò, tùm ſymptomatibus, tùm curatione diſcrepare debeant ? quod non ſatis apud auctores animadverſum.

Prætereà verò rectè & feliciter nobiſcum à naturâ ageretur, ſi quæ muco inſidet acrimonia poſſet ſemper ad cognitum acrium genus referri atque revocari. Verùm præter acria introducta quibus ſæpè fit ut morbi cutanei antè alios communicentur, non ſemper poteſt acrimonia muco inſita ad claſſem certam revocari : dantur enim degenerandi rationes in muco quas nullâ poſſis chemiâ expendere. Nunc ſalia exſuperant, nunc exundant olea, nunc oleum aliquam habet acredinem quæ, cùm ſenſus nullatenùs feriat, molem tamen peſſumdat & principiorum ordinem ita ſubvertit, ut non reſtitui poſſit ille, ſed contrà puras & novâ nutritione introductas partes ſibi aſſimilet, ſicque perpetuam efficiat mali redivivi redintegrationem. Hinc naſcuntur difficillimi, non ſolùm enodationi, ſed etiam curationi morbi cutanei omnes Medicorum conatus eludentes & quaſi alteram eamque vitioſam naturam veteri ſuperinducentes. Verùm in hoc caſu univerſam mucoſæ ſubſtantiæ compagem vitiatam eſſe declarat univerſa per omnem corporis ambitum diffuſa malorum agglomeratio. Et quamvis criticè ad cutim decubuiſſe maxima mali pars videatur, cùm ſemper natura propter vires vitæ ad excretionem partium excrementitiarum atque nocentium feratur, tamen ab hâc labe immunia viſcera intimiora non ſemper reperta ſunt, ut alibi dicendi ſeſe feret occaſio. At his præmiſſis licebit nobis duram & aſperam horumce morborum elucidationem

ingredi, qui omnes ulcera ſuperficiaria efficiunt atque cruſtas, quâ ſolâ proprietate declarant muco ſe coagulabili inſidere, & in eo radices fixiſſe. Horum tractatio gradu nocumenti & curandi difficultate diſtinguetur.

PARAGRAPHUS I.

De Affectibus cruſtoſis lacteis univerſalibus infantum.

Quantumvis prima illa infantia ſepteno primo vitæ circuitu tota contineatur & in eo concludatur, ita ut novam induere naturam puer videatur poſt prima illa infantiæ tempora, tamen morborum in ætatis illiûs primordiis naſcentium veſtigia & affectus ad uſque pubertatem remanent aliquando. Verùm illâ erumpente, factâque in viris ſeminis ſecretione, excretioneque in fœminis menſtruorum, evolvuntur glandulæ omnes, novam indolem nanciſcuntur humores, adeòque ex novo humorum ac ſolidorum tenore, alii morbi naſcuntur, nec jam aliquid priſtinæ labis remanet.

Verùm licèt in novis organis ſummè flexibilibus, & ſimplici victu exhalatio atque humorum depuratio facillima ſit, multæ ſunt cauſæ cur hæc ætas maximè morboſæ depurationi obnoxia ſit per cutim. Mollities enim ſolidorum & flacciditas cutis cauſis impellentibus cedunt, nec cedere deſinunt, niſi ubi vaſorum finis fit, qui finis ad cutem ampliſſimus. Præterea in infantiâ humorum proventus maximus eſt, & proportio lymphæ ad partem rubram & addenſatam major. Undè verè aſſerere poſſumus & methodum quâ humores degeneres fiunt, & proindè cutis morbos omninò ab adultorum morbis abludere atque diſcrepare. Adeòque nec eadem eſſe debent phœnomena, nec curandi methodus ſimilis, imò nec ipſæ cauſæ eamdem ſervare actuoſitatem poſſunt.

Morbi infantum cutanei depuratorii dividi debent in morbos omnibus ætatibus communes & morbos ætati infantili proprios. De his ſolis hìc agimus, quatenùs ſæpè apud auctores ſub eodem nomine confunduntur, & aliqui minùs conſideratè eamdem medendi methodum adhibent.

Infans quo tempore ab utero materno excluditur, rubet undequaquè, vaſis cutaneis ſanguineo latice perfuſis, madetque humorum maternorum colluvie. Cutim, ſi ultrà perſpicias, pellucentem

videbis, quem colorem ſenſim amittit, & aëris attactu induratur brevì. Rarò exit ab utero materno infans aliquo cutis vitio imbutus; quippè qui ſemper eluitur & aquâ amnii renovatâ imbibitur. Hinc facultas excretoria cutis in fœtu non extitit. Per primos à partu menſes cutem non nitidam videre rarum eſt in infante quem ſolum lac enutrit. At ubi jam ad dentitionem perventum eſt, & nutrix, aut pravis ipſa alimentis utitur, aut illa tenellis organis concedit, tunc variæ exſurgunt morborum cutaneorum formæ in noſtris præſertim regionibus; nam borealibus aphtæ maximè familiares ſunt. In iis verò populis qui maximè calentia ſole loca accolunt, nec tam turpiter fœdatur cutis, nec aphtæ adeò familiares ſunt; licèt in humentibus etiam ad meridiem climatibus & marium littoribus Arabes plurima etiam cutanea mala annotaverint in infantibus.

Scilicèt omnia in primâ ætate origini propiore celluloſa ſunt, & in partes ſolidiores exuberat hinc adeps, illinc pars mucoſa, ſeu lymphatica. Cutis ipſa tenuiſſima & nitidiſſima muco ita imbuitur ut viſcoſa ad tactum facilè reperiatur. Hinc ergo ita exhalat illa, ut vapore infantum cubatorum vicinior athmoſphæra tota repleatur, odorque tùm in morbis, tùm in ſanitate exhalet undequaquè, non qualis puberum, ſed leniſſimus & paſtæ fermentatæ æmulus. Undè in infantium diverſoriis, niſi mundities ſumma adhibeatur, acidum fermenteſcens oculos vellicare, nares ferire & reſpirationem inhibere valens ſpargitur & diffunditur undiquè. Hùc ergo cauſæ omnes ad nocendum aptæ confluunt, niſi aliqua interior pars infirmato tenore partem mali in ſe ſuſcipiat, quo in caſu vitales eſſe infantes difficile eſt.

Porrò ex cauſis quæ in infantilem ætatem agunt, tres ſunt præcipuæ antè alias ſpectandæ, dentitio, nutritio, & aëris actio. Cùm enim, tùm in exhalante liquido, tùm in excernente organo vitium poſſit ſtare, tria illa cauſarum genera quæ, vel in exhalationem, vel in coctam perſpirationem, vel in utramque agunt, maximam merentur attentionem.

Dentitio tota nervea eſt. Hìc loci non eſt mechaniſmum illum mirabilem enodare quo rudimenta dentium ex alveolari muco formantur, creſcunt, textum tendineum ipſaſque gingivas perforant, non ſine ſpaſmis, inflammationeque quâ plurimi pereunt infantes, minùs quidem ad inciſivorum dentium eruptionem, quàm ad ortum obtuſiorum caninorum atque molarium; ſufficiat hìc

ex auctoribus annotaſſe nunquam digeſtiones violentiùs perturbari, inteſtina ferociùs circumvolvi, dyſenterias atrociores naſci quàm ex dentitione : quibus rebus ita ſe habentibus, quid mirum ſi etiam & exhalatio & perſpiratio pervertantur ? Pervertitur exhalatio per ſpaſmodicam conſtrictionem, perſpiratio verò per vitium coctionum. Hinc hærent ad vaſorum oſtia humores craſſiores, non jam cocti & in ſuâ indole degeneres.

Vitium illud à dentitione coctionibus inditum ſæpè à præpoſtero adhibitorum alimentorum ordine pendet. Quid enim ? Etſi cauſa vitii differt, vitium tamen idem eſt, & licèt aliquam à nativâ alimentorum vitioſorum indole differentiam ſibi conſciſcat quæ ab iis naſcitur labes, tamen unam eſſe quæ infantili ætati competat perſpiratorii humoris degeneraſcentiam, probare facile eſt. Alimentorum enim à ventriculo malè concoctorum reliquiæ ad ſpontaneam vegetantium mutationem ſemper vergunt, adeòque aceſcunt, & fermentationi æmulam degenerationem inducunt. Hinc depravatus mucus agglomeratis ſolidioribus partibus ichorem tenuem exſudat, undè roduntur primùm vaſa, dein rupta corrupto muco exuberant : pruritus oritur indè enormis & qui ſæpè tenella convellat corpora. Undè loco omnis alieni odoris ſæpè nares vellicat pungens acor, aút in tenuiore malo odor exit veluti fermentantis paſtæ cum aliquo ſpiritu rectore. Licèt verò magnitudo, amplitudo, diffuſio labis illius primò quidem & in ſuâ origine aceſcentis, dein corruptæ, ſcenam primo aſpectu diverſam concitent, in morbis cutaneis infantum phœnomena eſſentialia eadem ferè ſunt : in primis ſcilicèt morbi exordiis puſtulæ naſcuntur agglomeratæ, ſero repletæ, mox muco craſſo coopertæ ; hæ citò in cruſtas abeunt, ſub quibus tranſudat ichor puriformis, ſed lentus atque mucoſus. Deeſt ſcilicet vis phlogiſtica naturam concitans & vellicatione actuoſam reddens. Intereà vicinæ partes ſimilibus puſtulis ſcatent eamdem induentibus formam, ita ut ſæpè tota cutis hunc in modum deturpetur, & malum ſæpè per plures menſes eâdem in formâ perſtet, imò & ad annos extendatur.

Ratio mali aliquatenùs diverſa eſt in illorum morborum eruptione, phœnomenis atque naturâ quorum causa occaſionalis ab aëre pendet & ab athmoſphæræ vitiis. Hi enim morbi raro univerſales partes illas ſolas occupant quæ aëri exponuntur. Iique morbi, ſi à retentâ perſpiratione pendeant, ſemper vitiatam coctionem ſupponunt,

ſupponunt, alioquin coctio firma per urinas ſine noxâ ſuperfluum emungeret. Id tantùm ab ipſis expectandum eſt, quòd cutem magis indurent, atque reddant & rugoſam & duriorem, nec mutentur niſi cum aeris mutatione, raròque ab unâ ad aliam tempeſtatem tranſmittantur. Verùm ſi acris ſubitò irruit impetus, malumque ſubitum effecerit, tunc morbi illi rhagadum, fiſſurarum, pernionumque nomine noſcuntur; hæc ſæviſſima lues ubi in infantes graſſatur, in morborum cutaneorum depuratoriorum claſſe non continentur, & de iis alibi agetur.

Hanc theoriam ex ipsâ naturæ contemplatione natam ſi tenuerimus, nihil erit cur nominibus Arabum & diſtinctionibus Græcorum recentiorum pleniùs adhæreamus, cum *ſahafati* (*a*) Avicennæ, κηρια Galeni (*b*), Theodori (*c*), ſub hoc intuitu comprehendantur, nec multi ponderis erit Alex. Tralliani diviſio in ea ulcera, quæ fiunt à pituitâ, bile, aut melancholiâ, cum ab eâdem causâ proximâ omnia illa pendeant; remotæ verò cauſæ omnes ad concoctionem & ſecretionem perſpiratoriam læſam pertineant: ſi ſaltem de iis morbis loquamur qui ab ætate pendent; cùm non refellenda aliundè exempla probent ſatis poſſe aut à parentibus, aut à nutricibus non unius generis fermenta intùs intromitti, quæ tamen aliquem ab ætate muco defluente ſibi caracterem aſſumunt qui mixta utriuſque vitii ſymptomata exprimat. Quod probè norunt ii qui tractandis de lue vereneâ infantibus operam impenderunt.

Hinc ergo quicumque tractandis puerulis vitio cutis laborantibus operam navant, ii dùm ad illos advocantur antè omnia cutim ipſam, imò & omnes glandulas atque articulos ſedulò debent inſpicere. Tùm verò patebit num ſola ſuperficies cutis exeſa ſit, & in faſtigio malum hæreat; num altiùs intrudatur vitium, & ipſas cutis cellulas exedat; an glandulæ in partem mali veniant, an doleant, aut tumeſcant articuli? quod malum huic ætati non adeò ignotum eſt, & ſæpè felici omine ad cutim ex articulis fertur.

Ubi extima tantùm ſuperficies occupatur, leve malum quod nulla ſui relinquere debeat veſtigia auguraberis. Leviſſima pars muci ad cutim appellentis in culpam vocabitur. Hæc vix ipſiûs

(*a*) Fen. 3, lib. 6.
(*b*) De Comp. Med.
(*c*) Lib. 3, Aetii Tetrabibl. 1, Ser. 4.

humoris naturam valens immutare, functiones nullatenùs interturbat, & perſpirationis locum obtinet; vaſis ſcilicèt debilioribus & refertis humore craſſiore, quàm ut ſimpliciter exhalet.

Verùm ſi malum à cellulâ in cellulam proſerpat, ſi cruſtæ profundiùs inurantur, ſi extendantur latè, tùm antequam de morbo judicium feratur, color, odor cruſtarum & vicinarum partium conditio perpendenda erunt. Color flavus, ſordidè viridescens, conſiſtentia cruſtarum atque puris indè ſpiſſior, hinc verò mucoſa & flocculenta, peſſumdatam omninò humoris naturam demonſtrant; deſignantque mucum degenerem, nutriendoque vix habilem omnem undequaquè nutritionem vitiare, & certiſſimum inducere maraſmum, niſi in cutem expurgetur & everratur.

Odor in infantiâ degeneris humoris acidus, aut potiùs quaſi fermenteſcentis paſtæ fracidus, aliquid mordacis in oculos & guttur inſpicientium emittit, qui ferè lacrymas & tuſſim eliciat. Qui quidem odor, quamvis humoris ingentem acrimoniam in ipſo loco in quem erupit increſcentem deſignet, non adeò tamen inſignem noxam indicat atque odor putridus infantum naturæ omninò repugnans, ipſique ita adverſus, ut morboſam diatheſim altè infixam omniaque peſſimè immutantem demonſtret; quod non fit ſine ſummo omnium facultatum diſcrimine, cùm vitio infantili addatur vitium putridum quod in hâc omnium partium mollitie peſſimum eſt & citò proſerpens. In hâc putridâ diatheſi eruptioni puerili ſuperadditâ vix aliquæ cruſtæ ſperandæ ſunt. Liquantur illæ &, ſi ſuperſunt, non confertas videbis, aut agglomeratas, ſed ſparſas & quaſi puri innatantes cui per pauca filamenta ſuperinſident.

Ab hâc ſemel poſitâ diagnoſi pendet prognoſis. Etenim cruſtis levibus ultrà epidermidem non protenſis vix morbi nomen tribueris. At in dentitione ſæpè graviùs cutis laborat, & omnes ſquammulis & ulcuſculis exaſperantur genæ. Humor mucoſus brevì in cruſtas abit, nunc graviùs cum pruritu, nunc ſine pruritu leviùs. Hæ omnes eruptiones ultrà dentitionis terminum non progrediuntur, & nullâ excavatione cutim deturpant. Vacant etiam periculo ulcuſcula favum referentia, quæ nunc hùc, nunc illùc volitant, & niſi prava adhibeatur medicatio raro in interiora referuntur. At uno loco nitorem priſtinum acquirente vulgò alterum innoxiè adoriuntur ulcuſcula hæc, dolore tamen & pruritu præviis. Sed

ſumma partis in quam decumbunt differentia diſcrepantias aliquas imprimit. Novi juniorem puellam cui ſimilis humor in oculis lemas aſperas & copioſas ſtillicidiumque acre effecerat. Huic ſubito impetu humor in genitalia decubuit, ubi puris quidem eadem erat natura, at tumor cellulis tumefactis immanis, at fluxus humoris copioſiſſimus albi, fracidi, & mixto odore nauſeoſi. Hinc, etſi nullum per ſe periculum illa importent, quæ tamen profundiùs inuſta fuerunt, cutim deturpant & altas cicatrices inurunt, imò maximum in diſcrimen poſſunt aliquandò miſeros adducere.

At in prognoſi inſtituendâ antè omnia inquirendum eſt quæ ſit cruſtarum illarum origo, quæ ſint natalia? Aliquandò enim valente & ſano corpore enaſcuntur. Quod ſanum anteà fuerat corpuſculum ſanum remanet. Cruſtoſa ſuperficies corporis ſupervacuam ineſſe in corpore materiæ nutritiæ farraginem indicat, nihil prætereà mutati. At aliquandò poſt erraticas febres, ubi apparuerunt, ſalutem interioribus viſceribus inducere viſæ ſunt; aut languori atque marcori ſuccedaneæ, dùm corpuſcula deperibant, ſalutem imò & toroſitatem corpori adduxêre. His omnibus in eruptionibus verè criticis periculum eſt ne intrà regrediantur, aut ne languidiùs exeant. Undè naſcuntur horrores, rigores, febres acutæ cum decubitu in interiora : quæ febres vulgò, nec ſine ratione, ſi periculum ſpectes, malignæ vocantur ; imò & ſæpè evenit ut naturâ in excernendo humore prorsùs deviâ, lentæ febres concitentur, viſcerum congerantur interiorum grandinoſa coagula, lymphaticæque inflationes, & muco concreſcente indurationes : aut demùm ſuppurationes lentæ tacitis progreſſibus maraſmum inducunt, quem ſi prohibuerit debilitas naturæ, atonia atque hydrops metuenda ſuperſunt ; quæ duo morborum genera apud nos præcipuè infantes è medio tollunt. Verùm ſi aliundè accerſita labes cruſtoſæ diatheſi jungatur, ſi putrida ſimul à ventriculo ſaburra reſorbeatur, nec ea remediis maturè fuerit emendata, duplicantur pericula præſagienda. Etenim eruptiones illæ per ſe, & in principio ad corporis ſalutem inſtitutæ miſcelâ putridi humoris peſſimæ factæ, undequaquè non in cutem ſolam, ſed & in omnia viſcera exundant, eaque colliqueſaciunt, erodunt, deſtruunt, undè niſi prudenti artis potentioris auxilio ſuccurratur, vix ulla miſeris ſpes remanet, & tabidi atque marceſcentes emoriuntur.

Duplex igitur periculi genus infantes minatur à ſuperficie cruſtosâ aut retropulsâ, aut non exeunte. Acutum hoc, chronicum

illud. Acutum brevì deſæviens citò perimit. Suffocationes anxiæ, convulſiones, diarrhææ, dyſenteriæ, tumores glandularum ſuppuratorii, acrimoniâ jam diatheſim inflammatoriam ſuſcipiente vulgò corpora puerilia, aut brevi certamine tollunt è medio, aut criſi ſalubriter factâ liberant. Hæc non ita feliciter eveniunt, quoties tacito paſſu lues in viſcera decubuit & ea ſine erethiſmo obſtruxit. Craſſior enim lymphæ craſis ubi inſedit lentè in loca glandulis lymphaticis obſita ea in ſcirrhum brevì convertit immedicabilem. Nullus adeſt dolor, nulla anxietas, at quæ à glandularum permeabilitate pendent functiones pervertuntur, aut ceſſant; hinc infantibus venter intumeſcit, cætera marceſcunt, obſtructiſque glandulis meſaraïcis omnes cibi vix cocti per alvum diarrhæâ protruduntur, donec, deficientibus viribus, omnibuſque arefactis, pereant, aut tabidi, aut interrupto lymphæ circuitu hydropici, quæ pereundi forma infantibus ſummè familiaris eſt. Rarò pulmones occupat vitium cutis retropulſum, cùm locus ille minùs ſcateat glandulis lymphaticis; verùm obſtructis glandulis bronchialibus immedicabile aſthma aliquos oppreſſit; quod quidem vitium à retropulſo humore cùm pluries in adultis obſervaverim, rarò omninò in infantibus. Semel tamen à frigoris impetu cruſta arefacta in puero bienni anginam ſimul trucem, ſimul peripneumoniam æmulabatur, quæ fomentis ſolis pedum & faciei tepidis intrà paucarum horarum ſpatium ſanabatur.

Ab his obſervationibus tota pendet adhibendarum curationum differentia. Cauſæ prout diverſæ ſunt, prout effectus varii, ita methodi diſcrepant. In genere levibus affectibus levia medicamina competunt. Et quidem antè omnia ſedulò perpendendum eſt naturæ curationem molientis inſtrumentum, nullâ niſi præpoſterâ arte coercendum eſſe. Cauſæ medendum, non effectui. Removendæ occaſiones morbi. Prava nutritio ad leges artis corrigenda, quas hìc exponere extrà operis metas foret. Dentitio ex arte promovenda, imò & in aliquibus caſibus per Chirurgiam facienda; quod quandò liceat, ars etiam docet. Mutanda loci in quo degunt infantes conditio, veſtium, ſtragulorum cura adhibenda. Et ut clariſſimo Locke aliiſque pædotribes cultoribus placuit, nihil adeò favet cutis puerilis nitori ſervando, quàm ſedulior munditiei cura, ne acrimoniam ſordes contrahant, ne prohibeatur perſpiratio inſenſilis, aut in cutem reflectatur; exercitia, aëris liberi aditus, balnea & illa quidem frigidiora, inter morborum noſtrorum prophylactica

poſſunt numerari, cùm & cutem emundent, & ipſi robur addant; undè vaſa robuſtiora liberiùs oſcillent, abigantque partes ad ſtagnandum diſpoſitas. Certè ex mille morbis cutaneis infantilibus, pluſquam tertiæ partes infantibus ruſticis & ſordidis propriæ ſunt. Imò & licèt mala leviora contagioſa per ſe dici non poſſint, tamen attactu frequentiori quaſi inſererentur, à pueris in pueros traducuntur. Quod quamvis frequenter obſervetur, non ideò tamen illud mihi propoſitum fuerit univerſalia quædam prophylactica admovere, qualia apud multos ſolemnia ſunt, oleo, vel vernice corpora inungere, quæ dùm abſorbendi vim tollunt, perſpirandi etiam libertatem imminuunt. Quibuſdam mos ille fuit ut decocto tabaci foveant infantum corpora, quod non inutile ſolùm, ſed & pernicioſum judicaverim, cùm irritanti vi polleat nicotiana, imò & poſſit ſubtili narcoticoque oleo caput impetere; melius eſt ſi ordinem naturæ legitimo rerum non naturalium uſu ſartum tectum tueamur.

Quotieſcumque igitur corpus infantile lemis & ſquammulis infectum inſpiciendum affertur, tunc illud antè omnia inquirendum eſt, num æger valeat? num erumpente morbo aliqua ceſſaverint ſymptomata? Si res ita ſe habeat, duplex exurget indicatio. Altera cutim liberam & apertam ſervandi; altera omnis intùs latentis miaſmatis exitum procurandi. Priorem fotu leni, emolliente, balneis tepidiuſculis adimplebis; alteram potu leviter diaphoretico, horâ præſertim poſt ſomnum matutinâ, quâ plenior exire ſolet perſpiratio, adhibito. Talem potum præbent decocta levia radicum bardanæ, ſcorzonneræ, polypodii querni, &c; folia borraginis, bugloſſi, ſcabioſæ; flores ſambuci, meliloti, &c. mille alia hujuſmodi. Hæc, dùm perſpirationis effluvia intendunt, in cute molliori redditâ brevì epidermidis ariditatem tollere debent, neglectis aliis operioſioribus & magis famoſis medicamentis. Si verò de functionibus infantis inquirenti reſpondeant adſtantes nullam adfuiſſe quâ vitiarentur functiones labem? nullum levamen? Sollicitè videndum an aliquam malo occaſionem præbuerit externa cauſa quæ profliganda eſt. Inſolatio aquâ leviter aceto imbutâ optimè detergitur, aut aquâ purâ ſubfrigidiuſculâ. Omnes reliquæ cauſæ fotibus ſubtepidis meliùs cedunt. Si demùm ſquammoſa illa epidermis morbo ſuperveniat, de morbo ſatagendum eſt, negligendus effectus qui ſublatâ cauſâ ſolvetur.

At ſi fluentibus ulcuſculis & hùc illùcque proſerpentibus detur-

patus puer medicanti offeratur, antequam ad remedia ſe accingat, inquiret & obſervabit quali ſe habitu gerat? An dentes proruperint? an laborent? An glandulæ in viciniâ intumuerint? Si neutrum horum acciderit, ſed præter ſpectaculi fœditatem omnia rectè ſe habeant, ſi color cruſtarum ſubalbus, odor ſubacidus, appetitus valens, ſomnus integer, pruritus levis, attendet præcipuè annon poſt epulas fluxus humoris augeatur & pruritus recrudeſcat? Hæc enim ultima ſymptomata redundare humorem & exuberare à novo ingreſſo chylo indicant. Hoc in caſu pluri cibo quàm corpori conveniat uti infantes concludit, certoque adſtringet regimini, quod in hiſce caſibus peccare veriſimile eſt. Tenuior hiſce in caſibus diæta imperanda eſt & ex cibariis tenuioribus. Tum ptiſanas præſcribet leves, diluentes. Poſteà alvum movere convenit, ut retardetur perſpirationis fluxus, & diſcant in alvum ruere humores. Nam infantibus quibuſcumque quibus alvus fluxa eſt cutis nitet, quod notaverat olim Hippocrates.

At in alvo movendâ ratio habenda eſt cauſæ quæ lympham vitiavit, & aliquandò craſſitiem ſubſtantiæ ejus impertiit. Undè ea præferenda ſunt quæ humores lymphaticos potentiùs ſolvere obſervata ſunt, quales ſunt reſinæ purgantes quæ, ſi me non fefellit obſervatio, multò minùs infantum inteſtina torquent, quàm adultorum; ſive quòd muco craſſiori involvantur, ſive quòd fibræ infantum flexiliores ſint. Hinc ſæpè hiſce in caſibus profuit jalappæ uſus refractâ doſi adhibitus, & melli intimiùs mixtus quod vim ejus & ἐνέργειαν mirè cicurat; imò & leniſſimè ita purgat, ut mel jalappæ vires purgantes detrahere videatur, alterantes verò atque ſolventes adaugere. At in adminiſtrandis hiſce remediis duo ſemper ſunt ſpectanda, poſtquam de ætatis imbecillitate & organorum teneritudine judicium feceris; 1°. an plus craſſitie; 2°. an plus acrimoniâ peccent humores? Si enim plus acrimoniæ apparet, illa antè omnia retundenda eſt: quæ diluentibus ſolis, regimini vitæ leniori, vitæque umbratili obſecundat. Si plus craſſitie quàm acrimoniâ peccet humor, tunc proderit ex antimonialibus præparatis ſulphureis illis & non emeticis ita adaptare medicamina, ut ſi glandularum moles aliqua è regione mali intumuerit, cum reſinis aut gummi miſceantur. Simulque ingens habeatur coctionum tuendarum ſollicitudo. Præcavenda prætereà ſemper in infantibus acidi virulenti præſentia, undè vulgò Medici in præſcribendis numerant abſorbentia. Præferuntur vulgò dia-

phoreticum minerale non lotum, aut, ſi potentiùs agendum, doſes refractæ ſulphuris aurati antimonii, quæ ſub pilularum formâ gummi ammoniaci doſi duplici & abſorbentium tribus partibus remiſcentur.

Intereà ſuadentur potus leves & pro indocilitate ætatis non injucundi, ex aperientibus ſalinâ virtute ſaponaceâque præditis, quales præſtant cortices capparidos, radices anonidos, eringii, lapathi, rubiæ tinctorum quæ ultima adversùs ſcrophulas atque rachitidem vim ſpecificam quibuſdam dicitur obtinere. Junguntur his pro re natâ doſes variæ ſalium neutrorum, inter quæ quod maximè aquâ ſolubile eſt & altiùs penetrat ſal glauberi admirabile præſertim commendatur, cùm & pungat minùs, & urinæ vias promptiùs affectet; modò tamen pro varietate corporum, aut catharticus amarus, aut arcanum duplicatum prætollenda non videantur.

Si verò tolli non videatur horumce medicamentorum ope nimia lymphæ craſſities, ſed ſymptomata obdurent & obſirment ſe, monendi ſunt infantilis ætatis curatores remedia illa non niſi longo tempore poſſe ſuas vires exerere. Mutanda enim omninò eſt & ſubvertenda humorum craſis. Intereà verò maximi eſt pretii proſpicere ne ulla functionibus labes inuratur quæ debilem œconomiam ſuſdeque ferret. Undè tempori dandum quod efficaciæ detrahitur. At ſi poſt juſta tempora nullum in hanc mucoſam craſſitiem exercere videatur imperium vis antimonii ſolvens, tunc tardè & ſuſpenſo gradu ad remedia mercurialia confugere liceat. Ea enim validiora ſunt & ſolvunt undequaquè mucum, imò ſæpè & ipſam acrimoniam, quæcumque ſit ejus origo, videntur aut abſorbere, aut demulcere. Verùm id ipſis piaculum eſt, & in infantili ætate cautos nos reddere debet atque prudentes, quòd molem ipſam globulorum infringant, quòd glandulas, oſſa, membranas vaſorum ultimas & ſubeant & penetrent, adeòque ipſam œconomiam animalem nimiùm ſubvertant, quod in malo per ſe critico atque depuratorio ſemper fuit devitandum. Prætereà, licèt acredinis ſpicula ſæpè retundat mercurius, ipſa aliquandò non attingit. Adeòque ſolutâ craſſitie remanet mali labes. Quod etiam in adultis ita accidit ut, ſublatâ per efficaciam mercurii acrimoniâystandardvenereâ, remanere ſæpiùs videamus herpetes. Sapiens eſt igitur methodus mercurii efficaciam ſenſim & leniter experiri, ne noxa tenellis corporibus infligatur.

Inter mitiora præparata eminent panacæa mercurialis & mer-

curius ſublimatus dulcis quorum grana plura poſſunt innoxiè in infantum corpora introduci, ſi præſertim eorum efficacia ac penetrabilitas purgantibus ita retundatur, ut maxima remedii pars detrudatur per alvum, & ubi doſis viribus proportionalis intra ſanguinem irrupit, iiſdem catharticis à ſanguine eliminetur. Verùm in hiſce ſapientia Medici elucet, nec timidè, aut cunctanter medicamina adminiſtrantis, nec agentis præcipiti ratione. Semper vires corporis ille inſpiciet, & ita aget, ut in malum imperio potens, nec marcorem, nec irritationem ſolidis indat. Malo jam abacto & corpore puro, lactis uſus ſummè proderit; quod ſi maturius adminiſtretur, corrumpi facilè & particulas acres retinere & fovere aptum, præ innatâ muci copiâ, nocebit potiùs quàm juvare poſſet. Idem dici etiam poſſit de alimentis farinoſis non fermentatis quæ nimio ſtudio ingeruntur infantibus : illa tamen vegetalem ſervant indolem; verùm aliâ ratione poſſunt inter nociva corpora recenſeri, quòd vires ſtomachi frangant, quòd chylo crudiora ſuppeditent principia, viſcoſoque è ſanguine viſcoſam lympham, bilem viſcidam eliciant. Contrà ergo alimenta tenuia euchyma, herbas olentes, tenellas juniorum animalium carnes profuit adhibere.

Verùm id imprimis annotare velim quòd mihi non unâ vice accidit, inutilibus omnibus medicamentis mutando infantili ſanguini, principiiſque alterandis quæ novam ſemper depurationem cruſtoſam, ulceroſam, horrendam aſpectu efficiebant, nullam aliam methodum me adhibuiſſe quàm omnimodam & penitiorem victûs mutationem; ita ut illis ab omni juſculo carneo, piſcibus interdicerem, juſſiſſemque ut pane, oleribus mollibus, pauco vino adhibito, ut viribus ſtomachi ſufficerent, viverent; indèque ſanationem ſecutam vidi, inſperatam ferè illam, & ab aliis derelictam. Imò cùm mutatio ſumma & ab ipſis principiis facienda foret, non dubitaverim quin ſolis oleribus viventes & ſub hoc victu morbidos, unicâ carnium adminiſtratione pariter ſanaviſſem; ars enim in mutatione poſita fuit.

PARAGRAPHUS II.

De Affectibus cruſtoſis lacteis puerperarum.

Omnium quæ corpus humanum immutant & novæ addicunt exiſtendi formæ, nulla eſt conditio quæ magis notabiles inducat alterationes,

alterationes, quàm illæ quas experiuntur fœminæ, menſibus graviditatis, atque poſt puerperium. Siquidem craſis ſanguini nova inducitur, primò à menſtruorum retentione, poſteà verò à productione humoris mucilaginei atque lactei qui non ſolùm ultimis graviditatis menſibus exuberat, ſed etiam longa poſt partum relinquit ſui veſtigia, nec niſi poſt plures à graviditate menſtruorum vices perpeſſas omninò & funditùs deletur.

Nec minor certè in fœmineo corpore mutatio ingeneratur à mutato ſolidorum æquilibrio, à novo fibrarum tono. Sed cùm mutationes illæ vix ad morborum cutaneorum generationem conferant, alterationes illas phyſicâ trutinâ digniſſimas aliis relinquemus expendendas. Lac enim omnia humorum humanorum elementa continet, fitque è chylo humor prorsùs naturalis, ita ut cum Boerhaavio dici poſſit proprio lacte omne humanum genus vivere. Scilicèt nondùm in eo adeò adunata ſunt atque compacta globulorum elementa, nondùm copiâ humoris illiûs terreo-oleoſi atque ferrei qui ruborem facit, evoluta ſunt; & quamvis per me liceat nullam fidem experimentis & obſervationibus Lewenhoeckii adhibere, fatendum tamen eſt facilè demonſtrari principia lactis minùs tenuata eſſe principiis cruoris, adeòque magis ad acorem diſponi, ſimulque minùs compacta atque addenſata eſſe, quod pondus utriuſque liquoris ſpecificum evincit.

Cùm ergo ex naturæ conditione, ut fit in gravidis atque recens puerperis, lacteus humor intra vaſa exuberat, nec per ſuctionem exhauritur, principia mucagine craſſiori nec tenuato ſcatentia habentur, ſeroque ſuperfluo onuſta; hinc perſpiratio excrementitia, qualis excipere debet ſingularum coctionum finem, nunquam abſoluta eſſe poteſt. Indè inter malorum catervam quæ poteſt à lacteo humore trahere originem, nil mirum, ſi febres ſudatoriæ, hydroa, papulæ facilè advertantur, de quibus varii auctores diversè ſcripſerunt, ſed quæ ad præſentem materiam nihil attinent, niſi quatenùs indè facile eſt hariolari qualis aditus aperiatur morbis chronicis cutaneis etiam depuratoriis.

At licèt plethoræ lacteæ poſſit aliqua in cutim fieri depuratio, ad congeſtiones potiùs & tumorum pericula referetur illa, quàm ad morbos cutaneos, & in cellulas potiùs effunditur, quàm fertur ad cutim. Siquidem congeſtione ſolâ & impetu tantùm facto nocere poteſt humor per ſe innocuus. Undè quicumque à lacte pendent morbi cutanei, præſertim depuratorii, illi ab humoris

iſtiûs degeneraſcentiâ & quaſi corruptelâ contrà naturam factâ pendere dicendi ſunt.

In illud igitur, cùm agendum eſt de variis morbis qui à lactis præſentiâ pendent, tota noſtra vertitur meditatio, ut expiſcemur quâ poſſit ratione lac corrumpi, ut ad cutim feratur. Quod diſcemus uberiùs ex horum morborum conſideratione qui, utut varias formas ſibi aſſumant, ad duo tamen præcipuè capita referri obſervàndo poſſunt. Alii enim acuti ſunt, chronici alii. De acutis qui ad cutem erumpunt & in ipsâ perſanantur dicere noſtri non eſt inſtituti. Chronici verò non eamdem formam pariter ſervant. Alii enim acuto morbo, vel potiùs acuto morbi paroxyſmo ſuperveniunt, & poſteà, quaſi novis reſeratis fontibus, diù ad cutem perdurant; alii pedetentìm invaleſcunt & ab origine exili in immanem cutis ruinam progrediuntur.

Practicis & uſu exercitatis Medicis utrumque genus ſatis cognitum eſt. Primum genus rarò antè tertium vel quartum diem à partu incipit. Tunc poſt febrilem æſtum, cutis tota intumeſcit, & quod præſagum animum ad morbi longitudinem metuendam poſſet inducere, intumeſcendo induratur. Fit exiguis cellulis materie induratâ turgentibus tota quaſi coriacea. Aliquid eryſipelatoſi extrà fertur, tuncque ex aridâ cute nulla fit eruptio, niſi phlyctœnoſa fuerit illa, & nihil ad levationem mali conferens. At paucorum dierum intervallo, vulgò aut quatuor, aut ſeptem exactis diebus, deferveſcit eryſipelas, tuncque cutis rhagadibus fiſſa & dura, aſpera tractanti, atque coriacea per eruptionem ſolam ſolutionis ſpem affert. Sed eruptionum tunc temporis ſperandarum forma non una eſt, fata non eadem ſunt.

In aliis enim puſtuloſus morbus eſt, & ſcabiei ad inſtar humidæ, ut veteres vocabant, humorem tantummodò tenuem atque ſeroſum elicit, adeòque cruſtas leves efformat atque facilè tollendas, ſed quas ſimilis notæ aliæ excipiunt, ita ut ex ſpe curationis promptæ in longi morbi faſtidia devehantur, qui nocte præcipuè miſeras defatigat, non ſine pruritu & ſcalptu, atque nitidæ cutis deturpatione. Undè ſenſim marceſcunt mulieres, nauſeâ atque depravatæ coctionis ſignis laborant, brevì crura intumeſcunt, tuſſicula erumpit & phthiſi tandem abſumuntur, niſi morbus, relictâ cute, decumbat tumore immani, aut albo, aut eryſipelatoſo in articulos. Hæc lues in locis paludoſis apud pauperculas quæ infima ædium ſenta ſituque malè ſana incolunt graſſatur; raò

verò opiparo victu utentes, linteaque atque induſia frequentiùs immutanda habentes adoritur. Faciliùs etiam in lautiori fortunâ ſanatur quàm apud inopes, quibus lac corruptum inhæret cuti & epidermidi, illudque involucrum, præ qualitate lactis acidâ atque ſolvente, in ſubſtantiam terream diſſolvit; imò morbus hic apud plebeculam infimæ ſortis quaſi endemicus eſt, & vix ultrà progreditur.

Non idem dicendum de alterâ morbi hujuſce formâ dùm per ſuperficiaria quidem, ſed latiora erumpit ulcera; à veris exordium ſumit puſtulis, pure lacteo turgentibus, tuncque pruritu enormi infames ſunt illæ. At ubi increſcunt, atque multiplicantur, minus quidem pruritûs atque ſcalpturæ afferunt, ſed viſui magis horridæ, ruborem vicinæ cuti communicant, & odorem intenſiùs fetidum, imò & aliquandò in peſſimis hujuſce generis affectibus cute depreſſiores cruſtæ apparent, quod in elephantiaſi poſteà notabitur. Odor verò, utut ingratè ſenſus percellat, nauſeam concitat & ad animi deliquium inducit potiùs quàm fœtore acri atque percellenti nares feriat, & acidi malè fermentati atque fracidi idæam inhibet. Sed quantùm mali, quantùm diverſitatis in ſymptomatibus invehere poſſunt, ſi palpebras, oculos, mentum, genas puſtulæ illæ occupent, undè ſæpè ſæpiùs latentis luis venereæ inconſultæ ſuſpiciones, & malè ominoſæ mercurii adminiſtrationes malum dùm eludebant, phthiſim & febres lentas potuerunt arceſſere.

Quid de hoc morbo ſibi relicto eventurum foret, nunquam mihi licuit deprehendere, cùm omnes tali malo laborantes & remedia poſtulent & negatis doleant: certè ea eſt cutis natura ut longis fatigaret ægras tormentis perverſa funditùs & deſtructa humorum moles, cùm etiam morbus ſeduliore tractatus curâ, tandiù duret, ſalvâ & integrâ vitâ, dolentibus tamen articulis, & inſomnibus noctibus, licèt reſtituta fuerint menſtrua & ipſa legitimè fluant. Quod non unâ vice cum dolore vidi.

Non inuſitata eſt utrique horum affectuum forma quòd quandoquè conticeſcat, iterùmque redivivus recrudeſcat, pro tempeſtatum atque victûs ratione, præviâ tamen ſemper & exordium præbente febriculâ. Cùm conticeſcit atque ſibi bellè ſanata videtur muliercula, rerum gnarus cum ipſâ tamen non ſentit, nam ſi textum cutis attentiùs luſtraverit, & levi frictione nativum colorem abſtulerit, apparebunt extimæ cutis cellulæ turgentes humore inerti

& quaſi concreto, quem datâ occaſione ſolvent & ſolvendo turgeſcere facient calorem augentes atque humorem perſpiratorium ad cutim agglomerantes cauſæ.

Ex his deducitur facilè morborum horumce diagnoſis, quæ, ut cæteri omnes cutanei morbi, tota viſu conſtat & oculis deprehenditur. Nec ipſa cauſa incerta eſt, partus ſcilicèt adeſt, & in priore ſaltem horumce morborum genere præceſſit febrile incendium.

Prognoſis verò communis eſt cum altero morborum horumce lacteorum genere, qui per ſe ſine ullo morbo prævio invadunt, lentèque, & quaſi ſenſim corruptâ lactei humoris intùs circulantis maſsâ naſcuntur, ſenſim invaleſcunt, imò & ſerpunt, partes alias atque alias invadentes, ſed eâdem formâ, iiſdemque ſymptomatibus.

Iis nullum aliud ſymptoma prævium eſt, præter illud quod omnibus ferè morbis cutaneis commune eſt, ut ventriculus apepſiâ plures per dies laboret, imò vexetur nauſeâ. Poſteà, aut fluor albus uterum infeſtat, aut peſſimi oriuntur dolores ad articulos, ita ut frangi & diſrumpi oſſa videantur, credantque mulieres ſe ideò podagrâ laborare, quòd ſæpè tumor albus ad articulos ſeſe attollat. Puſtulæ indè ſenſim oriuntur, & ſi ſpectaculi fœditatem ſuſtuleris, ſanitas redit illibata. Mulieres ad has redactæ anguſtias, omnia mala contrà mutarent, ſed raròfebre tentantur, raròrectè fluente hâcce materiâ catharris plectuntur qui tantùm redeunt, ſi cohibitus fuerit ad cutim fluxus. Sola animi anguſtia ingens, & formæ perditæ dolor perpetuus coctiones corrumpit. Verùm corruptela illa morbum auget cutaneum, coctionibus illùc delatis, & ab aliis malis ſalvas facit infelices. Undè ut in poſterioribus hiſce affectibus, ſic etiam in prioribus prognoſis eſt morbi diuturni, qui longè diuturnior evadet, ſi ritè reſtitutis atque fluentibus menſtruis, malum perſtiterit. Sic immedicabilem etiam labem primipuerperæ inflictam ingemui, cùm pulcherrima anteà mulier & ad delicias ſociales nata conſortium hominum fugere coacta fuerit & faciem occultare in Eumenidis formam verſa & immutata. Scilicèt illa immenſæ atque ornatiſſimæ cœſariei, dùm partus immineret ne decideret metuens, ex anili conſilio ſale ipſam reſperſit, & poſteà ut noſtratum fœminarum mos eſt, totam ſalinis ſpiculis horrentem multis cooperuit linteis agglomeratis, plures per dies non mutandis, ut puerperarum mos eſt. At aliquibus poſt partum diebus, palpebræ, frons, genæ papulis, dein puſtulis ulcerandis atque cruſtoſis

dehoneſtatæ ſunt, primò quidem cum levi metu, cùm fœminæ aſſiſtentes aliæ quidem paſſæ eſſent, aliæ vidiſſent ſimilia. Cætera ſecundùm ordinem fluere viſa, ſanitas reſtitui. At poſtquam erumpentibus menſtruis non meliùs ſe habere viſa eſt & per faciei vaſa quaſi inuſto cauterio humor ſalſus & cruſtoſus abire quotidiano effluxu apparuit, non de rationali medicinâ, aut methodo cogitatum, ſed arcana & artes empyricæ in conſilium admotæ. Quibus ab octo annis ita invaluit malum, ut deſperabunda ex urbe ruri aufugerit ex lepidiſſimâ muliere mutata in fœdum ſpectaculum, ex leviſſimâ in piam & gravem matronam. Raros quidem hoſce caſus non negaverim. Vulgò ſanantur illæ mulieres, ſi ſeſe præſtiterint obedientes, ſed faciliùs, ſi à primis graviditatis menſibus cutis fuerit deturpata. Id enim non rarò accidit; morbus tamen vulgò maculoſus eſt, & à compreſſione ortus. Nam ut rarum eſt prægnantis vultum aut artus non aliquibus maculis deturpari, ita aliquandò totus maculis horret; ſed non ſunt inter morbos lacteos aut depuratorios numerandi affectus illí quales aliquandò videre eſt luridos, atrabilarios, imò nigros admodùm; hi vulgò morbi cum partu deſinunt, ut vidi non unâ vice per ſudores auferri. At ſæpè ſublato morbo remanent ejus veſtigia, & vultus muliebris nitorem illum quo ſe tantoperè jactat amittit, & maculis deſœdatur.

Si verò aut herpetes erumpant, aut aliud malum cutaneum antè poſtremos geſtationis menſes, illi tunc ad univerſalem horumce morborum cauſam referendi ſunt & cum iis, habitâ geſtationis ratione, tractandi. Qui tantùm ſub ultimis menſibus naſcuntur, ad noſtros referendi ſunt, eamdemque recipiunt & diagnoſim & prognoſim quâ omnes diuturnitatis inculpantur jure meritòque, ut meditantibus apparebit, ſi tantiſper libuerit inſiſtere in cauſas quæ labem lacti atque lymphæ inurunt.

Pars lactis ſeroſa vegetabilibus præcipuè pollet proprietatibus, & ſale ſcatet aceſcente, adeòque ſi hæreat, ſi circuitu minùs ad naturæ normam congruo feratur, aceſcit facilè; indèque grumos facit qui ſi deponantur in glandulas, ſcirrhos quibus puerperæ nimis incautæ maximè obnoxiæ ſunt progenerat; ſi in textu cellulari; tumores lac ſpirantes, adeòque & lemoſos & cruſtoſos, & ſpiſſum, ſed crudum pus fundentes inducit. Undè fit ut tumores illi albeſcant, limboque rubello vix diſtinguantur. His illud proprium eſt ut à ſummè grumosâ duritie celerrimè vertantur in molles & flaccidos, imò & depreſſos, ubi cellulæ vacuatæ ſunt.

Tumores ergo illi omnes lactei acidæ priſtinæ indolis aliquid intùs retinent, craſſamque omninò liquoribus diatheſim inducunt. Indè etiam malum ſemel depoſitum diuturnitatem adipiſci debet, cùm nihil adeò fermenti indolem retineat, adeòque craſim vitioſam faciliimè in vicina diſpergat, atque communicet. Nec quidem negandum eſt poſſe ab hâc indole in peſſimam dyſcraſiam lac verti & ſummè putredinoſam; ſed ſemper illiûs exordia putredinis ab aciditate deſumuntur, ita ut mulieribus quæ malis à lacte pendentibus laborant ſæpè dentes exedantur miſerrimè, oſſa molleſcant, atque diſrumpantur, & creta oſſea per urinas exeat. Hæc ergo unica cauſa omnium morborum lacteorum qui lympham vitiant etiam pro cutis vitiis admittenda eſt, & ad eam omnis dirigenda eſt curatio.

Curatio igitur ut non eadem eſt atque cæterorum morborum cutaneorum, ita una & eadem eſſe debet in omnibus morbis cutaneis lacteis. Cauſa quippè unica eſt & varia accipit ſymptomata ab ipsâ cutis ſtructuræ diverſitate.

Porrò tota illa conſtat in legitimo aperientium, attenuantium atque ſaponaceorum uſu, ſemper præſenti recordatione malum ab acidâ lue pendere: lac enim aliter corrumpi non poteſt. Adeòque inter uſurpanda medicamina, ea ſemper præferenda ſunt quæ ad alcalinam indolem vergunt, poſſuntque ſimul acidum edomare: quid enim? Turgent aceſcente lacteo humore omnes ſalivales glandulæ, tùm eæ quæ ventriculum alluunt, tùm illa moles glanduloſa quæ pancreaticum humorem fundit, ita ut omnes humores, exceptâ urinâ, caracterem hunc ſenſibus fundant, vireſcat bilis, & à bile eumdem accipiant colorem fœces alvinæ. Chylus ergo undiquè acore perfunditur, quem brevì ipſe undequaquè diffundit. Undè niſi hæc indoles corrigatur & immutetur penitùs, à quocumque corporis puncto novus fomes eidem malo innaſcitur. Proindè omnibus viribus annitendum eſt ut diæta, medicamenta, & omnium rerum non naturalium uſus in eumdem ſcopum collineent.

Cùm verò lacti inuſta labes defectum virium, & inertiam naturæ ſemper ſupponat, ſummi eſt momenti naturæ robur addere, ipſamque actuoſam efficere, ut repetitis vaſorum ictibus coagula tenuet. Ergo antè omnia vincenda eſt muliercùlis innata deſidia, & exercitii ſuadendus uſus uſquè ad ſudores & defatigationem: exuberat nocivum ſuperfluum quod vincendum eſt labore & curâ.

Tùm verò diæta ſit tenuis, nec conſtet ex farinoſis craſſis, glutine nutritio refertis quæ facilè mutationem ſpontàneam ſubeunt, & vitæ viribus difficiliùs cedunt, ſed ex cerealibus fermentatis, attenuatis, pane biſcoɛto, oleribus leviter acribus, qualis fuit illa Perſarum, teſte Xenophonte, ex naſturtio, quibus addantur ad recentiorum ingluviem carnes aſſæ pullorum, cuniculorum, perdicum pro viribus ægrotantium; ſed nutriendum ſemper infrà vires. Aqua puriſſima pro potu concedatur, aut attenuante herbâ infeɛta, quales ſe præſtant veronica, ſcabioſa pratenſis, echium, borrago, cardamine, chamœdrys, chamæpytis; & aliæ ſeligantur herbæ quæ crucifero flore, ſapore acri inſignes, infuſæ tamen non ingratum potum conciliant.

Poſteà verò, ſi non fervor & æſtus morbum comitantur, nec ulla adſunt erethiſmi per laxantia tollendi ſigna, ad aperientium uſum ita tranſeundum eſt, ut leniora primùm adhibeantur eaque quæ, aut diureticam vim obtinent, aut poſſunt humoris perſpiratorii vim excretoriam adaugere. Quæ quidem ultima virtus, niſi tempore & loco adhibeatur, manca eſt & fluxa, cùm non omnes horæ æquè fluxui perſpiratorio commodas ſe præſtent. Hinc ſerò omnibus ad ſomnum compoſitis, proſunt infuſa meliloti, papaveris erratici, imò in laxis & languidulis infuſa ſantalorum, ſaſſafras, & decoɛta ſarſæ parillæ, chinæ, imò & ligni ſanɛti, additis parcâ doſi ſalinis volatilibus.

Familiare eſt noſtris juſculorum ſub formâ, imò & carne vitulinâ cicurata exhibere decoɛta radicum helenii, lapathi, bruſci, anonidis, imò & infuſa raphani ruſticani, ari, aliarumque ſimilium plantarum inter quas laude eminet radix junci ex provinciâ Gallo-meridionali eruta, quibus addunt folia borraginis, bugloſſi, ſaponariæ majoris, fumariæ, cærefolii, ſcolopendrii aliaque folia aperientium plantarum.

Sed ad ſacram videntur anchoram confugiſſe, ubi his adjunxêre arcani duplicati drachmam unam aut alteram, quod ſal virtute diureticâ diſtinguitur, atque alvum ſolvente, ſed ſummè penetranti efficaciâ præditum videtur ad vaſorum ultimos fines penetrare, ibique vim aliquam notabilem exerere, irritantem illam, cùm pruritus acres aſſumptum concitet; undè non ſemper, imò in erethiſmi periculo nunquam adhibendum eſt. Et certè mallem in cutaneo laɛtis vitio, ſi cætera non repugnent, aliqua ſalis ſaponacei tacheniani grana in uſum revocare.

Præcipuè ad hunc uſum jure meritòque à Fr. Hoffmanno, Stahlio, & melioris notæ apud Germanos Medicis commendatur tinctura ſalis tartari, qualem ab eorum operibus tranſcribit Pharmacopæa Pariſienſis. Illa viribus alcalicis & ad acidum deſtruendum aptis, virtutem ſaponaceam altè penetrantem & merè attenuantem jungit, palmamque facilè cæteris ad hunc uſum inſtitutis medicamentis præripit.

Hæc in levioribus malis ritè adhibita & catharticis lenioribus ita intermixta, ut fluxus materiæ ad alvum fiat, raritaſque alvi cutis denſitatem Hippocraticam inducat, ſufficiunt; craſſities enim lactea ſic ſenſim edomatur, & ſal acrius cruori additum ipſum ad naturalem tonum reducit. At malo inveteraſcenti & graviori alia ſubſidia ulteriùs quærenda. Nam quod jam uſu diuturno, pravâ diætâ, triſtiſſimis animi pathematibus primam & alteram coctionem perturbantibus invaluit, & jus civitatis adeptum eſt, alia curationum molimina expetit. Scilicet grave onus arti incumbit lymphæ univerſam craſim acidulam, & quaſi grumis obſitam ita penitùs immutare, ut jam nec glandulas obturet & à cute liberè redire poſſit, ſerum non percolando, ſed principiis intimiùs mixtis omnia ſimul agendo uniformi circuitu. Serum enim ſimul diluere debet partes intimiùs mixtas atque agglomeratas, rapere ſecum materiem plaſticam, mucagines, varii in craſſitie ordinis. Prætereà verò, quod non minimâ attentione dignum eſt, ſolvendus eſt ipſe in textu cellulari depoſitus adeps, qui cùm à lacte pendeat nondùm in ſanguinem verſo, ipſiuſque cremorem repræſentet, antè alios humores caſeo admixto corrumpitur, ranceſcit, grumeſcit, forſanque maximas agit partes in producendis, fovendis, atque adaugendis puerpuerarum morbis cutaneis, ſuppurationibuſque efformandis illis crudioribus, & odorem ſpecificum ſpirantibus qui ſemper comitatur illas.

Ex his ergo facilè deducitur eaſdem indicationes medicanti offerri, quoties eadem cauſa ingruit, ſed ubi eò uſque vitiatus eſt humor, ut omnes illo ſcateant tùm glandulæ, tùm incernicula, tùm textus cellularis, ingentia eſſe applicanda medicamenta, machinas ingentes movendas, quibus univerſi corporis fabrica mutetur funditùs. Hìc circulus ille metaſyncriticus antiquorum locum habere debet, nec maximâ opus eſt meditatione, ut ſentiatur quàm parùm poſſint hìc remedia empyrica, quibus meliùs obſecundant mulierculæ quàm cuivis methodo Hippocraticæ.

Certum

Certum eſt methodum adhibendam tribus conſtare temporibus, quorum neutrum ſine periculo poſſit ſupprimi : primum eſt quo materies hærens in incerniculis diluitur & ad motum præparatur; alterum quo præparata vacuatur ; tertium demùm quo reparatur labefactatus vaſorum tonus, ipſaque, ut & humores, ad ſalutarem tonum aptantur & redintegrantur.

Decocto levi carnium tenuioris & quaſi vegetabilis ſucci, qualem præſtant pulli, agni, vituli, teſtudines, cochleæ, aut meliùs adhùc ſero lactis bellè depurato & ita præparato ut nulla remaneant antiqui lactis veſtigia, non ſine ratione utuntur vulgò Medici, quibus admiſcent ſubſtantias quæ poſſunt aliquid vegetabilis caracteris liquoribus imprimere, animaleque acre, acri oppoſito vegetabili, obtundere. Hinc niſi totiûs corporis erethiſmus obſtiterit, plantarum cruciformi flore inſignium ſucci vehiculis memoratis miſcentur, parcè primùm, ne irritationem moveant, aut inflammatoriis ſtimulis vellicatas jam fibras pungant, poſteà doſi auctiori, ita ut earum copiâ potiùs multiplicatâ, quàm virtute auctâ, ſanguini tinctura volatilis inſinuetur, & ille nullo temporis momento præſidiis ſalutaribus careat. Verùm ſi ventriculo labes à lacte inuſta ſit, illa ex rei neceſſitate ad acidum verget, proderitque præ cæteris remediis aquâ calcis benè & ex arte parandâ hauſtus vel ſeri lactis, vel juſculorum inficere, quo liquore nullus alius tam potenter caſeoſa coloſtra ſolvit. Majus incendium minantur ſales fixi tacheniani qui alcalinam quidem virtutem obtinent eminentem, ſaponaceamque ſolubilem, ſed non ſine aliquo ardoris metu.

Verùm ubi hiſce primis auxiliis impugnata primùm fuit cachexia hæc lactea, tunc omnia facta ſunt fluxiliora, tunc vaſa & magis pervia & meabilia magis ; principia ipſa lactis nocentis & minùs arcta & minùs addenſata ; materies in motum agenda, & vel per ſudores movendus, vel per urinas detrudendus humor nocens, vel alvi aperienda clauſtra. Nec dubitaverim quin in regionibus æſtu & calore torridis, in quibus & abundè, & conſtanter profluunt ſudores, in quibus & noſtra hæc mala minùs frequentia ſunt & vix cognita, ut de Siciliâ aiunt, poſſit, ſi erumpit aliquandò labes illa, in cutem omninò per ſudores tolli & averruncari. Quâ quidem in methodo adhibendâ tantâ opus eſt curâ in noſtrâ inconſtantium tempeſtatum Galliâ, ut pœnè crediderim impoſſibilem : quam tamen cùm viderim à ſummo viro cum ſucceſſu admotam narrare non erit inutile.

Primo præparationis tempore balnea plura imperavit, remediaque pauca & præſcriptis ſimilia. Dein, admoto thermometro Reaumuriano, ita cubiculum claudi volebat, ut ſemper eidem gradu athmoſphæræ miſera ſubjiceretur. Erat ille 16 graduum. Paucis ſelectiſque cibariis utebatur ad pondus. Tùm ptiſanæ manè ſeròque ſudoriferæ ex guaiaco & ſarsâ parillâ ad unciam unam in aquæ lib. 2. addito pauxillo ſalis alcalini fortiter decoctæ addicebatur. Ægrota intereà, & poſt primos ſudoriferi adhibiti dies, paucis granis panaceæ mercurialis utebatur. Potus erat ex ſecundo & leviori earumdem plantarum decocto. Nec ullum erat tempus noctu diuque à ſudoribus vacuum per dies integros quadraginta, non ſine intolerando muliercularum faſtidio ; ſed quidquid contradicerent, fortiter pergebat, diætâ alioquin levi & vegetabili, à butyro interdicens. Sanatam hâc methodo vidi non unam ; nocuiſſe tamen pluribus delicatioribus & thorace infirmo præditis certò ſcio, ita ut una mihi probè cognita ex iis phthiſica occubuerit, cute tamen ſanâ.

Incerta eſt, nec cuiquam certò conceſſa methodus humores per urinas ablegandi, ita ut ferè unica ſit urinæ excretio quam nullâ in regione, nullo ſub cœlo poſſis ad nutum elicere. Conatus in hanc metam inanes id tamen habent utilis quòd cùm nulla ferè ſit differentia inter diuretica & ea quæ propriè dicuntur aperientia, partim tonica, partim ſaponacea, omnia quæ ad eliciendas urinas tentantur, ad ſanandam morbi cauſam collineant ; undè methodus curativa nulla caret diureticis, quamvis ſæpè careat diureſi. Supereſt ergo largior quæ per alvum aperitur ſentina, quæ corpore benè præparato, meatibus liberis, humoreque fluxili, rarò fallit eventu ; ſi poſſit tamen efficacia cauſam attingere quæ aliquandò remedii eludit effectum, tuncque à purgantibus ſiccatur corpus & altiùs intenditur & *incuneatur*, ut barbarè loquar, materies aridior, fitque immedicabilis, nec poſteà ob ſiccitatem expellenda. Undè in adhibendis medicamentis purgantibus ſedulò attendendum eſt ad ea quæ veteres medicinæ patres toties prædicavêre ; corpora quæ purgare volueris fluida facias oportet. At illa quæ pharmaca potentiora ſpectat regula, non adeò ſtrictè leviora comprehendit medicamina. Undè ut in gravitate mali & ejus rebelli indole plures ſunt gradus, eſt etiam tùm in præparatoriis medicamentis, tùm in catharticorum uſu ingens graduum diverſitas.

Plura ſunt hujuſmodi mala, ſi non inveteraverint, quæ noſtrates

vulgò ſic adoriuntur, & quidem cum ſucceſſu quem experientia potiùs quàm ratio chymica demonſtrat. Venam in mulieribus aut plethoricis, aut malè menſtruatis ſub morbi principia incidunt, dein ſerum lactis, aut juſcula ex pullo, vel vitulo confecta & ex ſucco plantarum aperientium, quales ſunt fumaria, naſturtium, ſcolopendrium, cichorium, &c. magnâ copiâ offerunt. Ubi dilutio humorum, bile jam liberiùs fluente, ſe factam declarat, tùm iiſdem purgantia remiſcent aperientibus juncta atque maritata, ſimul diaphoreticam admiſcentes virtutem. Sic ptiſanam conficiunt ex bardanæ radicibus, polypodio querno, foliis borraginis, bugloſſi aliiſque ſimilibus cum ſennâ & ſale aliquo neutro. Hinc fluxus alvi bilioſus concitatur, liberantur inteſtinales glandulæ, decubitus ad cutim minuitur; undè fit ſingularis materiæ non imminutio tantùm, ſed etiam determinationis mutatio, ſine aut irritatione ferali, aut in inteſtinale organum impetu. Indè fit ut facilior pateat ad remedia immutantia atque alterantia aditus ad quæ poſteà progrediantur. Ex eo genere multum nominis habent juſcula ex viperis confecta, non quòd, ut credebatur olim, ſale alkali volatili turgeant illæ, hanc præjudicatam opinionem excultior Chemia funditùs deſtruxit, ſed quòd inter attenuantia medicamenta jure meritòque vipera numerata ſit, vel ab antiquioribus Medicis Aretæo, Galeno qui de ſalis alcali volatilis naturâ ac nomine ne quidem ſomniabant. Nec illos tamen recentiores aut vituperiis, aut imprudentiæ reos crediderim qui in naturis inertibus atque phlegmaticis hiſce juſculis ſal volatile ex animalium deſtillatione mutuatum addunt; modò tamen remedium illud ſummè alterans, & ad lactis immutationem faciendam ejuſque acrimoniam debellandam aptiſſimum non obtrudatur omnibus, ne pruritum, aut inflammationem jam vellicatæ cuti afferat. Juſcula autem viperina iiſdem plantis additis redduntur potentiora. Et ne bilis à remedio diaphoretico fluxus interrumpatur, addunt arcanum duplicatum ad drachmam unam, aut duas, cujus generis ſal, neſcio quâ virtute, aut ratione ab obſtretricantibus potiùs quàm Medicis pro ſpecifico in morbis à lacte coagulato venditatur, cùm tamen & ſolvatur in aquâ difficiliùs aliis ſalibus, & non minimum irritationis conciliet; undè pluribus titulis ſal glauberianum admirabile, quoties irritare nefas, prætulerim.

Materie ſic præparatâ atque imminutâ & immutatâ, rursùs ad purgantia redeunt, tuncque apud plurimos viget uſus non inter-

ruptus alternis diebus ptiſanæ laxantis atque ſudoriferæ, qualem laudavit olim Galenus in libro in quo conſilium ſcripſit de epileptico. Hanc hodiè ex lignis ſudoriferis atque purgantibus reſinoſis, addito ſimul antimonio, deſcriptam legere eſt in codice Pharmaceutico Pariſienſi. Eam autem è libris medicis mutuatam ſibi propriam fecerat agyrta *Vinache* qui in hujus ſæculi initiis hujus uſu urbem infecerat, quandoquè fauſto ſucceſſu, quandoquè infeliciùs, ut moris eſt illis qui ſanctiſſimam medendi methodum ignorantes præcipiunt tamen incautis medicamenta. Reliquias morbi bolis ſolventibus & diaphoreticis ſic dictis fugant, præſertimque longo uſu antimonii quod dicunt diaphoretici, licèt hæc ipſi virtus à multis denegata ſit. Addunt virtutis multò magis comprobatæ medicamenta ſaponis arte facti varia pro naturâ & temperie ægrotantis genera, tùm gummi ammoniacum, opopanax & hujuſmodi, additis ſimul ſpiculis reſinoſis è ſcammonio atque jalappâ quibus detrudantur & ad bilis meatus adigantur partes ſolutæ & in fluorem excrementitium redactæ.

Demùm periodo hâc exactâ, omnia remediis turbata per martialia ſolent in integrum Medici reſtituere, aquaſque Forgienſes, ſi alvus fluxa ſit, apud nos ſi dura, Paſſiacas, uſu quotidiano repetunt. Si tonus ventriculi peccet, præferuntur Spadanæ, Pyrmontinæ, Buſſaneæ; ſicque longo medicamentorum curſu omnes adimplent indicationes. Pauperioribus martialia ex Pharmacopœis ſupplent. Mixta hæc curatio ex omnibus adimplendis indicationibus nunc ſudoribus favet, nunc per inteſtina & bilem virus ablegat, ſi ſapienter dirigatur omnium optima, at peccatis tùm ægrotantium, tùm Medicorum obnoxia maximè.

Cùm enim in eo hominum & præcipuè fœminarum genere verſemur quæ moram impatienter ferant, & civilibus, ſeu officiis ſeu ludicris extrà rationis metas auferantur facillimè, ſæpiùs profuit, excuſsâ omni medicamentorum farragine, poſt præparationes, ut fieri poterit, longiores, poſt regimen leve & ut modò deſcripſimus idoneum, poſt aquæ tepidæ diluentia balnea, poſt cathartica lenia, inter quæ aquæ Sedlicenſes præſtant ſale alcalino minerali refertæ, ipſas ad balnea & potum aquarum ſudoriferarum atque abſtergentium amandare, quæ cùm hepar ſulphuris à naturâ confectum contineant atque redoleant, caloremque à naturâ acceperint, potenter omnium humorum craſim immutant, perſpirationem atque exhalationem ſummè adaugent, & meatuum obſ-

tipata oſtia ſummâ cum facilitate eluunt, morantesque quiſquilias auferunt. Tales antè alias ſe præſtant aquæ à Cheſnæo laudatæ Barbotanenſes, aut à Raulino Montmarſanenſes, ſed præcipuè à Bordæo obſervatæ Barregienſes in Biteris, aut eæ quæ Lucionenſes vocantur, quarum etſi recentior ſit gloria, poſſim tamen ipſe eam pluribus exemplis celebrare. Et certè licèt ſæpè thoracem poſſint opprimere, licèt ſtomacho infidæ ſint omnes aquæ thermales, fatendum eſt nullum potentius dari medicamentum ad perſpirationis facilitatem conciliandam atque meatûum ulceratorum cicatriſationem. Adde quòd glandulas omnes eluant, & eorum actione peractâ, ad totiûs roborationem martialia liberiùs agant.

Verùm recoctum ſupponamus malum, ad omnem artem rebelle, aut arte præpoſterâ intoxicatum, quod non raró accidit in morbo qui ingens ſui faſtidium concitat, an ſuæ ſorti relinquendæ ægrotantes miſellæ? An non aliquid tentandum? Quod ipſe fecerim, quod antiquitùs docuit Hippocrates in morbis cutaneis ſimpliciter exponam.

Immutanda penitùs eſt ægrotantium diæta, ita ut quæ carne utebantur, ſolis vegetabilibus vivant. Hâc ſolâ diætæ mutatione fœminam nobiliſſimam ſanatam integrè vidi. Solum vertere ſæpè proderit, laboribus vincenda atque fatiganda quæ ſtetit iners, fame torquenda, ſiti urenda, ſpeque intereà fovenda erit, ut contrarios ſexûs habitui labores tolerare poſſit. Tùm verò balneis tepidis & potu diluente corpus ita ſolvere proderit, ut in ſudores facilè diffluat inter laborum exercitia, & ubi mollior fuerit fabrica corporis, tunc proderit fortibus catharticis alvum concutere, atque totum corpus ſolvere, ita ut à carthartico & ſitis, & virium exſolutio ſequantur, totaque facies ut in cholerâ accidit marceſcere morbo accito videatur. A tali medicamento rursùs ad diluentia redeundum eſt, donec omnia in priſtinum ſtatum reſtituta videantur. Tunc mochlicum iteretur, iiſdem ſervatis cautionibus: quater, aut pluribus vicibus idem repetere juvat, quod raró caret ſucceſſu, ſi prudenter & cautè fuerit adhibitum. Mihi verò ad hunc uſum cæteris medicamentis præſtare viſum eſt extractum hellebori nigri, quod inter cathartici potentioris actioni neceſſarios tumultus id tamen obtinet, quòd raró cruciatus & tormenta concitet, & nunquam actione ſuâ catharticâ cadat; quod nec de ſcammonio, nec de aliis quibuſvis medicamentis dicere audeant. Semel etiam aut bis expertum me memini, ſolutionem

ſalis marini, dùm ſale ſaturatur aqua, ſecundùm doctiſſimi Medici Britanni Ruſſel effata, in morbis glandularum lymphaticarum cum quibus morbi lactei magnam ſervant analogiam; ſed licèt potentiùs & celeriùs quàm quodvis aliud catharticum ſolvat ventrem, tamen, cùm præ medicamenti ſapore horrendo indociles omnes repertæ ſint, cùm præſertim muſſitarent & adſtantes & medicaſtri piaculum eſſe in ſanguine quem ſal adeò vitiaret, adeò enormes ſalis doſes obtrudere, delirumque crederent, aut ſaltem experimentis animas humanas negociantem incuſarent, *ſolâ inductione adductus* credidi in ſimilibus malis remedium non fore aſpernendum. Audivi pariter aliquas ab extracto cicutæ Storkiano longo uſu continuato fuiſſe omninò perſanatas. *Penes autores ſit fides.*

ARTICULUS IV.

De Herpetibus.

Durum & difficile tractanti malum herpetes offerunt, nec faciliùs de eis differenti, cùm ad varias herpetum ſpecies referri poſſint & reverà relata fuerint omnia ferè ulcerum cutaneorum nomina quæ apud Celſum, Trallianum, Arabes, præcipuoſque ex hâc ſcholâ auctores Avicennam, Rhaſim, Haly Abbam, deſcripta reperiuntur. Limites morbis conterminis aſſignare operoſum eſt. Hinc, ſub herpetum nomine tantùm ea numerabimus ſerpentia in cute ulcera quæ peculiare ſibi aliquod ſymptoma non vindicant, quo diſtinguantur & diſcriminentur ab aliis. Suo nomine poſteà deſignabimus ea quæ aliquam ſibi propriam normam vindicant, ſeu meliùs ſignum eſſentiale quo notentur. Nam morbi omnes iſti affines inter ſe & ex eâdem oriundi proſapiâ plùs gradu & nomine differunt, quàm naturâ.

Herpetes dicuntur à Galeno ea cutis ulcera quæ ſummas tantùm partes cutis exedunt (*a*). Idem tamen pro vocum illarum confuſione alibi dicit *herpes non ſemper ulcus eſt* (*b*), ſed quoties cum ulceratione incedit ſerpentis beſtiæ ritu, vicina depopulatur & depaſcitur, νομει. Nos tamen, ut aliqua lux affundatur obſcuræ materiæ, inter herpetes ea tantùm mala recenſebimus quæ ulce-

(*a*) Comm. 1, in aph. 55, ſect. 6.
(*b*) Meth. Med. lib. 4.

rationem aliquam inducant, freti & ipſiûs Galeni in herpetes dividendos partitione (*a*), & aliquâ Hippocratis auctoritate qui herpetes inter νομὰς (*b*) recenſet, ſeu ulcera depaſcentia, ipſoſque ſub eâdem includit prognoſi. Imò ipſe Galenus noſtræ videtur ſententiæ firmitatem conciliare, cùm ait (*c*) herpetes à phagædenicis ulceribus in eo differre, quòd herpes ſolam cutem exedat, phagædenica verò ulcera etiam ſubjectas partes adoriantur.

Videtur Celſus (*d*), notante Foeſio (*e*), unius è ſacri ignis ſpeciebus prognoſim à loco Hippocratis in quo de νομαῖς & herpetibus loquitur exſcripſiſſe, ut attendenti facilè patebit, undè ſub ignis ſacri nomine deſcribit unum ex herpeticis affectibus.

Herpetum igitur qui à ſerpendo dicuntur & apud nos verè & propriè vernaculâ linguâ *dartres* vocantur, proprius atque eſſentialis character ineſt ut cutis continuitatem ſolvant, ſolamque illam exedant, intactis ſubjectis partibus, ita ut ſi aliquandò, aut pravâ conditione, aut quâcumque de causâ ſubjectæ illæ partes labis aliquam partem ſuſcipiant, jam non herpes ſimplex habebitur, ſed notante Polluce, malum vocabitur ἑρπηστικὸν ἕλκος herpeticum ulcus.

Antiquiores Medici, quorum prior vocandus eſt Hippocrates, de eo mali genere non videntur nobis præcepta diligentiora reliquiſſe, vel quòd in ſobriâ primævorum atque ſimplici vivendi normâ non adeò in populos graſſarentur herpetes, vel quòd, ut ait Hippocrates (*f*), ea omnia fœditatem potiùs conſtituerent, quàm morbum. Verùm in epidemicis morborum hiſtoriis, & alibi pluribus in locis, de herpetibus loquitur, tanquam de leviori & depuratorio, imò & critico exanthematum genere (*g*), ubi pronuntiat ipſis proprium eſſe ut ſerpant, nec exedant. Et certè cùm corpora exercitata & ſano ſub aëre viventia in noſtro etiam ævo hiſce malis minùs obnoxia ſint, nihil mirum ſi Celſi atque Plinii temporibus illi morbi inter novos numerarentur, mentagraque, quæ evidenter ex ipſius Plinii (*h*) verbis herpes fuit exedens, Tiberii temporibus natus crederetur.

(*a*) Method. Medic. lib. 14 & 11.
(*b*) Porrhetic. ſect. 11.
(*c*) Lib. 14, Meth. Medic.
(*d*) Lib. 5, cap. 28.
(*e*) In Porrhetic. lib. 2, p. 79.
(*f*) De affect. lib. ſect. 5, pag. 85, Foes.
(*g*) Epidem. 3, ſect. 3.
(*h*) Lib. 26, cap. 1°.

Diſtinctiùs Corn. Celſus de herpetibus ſub nomine papulæ diſſeruit, quarum duas recenſebat ſpecies, ſimplicem unam, alteram ἀγρίαν, ſeu ferinam; alias herpetis ſpecies ſub ignis ſacri nomine à prioribus dividens & ſeparans. Undè etiam Fernelius noſter (*a*) herpetum ſub papularum nomine mentionem fecit. Aliundè nomen à Celſo retinens, Galeni diviſionem de quâ mox loquemur admiſit.

Summus verò ille vir qui leges in arte noſtrâ communi etiam nunc omnium ſuffragio ſancitas conſtituit, poſt ſuprà expoſitam herpetum definitionem tria earum diſtincta genera voluit à ſe invicem ſejungi (*b*) atque diſcriminari, quæ etiam genera Aëtius (*c*) cæterique à Galeno auctores admiſêre, quamvis Paulus Ægineta (*d*) duas tantùm herpetum ſpecies recenſeat. Tria hæc genera à Galeno numerata ſunt; 1°. herpes miliaris ἕρπης κεγχρίας; 2°. herpes erodens, ſeu ἕρπης ἐσθιόμενος ſerpigo. Prior à formâ & naturâ humoris exeuntis differentias aſſumit, alter à malignitate & rapiditate decursûs. Tertius demùm à profunditate eroſionis ulceroſæ φλυκταινώδης phlyctœnodes dicitur aliquandò, imò meliùs *phagædenicus*.

Verùm, etſi omnes Græci Galeno aſſenſerint, videntur inter Arabes Rhaſis & Avicenna (*e*) cum Paulo duo tantùm herpetum genera recenſuiſſe, dùm herpetes ſub nomine à Græcis malè detorto μυρμηκιῶν, formicæ ſcilicèt nomine, deſcribunt; aliam miliarem admittentes, aliam corroſivam: quæ diviſio retinenda foret (*f*) niſi à diviſione Galenicâ novæ orirentur ideæ, adeòque ſeparatæ ad curandum indicationes.

Herpes igitur miliaris ſecundùm Galenum non protinùs ulcus eſt, ſed ulceratur brevì, exiguas emittens puſtulas ad ſpeciem milii, quæ interpoſito ſpatio ichorem fundunt. Undè, licèt omnes herpetes à bile repetat, aliquibus viſum, inquit, in herpete miliari pituitam bili commiſceri. Is lentiùs ſerpit, ferè ſemper rotundam affectans figuram, eximiè prurit, & ſanationem recipit celeriùs, aliquandò acuti morbi tempora æmulatus.

Herpes erodens ſive ἐσθιόμενος (*g*) ejuſdem generis eſt, illo auc-

(*a*) Lib. 7, de extern. affect. cap. 4.
(*b*) Lib. de tumor. præter naturam.
(*c*) Aetius. lib. 14.
(*d*) Paul. lib 14.
(*e*) V. Avicenn. fen 3, tract. 1, cap. 6.
(*f*) V. Manardi, lib. 7, Ep. 2.
(*g*) Lib. 14, Method. Medic.

tore,

tore, cum exulcerato eryſipelate. Symptomatibus eadem ſunt, causâ tantùm differunt. Hæc mala celeriter admodùm ſua tempora decurrunt; pruritu acri, fiſſuris in cute, & inflammatione ſuperficiariâ facilè diſtinguuntur ab aliis; & ut levi de causâ extinguuntur, levi de causâ pariter reviviſcunt.

At phlyctœnodes (*a*) cutim ipſam exedunt, ejuſque ſubſtantiam prorsùs excavant, ita ut cum ulcere videantur combinari atque complicari. Nam etſi phlyctœnæ ichorem fundant, ferè ſemper ichor ille ſanguini remixtus eſt & νομας facit, id eſt ulcera ſerpentia atque manantia pure ſordido madidoque, qualia in ſenum cruribus innaſcuntur.

Habemus ergo hìc diſtinctam morbi idæam, nec morbi tantùm, ſed diverſarum hujus ſpecierum. Licèt enim non omnes æquè conſentiant in hâc admittendâ diviſione, inter quos & Fernelium & (*b*) Manardum cum Avicennâ numerabimus, quamvis Manardus cum Nic. Leoniceno barbararum vocum Arabicarum & Arabicæ ſubtilitatis fuerit extirpator acerrimus, naturâ & obſervatione ſic jubentibus, à Galeno recedendum non putamus; ſingularum enim harum ſpecierum exempla proferre facile eſt.

Patet pariter ex virorum doctiſſimorum conſenſu herpetes in genere ad eryſipelas referri, & cum eo in multis colludere, in multis etiam differre, atque diſcrepare. Circà quæ audiamus Fernelium noſtrum (*c*): « hoc diſcriminis eſt quòd eryſipelas derepentè » ex repentinâ fluxione emergat, herpes ſenſim multoque tem» pore, nec conſpicuâ fluxione effloreſcit. Herpetis puſtulæ aridæ » ſunt, eryſipelatis magnæ & humidæ. Herpes pruritu, eryſipelas » dolore ac ardore torquet. Omnis papula diuturna eſt, prorsùs » febris expers (*d*) quæ, ſi ex Hippocrate uno die accedat, ipſis » levamento eſt : eryſipelas verò cum febre eſt, & præceps, & » brevì ſpontè ſolvitur ».

Verùm à Galeno omnes tùm Græci, tùm Arabes, à bile ſincerâ ſupervacuâ atque ardentiſſimâ, qualis eſt porracea, vel æruginoſa, pendere herpetes arbitrabantur, quamvis Hippocrates (*e*) & ab Hippocrate, ut videtur, Avicennas (*f*) herpetes à pituitâ craſſâ or-

(*a*) V. Galen. L. de Tumoribus præternat. Meth. Med. ad Glaucon. 2, cap. 14. Med. Method. lib. 9.

(*b*) Lib. 7, cap. 5.

(*c*) De extern. affectib. lib. 7, cap. 4.

(*d*) Prædict. 52.

(*e*) Lib. de Affection. ſect. 5, pag. 85, Foeſ.

(*f*) Fen. 3, cap. 6.

tos crediderint. Hæc bilis ſenſim, nulloque fluxionis impetu è venis expurgata, tenuitate partes omnes tranſgreditur, dùm denſiorem cutem attingat. At craſſiorem eam, atque glutinoſiorem voluerunt quàm in eryſipelate, ac proindè diutiùs atque tenaciùs hærentem, undè remoratur, puſtulaſque movet. Nec certè, quantumvis precaria ſit hæc herpetum conſtituendorum theoria, multò plus lucis à recentioribus mutuabimur (*a*), ſi ſolum tamen exceperis Sanctorium (*b*) qui primus quid ſerum acre efficere poſſit in procreandis cutaneis morbis ſenſit, & cum eo Ballonium (*c*) noſtrum & Car. Piſonem qui ab Hippocrate ſeri acris illiûs, ſeu pituitæ corruptæ theoriam acceperant, cui poſteà tantùm adjecit ornamenti illuſtriſſimus de Gorter.

Verùm quantumvis lubenter concedamus paucis hiſce caracteribus veram herpetis normam comprehendi, ejuſque intelligi à morbis conterminis differentias, ſupereſt tamen in ejus naturâ aliquid quod ſe non ſinat arripi; nec bilis tenuioris præſentiam ab auctoribus noſtris admiſſam ſatis lucis in illâ evolvendâ afferre confitendum eſt : undè, neglectâ auctorum ſedulitate, liceat ad Aretæi Cappadocis mentem deſcriptionem herpetum à naturâ ſolâ mutuari.

In hoc noſtro vivendi genere, in hiſce noſtris Europæ ſeptentrionalis regionibus, paſſim undequaquè videas qui ſe herpetibus laborare conquerantur. Matres atque viri, pueri atque inuptæ puellæ. Sed multi lichenibus de quibus abundè diximus corripiuntur, plures leve malum incuſant & quaſi fœditatem, undè niſi vultum aut faciem adoriatur malum, de eo vix conſuluntur Medici. Aliquibus tamen grave incommodum incumbit, tùm quòd diſtillet indè humor tenuis, tùm quòd pruritus dolori mixtus vexet miſeros, quo præcipuè tempore in lectulo decumbunt, & ſomni tempus in curâ & anxietate abſumitur. At gravior labes aliquandò incumbit, præcipuè ſenioribus, cùm cruſtis ſordeſcentibus & ichore fœdo gravidis deturpetur cutis, cruraque, aut brachia, perinæum, dorſum, aut thorax ipſe, ulcuſculis, fiſſuris, rimiſque ichorem depluentibus hient turpiter, & dolore atque cruciatu repetito torqueantur ægri. Undè non una videtur herpetum ſpecies numeranda in quibus accuratè ſpectandum eſt quid commune

(*a*) V. Fr. Hoffmann. tom. 4, pag. 5, cap. 5.
(*b*) Sanct. Staticâ Med. ſect. 45.
(*c*) Epidem. lib. 1, pag. 68, & lib. 2.

habeat inter ſe unaquæque ſpecies, quid ſibi ſingulare vindicent.

Communis eſt omnibus cutis aſperitas quæ in toto herpetis ambitu ſupereminet, & partem ſanam ab ægrotante diſcriminat atque diſtinguit. Tumet ergo ad tactum omnis herpes, vel leviſſimus, & tumore quidem aſpero atque inæquali. Tùm ſi cutem illam digito tetigeris, quamvis oculum lævitate apparenti fefellerit, remanebit tamen impreſſa digito glutinoſi quædam forma, undè, ſi levem illum herpetem forti vitro armatus propiùs inſpexeris, turgentem veſiculis lymphaticis, quales ad plantæ illiûs quæ *ficoides*, *ſeu glacialis* dicitur truncum eminent, reperies. Unaquæque limbo rubello diſtincta eſt, & inter illas longæ in rimæ formam apertæ hiant fiſſuræ, reticulumque ſub cute latens colore quidem pellucido donatum, ſed flaveſcente & ſordido, inſpicere eſt. Is eſt omni herpeti communis fundus cui pro variâ ſpecie diſtincti generis puſtulæ inſident.

Commune etiam eſt omni herpeti ſenſim increſcere & proſerpendo in vicina diffundi, nec unquam naſci ſolitarius, ita ut raro admodùm unicus herpes in corpore notetur, ſed uno ſemel viſo mox alios eſſe videndos hariolari fas eſt. Nec jure viciniæ tantùm gaudent, aliquandò oriuntur ad partes maximè diſſitas, ita ut unus in manum, alter in oppoſitum pedem feratur. Nec unquam naſcuntur cum impetu, notante Fernelio, ſed adſunt ut plurimùm improviſi. Id etiam omnes habent æqualiter herpetes, ut duobus plurimùm temporibus devexent, quorum, ut jam diximus, primum eſt horâ quâ mortales reficit artus ſopor dono divum conceſſus, alterum verò horâ quâ novâ nitidus juventâ chylus ſanguinem ingreſſus concoquitur, novâque coctione novum excrementorum inſenſilium proventum ingenerat.

Nec de horâ tantùm eruptionis conveniunt inter ſe herpetes. Sæpiùs ipſæ tempeſtatum vices malum altiùs reconditum renovant. Vere ut plurimùm erumpunt ; æſtate præfervidâ vigent, autumnuſque eos fovet. Silent per glacialia hyemis ſpicula ; at ſi annus fuerit frigidus & borealis, minori ſæviunt impetu ; calore foventur humido & imperſpirabili, undè poſt longos imbres inauſpicato tempore corpora obruentes magnus herpetum proventus eſt ; annis ſiccis, benè perflatis infrequentes ſunt & in genere morborum ab impeditâ perſpiratione pendentium ſata ſequuntur. Pendent enim ab impedito humorum malè coctorum effluxu.

In genere cùm herpetes ſtent ſine ullâ febre, nec niſi raró & quaſi per accidens emicet illa in herpete laborantibus, longum conſtituunt illi morbum. Nec in variis ſpeciebus aut finis unus, aut prognoſis eadem.

Nec enim idem eſt puerili ætati herpetibus corripi, aut ſenili decrepitudini iiſdem affligi. Veri & legitimi herpetes, ſi lichenes exceperis, raró floridæ atque vegetæ juventuti noxii ſunt, niſi tamen, aut educatio ſordida, aut humidorum atque calentium locorum habitatio indefeſſa atque violenta malo dederit originem, niſi traductum à parentibus malum in progeniem deſævierit. At primâ defunctos juventâ, quo tempore vaſa minùs flexilia ſunt, & perſpiratio non jam eodem impetu proſilit, præcipuè adoriuntur, aut ſi ſalubri vitæ regimine, coctionibus ſummè ac diligenter ponderatis, præprimis veró ingenti animi tranquillitate devitare malum illud datum fuerit, ſæpiùs feliciſſimo omine ad cutem apparent quo tempore rigida ſenectus ingruit, vaſaque, glandulas & cola omnia indurant atque excrementis opplent. In hâc enim infelicis noſtri ævi tempeſtate, cùm nulla libertas permeabilibus offeratur à coctione reſiduis particulis, pro ſummâ fortunâ reputandum eſt, ſi illæ non in interiora cumulentur viſcera, ſed deferantur ad cutem, ibique nova ſibi cudant emunctoria quibus, cauterii per artem inuſti ad inſtar, auferantur ſordes alioquin intùs includendæ atque remanſuræ.

Verùm ſumma ineſt differentia inter unum aut alterum herpetum erumpentium impetum, ſæpè maximè violentum, ſed cito, ſi quid in his malis citum eſt, deferveſcentem, & herpetes habitu contractos, ſemper renovatos, ceſſantes aliquandò, mox veró redivivos, ita ut ſive generationis jure, ſive aliâ quâcumque causâ ſanguis poſſit dici herpeticus, aut potiùs lympha planè herpetica. Hi vix ceſſant unquam herpetes, & ceſſantibus illis in viſcera fertur humor planè corpori extraneus, illaque aut mole attollit, aut dolore afficit, imò conficit ulceribus lentis atque tardâ ſuppuratione; quæ cùm peſſima ſit in herpetibus inclinatio eorumque naturam deſignet, atque ſæpè ad latentem occulti mali diagnoſim conferat obſervatio, liceat huic pauló diutiùs inſiſtere.

Multis & quidem qui alioquin ſaniſſimi videntur erumpunt quotannis ſub horam verni temporis papulæ leves hùc illucve diſſeminatæ, levi incommodo, pruritque vix notabili, niſi vultui nota imprimatur. Vix de eâ eruptione cogitant, levia admodùm

adhibent, & velut coacti, medicamina : plerique enim quibus tale malum accidit in ipſo ætatis flore conſtituti ſunt ; quis verò talia curat in ætatis florentis adhùc & vegetæ confidentiâ ? Verùm ubi pluries, ubi non erraticè apparuerunt papulæ illæ, ex ipſo ordine naturæ evadunt in excrementum ſanguinis neceſſarium, quod neglectum & jam labentibus annis, & vaſis rigidioribus exitum denegantibus, cola & ſecernicula inficit, jure civitatis potitur, undequaquè per univerſum corporis ambitum diſſeminatur, & quid indè accidiſſe viderim repetitâque confirmaverim experientiâ, licebit exponere.

Marceſcunt ægri vel media inter pabula, lènto quidem maraſmo, & ut plurimùm ſine febre, aliquandò tamen cum febriculâ levi & pulſu minimo, urinis alioquin integris & ſcybalorum excretione perfectâ. Raro in principiis laborant inappetentiâ, ſed ad cibos minùs avidi benè concoquunt, niſi quòd ventis & flatibus urgeatur ſtomachus & illis turgeat à prandio. Somnus inculpabilis, nec perfectus tamen : uno verbo cauſarii ſunt & melancholici, ſanguis è venis per artem emiſſus cruſtâ ſemper obducitur non craſsâ, aut densâ, ſed membranæ in formam ſuperextensâ, nec facilè divellendâ; viridi obtegitur illa colore, aut ſquallido & griſeo.

Hæc eſt prima hujuſce mali verè herpetici periodus in maribus; nam in fœminis illud obſervare vix licuit, cùm in illis omnia ad uterum dirigantur & fluor albus pruriens herpetum loco erumpat, nec unquam ab hoc malo ita marceſcant. Fœminea enim genitalia humorem hunc abundè imbibunt & excipiunt. Ille verò per hiantia vaſa depluit, ſterilitatem ut plurimùm inducit, & licèt ſanguinem aliquâ ratione depuret, non tamen criticus eſt & morbi progreſſum tantummodò retardat.

In ſecundâ morbi periodo, cùm jam anxii de ſe ipſis fieri incipiunt ægrotantes, & marcor omnium oculis annotatur, manus adhibetur palpandis viſceribus anatomica ; tunc depreſſum abdomen reperias, & aridum, in medio quà volvitur ileum prominulum ; aliquandò lien durior apparet, imò & ad ſenſum doloris non expertia ſunt viſcera. Crura ſubtumida ſunt, diſtinctior febricula. Urinæ aliquandò albicantes, ſed plus furfuraceæ quàm verè coctæ. Verùm ex omnibus ſymptomatibus nullum adeò ſævos progreſſus facit quàm marcor & pedum tumor. Sunt quibus in hâc morbi periodo oriatur tuſſicula fatigans, nihil aut parùm

pituitæ excreans, importuna, quo præſertim tempore chylus vaſa ſubit; mox in ſuffocationis ſenſum iiſdem horis renovatum abit thoracis angor. Sunt queis amici plaudant quòd cutis ſummè farinoſa ſublato epidermide evadat, ſpe falsâ & illuſoriâ, cùm cutis illa nihil aliud deſignet, præter cutis marceſcentiam & humorum omnimodam converſionem in tabum herpeticum.

Hùc uſque morbus ille diſſimulari potuit. At in tertiâ periodo natura animalis vincitur atque ſuperatur omninò, & infelices conatus in corporis perniciem exerit; nam vel ſuppurationem tabidam concipit corpus, vel obſtructa viſcera in inſanabilem hydropem efformandum conſentiunt. Undè certa mors obſcuro mali generi ſuccedit, quod non rarò eveniſſe nullus eſt Medicus qui non obſervaverit. Sæpè non priùs vera mali causa detegitur, quàm omnium humorum craſi peſſumdatâ, & quaſi imbibitis ſolidis, morbus evaſerit omninò immedicabilis. Ipſa enim medicamenta fortiori veneno remixta corrumpuntur. Nec rara admodùm eſt ſcena hæc feralis, nec Medicis incognita, quoties imprudenti medicatione quod priùs exibat virus herpeticum repreſſum intùs eſt & fortunæ derelictum. Tunc enim norunt omnes nullam eſſe glandulam, viſcus nullum eſſe, quod non aliquam mali moleculam in ſe ſuſcipiat; fierique decubitus lentos qui vel ſuppuratione, vel ſcirrho, vitæ finem imponant, qualem deſcripſimus; verùm ſæpè etiam ſine pravâ medicatione ex ordine perverſo naturæ malum naſcitur.

Aliundè verò notari velimus doctrinam illam de herpetibus latiſſimè per omnem diffundi materiæ morboſæ ambitum, ita ut nil tale ſuſpicantes opprimat miſerrimè, quod ita in rerum naturâ reverà eſſe conſtabit Medicis qui pauliſper ad ea quæ viderunt attenderint. Scilicèt morbi dantur verè herpetici qui nihil ad cutem demonſtrant & quorum tamen natura verè herpetica obſervatione demonſtratur. Scilicèt poſt confectis morbo longa tempora, herpetes emicant, ſed jam lymphæ craſi perversâ, aut parùm ſublevantes, aut prorsùs inutiles, qui ſi nondùm acciſis emicuiſſent viribus morbum omninò potuiſſent delere ac proterere. Eadem aliundè prorsùs vexant ſymptomata quæ ſolent herpetum retropulſionem comitari.

Oculorum verò pleroſque morbos ad herpetum naturam eſſe revocandos, imò ipſam ſæpè cataractam ab hâc causâ quandoquè pendere ſi dixerim, nihil aut abſonum auribus medicis, aut abſurdum,

vel inauditum docuerim, cùm ipſa infelix experientia rem patèfecerit : quod de aurium atque cæterorum ſenſuum affectibus, imò & de apoplexiâ atque hemplegiâ ab hâc causâ pendente norunt omnes. Verùm diſſitiſſimi etiam morbi herpetum virus pro causâ agnovêre. Novi hominem cui quoties herpetes conquieſcunt, toties hæmorrhoides erumpunt, largo imbre fluentes, & cruciatibus diſtinguendi. Nec unum reperire erit, qui per juvenilem ætatem hæmorrhoidibus afflictus, inclinante ætate in herpetes inciderit, & eos quidem ſpeciei non uniûs. Novi venerandum ſenem quem ſancta ſobrietas, quem intacta morum caſtitas & vita in ſcientiis peracta ab arthritide hæreditariâ immunem præſtare non potuerat. Hic illicò, ſilente arthritide, herpetibus vexatus eſt phagœdenicis quos per biennium integrum fluentes tabo & latè ſerpentes cum pruritu enormi ſervavit ; at illis ex arte & methodicè temperatis atque compoſitis omninò conticuit arthritis, nec in vegeto valenteque ſene ulla jam aut arthritidis, aut herpetum rediviva datur memoria. Rheumatiſmis pariter, atque inflationibus ad articulos dolentibus & albidis ſæpè ſucceſſerunt, & vicem eorum geſſerunt herpetes. Imò & virum novi militarem opiparo ſimul atque meretricio luxu confectum, cui quotannis bis ad ver & autumnum herpes miliaris poſt febrem ephemeram erumpit, reviviſcens, quoties humiditas pedes affecit. At ex quo jam à pluribus annis aſſuetum malum apparuit, omnia incommoda quæ ætati in ſenium vergenti familiaria erant omninò ceſſavêre, diarrhæa familiaris, dolores vagi ad dentes & gingivas, gravedines, capitiſque dolores, ita ut vitam & ſanitatem periodico tormento redemiſſe videatur.

Patet ergo ex his breviter annotatis herpetes in cauſis incognitis, ut ſunt morbi ſpaſmodici, antè oculos haberi debere, præſertim in virorum morbis, aut mulieribus menſtruo fluxu defunctis; imò nihil magis familiare eſt mulieribus gravidis quàm herpetibus laborare, quæ recluſo utero ceſſant. Notari enim ſedulò velim quòd in mulieribus quibus uteri ſentina clauditur, ſæpè, ut hæmorrhoidibus retentis, enaſcantur herpetes : tuncque non ventriculo ſolùm aut pulmonibus labes imminet, quod viris etiam commune eſt, ſed præcipuè cerebro atque à ſenſorio communi pendentibus functionibus, adeòque mulieres adeò miſerè exagitans mania melancholica, deliriumque miſerrimum inducens, ſæpiſ-

ſimè herpetica eſt, & ab herpetico fermento non legitimè excluſo pendet.

Hæc quidem in genere ad omnia æquè herpetum genera pertinent, undè deducitur, herpetes potiùs morbi quamdam ſpeciem atque proſapiam conſtituere, quàm morbum ſic propriè dictum & individuum. Undè ſit ut herpetum ſpecies in ſe mutuò mutentur atque convertantur, quod familiare eſt vidiſſe omnibus qui ægris aſſident; imò dantur herpetes arthritici, ſcorbutici, venerei qui nullâ ratione ad præſentem pertinent tractationem.

Humor verò noſter qui herpetes conſtituebat, ubi interiora viſcera occupavit, hominemque longâ tabe confecit & peremit, etiamſi in ſuperſtitum utilitatem cadaver attentè ſecueris, nullo ſe indicio ſinet deprehendi: maſſa remanebit albicans, verè lymphatica, viſcera in acinos & quaſi nodos apparebunt converſa ſibi agglomeratos & appoſitos, atque in maſſam quaſi lapideam & aſperam. Eadem ſe facies oſtendit in omnibus aliis venenorum ſpeciebus quæ lympham præcipuè inficiunt, ut in morbillorum ipſorum retropulſione vidi eumdem effectum inducentium, ut in ſcrophulis etiam deprehendendum viſcera depaſcentibus, niſi forſan quòd in morbis ſcrophuloſis materies verè gypſea atque cretacea calculorum duritiem æmuletur. In herpetibus enim non ſerum, non bilis per ſe, quanquam aliter ſenſerint antiqui præceptores noſtri, luem accipiunt, ſed mucor ille qui propriè lympham conſtituit, undè præcipuè glandulas lymphæ tranſmittendæ, aut ſecernendo mucori deſtinatas malum illud occupat, abdominales, inguinales; thoracicas, imò & præprimis membranam illam Schneideri quæ nares atque palatum circumveſtit, undè ſæpè ab herpetibus pendent coryza habitualis, tonſillarum inflatio, vocis omnimoda alteratio, narium inflatio, turpes matutini, acreſque ſcreatus, ſæpè poſt longa temporis ſpatia phthiſim inducentes. Nullus eſt è Medicis qui ſimilia non viderit. Nunc ad ſingularia cuique herpeti propria ordo nôs devehit.

Herpes miliaris, Græcis κεγχρìας, propriè papula Celſi atque Fernelii, inter ignes ſacros Celſi recenſendus quem & ſub nomine *Zonæ* Scribonius (*a*) deſcribit & Plinius indicat, acutos potiùs in invaſione morbos imitatur, quàm longos. Cruciatibus enim intolerabilibus adoritur nec opinos, ſine febre tamen, aut paucâ & vix memorandâ præviâ. Veſicæ tanquam à loco combuſto

(*a*) Comp. 63, lib. 3.

exeunt,

exeunt, inquit Plinius, & crepant; dein multiplicantur & zonæ nomen indè ſortiuntur, quòd à lumbis vulgò incipiant & indè in abdomen, zonæ inſtar, diſpertiantur, quanquam alias etiam partes occupent: nam nullus eſt qui non in alias partes herpetem miliarem erumpere non viderit, quanquam ego nunquam illum in facie obſervaverim, quod tamen occurrere poſſe nolim negare.

Prima ergo herpetis miliaris ab herpetibus mox deſcribendis differentia in invaſionis modo occurrit, ita ut acutum morbum mentiatur ille, imò & ſua vehementi impetu decurrat tempora; nec etiam à periculo immunis ſit, notante Plinio (*a*), ita ut herpes miliaris poſſit inter acutos morbos numerari. Ad hunc ergo referri poſſunt & quæ ſub nomine φύματων Celſus deſcripſit, licèt φῦμα apud Hippocratem univerſaliter pro humorum decubitu habeatur, ἐκθήματα potiùs ſunt Hippocratis (*b*). ἐκζὲματα quæ deſcripſit Verrius Valens in anthologicis, vel ad φλῦκταὶνας, vel ad herpetem miliarem referuntur. Nec videtur herpes miliaris ab illo differre morbo quem Chilperici tempore erupiſſe notat Gregorius Turonenſis (*c*) cum puſtulis & veſicis; ita ut multi morerentur ex herpete miliari.

A phlyctœnâ & eryſipelate non nomine tantùm, ſed & re differt herpes miliaris. In eryſipelate enim rubor ineſt continuus, & phlyctœna ipſa œdema eſt eryſipelati quaſi innatum; in illo cutis ſubeſt inflammatio & tenſio, quæ ſigna herpeti miliari deſunt, cùm phlyctœnæ, ſeu tumores albidi grani milii ad inſtar, quæ in cute naſcuntur cuti ſuperponantur nitenti, aſperæ tamen & limbo rubello circumſcriptæ. Prætereà eryſipelas quaſi irradiatione in vicina proſerpit, herpes autem miliaris ſemper ſejunctìm & per areolas emicat. Eryſipelati febris ſemper ſe comitem adjungit, raro in herpete miliari, & niſi epidemicè ſæviat. Undè, licèt zona & ζώϛηρ de quibus alibi dicendum erit pro eryſipelate & herpete miliari indiſcriminatim apud auctores, nunc pro uno, nunc pro altero morbo habeantur, remanent certè diſtincti. Ea autem eſt herpetis miliaris qualem vidi ſæpiùs deſcriptio.

Solitaria vulgò naſcitur una herpetis miliaris areola, cute cæteroquin integrâ, limbo rubello diſtincta. Puſtulæ emicant vulgò

(*a*) Lib. 5, cap. 18.
(*b*) Lib. 3, Epidem.
(*c*) Lib. 6, cap. 14.

ſerò replėtæ ſub ipſo epidermide aggregatim compoſitæ, interſtitia replent lemæ epidermidis quæ areolam faciunt aſperam. Ineſt major quàm pro malo exoriri debere videretur cruciatus, ſed mox & paucarum horarum intervallo ſubnaſcitur altera puſtularum agglomeratio, quam aliæ mox confertim adnatæ per plurium dierum ſpatium excipiunt. Tùm verò pruritu enormi, vellicatione, cruciatibus angi ægrotantes, ita ut nec cibi appetitus valeat, nec ulla alia cupido poſſit perſentiri; noctes inſomnes ducunt, nec inſomnes tantùm, ſed miſerrimè anxias, inter ejulatus atque dolores. Urinæ intereà liberæ, alvus naturæ conſona demittit excrementa, niſi quòd æger præ anxietate marceſcat, mireturque Medicos febrem negantes, cùm urantur exteriora omnia, pars verò affecta flaminis voracibus comburi credatur. Intereà novæ continuò exoriuntur puſtulæ, nec cum iis ſæviùs agitur quibus plures, quàm cum quibus pauciores emicant. Præterea verò, etſi per plures ſeptimanas novæ ſemper erumpant herpetis miliaris areolæ, miteſcit tamen ſensìm malum, ſive ægrotantis aſſuefactione, ſive vetuſtioris materiæ mitificatione.

Hæc autem ubi deferbuit materies, remanet locus & lemis tenuiſſimis & aſperitate notabilis. Imò & licèt firmior obducta videatur cicatrix, remanet tamen longa per tempora pruritus enormis, & lancinationes non jam perpetuæ, ſed nunc ob aëris variabilem inclementiam redivivæ, nunc poſt lautiores epulas recrudeſcentes.

Hujus mali ſævitiei terminum definire impoſſibile eſt, cùm ex ſuis funeribus redivivum ſæpè recrudeſcat. Quoties tamen è limpidis turbidæ fiunt veſiculæ, toties manſueſcere malum ſignum eſt. Quoties pariter palleſcit limbus ad margines rubellus, toties minùs atrociter furit herpes. Sed ad annos extendi mitiùs tamen furens malum, non adeò rarum eſt. Imò & virum novi etiam nunc valentem, & nulla poſt plures annos priſtinæ labis veſtigia ferentem in cute, qui tamen tempeſtatum mutationes non impunè experitur. Si verò perimat aliquem, quod nunquam accidere vidi, tunc vel ut cætera herpetum genera imprudenti medicatione retropulſum dici debet, vel quod non impoſſibile eſt, licèt non viderim, in gangrænam abit, aut mutatur in phagædena quod non tam vitio humoris, quàm corporis in quod inciderit factum videtur; & (*a*) hæc eſt gangræna herpetica *γαγγραῖνα ἑρπυστικα ἢ ἑρπητικα* de quâ Lucilius apud Nonnium.

(*a*) V. Henrici Stephani Theſaur. ling. latinæ in voce *Herpes.*

Verùm ex hâc deſcriptione forſan videbitur herpes noſter miliaris à communi herpetum naturâ nimiùm abludere. Res tamen eſt ejuſdem naturæ; ſi quidem non rarum eſt alterum in alterum tranſire; & defunctum herpete miliari corpus, herpete ſimplici remanet affectum. Herpes miliaris eſt quaſi impetus virûs herpetici inflammatorius. Si virus illud acuto modo poſſet deſævire, hanc ſibi formam arriperet, undè ſi in aliquo herpete vitæ periculum imminet, certè periculum illud ab herpete miliari repetendum.

Herpes qui dicitur apud nos rodens, & propriè poſſet vocari *dartre vive*, ſi non vocabulum illud vulgatâ loquendi formulâ lichenibus apponeretur, herpes èſt qui nullam aliam ultrà vulgarem indolem ſibi aſſumit, præter decursûs rapiditatem quâ & aream ſemel occupatam quotidiè extendit, & in loca etiam diſſita fertur eo impetu, ut poſſit univerſam ſuperficiem rhagadibus, fiſſuris, aſperitatibus, adeòque polline acri dehoneſtare : limbus ipſi ruber quotidiè extenditur, ita ut qui limes paucis antè diebus rubebat, pauco elapſo tempore, aſper ſit nec ruber, rubra verò pars longiùs remota ſit. Indè ipſi Avicennas (*a*) nomen *formicæ* indidit, quaſi ab inceſſu hujus inſecti in tenerâ cute penderet. Cruciatus in hoc genere herpetum non tanti ſunt atque in herpete miliari, & quaſi diffusâ ſuperficie mali mitior conditio. Vulgò bellè dormiunt, ſed in ipsâ incaleſcentiâ lecti, formicationes, lancinationes, pruritus ſentiuntur, qui enormes præſertim accenduntur, ſicubi herpes ille, quod frequentiſſimum eſt, perinæum, vulvam, virorum genitalia occupaverit, undè præter illas à naturâ mali efformatas rhagades, adſunt aliæ magis aſperæ atque cruſtoſæ quas effecit unguium ſcalptura. Verùm aliquandò alias partes occupat. An hæc eſt illa Plinii (*b*) Mentagra, novum ipſi morbi genus in hominum lautè viventium mentum, barbam, ſcapulas, ac collum deſæviens, ſine dolore quidem ac ſine pernicie vitæ, ſed tantâ fœditate ut quæcumque mors præferenda eſſet. Totos ubique vultus, ut ait, occupat, ſolis oculis immunibus; μελιτάγραν vocat Galenus (*c*) quæ etiam oculos infeſtabat. Vide & Leonicenum de morbo Gallico refutantem Plinium. Mentagræ quidem naturam herpeticam hìc ita deſignat ut etiam contagionis ream efficiat, cùm ex Aſia Romam fuiſſe aſportatam aſſerat à quodam Peruſino, equite Romano, Quæſtorio ſcribâ.

(*a*) Fen. 1, tract. 3, cap. 6.
(*b*) Lib. 26, cap. 1.
(*c*) Lib. 30, κατὰ τόπους, cap. 7.

Ubi verò herpes ille rapiditate decurſûs, cutis aſperitate notabili & multiplicatione rhagadum ſeſe ſpectabilem fecit, ita ut altiùs infligat plagas & roſione ingenti circumſerpat, dicitur ἐςιόμενος, ſeu rodens, à miliari differens quòd evidentes papulas non proferat, à phagædenicâ, ſeu phlyctœnode de quâ mox agemus, quòd non intima cutis inurat & ulceris cruſtoſi formam non proferat. Ubi ergo proſerpit celeriùs quàm natura ſimplicis herpetis poſtulare videtur, ad hoc ſecundum genus referetur herpes, fœditate potiùs quàm cruciatu incommodus. Quamvis enim lectum ingreſſos pruritu atque vigiliis aliquandò fatiget miſerè, tamen ſæpè conticeſcit, & niſi jam ſummè increverit, jurares ſanum hominem; ita ut multi ſint quos redivivus, dùm ver caput extollit, herpes affligat, poſt autumni ultimos calores abiens, conſoletur. At ex omnibus herpetibus is eſt qui plurimùm invehitur in faciem, & vultum ſexui adeò dilectum deturpat frequentiùs. Imò multæ ſunt in viſceribus reconditæ ſine ullo alio incommodo obſtructiones quæ nullo alio caractere herpeticam originem demonſtrant, niſi quòd ubi admoveris aperientia malumque viſcerum decreſcit, ſuccreſcunt illicò, & effloreſcunt herpetes, ita ut malè ſecum agi credant ægrotantes, nec facilè patiantur ultrà medicamentis tendi. Nobiliſſimam novi fœminam quæ cùm intimioris uteri cruciatibus angeretur, balneis atque aperientibus dùm miteſcit malum, obſtupeſcebat genas herpetibus proſerpentibus illis noſtris fœdari, undè prius malum revocare auſa, tandem uteri doloribus atque ejuſdem hæmorragiis confecta periit. Neglectum enim nimis diù malum jam, veſicantibus atque cauteriis tardiùs adhibitis, auſcultare dedidicit.

Rarum quidem eſt in maximè diuturno malo periculum aliquod imminere, imò longævam, ſed miſeram ſibi vitam ſpondere poſſunt hoc affectu laborantes. Quid enim? Exit indè quidquid corruptorum poſſet intùs excrementorum morboſorum generari. Et videre eſt ruſticos, præſertim ex illorum genere qui exercitatam vitam agunt, qui incommodum leve ſpernentes fœdi, putidi, oculis retorridis & rubore immundo plorantibus, extremam ad uſque ſenectutem perveniunt, imò decrepitis ſenibus ineſt aliquid ad cutem undiquè quod jure herpeticum vocare poſſis.

Verùm licèt blandè ac lentè inſidias ſtruat malum illud, non omninò ſpernendum eſt. Contagioſum eſſe docet experientia. Hancque propoſitionem obſervatis pluribus comprobare poſſem, licèt

fatear lubentiſſimè in prædiſpoſitis contagium faciliùs propagari. Undè jure contagii malum intùs poteſt multiplicari & invaleſcere. Indè vertitur omnis humorum moles in tabum herpeticum, & communione mali viſcera omnia, hepar, ventriculus, thorax, humore illo opprimuntur, quæ vel obſtructa vel corrupta mortem tandem poſt longam tabeſcentiam arceſſunt.

Illa verò lenitas non expectanda eſt ab ultimo illo herpetum genere quod phlyctœnoſum & phagædenicum vocavimus, Galenum & antiquos ſecuti. Licèt enim tardiùs exaſperetur, tamen vel in primâ ſuâ origine non dubias ſuæ malignitatis notas exerit. Naſcitur enim primò ut puſtula ſimplex; idque habet à cæteris herpetibus differentiæ, quòd cutem ſubjectam in tumorem durum attollat & aſperum. Scaber eſt tumor ille, & citò epidermis à ſuppoſitâ cute diſcedit, non ſine humoris acris erodentis, imò & ad ſenſum calentis emiſſione; undè vicinæ partes attolluntur & in ſeſe criſpatæ ſinduntur, & partim cruſtis, partim tabo horridæ evadunt. Puſtula hæc aliquandò ſolitaria ſubſiſtit, ſed aliquandò aliæ ſimiles in aliis partibus erumpunt. Imò cùm pruritus immanis ut plurimùm ſit, vixque poſſint à ſcalpendo miſeri abſtinere, manus ipſæ videntur malum à parte ad partes diffundere. Nec mirum, cùm ipſi ſæpè Chirurgi talia tractantis digiti aſperi evadant & ſindantur, puſtuliſque dehoneſtentur, quod unâ vice evenire vidi. At cruſtis abactis, atque deciduis, locus tabo defluens turpiſſimo in apertum ſe prodit, hunc aliæ cruſtæ in eodem ſolo enatæ brevì contegunt, quæ pelluntur etiam ab aliis ſubter natis. Undè aſperitati duræ & acri jungitur humor glutinoſus atque mucoſus; fœtidus ille, & quemdam ſpurcitiei proprium odorem fundens, rancidulum, aceſcentem, qui potiùs nauſeam & horrorem quàm alium quemvis ſenſum concitet. Febris intereà nulla, vel levis; urinæ albidæ, limpidæ, aqueæ; excrementa alvi nullam notabilem mutationem ferunt, niſi quòd quandoquè virideſcant.

Nulla pars corporis à fœdo hoc malo immunis dici poteſt. Infeliciſſimum quidem eſt, ſi palpebras, genas, nares, mentum occupaverit, imò & ad alas narium inſederit, nam nec buccas, nec interiora narium occupaſſe unquam novi. Verùm nullo alio in loco frequentiùs ſedem ponit, quàm juxta aures, exteriora ſimul & interiora occupans. Earum volumen immanem in modum adauget, & non partem tantùm ſubjectam cutis, ſed etiam appoſita munditiei causâ lintea erodit. Inguina pariter & dorſi

infima aliquandò invadit, perinæum mulierum & virorum genitalia pruritu feroci ita plectit, ut à ſcalpendo abſtinere, nec reverentia, nec pudor cohibere poſſint. Durities calli ineſt, ſed non ultrà cutem : ita ut rectè Galenus (*a*) herpetes velit à phagædenâ diſtingui, quòd hæc ſubjectas cuti partes erodat & vertat in ulcera; hi vero cutem quaſi deſtruentes rodant, ſed incolumes ſinant partes ſubjectas.

Quæ quidem obſervatio, cùm vera & diagnoſtica ſit, non impedit tamen quin aliquandò herpetes ulcerum formam habeant; nam vitium illud cutis lymphaticum cutem prodigiosè addenſat, craſſam reddit & in magnam molem extollit, duram atque elephanticam, in quâ proſerpunt ulcera, magis tamen ad latera quàm in profundum.

Ex hâc brevi deſcriptione intelligi poteſt quot & qualia tormenta eos maneant qui mille talia ulcera in parte maximè nerveâ experiuntur, quantùm ſenſus obtundi debeant & quaſi obſurdeſcere, adeòque quantùm analogiæ ſervent herpetes phlyctœnodes, ſeu phagædenici cum morbis mox deſcribendis, variis ſcilicèt leprarum ſpeciebus : verùm id herpeti etiam phagædenico cum reliquis commune eſt, ut aliquandò videatur manſueſcere. Præclarè ſecum agi clamat æger, morbumque mox finiendum ſævitiâ dirum, fœditate horrendum, ſibi gratulatur, cùm illicò, quaſi ex inſidiis, novis viribus cutim adoritur, ſpemque levationis præripit. Id juvenibus præcipuè accidit ; nam ſenibus mali conſtantior norma incumbit. At juvenes vidi quaſi convaleſcere; cutis ſubaſpera manebat, nec deerant puſtularum veſtigia : hæ ex improviſo & ſine ullâ prophaſi redivivæ, miſeros & tormentis cruciabant & proterebant deſperatione. Fomes ſcilicèt intùs aderat in glandularum nodis implexus & iners; ipſum medicatio, aut ſoliùs naturæ vis ad cutem per partes defert. At qui æſtate præſertim experiuntur ſimiles herpetes hyeme viſceribus caveant, nam in tuto per æſtatem poſiti hoſtem hyeme intùs reconditum aſſervant. Qui quandiù latere valeat, nulla huc uſque docuit obſervatio.

Videmus indè quàm parùm tutum ſit omnimodæ herpetum ſanationi confidere qui non unam per tempeſtatem tantùm, ſed plures per annos conquieſcunt, moxque reviviſcere videntur.

Prætereà verò ſi cuicumque herpetum generi commune ſit, ut

(*a*) Lib. 2, Method. ad Glaucon.

internas latenter ſtruant ſtrages, ut viſcera nunc indurent, nunc corrumpant, quantò magis metus ille debet incedere illos qui herpetes phagædenicos medicantur quorum natura eſt ut fluant perpetuò, & quorum fluxus cohibitus adeò vehementi pollet acredine. Vulgò incautâ medicatione id accidit ut vicinæ partes, imò & ſubjectæ vicinæque glandulæ mirum in modum & cum ingentibus cruciatibus intumeſcant; undè ſibi plaudunt agyrtæ, topicumque indè laudant quòd ad exteriora trudat malum, ſed pars tenuiſſima leviſſimaque raptatur celeri circuitu ad pulmones vel ad cerebrum; hìc mortem ſubitaneam accerſit, ibi ſuffocationem aliquandò immedicabilem & ſubito perimentem impetu; aut ſaltem, nunc apoplexiam gravem infert, nunc peripneumoniæ genus Hippocraticis non coercendum præceptis invehit; alibi tormina, inflammationes, aut quodcumque mali pejus eſt. At vulgatius eſt latenter malum alicui viſceri inſidere, & ſanitatem tacitè opprimi.

Hæc de diagnoſi atque prognoſi malorum apud nos frequentiſſimè ſævientium docuit obſervatio, & licèt ſæpè mali faſtigium non attingant quicumque in ægros deſæviunt herpetes, illud tamen certum eſt, eumdem illos ſequi tenorem, ſive parvo gradu ſenſuum acutiem fallente cutem vix lambant, ſive ſupercongeſtis cruſtis ferociant. Imò dari videntur quidam gentilitii herpetes qui vix unquam extùs ſæviunt, intùs tamen non indubitata ſui ſigna proferunt, aliquandò, nec præfinito tempore erupturi. Dantur etiam alii volatiles per contagium contracti qui cùm unâ vice tantùm adorti fuerint hominem, poſteà omninò conticeſcunt. At quî fiat ut mihi benè notus maritus herpetibus laborans uxorem dilectiſſimam & anteà ſanam non infecerit, ſanitate intereà ejuſdem prorsùs deletâ. Sub pubertatis initia junior filius nunc aſthmate convulſivo, nunc herpetibus laborare cœpit, idem filiæ pulcherrimæ ſufferendum contigit. Pater herpetibus conficitur, mater malè ſana, at nullo in cute vitio reprehendenda, nunc uteri ulceribus, ut aiebat, ſed reverà fluxu albo immoderato, nunc thoracis ardoribus laborat, ſemper verò affectionis hyſtericæ perpetuæ victima eſt. Undè id fieret ignorabant omnes. Mulieri quinquagenariæ menſtrua deficiunt. En erumpit ad genas & faciem utrâque ex malarum parte herpes phagædenicus qui à biennio integer perſtabat, cùm nunc diætæ, regionis, aquarum mutatione videtur ſanata, ſi credere fas eſt. Nullâ crediderim aliâ de ratione fabellas illas

aniles de veneno in ſanguine menſtruo latente prodiiſſe, niſi quòd multoties illis ceſſantibus prodeant herpetes à quibus præſtiterat immunes muliebris vacuatio.

Quæ cùm ita ſint, herpetum theoriam quærentibus lucem etiam afferent cauſæ illorum occaſionales, quæ cauſæ acrimoniam ſimul & viſciditatem in cutaneâ mucagine & humore perſpiratorio inducere debent, ita ut irritata ſolida in actuoſitatem depuratoriam ferantur, vaſaque humores cutaneos coercentia lacerentur & ſuppurationem aliquam concipiant. Verùm ut hìc rem practicè & in hominum utilitatem conſideremus, non verò exſpatiemur per cauſarum poſſibilium ampliſſimos campos, quatuor mihi cauſarum capita malo producendo potiſſimùm conferre arguentur.

Primum eſt venenum illud à parentibus acceptum & quod à lymphæ plaſticæ naturâ pendet omninò. Licèt enim multi in hoc admittendo cauſarum genere cœcutiant, experientiam teſtem appello : nec minùs hæreditarii vocari poſſint herpetes quàm aut arthritis in quam mutantur, aut lues venerea quæ ſæpè mentitur herpetes. Suus eſt hæreditariis herpetibus fomes, undè illi fermenti more liquefacti, dato tempore, erumpant & multiplicentur, inertes anteà. An in ſeceſſu glandularum conglobatarum & lymphaticarum ; an in ultimis viſcerum acinis, quorum pars non una poteſt innoxiè ad integritatem ſanitatis feriari, fomes ille per longam annorum ſeriem deliteſcere poteſt ?

Secundum in contagio conſiſtit quod negare pariter Medicis expertis impoſſibile eſt. Vidi in unico decubitu contractos herpetes, nec facilè ſanabiles ; idque non unâ vice. Verùm licèt facilè ſanabile vulgò ſit, & eſſe debeat hoc herpetum genus, difficile verò ſit & ferè impoſſibile eradicare omninò connatum & à parentibus acceptum herpetum inquinamentum, tamen utrumque aut invaleſcit, aut imminuitur, pro majori minorive corporis diſpoſitione, aut cauſarum influentium majori minorive actuoſitate, aut demùm ſedulâ & eruditâ diætæ, regiminis vitæ, atque medicamentorum adminiſtratione.

Tertium cauſarum genus, à cauſis externis repetendum eſt. Nunquam crediderim actione unius cauſæ ſimplici deberi virus herpetibus producendis natum, ſed à complicatâ hinc victûs impuri, indè aëris humidi & quaſi duplicatâ nocendi vi utriuſque & cibi & athmoſphæræ pendere omninò.

Forſan indè factum eſt ut talia mala veteres Romani vix fuerint experti,

experti, ingraveſcente autem luxurie & omni deliciarum genere, in lautos atque opulentos magno impetu deſævierint, undè herpes pro novo habitus eſt morbo & ab Aſiâ aſportato, cùm ibi jam dudùm ſævierit apud populos luxu & divitiis fractos, lautoque victui atque omnibus voluptatum illecebris deditos. Certè duæ ſunt vitæ periodi in quibus maximè emicant herpetes. Prima eſt periodus illa in quâ corpus ad ſui incrementi apicem pervenit, jamque ſuperflua exundant. Altera eſt ubi menſtruâ ceſſante in fœminis vacuatione, organis verò ſimul perſpiratoriis in utroque ſexu minùs liberis, appellens ad cutem reſtitat lympha. Undè ut junioribus ſpem curationis facit vita ſobria, exercitiis temperata, ſic pauca omninò ſpes ſenibus ſupereſt, ne herpetes commoriantur, niſi tamen à vitâ lautiori ad ſobriam ſeſe ſerò nimìs convertant. Non ergo hos illoſve cibos incuſare velim, ſed nimiam ingluviem, cùm dentur in ſenibus herpetes in quibus vix ulla poſſit incuſari acrimonia, ſuperet tantùm uberior mucus & vaſa rumpere videatur.

At aer & humidus & frigidus perſpirationem vetans & laxans vaſculorum perſpiratoriorum tonum, hiſce morbis anſam præbet. Undè fit ut apud provinciarum quæ Oceano alluuntur incolas morbi illi herpetici admodùm frequentes reperiantur, ſi præſertim unâ ex parte ſylvæ, alterâ ex parte vapores Oceani intrà ſinus accepti per ventorum actionem non everrantur, ob collium vicinorum anguſtiam. Undè aliquibus non provinciis ſolùm, ſed & urbibus endemici ſunt morbi illi, ut in noſtrâ Gallicâ Britanniâ obſervare eſt, quæ depreſſa & humilis provincia, tùm aquis ſtagnantibus abundat, tùm ſinubus non bellè perflatis.

Quartum demùm & ultimum cauſarum genus conſtituunt venena varia intrà ſanguinem agentia quæ, quamvis & morborum & cauſarum genus omninò ab herpetibus diverſum conſtituant, tamen in herpetes quâdam metamorphoſi etiam perſanata mutantur, ita ut morbi genus unum in aliud genus morbi converti atque immutari viſum fuerit. Rem exemplis mihi per obſervationem deprehenſis expediam. De viru ſcorbutico, de venereo res mihi certa deprehenſa fuit. Laborabat evidentiſſimè lue vereneâ vir quidam triginta annos natus. Inter multa & alia ſymptomata effloruêre herpetes. Hi jure pro venereis habiti, ſed omnibus per mercuriales inunctiones abeuntibus ſymptomatibus, repetitâ internâ omnium mercurialium adminiſtratione perſtabant ad mercurii

vim rebelles herpetes. Rectè valebat æger, validus toroſitatem amiſſam receperat. Rei venereæ gnaviter indulſit, nihil communicatum, remanſêre herpetes. Rem cum collegis communicavi, ſimilia obſervaverant, quæ ipſe pluries vidi. Annon vitium lymphæ impreſſum præter virus venereum ſubſtitit mercurio rebelle? Annon ſæpè herpetes infantum lui venereæ patrum accepti debentur, præſertim cùm iis imminet & ſpinæ ventoſæ & rachitidis periculum? In viru ſcorbutico, ſanato ſcorbuto, herpetes vidi qui non ſolùm cum ſcorbuto emicuerant, ſed ejus fata evidenter ſequebantur. Forſan, ſed id aſſeverare non auſim, remanent poſt ſcrophulas veſtigia herpetica. Nec certè erit undè ſibi non plaudat Medicus, ſi herpeti præter modum rebelli aliquam latentis luis venereæ ſuſpicionem inducat. Certè in his ingenti atque prudentiſſimâ cautione opus eſt & à concomitantibus ſignis ducendum augurium. Quæ ſi defuerint ſigna, licebit ſaltem aliquam ducere conjecturam à lædentibus & juvantibus quæ in longo malo fas erit experiri. At quæcumque cauſa fuerit, ubi in ſimplices herpetes verſa eſt affectio, eamdem recipit prognoſim, eadem ſibi poſtulat auxilia.

Vulgò etiam inter herpetum frequentiſſimas cauſas recenſentur affectus animi triſtes qui, teſte Sanctorio, perſpirationem tardant, vaſiſque cutaneis inertiam & atoniam inducunt. Sed cùm ſimul coctionibus præprimis officiant, patet ad eaſdem cauſas, vitia ſcilicèt humoris perſpiratorii crudi, vappidi, & ad oſtia vaſorum morantis, eſſe referendos.

Verùm ex iſtis per obſervationem deprehenſis utile certè & ad curationem properantibus commodum foret mutationem lymphæ phyſicam poſſe ita certò definire, ut ſciremus tandem, quid faciat ut cutis ſola in herpetibus laboret, intactis partibus ſubjectis? Quî fiat ut malum intrà reticulum malpighianum cohibitum, poſſit retropelli, intùs verò vulgares obſtructiones efficiat, cùm vigentibus herpetibus vix ipſæ ſubjectæ cuti glandulæ partem aliquam mali in ſe ſuſcipiant? Craſſitiem lymphæ deſignat evidens canalium obſtructio, acredinem pruritus. Sed illa fixam nobis atque certam idæam non ſuppeditant.

Certè circà reconditam atomorum illorum naturam meditanti illud primùm ſeſe offert, generari ex rei neceſſitate, quoties nova fit partium combinatio, adeòque novi entis generatio, novam partium copulam. Ex hâc autem novâ principiorum adunatione

neceſſe eſt fœces efformari, quæ debent eliminari excrementorum nomine. Cùm verò per plura temporis intervalla fiat illa coctio atque mutatio, plures etiam excrementorum ſpecies naſcuntur. Imò cùm nullum tempus à coctione vacuum ſit, nullum etiam vacat ab excrementorum ſeparatione. Quæ omnia in formatione lymphæ ejuſque renovatione quotidianâ concurrere neceſſe eſt. Porrò in machinâ noſtrâ ſapientiſſimè conditâ, & per vires intùs connatas perpetuò renovatâ, adſunt undiquè cola & excernicula per quæ partes omnes illæ, nunc urinarum formâ, nunc verò, imò & copioſiùs, ſub perſpiratorii halitûs vapore, è corpore effluunt. Sic remanet cutis nitidior & nullis deturpata maculis; verùm ſi excrementa illa à naturæ lege receſſerint, nec ſatis cocta fuerint, ſiquidem ſuæ convenientem naturæ coctionem illa nanciſci debent, tunc hærent in vaſorum cutaneorum anguſtiis & in textûs reticuloſi cellulis; ibi corrumpuntur, vitiataque acredinem concipiunt jam naturæ abſonam, adeòque irritantem. Quin etiam fermenti jura capeſſunt, dùm partes vicinas atque analogas eâdem inficiunt labe, ſicque latè malum ſerpit. Eſſe autem in variis illis partibus excrementitiis alias quæ conſtituere poſſint eryſipelas, alias quæ herpetibus originem præbent, plus naturæ conſonum eſt, quàm antiquæ ſimplicitati nimiam fidem adhibere. Galenus (*a*) herpetes à pituitâ bili commixtâ pendere pronuntiat. Quod ſibi inventum, detractâ Galeni gloriâ, vindicant Paulus, Aëtius & Oribaſius, ex quâ opinione nihil aliud video extrahendum, niſi quòd junctam craſſitiem acrimoniæ incuſent meritò.

Verùm ſi ex cognitis ad incognita hariolando progredi fas eſt, videtur herpes præ ſe aliquid ferre quod ranceſcentiæ humoris mucoſi inertis analogum eſt. Nihil ineſt quod partes ſubjectas & à muci actione immunes corrumpat, nihil quod functionibus à muco non pendentibus labem inferat, & nulla alia nota, herpete urgente, corporibus inuritur, niſi quòd crediderim herpeticos coryzâ faciliùs tentari, imò & quoſdam habituali coryzâ laborantes indè herpeticos credens, non hallucinatus ſum. Aceſcentia pariter hìc nulla quæ infantum morbos comitari ſolet etiam cutaneos; nam qui exhalat ab herpetibus odor, fracidus eſt. Aliundè aceſcentia quam lympha contrahit effectus certos in reliquam humorum omnium molem extendit, ſignaque ſui dat in bile, ſalivâ, urinis indubia. Sanguis ab herpeticis ubi detrahitur ſanorum

(*a*) De Tumor. Aetius, lib. 14, Paulus, lib. 4.

ſanguini ſimillimus eſt, niſi quòd in iis qui eminenter experiuntur herpeticum malum pars rubra cruſtâ levi & quaſi membranaceâ contegatur, ut jam diximus. Ineſt ergo herpeticæ lymphæ fracedo quædam & rancedo quæ in ſanguine nata ob coctionum & exhalationis defectum in parte in quam deponitur multiplicat ſeſe, & in vicina proſerpendo ibi & adaugetur, & ita attenuatur, ut poſſit in ſanguinem redux lymphæ miſcelam intemperie afficere, meatuſque lymphæ per omnia viſcera traducendæ deſtinatos adimplere & obturare.

Id quidem cuicumque herpetum ſpeciei commune eſt. At variæ ſpecies mali differunt inter ſe, gradu acrimoniæ, quæ ſi tenacioribus ſimul & acerrimis referta ſit partibus, tùm herpetes in phlyctœnoſum & phagædenicum herpetum genus increſcunt. Si virus tenuioribus abundet particulis, ſimul & copioſioribus, ſit herpes ἐσϑιόμενος. Si demùm ſubito impetu in partes erumpat rodentique donetur qualitate, miliaris erit. Undè fit ut cùm eadem ſit trium harumce ſpecierum natura, poſſint omnes ſimul in eodem ſubjecto reperiri atque concurrere, ita ut ad aures herpes phagædenicus reperiatur, in facie, collo, dorſo obſervetur herpes ἐσϑιόμενος, ad lumbos verò ſæviat miliaris, quod tamen rariùs occurrit quòd miliaris herpes modo ſibi proprio invadat, & acutior ſæviora exerceat imperia.

At rursùs non rarum eſt cum veris atque legitimis herpetibus lichenes de quibus alibi fusè diximus confundi, ſicque cum herpetibus vivis dictis miſceri atque invaleſcere. Is eſt illorum caſus quos noſtrates vocant herpetibus farinoſis *dartres farineuſes* laborantes, quæ vocum & rerum confuſio non apud nos tantùm & plebem, ſed etiam apud Medicos Græcos & Arabes viguit. Fatendum tamen quòd in hâc confuſione error non adeò magni eſſe poſſit momenti, cùm affectiones cutaneæ omnes maximam inter ſe, tùm indicationibus, tùm ſignis præferant analogiam.

Jure meritòque inter difficilia artis opera herpetum curatio recenſetur. Incognitum enim fermentum nulla ſibi vindicat ſpecifica. Prætereà omne quod in lympham decumbit vitium tenuiſſima minimorum vaſorum incernicula occupat; tùm verò liquor ille proprio circuitu donatur, nec adeò facile ſine ſanguinis diſpendio lympha immutari novaſque dotes acquirere poteſt. Demùm partes in lympham receptæ morboſæ in ipſum mucum proprias facultates exercent, fermenti vices gerunt, materiem corrumpunt,

ſibique aſſimilant nutritiam ; nec diſſimulare fas eſt in morbo verè depuratorio cautelis opus eſſe, ne depuratione præpeditâ majora ingruant mala quibus ſublevandis impar omninò aut ars, aut natura evaderent.

Præterea duces viæ regendæ deſunt. Nam vetuſtiſſimi artis præceptores noſtri, cùm in cæteris morbis copioſi fuerint atque diligentes, in noſtro vix aliquod lumen ſuppeditant Græci & Arabes; ſive quòd, ut Hippocrates, affectum hunc potiùs ad fœditatem aliquam, quàm ad morbum retulerint, ſive quòd beatiori cœlo fruentibus rariora extiterint hujuſmodi incommoda, ſive demùm quòd Hæbræi & Arabes impura hæc vocaverint corpora quæ nefas attingere putabant.

Adverſus recentiores eadem querela inſtitui non poteſt, ſed præter curativas ex arte indicationes, præſtantiſſimi in arte magiſtri Sennertus, Etmullerus, Fr. Hoffmannus & arcana, & formulas nimioperè commendant, quibus non ea nobis lux exoritur quæ agentes dirigere poſſit, & in ſimilibus, ſed non iiſdem caſibus poſſit titubantes manu ducere.

Videtur, quantùm conjiciendo licet aſſequi, non ignotam fuiſſe Hippocrati methodum quâ antiqui morbos cutaneos à cute avellerent, & ſuppurando tollerent. Imò (lib. de ulceribus), licèt cantharidum virtutem urentem ipſi incognitam Freind judicaverit, in unguento καρικὸν dicto, cantharidas adhibet, quas alibi (lib. de ſuperfœtatione) ad irritandum uterum ſuaſerat. Certè quamvis libri iſti ſpurii Freind videantur, antiquiſſima fuit lichenes per cauſtica tollendi methodus. Sed hæc è tenebris eruenda parùm ad nos faciunt.

Primus inter veteres nobis facem præfert C. Cornelius Celſus (*a*) de papulâ agens quam levem ſalivæ affrictu repetito tolli ſcribit, quod uſque ad nos remedium quaſi ex traduce pervenit. In gravioribus parietaria pro præſidio eſt externo. Poſteà vero compoſitæ applicationes à Protarcho & Mycone mutuatæ advocantur ; quarum ultima cantharidibus & ſulphure conſtans, aut cutem exurit, aut ſaltem eryſipelas inducere debet, undè fit ut morbus alterius generis herpetes excipiat ? Certè ſi legitimam morbi theoriam, & obſervata relegere eſt animus, quàm parùm proportionalia ſint malo tanto illa medicamina adeò eluceſcit, ut nullâ ampliori diſcuſſione adverſus hanc methodum opus ſit.

(*a*) Lib. 5, cap. 17, 18.

Pleniùs certè, ut tantum decebat Medicum, Galenus de herpetum curatione diſſeruit (*a*); is ſaltem indicationes adjecit. Irritationis primam & antè alias proſequitur undè vult primum herpetum impetum ut eryſipelas excipi; poſteà ut pituitam bili mixtam pro eorum causâ agnoſcit, aptari vult pro topicis ea quæ refrigerantem ſimul atque exſiccantem vim obtinent. Undè vitis capreolos quos acido-ſtypticâ vi donari norunt omnes, rubi & cynosbatos folia auſtera & adſtringentia commendat, poſcam deindè & medicamenta nigro auſtero vino excepta. Ipſam verò curam rodentibus abſolvit, id eſt iis medicamentis quæ eſcharâ cutim exurant, quâ ſublatâ legitima ſuppuratio ad cellulas uſque cuti ſuppoſitas adacta & malum & mali ſedem tollat. Sic recenſet excoriatorium lichenum quo Pamphilus Romæ uſus eſt, & ad mentagram tollendam plurimum in uſum advocavit, quod ſquamæ æris drachm. 6, auripigmenti drachm. 4, æris uſti drachm. 1 & $\frac{1}{2}$, veratri albi, ventrum cantharidum $\overline{aa}$ drachm. 1, recipit, & cedriâ excipit. Quæ ſingula vim cauſticam & deterſoriam obtinent (de compoſ. ſec. loca, lib. 5, cap. 8.) Hanc methodum paucis additis & cum aliquâ ſtypticorum adſtringentiumque differentiâ Paulus, Aetius qui à Galeno rem exſcripſerant, adhibent, niſi quòd Aetius doctiùs & magis ad obſervationis normam de uſu cantharidum in lichenibus excoriatis ſcripſerit, qui lichenes excoriati nullam aliam nobis idæam exhibent præter-herpetum fluentium.

Primus inter Græcos Oribaſius monet fruſtrà externa adhiberi medicamenta, ſi non anteà internis corpus probè repurgatum ſit, monetque poſſe tolli herpetes, ſed magnum indè impendere periculum, niſi priùs corpus purum reddideris & curam eryſipelatis propriam admoveris. Poſteà verò cum Galeno conſentit.

Patet porrò ex his hanc fuiſſe in curandis herpetibus Græcorum artem ut diſcuterent maculas herpeticas quæ ſi reſiſterent obſtinatiùs, conversâ methodo, partem urebant & concitatâ ſuppuratione & herpetem, & locum herpeti proprium, cuticulam ſcilicet, & rete malpighianum tollebant. Hanc ergo methodum, cùm in herpetibus faciei ab agyrtâ renovatam viderim, digna viſa eſt illa ſeduliori attentione, imò & obſervata licebit addere.

Certè ex arte non eſt levius malum graviori tollere. Undè ſi depurationi herpeticæ ſuppuratoriam, adeòque profundiorem depurationem ſubſtituere velis, vix metam attinges; niſi illa fuerit

(*a*) Lib. 2, cap. 2, Meth. Med. ad Glaucon.

ita inſtituta, ut per longa ſubſiſtat tempora, & eo loco poſita ut poſſit à parte interiori ad exteriorem, à nobiliori in ignobiliorem, materiem herpeticam detrudere. Hâc ratione, quotieſcumque retropulſionis in herpetibus metus ineſt, quoties ægro debili virus illud ingruit, quoties vultum, oculos, faciem aut genas deturpat, toties pro mali gravitate epiſpaſtica atque veſicantia in parte plus minuſve à ſede mali diſſitâ adhibemus, imò & in rebelli malo cauterium, ſetaceum inurimus, quo exitu materies abacta in debilitatam inciſione partem deferatur. Porrò ſi pars læſa reactionis jus non amiſerit, propellit à ſe herpetes, qui læſione novâ infirmatas partes occupant. Et certè, licèt ſuppuratoriæ atque herpeticæ depurationum ingens ſit differentia, recta eſt atque legitima cui paremus indicatio, cùm talem medicationem inſtituimus; ſive appoſito in levioribus malis mezerei cortice quod epiſpaſticum, potiùs quàm veſicans, & directiùs ſub epidermide agit & videtur in rete malpighianum actionem propiùs exercere; ſive in grandiori revulſione faciendâ appoſitis viſicantibus ex cantharidum & euphorbii pulvere conflatis; ſive demùm inuſto per ſcapellum cauterio, quod appoſitione, aut piſi uniûs & alteriûs, aut iridis ſphærulæ ſervatur apertum atque ſuppurans. Sed in his omnibus caſibus materiæ revulſionem ſibi ſpondet ars, non materiæ deſtructionem, depurationiſque mutationem, non ipſam depurationis ceſſationem. Quamvis verò nunquam negligendum hujuſmodi cenſeamus artificium, fateri tamen ipſa nos veritas cogit, non ſemper certum in ipsâ faciendâ revulſione ſucceſſum obtineri. Fruſtra aut veſicans, aut cauterium bellè ſuppurabunt, niſi ad limbos & in vicinas partes advocata materies herpetica vel ad ipſum intuentis oculum redundet. Præterea verò ubi affatìm & cum impetu per aliquas herpeticæ materiei maximè pervias & amiſſo tono patulas partes illa exit, nihil proficit cauterium, multiplicatur malum, non ſanatur. Scilicet quod ab ipsâ naturâ primum inuſtum cauterium eſt, in ſuâ actuoſitate totum ſubſiſtit.

Verùm nil tale meditabantur antiqui. Suppurationem advocabant in parte, inurebant plagam, plagæ obducebant cicatricem. Si nullam metuis indè ſupprimendam depurationem, aut ſi ſuppreſſam arte ſupplendam ſpondes, nil melius eſt. Fœminæ cuidam Paræus, Hollerio duce, medicinam faciebat. Hæc herpetibus fœdis faciem vitiatam execrata, omni ope deleri vitium poſtulabat.

Audax Hollerius emplaſtro veſicante faciem illinit & morbum. Mox febris exorta delirio ferox, nec periculi ancipitis expers. At ſedatis omnibus, ſuppurationeque plenâ exortâ, convaluit illa.

Quod viro in arte clariſſimo contigit, idem imprudenti agyrtæ ſucceſſiſſe & novi & vidi. Verùm nec ſucceſſum hunc invidi, nec plauſu excepi. Ecquis enim adeò altè in ſacros naturæ penetravit receſſus, ut poſſit ejus & directiones mutare, & proceſſus æmulari?

Vulgò retropreſſus talis herpes incendio vicinas partes ad ipſum ulceris limbum ferociùs adoritur, malumque fit & latius & ſævius, non ſine malæ ſuppurationis retroceſſuræ imminente periculo. Sæpè cellulæ cuti ſubjectæ inflantur, fitque œdema in herpetes poſteà redivivum. Imò non rarum eſt adeò ipſiûs naturæ vi verti in ſuppurationem herpetes, præſertim versùs perinæum, aut ani margines, ibique grandes fieri abſceſſus, fiſtulaſque quas Chirurgi ſcalprum, methodo ſatis cognitâ, abſcindat. Quandiù fluit abſceſſus, nulla de herpetibus mentio fit, omnia conquieſcunt. Imò ſæpè ipſe herpetes omninò ſanatos credidi; at cicatrice obductâ, quandiù vires deſunt, toties fruſtrà herpetum veſtigia quæſieris; verùm ubi jam pleniori victu uti licet, & vires reparatæ ſunt, rursùs eodem gradu, eâdem vehementiâ enitent ut anteà. Quæ cùm ita ſint, & plures hodie mihi exſtent teſtes hujus obſervationis, deducimus quàm parùm fidei habendum ſit deſtructioni herpetum per ſuppurationem, adeòque veterum methodo, quamvis aſſeclas habuerint Græci Arabes ferè omnes quos ſaltem legerim, licèt illi leniùs & methodo corruptâ cum ægris egerint; nam de ſuppuratione excitandâ mentio nulla apud eos, ſed omnis praxeos ſubtilitas apud illos in refrigerantium & ſtypticorum applicatione conſiſtit.

Nec alia eſt methodus auctorum qui poſt illos ſcripſerunt antequam Phyſices reſerarentur & panderentur nova miracula, ſi ſaltem quoſdam exceperis inter quos primùm appellabo Doctiſſimum Laurentium Joubertum (*a*) qui herpetes ſolâ methodo vacuatoriâ vult tolli, præciſèque pronuntiat antè vacuandos eſſe herpetes, quàm coquendos. Quam propoſitionem non ita accipi vult, quaſi in ipsâ irritatione, nec benè præparato corpore foret vacuandum, ſed tantummodò nullam in herpeticis ulceribus ſperandam eſſe coctionem. Cui quidem veritati lubentiſſimè adſtipulamur.

(*a*) Quæſt. Med. 5 & 6.

Verùm

Verùm à cæteris praxeos auctoribus pars illa ita ferè deſerta eſt atque derelicta, ut de eâ arte ſiluerint ; nec ipſe Fredericus Hoffmannus (*a*) aliam herpetibus curationem ordinavit, quàm eam quam cæteris morbis cutaneis concinnatam voluit.

Plura quidem pharmaca, imò immenſam remediorum ad herpetum genus omne apud ſcriptores de materiâ medicâ reperire eſt farraginem. Sed illa omnia nihil omninò ferunt pretii, nullamque lucem menti affundunt. Imò & periculum ingens eſt ne ægris perniciem potiùs quàm ſalutem afferant. Pleraque enim ex adſtringentium numero ſunt & retropellendo humori apta, inconcinnèque admota nocendi vim obtinent. Illa ergo hìc enumerare non ex arte, ſed contra artem foret.

Plura jure noſtro ex iis poſtulare debemus qui de morbis cutaneis ex profeſſo ſcripſerunt, inter quos Hyeronimus Mercurialis herpetes ſimul atque lichenes confudit, & vix lichenum curationem attigit, quos ſolâ venæ ſectione, applicatione hirudinum, atque tepidis balneis proſecutus eſt, quanquam inter difficillimos curatu morbos eos annumeret.

Multa & ex recentiorum theſauris deſumpta congeſſit vir Doctiſſimus J. Turner, Medicus in magnâ Britanniâ clariſſimus, qui cùm vetera diligenter ſcrutatus ſit, eò tamen in curatione herpetum reductus eſt ut vix à veterum opinione diſſentiret (*b*). Venæ ſectione enim curationem auſpicatus, indè repentè ad Jouberti mentem cholagogis inſiſtit, iiſque repetitis, indè longo uſu adhibitis mercurialibus, cum Ambr. Paræo quem ſequitur nimìs indoctè, ad repellentia progreditur, eaque ſtyptica, quippè quæ ex nuce quercinâ, gallam dicunt, vitriolo, ſulphure & alumine conflentur ; tale remedium in Pharmacopeâ Bateanâ reperias. Verùm præcipuam adhibet fiduciam uſui externo lactis illiùs è ſublimato corroſivo, quod Pharmacopæa Bateana (*c*) deſcripſit. Differentiam tamen aliquam vult adhiberi in curatione herpetis miliaris quem exſiccantibus ſolis, ſublatâ antè cacochymiâ vult tractari, præcipuè verò adhibito cerato è lapide calaminari quod expreſsè deſcripſit. Sic etiam periculoſa illa Pharmacopæa lapidem medicamentoſum, lac ſaturni inconſultò commendat, & nuperrimus auctor Monſpelienſis Chirurgus, aquam vegeto-mineralem antè

(*a*) Tom. 4, pars 5, cap. 5.
(*b*) Premiere partie de la trad. franç. chap. 5.
(*c*) Littera L. edit. Amſtelod. pag. 99.

ipſiûs inutilia ſcripta benè cognitam, & ſapientibus formidatam Medicis, nimiâ imprudentiâ ad ſimiles uſus celebrat negligenter nimiùm, ne dicam noxiè, cùm topicorum uſus in herpetum & omnium malorum cutaneorum curatione maximæ ſit artis opus, & prudentiam poſtulet non communem.

Nihil igitur mirum ſi vix ullâ methodo freti, ſpecificorum contrà numero obruti, curatoriam methodum paulò fuſiùs enodare aggrediamur, quam tamen ita uſibus uniuſcujuſque aptare ſemper erit magnus in Medico labor, cùm à primo uniûs herpetis impetu ad ſummum uſque mali gradum, tot & tanta ſint intervalla, ut nulla inter unum herpetibus laborantem hominem & alterum comparatio in gradu mali poſſit inſtitui. Imò & in promittendo parci & cauti debent eſſe medicantes, cùm alteri ægrotanti unus & ſolitarius herpes tam facilè deleatur, alteri verò fomes inexhauriendus è lymphâ ita ſuccreſcat, ut tota lympha in herpetem mutata videatur.

Ut autem in hâc tractatione lucidus ordo ſuis varia pharmaca locis aptet, ita curationem inſtituemus, ut 1°. ſciamus quid in genere herpetes indicent, ſive ad medicamenta interiùs adhibenda, ſive ad diætam præſcribendam; tùm quâ ratione, quo tempore & cujus generis topica admoveri poſſint, idque in omnibus mali gradibus; poſteà verò de tribus herpetum ſpeciebus curandis agemus, univerſalia peculiaribus aptantes atque accommodantes.

Extraneum eſt & excrementitium quidquid pro herpetum causâ haberi poteſt, adeòque debet ex inſtituto naturæ è corpore eliminari. Huic autem expellendo patentes vias offerre ſi volueris, humorem ipſum fluxilem facias oportet, ita ut per occluſas anteà vias poſſit facili naturæ curſu abripi pars viroſa, hærens anteà. Oportet etiam ut vaſa efficias meabilia, ita ut in omni curatione herpetum omnia ad hæc duo referantur, humoris nocentis mitificationem, vaſorum verò anteà obſtructorum libertatem reſtituendam.

Humoribus mitificatis, atque vaſis aliquâ laxatione donatis, expellendus eſt humor ex Hippocratis præcepto per loca convenientia; quæ quidem pro ſubjecti, regionis, habitûs varietatibus diverſa ſunt. Undè alterum curationi tempus datur in quo convenit eligere medicamenta, quæ ætati, regioni accommodanda ex cauſis præcedentibus, ex concomitantibus ſignis ſeliguntur.

Hoſte profligato, ut ſæpè per intricatos lymphæ meatus hæret

fermentabilis atomus quæ poſſit humori renovando conferre, à tergo perſequendus eſt ille. Tùm vaſa eroſa, deſtructa roboranda ſunt, undè tertium in curatione tempus ſortiemur.

Ubi ergò ad ægrum herpetibus laborantem & curas poſtulantem, nam leves herpetes multi negligunt, Medicus acceſſerit, ubi primùm noverit nihil intùs latere venerei, nec variolarum reliquias à tempore depurandas pro herpetibus haberi, tunc ad præparationem ſeſe accinget : omnia quæ circumſtant ægrum ſedulus explorabit. Certè cibos malè coctos, certè perſpirationem obſtructam deprehendet, & utriuſque illiùs mali removendis cauſis allaborabit antè omnia. Diætam vitæ præſenti accommodabit atque viribus ; ſi curæ, ſi mœror, ſi ſollicitudo coctionibus officiant, ſunt verba & voces quibus hunc dolorem lenire poſſis : ſi uſus minor, vel nimius exercitiorum, ſi præpoſterus veneris uſus turbandis primis illis concoctionibus ſymbolum conferant, omnia hæc tollentur ſecundùm artis præcepta.

At in genere quodnam vitæ regimen conveniat ſtatuere audentibus obſunt multa. Certè quodcumque acre eſt & *eminet per ſe*, ut ait Hippocrates, nocere notum eſt ; omnia ergò ſeligemus alimenta, 1°. concoctu facilia, 2°. quæ parùm excrementorum ingenerent, adeòque ſint guſtui dulcia, & dulcia facultatibus ut cum veteribus loquar. Sed in hoc delectu, ventriculi & humorum conditionis ſumma habenda eſt ratio. Quis enim in hoc themate lac omnibus alimentorum ſpeciebus non præferat & prætollat? At ſæpè ſæpiùs, imò ferè ſemper adeſt in his caſibus ſtomachalis ſaburra, quæ lactis corrumpat dulcedimen. Adeſt bilis vitium, quæ è fonte minùs puro ſcaturiens, inquilinum ſervare caracterem non poteſt. Undè corrupta, ab antiquis ferè omnibus pro causâ herpetum habebatur. Hoc ergò ſenſu verum eſt illud axioma Jouberti nullâ coctione, aut præparatione præviis eſſe purgandos qui herpetibus laborant ; id eſt, antè omnia eccoproticis ſubluenda alvus, & bilis lymphæ annexa expurganda eſt ab inteſtinis, in quibus hæret, quò meliùs diluentia humectantiaque muco conflata levi & inſipido, minùſque mutata intùs penetrent.

In id ergo totus vertitur curationis præparatoriæ in herpetibus cardo, ut humectantibus atque laxantibus internis jungantur balnea tepida aquea. Princeps certè in laxandis vaſis atque etiam diluendis humoribus, dùm denſiores globulos avehit, rectè judicatur venæ ſectio, quæ in bilioſis atque actuoſis conſtitutionibus nunquam omit-

tenda, nocere tamen poteſt in languidulis atque inertibus, quibus etiam aliquandò neceſſarium eſt addere, ne ventriculi vires fatiſcant, tonici aliquid, aut amari ſaponacei, quale præſtant taraxacum, naſturtium aquaticum, fumaria, ſcabioſa, aliæque hujuſmodi plantæ quæ, vel ſucci formâ ſero lactis miſcentur, vel ſub decocto vitulino infunduntur, & quæ poſſunt etiam ſeorſim à diluentibus, antè paſtum in extractum redacta, vires ventriculi membranis, & bili actuoſitatem reddere. Sed hæ plantæ aliaque hujuſmodi adhibenda tantùm ſunt in bilioſis atque ſanguineis conſtitutionibus, poſtquàm calor deferbuit & æſtus jam minor eſt; contrà apud inertes atque languidos non ſufficiunt præparando corpori. Nam ad expellendos herpetes, etſi temperandus ſit ardor & compeſcendus ſit æſtus, ſi deſit calor ille naturalis, ſi deſint vires reſolventes, ars ipſa vetat ne ad expellendum virus illud accingamur, ſed priùs reſtituendæ ſunt vires, quod fit non quidem negligendo primarias indicationes, ſed miſcendo ſubſtantiis quæ poſſunt diluere atque humectare partìmque mutare lympham ſaponacea è tonicis petita, qualia reperiuntur in radicibus lapathi acuti, helenii, chelidonii majoris, aliarumque ſimilium plantarum, tùm folia amara borraginis, cichorii; imò & aliquandò, ſi aliquid, quod in hâc inertiâ familiare eſt, ſcorbutici ſubeſt, adhibentur plantæ antiſcorbuticæ & floribus cruciferis donatæ, quarum ſuccus, præter antiſcorbuticam virtutem, aperientem ſaponaceam eminenter exercet, nec tonicâ fraudatur facultate. Satis verò ex rei ipſiûs naturâ patet iis quibus talia conveniunt vix conferre balneorum uſum, ea ſaltem ut vera cutis emollientia ſi non repudianda ſunt, cautè tamen in uſum advocanda, ne viribus aliquid detrimentum afferant.

Inter ipſa verò præparationis faſtidia, ſi præſertim ſanitas illibata non perſtet, imò antè omnia remedia, plerique Medici in illud conſentiunt, ut humori hæſitanti exitus novus, cute apertâ, concilietur per artem, ita ut ſi ad cutem humor jam delatus ſit, in duas partes onus dividatur; ſi non ſatis vehemens ad cutem fiat impetus, determinetur ille & in ſalutem corporis dirigatur. Hæc curatoria non eſt indicatio, ſed merè præſervativa quam idcircò ſemel initam derivationem per totum curationis tempus accuratè ſervant medentes, imò etiam, peractâ curatione, non ſine ſummâ prudentiâ delendam obſervatio confirmat. Si levius ſit malum, thymeleæ cortice cutem inurunt; ſi gravius, veſicantibus

è cantharidum pulvere conflatis altiùs ipſam aperiunt; ſi graviſſimum, cauterio adipem ipſum aduſquè penetrant; quanquam in herpetibus qui ſuperficiem cutis rodunt, mihi nulla videatur inſtitui poſſe analogia inter malum profligandum, atque cauterii efficaciam. Cùm jam de iis egerimus in introductione, pauca dictis addemus, ſcilicet inutile eſſe hujuſmodi emunctorium in leviſſimis herpetibus, ſanitate alioquin illibatâ, cùm per ſe facilè ſanentur; inutile pariter in graviſſimis, cùm materia affatim & copiosè effluit, nam novum effluvium nova naturæ diſpendia inferret, tuncque his in caſibus tantummodò neceſſarium eſt cutim vulnerare, cùm incipit, ſive ob artis auxilia, ſive ob beneficia naturæ, effluxus morari & tardeſcere, ne ſcilicet pars aliqua intùs reflua in viſceribus obſtruendis impendatur. At ſi facies occupetur & deturpetur ſacra hominis effigies, nullum dubium fit, mora nulla. Præſtat enim partem aliam quamvis corrumpi. Proximè & è regione mali plaga inuritur, quò faciliùs & pleniùs malum derivet.

Hiſce autem præparationibus ritè & conſideratè admotis, cùm mitificentur humores & ſolida evadant permeabilia, accidit ſæpè ut integrè ſanentur herpetes, nec origine veteres, nec gradu metuendi, fomeſque qui altas non egerat radices penitùs extinguatur. Quod in herpetibus majoris momenti non accidit. Si res ita evenerit, ſupprimenda erunt negotioſa molimina curationis operoſæ, & nihil melius erit quàm hoſtes à tergo inſequi, bile jam correctâ humoribuſque ad naturæ conditionem magis accedentibus, per uſum lactis diurnum atque diuturnum, ita ut naturis ad inflammatoriam diatheſim vergentibus præferatur aſininum, ſtomacho debilibus caprinum, ubi autem nihil metuitur viſceribus, vaccinum, ſeu ſimplex pro unico paſtu, ſeu titulo medicamenti manè & ſerò concinnam & aptam malo ſufficiet medelam; & ſæpè ſi virium à nimiâ mole cocti humoris oppreſſio metuatur, cum hordei decocto mixtum.

Vigentibus enim herpetibus & dominatum per univerſos humores exercentibus, vix ſcopum lacte attingere daretur quod corrumperetur & novam incommodo materiem ſuppeditaret. Si verò, ut quædam ſunt naturæ, lac reſpuit corpus intimum, vitio peccans, eodem titulo adhibentur juſcula è lenibus & mucilagine inſipido refertis tenerorum animalium carnibus, qualem præſtant ranæ, teſtudines è quibus præſertim famoſa illa è teſtudinibus conficiuntur juſcula, quibus, ut aiunt, ſanguis potentiſſimè depuratur;

& quæ manè & ſerò legitimâ aliundè ſervatâ diætâ exhibentur.

Verùm ne in errorem videamur imprudentes & pauperioris præſertim ſortis homines inducere, ſupplent hæc, imò forſan efficaciâ vincunt juſcula quæ ex ichthyocollâ in mucaginem redactâ conficiuntur. Quâ ſubſtantiâ viliori & ad culinarum fumum ablegatâ, forſan nulla datur potentior ſubſtantia ad mitificanda lymphæ acrioris principia, & quæ poteſt omnibus, vel famigeratiſſimis in hunc uſum remediis anteponi, modò non parcâ doſi intrà humores introducatur.

Forſan quæres, an me ea ſimplicitas obſtrictum teneat, ut credam lenioribus leniorem chylum confici, quaſi omnia coctione non mutentur? Quaſi viſcidorum alimentorum gluten, vaſa lactea tranare poſſit? Fatebor nihil chylo benè cocto dulcius, nil æqualius. At è principiis benè temperatis exurgit liquor facultate dulcis, glutenque ſalivæ atque ſuccis recrementitiis imbibitum & commixtum intimè, acrimoniam retundit; ſive intrà cellulas inſinuet ſeſe, ſive venarum lactearum mæandros acribus impervios, patulos dulcibus ſubſtantiis valeat penetrare, ſive demùm nervorum pruritum & titillationem obtundat externo tactu, perindè eſt, modò omnium omni ævo Medicorum obſervatio facultatem horumce medicamentorum demonſtret.

Verùm raò hâc ſolâ præparantum remediorum adminiſtratione ſanantur herpetes, niſi fuerint contagio contracti, recentes, adeòque leves. Corpore ergo bellè præparato ſupereſt maxima pars rei peragenda. Aſſimilandum jam noſtris ſuccis, mutandum omninò, aut expellendum eſt virus herpeticum.

Humoribus ſanis corporis humani virus illud ita aſſimilare, ut jam fluat innocuè, eò magis deſperandum, quò demonſtratum magis eſt illum ex partibus lymphæ excrementitiis conflari. Id tantùm ſpei ſupereſt, ut vel à naturâ expellatur, vel artis auxiliis prorsùs extrudatur è corpore.

Naturæ in humoribus jam corruptis inerti parùm fidendum eſt, niſi tamen cauſæ corruptionis adhuc leves, per artis præſidia attingantur, ut in methodo mox expoſitâ factum, aut omnia quæ concurrere ad mali productionem potuerunt, eliminentur.

Vertendum ſolum, victus durior inſtituendus, labores ita augendi ut ad extremum deducant; & ſi Cl. Van Swieten credatur, hâc methodo luem ipſam veneream prorsùs è corpore ſe profitetur eliminaſſe; quantò magis idem ſperandum eſt de herpetibus

qui nec malignitate, nec ſedis quam occupant altitudine poſſunt huic veneno conferri. Ego verò pro virili parte ſanctiſſimè atteſtari poſſum illuſtriſſimam matronam vivam, atque ſanitate fruentem illibatâ, ſanatam fuiſſe herpete phagœdenico genam utramque fœdè ulcerantem & acria ſtillantem, dùm mutatur ipſiûs victus opiparus, & carne turgentia juſcula repudiantur, ſoliſque oleribus vivit ſimpliciſſimè & aquâ ſalitâ paucoque butyro conditis, nec ullus unquàm à decem annis fuit mali regreſſus.

Verùm artis præſidia invocantibus vel mutandus eſt humor, vel expellendus. Mutandi humoris incogniti ſpes nulla, cùm nullum detur ad herpetes ſanandos medicamentum ſpecificum, imò & demonſtratione practicâ certum ſit herpetes vim ipſiùs mercurii alterantem eludere. Supereſt ut eliminetur. Porrò quodcumque excrementitium eſt per tres tantùm patentes excrementis vias poteſt eliminari, nec alium ſortiri vacuationi locum; vel ſcilicet per poros perſpiratorios atque ſudori proprios meatus, vel per alvum, vel per urinas. Ex quibus ſæpè inter ſe complexis atque combinatis vacuationibus ars diſcit ita proficere, ut omnium in humorum effluxu pariter hoſtilis pars effluat.

Certè ex omnibus quæ herpetibus vacuandis conferre poſſunt emunctoriis, nullum naturæ magis conſonum eſt quàm quod ſudoribus dicatur. Etenim pars eſt malo proxima, & defectu perſpirationis naſcuntur herpetes, quâ reſarcitâ, illos etiam eſſe amovendos ſpes eſt; undè & balneis tepidis corpus præparatum & permeabile redditum ſæpè vi innatâ herpetes abſtulit. Verùm fatendum eſt ea quæ ſunt & dicuntur ſudorifera ſæpè legitimâ actione deſtitui, ſi in corpora inciderint criſpanda, facilè irritabilia & quibus vis cordis addita inflammationem potiùs & ſtricturam faciat, quàm eliciat ſudores, imò æſtu addito herpetum eruptionem augeat.

Illud quidem herpetum augmentum, ſi cætera rectè ſe habeant, nec videatur inflammari corpus, non ſtatim pro malo habendum eſt, cùm ipsâ invaleſcente ſanitate foras hoſtis protrudatur; ſed cautè & prudenter inſpiciendum an criticè exeat humor, an ſymptomaticè & præ incendio? In priori enim caſu audaciùs in eâdem methodo perſeverandum eſt; in poſteriori verò non ceſſandum modò, ſed nova diluentia, novaque balnea admovenda.

Antiquiſſimum ad hanc indicationem remedium, ſaltem ut ex inquiſitionibus meis conjicere poſſum, ex viperis petebatur, quæ

τα θῆριά vocabantur, ſive *ἔχιδνα.* Has in ſuâ theriacâ recepit Andromachus, viribus vitalibus augendis habiles & ſudoribus conciliandis. Undè etiam Galenus *allium*, ruſticorum theriacam vocat. Quamvis autem ad herpetes ſanandos illiûs remedii nulla ſit apud veteres mentio, verùmtamen cùm ad inveterata cutis mala illud adhiberent, imò elephantiaſin à ſolo viperarum uſu ſanatam ſcribat Aretæus, videtur ejus uſum ad ſanandos herpetes detorqueri poſſe. Et certè, licèt durum ſit negare facultatem viperæ carnibus attenuantem, cum recentioribus multò magis eximias dotes ſali è viperâ extracto volatili conceſſerim; advertendum tamen eſt omnia quæ ſequuntur calidiora medicamenta vipereis etiam præparationibus exprobrari poſſe incommoda. Undè non niſi laxioribus & diffluentibus lymphâ corporibus conceduntur, & in his caſibus eorum ſucceſſum comprobavit experientia.

Eumdem in uſum & diaphoretici ſimul atque attenuantis, imò ipſum herpeticum virus mutantis titulo adhibitus eſt mercurius. Is illitus, & formâ mercuriali aſſumptus parùm ad herpetes valere obſervatus eſt, cùm ſanatâ lue venereâ remanere herpetes annotatum ſit, licèt ad morbos pecorum cutaneos antè adhibitus ſit quàm indè ad luem veneream detortus. Verùm neotericorum induſtria ita ſemimetallum hoc nobile miſcuit & contemperavit, ut in illo herpetibus antidotum, non ſine aliquâ ratione poſſis jure quærere.

Duplici autem ſub formâ ad herpetes commendatur. Prima eſt, ubi reſinæ alicui miſcetur intimiùs, ſive mixtus cum acido ſolvente, ſive ſolus & trituratione ſolâ extinctus. Hinc jungitur panacea mercurialis, ſive mercurius dulcis, ſive calomelas Anglorum cum ſubſtantiâ reſinosâ purgante. Formatur in pilulas varii pro diverſis temperamentis ponderis; ſitque medicamentum quod ſerò aſſumptum vím ſimul díaphoreticam atque catharticam exercet, & ſæpè mali moris herpetes ſanat, modò non præcipiti impetu deferatur per alvum pilularum efficacia. Tales ſunt famoſæ illæ pilulæ ab inventore dictæ de Belloſte (*a*) quas exornaverat vir in Chirurgiâ non ineptus ad luem veneream perſanandam, cui effectui prorsùs inhabiles ſunt. At certè retinuêre ad herpetum ſanationem multis in caſibus non precariam celebritatem, modò offerantur tantùm iis ægrorum conſtitutionibus quæ non facilè

(*a*) V. Baumé Pharmaciæ art ſpecial.

inflammantur.

inflammantur. Intereà verò earum actio determinatur per juſcula aut liquores, quales in præparatione adhibebamus alterantes atque diluentes.

Verùm inter compoſitæ facultatis medicamenta recenſeri poſſunt pilulæ illæ. At verò inter diaphoretica remedia locum præcipuum obtinet famoſa ab aliquot annis mercurii ſublimati ſolutio. Hæc antiquitùs in Galliâ cognita & empyricè admota, apud nautas Ruſſos quo auctore incertum ad ſanandam luem veneream adhibita, teſte viro Clariſſimo Ribeiro Sanchez, nec Boerrhaavio ignota (*a*) tranſlata eſt ad noſocomia, & publico uſui ſacrata ab ejus diſcipulo Cl. Van Swieten. Indè ad nos defluxit, eruditè à Cl. le Begue noſtratibus expoſita, nec ſine temerariæ audaciæ metu à doctis indoctiſque paſſim excepta eſt. Hodie nimis cognita eſt quàm ut in re benè notâ diutiùs immorari operæ pretium ſit. Quid in lue vereneâ valeat hìc recenſere inutile. Certè cùm cætera ferè omnia præparata mercurialia in ſanandis herpetibus ſupervacanea ſint & ableganda, hæc præparatio, ſi refractiori doſi adhibeatur, eorum ſanationi multùm ſæpè contulit ex obſervatis Anglorum, & præcipuè J. Brisbane (*b*), quibus ſi ex noſtratibus Medicis aliquid addere liceret, plures qui non ſcripta evulgavêre, allegare poſſem, meque ipſum, quantumvis nihil auctoritati meæ tribuam.

Verùm in curandis herpetibus doſis multò magis refracta admovenda quàm in ſanatione luis venereæ; imò & lentiùs inducendus eſt intrà ſanguineum laticem mercurius ſublimatus corroſivus, ita ut ejus actio prorogetur, & diaphoretici titulo agat; undè rerum peritis nihil magis metuendum edicitur tali remedio utentibus, quàm aeris frigidioris impreſſio. Simul identidem catharticis corpus expurgant, ne durabilis impreſſio fiat in corpus mercurii qui ſæpè inter media incerniculorum intricamenta in globulos compingitur, diuque intrà corpus remanet, teſte Meadio. Sed ferventiores corporum conſtitutiones methodus iſta, utut leniter admota, lædit, ſæpèque inteſtinis atque ventriculo labem inuſſit, diſpoſitionemque phlogiſticam impreſſit altè, non facilè delebilem.

Methodus eſt ab Anglis Medicis (*c*) nuperrimè jactata ut ſarſæ parillæ decoctum adhibeant non ſolùm in lue vereneâ, ſed etiam

(*a*) Boerrhav. Chem. tom. 2. V. le Begue de Preſle, Paris, 1761.
(*b*) V. Obſ. Med. of à Society of Phyſicians in London.
(*c*) Obſerv. Med. inquires by à Society of Phyſicians, tom. 1, pag. 149.

in herpetibus ſanandis, & hoc quidem decoctum in libris duabus aquæ tres uncias radicis coquendo cum unciâ ſemi liquiritiæ ad uſum ſervant. Unciam unam & ſemi, unâ quartâ quâque horâ ægro offerunt & patienter remedii efficaciam expectant. Aliquandò ſolùm hoc remedium adhibetur; jungitur aliquandò cum legitimo uſu mercurii ſublimati corroſivi. Quouſquè hujus medicamenti efficacia extendatur expertus non novi; at certè multis in caſibus corpore benè præparato cur non in uſum revocaretur ad diaphoreſim promovendam & humores herpeticos attenuandos?

Longè major eſt famâ, longè magis eſt extenſus antimonialium remediorum uſus ad eumdem ſcopum obtinendum. Præparationum antimonialium aliæ evidenter emeticæ ſunt, etiam in doſi refractiſſimâ, aliæ miteſcendo purgantes evadunt, aliæ demùm, ſi quod ſit medicamentum quod hunc ſibi titulum arrogare poſſit, ſunt diaphoreticæ; quod in equis quibus ſæpè crocus metallorum (*a*) hoc ſub nomine offertur optimè norunt equiſones. Quæ ſint illa præparata & quibus ſignis poſſint evidenter deprehendi docet Chemia (*b*) quam hìc cognitam ſupponemus. Non ita nuper virtus illa innotuit, imò ſi credere fas eſt, à morbis cutaneis animalium ad humanos uſus antimonium tranſtulit Baſilius Valentinus. Hinc antimonium crudum primò & antè alia medicamina exhibitum eſt, & hodie adhùc baſim præbet famoſis Kunkelii rotulis qui ad herpetes ſanandos longo uſu ad grana duodecim, imò & ſcrupulum unum præſcribuntur (*c*), & quorum poſt præparationes plurimas ingentem ſucceſſum, imò plenariam ſanationem vidi. Certè licèt plurima fuerint hujus ſemimetalli præparata chemica, nec ullum aliud adeò torſerint hujus artis profeſſores, habet illud ſibi proprium antimonium quale natura ſibi combinavit, quòd agat partìm ſulphure, partìm regulo; porrò & ſulphur per ſe diaphoreticum eſt, & intrà liquores humanos ſolvitur, & regulus, ubi ob ſulphur virtute deſtituitur emeticâ, diaphoreticam & ſummè attenuantem virtutem obtinet. Verùm iis diutiùs inſiſtere ut ſummè cognitis pudet.

Poſt ergo antimonium crudum ſtabit æthiops mineralis eâdem ferè facultate præditus. Nam quod ad bezoar minerale, antimonium diaphoreticum & inertes calces è ſtibio confectas attinet, multi

(*a*) Deſault, Malad. de Poitrine.
(*b*) Etmuller Chemia de antimonio.
(*c*) V. Roth, Elémens de Chimie, en françois, à la fin.

erunt qui cum ſagaciſſimo & doctiſſimo Baron (*a*), conſentiant poſſe forſan ſine noxâ famoſa illa medicamenta è praxi abjici, ut pote quæ intrà primarum viarum limites ſubſiſtant, nec extendantur ultrà, inſolubilia prorsùs.

Verùm etſi proprium regulo vehiculum, ut ita dicam, conſtituat ſulphur, eique & novam addat efficaciam, & poteſtatem acceleret, fatendum eſt multò magis ei poteſtatis accedere atque efficaciæ, cùm poteſt ſalibus miſceri intimiùs atque combinari virtus regulina. Ita enim ſit magis penetrabilis illa & per artem quaſi graduari poteſt.

Verùm à ſalibus virtus ſervatur emetica, nec ullum datur ſalinum antimonii præparatum quod non aliquid virtutis emeticæ, aut ſaltem purgantis retineat. Undè ſingulare fuit clariſſimorum quorumdam Medicorum inſtitutum ita refractâ doſi adminiſtrare hæc præparata, ut omiſsâ illâ vi verterentur in alterantia. Sic non ſpernendum medicamentum offerunt eſſentiæ, vina, tincturæ antimoniales, ſi ex illis partibus ſiant antimonialibus quæ nondùm calcis naturam per ignem adeptæ ſint, ſed ita regulinâ parte cum phlogiſto gaudeant, ut virtute non fraudentur emeticâ. Id ſingulariter expertus commendavit Cl. Huxham (*b*), qui vinum antimoniale à quadraginta guttis ad ſcrupulum unum cum levi nauſeâ, imò à decem ad quadraginta ſine ullâ nauſeâ, ſine ullâ ventriculi functionum alteratione continuo hauſtu per plures menſes adhibuit. Imò conſtans apud Medicos tali utentes remedio obſervatio eſt eam doſim quæ primò membranas ventriculi convellebat, brevì nullo in ipſum effectu infamari, ventriculumque illi ita aſſueſcere, ut J. Brisbane (*c*) non infimæ notæ obſervator viderit hominem qui ſenſim aſſueſcendo eò venerat, ut impunè decem tartari ſtibiati grana poſſet unâ vice haurire : verùm ſi teſtes clariſſimos Anglos adhibeas, nullum potius, nullum præſtantius eſt remedium ad omnia cutis fluentis ulcera vino antimoniali, ſeu potiùs nullum attenuans quod tanti faciendum, ut abundè probant obſervationes nuper editæ à Medicis in urbe Londinenſi ſelectis.

At inter alios caſus eoſque ſpectabiles, nullus eſt adeò notabilis quàm ille quem leproſum vocat J. Brisbane *Martini Kelli* qui, utut ſummæ negligentiæ reus, ſolo tamen uſu vini antimonialis perfectam ſanationem aſſecutus eſt. Quæ quidem obſervata

(*a*) Baron ſur Lémery : Huxham Obſervations on antimon.
(*b*) V. Huxham Obſervations on antimony, pag. 60 & ſeq.
(*c*) J. Brisbane, L. C. pag. 45.

quantam ſaltem apud nos fidem mereantur experientiæ eſt ſtatuere. Rem in herpetibus ſimplicibus minùs congruam agere foret, ſi magnum hunc curationum apparatum adhiberemus. At in majoris momenti cutaneis morbis, ut & in cæteris à lymphâ ſtagnante pendentibus affectibus in quibus veteres inſufficientem medelam admovebant, quanta indè ſpes affulgeat evidens eſt.

Notari tamen velim in hoc adhibendo medicamine ſummam eſſe afferendam attentionem ad ægrorum conſtitutionem, & fervidioribus Gallorum corporibus antè medelæ hujus uſum ſummâ opus eſſe præparatione, ne mordeat nimìs attenuans ſimul & ſtimulans medicamen : imò rarò in principiis agit ſine augmento evidenti ejus quam curare tentamus eruptionis ; indè Medicis improvidis metus, & ægris deſperatio. Sapientis eſt, ſi phlogoſis inſtet, à medicamento temperare & ceſſare, donec humoribus ſedatis & contemperato ſolidorum tono poſſit illud ſine tumultu & erethiſmo agere ; præterea verò cum noſtratibus Medicis ejuſdem conſilii particeps ſum, qui jubent purgantia attenuantibus intermiſcere, ne ſcilicet nimis attenuata materies ſtagnet in corpore & meatus ſibi non deſtinatos occupet, perſpirationemque fallat. Fateri verò debet ars medica quòd cùm medicamenta electionem humorum à naturâ non ſortiantur, dùm partes attenuandas attenuant & ſolvunt, miſerè etiam ſolvantur partes quæ eorum actione nullatenùs egerent ; hinc accumulantur ex rei neceſſitate excrementa, coctioneſque & excretiones vitium aliquod nanciſcuntur, quod aucto omnium excrementorum impetu propellere ſemper ſalutare eſt, quanquam aliter alii ſentiant.

Altera ſpes eſt fore ut materies herpetum poſſit per urinæ vias amandari & attenuata evacuari per hos naturales excrementitiis avehendis humoribus tramites. Verùm quàm fallax & quàm fluxa poſſit eſſe hæc emulgendi humores via Medici omnes norunt. Latet enim illa excretio ſub naturæ, ſed non ſub artis imperio. Laticem aqueum illumque copioſum per renes propellere non adeò difficile, ſed coctam & depuratoriam urinam elicere verè impoſſibile pronunciaverim, ſine erroris metu. Certè non immunis eſt aliquandò herpetico fomite veſica urinæ. Id noviſſe videtur Hippocrates in aphoriſmis. Illo veneno parietes hujus viſceris indurari notum eſt, adeòque fluxum urinarum intercipi. Imò non ultimum eſt ex organis quæ in ſenibus præ fomite herpetico indureſcunt proſtata. Quin & interior urethra eo aliquandò

non caruit : ideò etſi res ad noſtrum poſſet dirigi lubitum, neſcio an non aliquid incerti atque ambigui foret, in præcipitando per haſce vias ſomite, cum hærentiæ periculo ? Verumtamen apud Britannos, gentem obſervationi natam & in ſcientiis naturalibus penetranti donatam ingenio, ad herpetes, ut & alios difficillimos cutis morbos in quibus lympha ſpiſſior ſimul & acrior reperitur, invaluit remedium quod inexpertus tantummodò ab eorum ſcriptis & obſervatis prædicare poſſim. Quoties ſcilicet hæret lympha & canales obſtruit, quoties illa mucosâ ſtagnatione peccat, tincturam cantharidum è pharmacopæâ Londinenſi uſu longo ad guttas XXX, imò & XL, adhibent, potentiſſimumque ſimul atque maximè innocuum medicamentum laudibus extollunt. Jam olim vetuſtiſſimus auctor Hippocrates (*a*) internum cantharidum uſum pluribus in caſibus commendaverat, præſertim in hydropicis, at cùm alas eximere doceret & capita, reſque obſcurè enuntiata fuerit, jam Galeni tempore eorum uſus internus metuebatur, teſte etiam Plinio. Tincturam tamen ab iis diureticam poſt Zacutum Luſitanum & Doloeum Thomas Willis (*b*) non extruſerat, ſed niſi jam ferè in paralyticis veſicæ caſibus non admovebatur, donec apud Pharmacopæam Londinenſem, quo Deorum monſtrante neſcio, cum coccinellâ & ſpiritu vini in tincturâ rursùs cantharides apparuerint. Hanc tincturam Ric. Mead. (*c*) ut ſummum in leprâ remedium commendat. Antè hanc tincturam, licet uſum horum internum aliqui commendaverint Medici, univerſalis quidem metus omnium animos præſtrinxerat, notante rem auctore in hiſce rebus acutiſſimo Friccio (*d*). Verùm Londinenſium Medicorum obſervata de hujus uſu ſecuriori nos edocent quid ſperandum ſit in morbis maximè rebellibus, cutis leprâ, elephantiaſi, herpetibus mali moris, qui affectus ad omnia alia remedia rebelles hujus doſi aſſiduò aſſumptæ & per menſes ad guttas uſque XL pervicaciter continuatæ, portenti inſtar ceſſêre. Teſtem unum pro omnibus appellare liceat J. Brisbane (*e*), noſocomii Midlexenſis Medicum ſeniorem, & rerum medicarum obſervatorem cultiſſimum. Certè quibus viperæ uſus adeò commendatur forſan in cantharidibus medelam reperiant.

(*a*) De Nat. muliebri, ſect. 2 ; de Morb. mulier, ſect. 2 ; de internis affectib.
(*b*) De Simpl. Med. Facult. lib. 3, cap. 22.
(*c*) Medica Sacra, cap. 2.
(*d*) De Virtute Venenorum Medicâ, cap. 5.
(*e*) A pag. 5, ad 18.

Verùm res longè aliter ſe habet in tertiâ illâ quam univerſalem ſine erroris metu nuncupaverim materierum excrementitiarum abductricem ſemitâ, quæ bilem, lympham mucoſam, ſerum ſalſum, & ferè omnes omnis generis humores è corpore ad libitum protrudit catharſi. Per alvum ſolvi herpetes, aut ſaltem in eam indicationem ab arte exerceri molimina non novum eſt. Si quidem ea erat antiquis opinio, herpetes à bile ſero mixtâ pendere, ut alibi diximus; ob id ab Helmontio & Chemicis duriùs correpti fuêre.

Et certè licèt ipſa per ſe catharſis, ſi ſeorſim à qualitate medicamentorum ſolvente ſumatur, videatur parùm in vias cutis efficere longèque remotâ actione efficaciam exerere, tamen cùm cutis denſitas alvi raritas ſit ex Hippocrate, prætereàque cùm ex eſſentiâ medicamentorum quæ reverà dici poſſunt cathartica ſit ut etiam ſolvente & attenuante donentur virtute, jam directam videntur obtinere efficaciam ad ſolvendam muci tenacitatem ejuſque ranceſcentiam & impediendam & expellendam. Si verò iſta ex eorum genere ſeligantur quibus illa virtus eximiè cognita eſt, certè ſpes eſt illa ad morborum cutaneorum ſanationem poſſe conferre. Adde quòd cathartica plethoram illam humorum non aſſimilatorum quam medico nomine cacochymiam vocamus, ita potenter tollant, ut poſt adhibitum catharticum palleſcant omnes cutanei morbi; imò ipſum eryſipelas, ut alibi notatum eſt, pro tempore conticeſcat. Nec ſinunt illa ſaburram intrà primas vias diutiùs hoſpitari, quæ fomitem malis daret, & à perſpirationis viis divertunt ſordes quæ in illas impetuosè ferrentur. Verùm tot inter dotes, nulla alia methodus tot exornanda cautelis, cùm plurima importet pericula.

Quidquid enim potenter catharticum eſt, per ampliſſimas inteſtinales vias delatum, non organa tantùm concutit, non humores tantùm ad excretionem provocat, ſed fibras etiam vellicando atque irritando ad inflammationem diſponit, ſed humorem ita vacuat ut corpus brevi ſpatio ad macilentiam deducat, & ſitim, ſic notante Hippocrate, importunam afferat. Præterea, ut ait Celſus, repetito catharticorum uſu aſſueſcit non ali corpus. Undè mactantur vires, labaſcunt functiones, malum malo additur, & debellato ſæpè malo, ruunt in perniciem peſſimam meliora ſperantes ægrotantes.

Facile eſt indè concludere non cum Helmontio rejicienda

eſſe cathartica, ſed opus eſſe delectu exquiſito, tùm in corporibus quibus illa aptantur ita præparandis, ut quaſi aliquod cachexiæ veſtigium per artem inducatur, antequàm vehementiori actioni exponantur ægri, tùm ſæpè ab opere ceſſandum, ne vires indè aliquod accipiant detrimentum. Tùm demùm providendum ventriculo & inteſtinis, ne aliquod inflammatoriæ irritationis ſignum in peſſimam degeneret phlogoſim, ne etiam irritata inteſtina cauterii vicem præſtent, & deturbata à priſtinâ ſede materies ipſa invadat & infeliciter occupet, undè ſuppurationes lentæ exoriantur dyſenteriæque purulentæ, atque demùm tabes finem malis metuendum imponat.

His præmonitus Medicus ad medicamentorum purgantium ſelectum ſe accinget. Doſis ætati, ſexui congrua erit, qualitas ſeu facultas medicamenti morbo (*a*). Peplium helleborumque antiqui ſimpliciores ſolas ſibi cognitas ſubſtantias in uſum vocavêre, medicamenta certè eminentiſſimè reſinoſa, & quæ ad morbos cutis virtute potenter ſolvente ſimul & alteranti conferunt. Nec aliud iter ingreſſi ſunt recentiores, niſi quòd ipſorum antè oculos naturæ divitiis multiplicatis plures emicuerint reſinæ, jalappa, ſcammonium, colocynthis, cucumis ſylveſtris, ſeu elaterium antiquorum, ut videtur, peplium. Hæc enim omnia & alia multa potenter alvum ita vacuant, ut videantur ex omnibus totiùs corporis partibus humores in hoc quaſi centrum confluere.

Verùm cùm impoſſibile ſit ut unâ vice univerſus humor morbi cauſam conſtituens vacuetur, talia autem iterari remedia ſine ingenti virium diſpendio non poſſint, cùm promiſcuè alibiles partes unà cum excrementis vacuentur, ipſa medica methodus edocuit rem partitis vicibus aggredi, & venenatas partes medicamentorum ita doſi refractâ irritabilitati noſtræ aptare, ita materiam præparare, ut è corporis humoribus tenuior ille fiat atque mobilior quem vacuare ars intendit. Quod, quamvis aliquandò fraudetur ſucceſſu, poſſibile eſſe, & ex arte, demonſtratu facile eſt. Nam in hujus materiæ nocivæ præparationem adhibentur & plantarum ſaponacearum evidenter ſolventes ſucci, & gummi ſaponaceæ, & ſaponis vis ſolvens. Imò mercurius ipſe præparatorii medicamenti titulum ſibi jure vindicat, ut in præcedentibus methodis, à quibus tantummodò differt iſta catharticorum adminiſtratio, quòd in præexpoſitâ ſudoriferorum adhibendorum me-

(*a*) V. Hippocr. de Veratri uſu; de vacuandi ratione.

thodo ſoluta materies per ſudores exitum moliretur; in noſtrâ autem, cum ſudoribus parùm fidendum ſit in oris ſeptentrionalibus & vitâ noſtrâ negotiosâ, materies ſoluta & ad exitum indifferens per alvum præceps agitur impetu quem regere facilius eſt quàm ſudorum excretio.

Cum autem ingens ſit momentum in curandis herpetibus attenuantium cum purgantibus mixtorum, varias ex mercurio & antimonio præparationes elicuit ars chemica, quæ leniter alvum ſubducendo ſimul intrà lymphæ meatus penetrare poſſint. De antimonio vix aliquid quod ſucceſſu non careat & cui ſidere ſoli poſſit prudens Medicus, elicuit chemia; nam ſulphura ex antimonio petita aut ad ſudores ferunt, aut emeticam virtutem ſervant. Undè vix niſi reſinoſis remixta purgantibus in ſinem nobis propoſitum aliquid poſſunt ſulphur auratum, kermes minerale, materia perlata Krugeri, &c. & alia multa.

At meliùs cum mercurio ſalibus ſecundùm artem remixto actum eſt. Mercurius ſublimatus dulcis, panacæa mercurialis aliaque hujuſmodi præparata pluribus alvum leniter laxant, apud omnes attenuantium vicem præſtant, locumque dant ut inter earum intervalla potentioribus utamur catharticis. Hinc etiam varia præparata concinnata ſunt ex reſinis ſimul & mercurio ita in pilulas remixtis, ut nunc fortiori doſi tanquam purgantia offerri, nunc remiſſiori alterantium vice ſungi poſſint. Inter hæc præparata eminent pilulæ mercuriales è Pharmacopæâ Pariſienſi, quarum ſex grana, vel octo alterant & ſolvunt, triginta vel plura adultos bellè vacuant, aut famoſæ illæ Belloſtii Chirurgi nomen præferentes ex reſinâ evidenter & mercurio vivo conflatæ, quarum præparationem publici juris fecit vir ſingularis in Pharmaciâ atque Chemiâ doctrinæ Cl. Baumé.

Hinc corpore benè præparato per longum balneorum uſum, per alterantia juſcula, refrigerantibus remixta, ubi ad hanc methodum pervenerunt Medici, tùm doſim pro ætate & corporis conſtitutione variam, ſed refractam & vix purgantem adhibent, & poſt aliquot dies doſi potentiore utuntur, donec herpetum mitiſicatio leniùs eas pilulas admovere ſuadeat. Nec in corporibus ad aſpectum ſimillimis doſis eadem uſui convenit. Experientia brevì limites docet, & longitudinem uſùs promptior aut lentior cutis mutatio determinat. Indè ad roborantia fit tranſitus.

Verùm licèt methodus herpetes per cathartica eruendi inter compoſitas

compoſitas potiùs quàm ſimplices recenſeri poſſit, multi ſunt caſus in quibus ſimplicitas illa exulare omninò debet, & nunc hæc, nunc illa in uſum revocanda ſunt medicamina. Tales ſunt illi caſus in quibus univerſum corpus videtur in herpetes producendos concurrere, ita ut nulla pars his careat. Et certè ut ducendum in hiſce caſibus quò natura vergit, ita rem velim inſtrui ex Sanctorianâ doctrinâ perſpirationis vices edocente & naturæ vias deprehendente. Vere ſcilicet, cùm jam vaſa recluduntur & ad perſpirationem inhiant, poſt primam coctionum habitam curam, craſſum & denſum quod hyemis frigora humoribus conciliant per ſaponaceos plantarum oleracearum & borraginearum ſuccos ſolvere ſatagerem ; undè & bilis & humores ad fluorem redigerentur nativum, & acre contemperaretur : ſæviente ſyrio, medicamenta nimiùm moventia invocare periculoſum eſt, ne motum indè incitatum, ſolutis omnibus, ars non poſſit compeſcere : ſed æſtate inclinante ſudoriferis meliùs fiderem ; vaſa enim tunc patentia faciliorem exitum præbent : in hyeme cathartica exciperet methodus, & demùm, immutato ſic corpore per medicamentorum circulum naturæ æmulum, ſpes foret jam lymphæ tenorem pariter immutandum fore, herpeteſque ſanandos iri.

Sed vacuato alteratoque humore pars operis non minima ſupereſt. Quæ enim ſemel humoribus herpeticam induxit alterationem ranceſcentia, poteſt facilè ex veteri fermento reviviſcere, & ut ſæpè occulta ineſt corporibus diſpoſitio quâ poſſint in eadem vitia prona delabi, illaque occaſionalibus cauſis redivivis renaſci, ac rurſùs effloreſcere, renovandus eſt vaſorum tonus & ad priſtinam ſtabilitatem reſtituendus, quod ultimam methodi in herpetibus curativæ paginam implet. Ea autem reſtitutio fit per tonica ; ſive ea internè adhibeantur, & toti corpori roborando inſervire queant ; ſive per externa medicamenta quæ tantùm in partes affectas exterioreſque agant.

Cavendum tamen eſſe ab irritatione, & dùm robur addere ſatagimus, verendum eſſe ne noxam inferamus, ex arte eſt. Signa dabunt corporis conſtitutio, erethiſmi præſentia non dubia, & ſi cætera deſint, primorum remediorum effectus, qui nunquam incertus eſt in herpetibus, cùm vel minima irritatio titillationem in iis excitet. Hinc à remediis ſiccis, acribus, aromaticis & oleo turgidis eſſentiali abſtinendum eſt, quæ omnia incendium concitant. Et quanquam corticem Peruvianum, etiam in morbis

cutaneis inveteratis jactent inter Britannos plurimi, mihi videtur delicatulis plerorumque Gallorum viſceribus minùs accommodari, undè ſit ut penè omnes jure meritòque in hoc ultimo morbi ſtadio ad aquas minerales confugiant, quòd in iis pars corroborans ita aquæ ingenti copiæ remixta ſit, ut ſimul nulla formido incuti queat ne ſolida irritentur, aut fluida areſcere videantur.

Illæ autem non ab uno fonte repetuntur. Quæ enim ſulphuris hepate naturali atque partibus oleoſo-ſalinis ſcatent, non tantùm roborantium titulo intrà vaſa recipiuntur, ſed attenuant etiam, & utramque ſimul indicationem complent, imò & præſtantiſſimum ſæpè diaphoreticum conſtituunt. Tales ſunt apud ditionem gallicam illæ quæ in Pyrenæorum convallibus jacent Bagnerianæ, aut potiùs Barregienſes atque Cauterienſes, aut antè has omnes, mihi quantùm experiri licuit, plus præſtare creduntur virtutis herpeticum virus ſolventis quæ ſub Hiſpanorum finibus *Bagneres de Luchon* dicuntur, quæ in corporibus benè præparatis ſolæ videntur ad plenam & integram ſanationem efficiendam aliquandò ſatis fuiſſe. Quod vidi in juvene nobiliſſimo qui, cum turpiſſimis herpetibus ab ortu primò laboraret, tamen ita à ſalutari latice ſanatus eſt ut nullum poſteà fœdiſſimi mali reditum expertus ſit.

Aliæ verò aquæ minerales purè roborantes ex ferrugineis petuntur quibus ferè regio nulla caret (*a*). His vaſa roborantur, aſſeritur perſpirationis atque coctionum libertas, imò & cum non uniûs generis ſint, poſſunt eæ ſeligi quæ ſimul aliquam attenuandi virtutem cum tonicâ conjungunt, quales ſunt ſalinæ multæ, imò & penetranti virtute donatæ, pro complicatione cauſarum à naturâ oblatæ, nunc alvum laxantes, nunc ingentem urinarum vim cientes, diverſis facultatum gradibus, efficaciâ diversâ. His vel pauperiores uti poſſunt, pleræque aſportari queunt & vili pretio redimuntur.

At certè fruſtrà tibi ars ſuppetias feret efficaces, niſi ſimul victu tenui, moderato, non acri, ſed analeptico artem adjuveris. Hinc ſæpè profuit per longum tempus ſeſe manè & ſerò juſculis addicere è teſtudinum carne confectis, quæ gluten plurimum continet, ſed tenuiorum ſimul atque lenium partium, dùm intereà præcipua alimenta ex farinoſis fermentatis atque vegetantibus parantur.

Sed certè analeptici titulo, mitificantis partes humorum acres,

(*a*) Vid. Le Roy, des Eaux Minérales.

& ſanguineam ſimul lymphaticamque maſſam omninò reparantis facultate præſtat omnibus remediis atque alimentis lac : illud in omnibus cutaneorum morborum curationibus adeò celebre eſt, ut multi illi ſoli ritè applicato omnem omninò fiduciam addant, reliquis neglectis, ſi pro ſolo victu eo utantur. Cui quidem aſſerto an uſque fidendum ſit ſolâ experientiâ dirimendum eſt. Certè uſum lactis alimenti atque medicamenti titulo, cui par aliud non eſt, poſſe corpus ita immutare, ut veteres deſtruat omninò labes, in confeſſo eſt omnibus; verùm quàm ingens ſit illorum hominum, præſertim adultorum copia quorum ſtomacho malè inſideat, & quorum humoribus mixtum lac, nedum inſitam labem deſtruat, contrà verò novam contrahat, illamque ipſiûs veneni miſcelâ adulteret, omnes pariter fatebuntur. Hinc impuris corporibus ipſum offerre piaculum eſt. Fit aliquandò in homine herpetico lac herpetum vehiculum. Si bellè cum ventriculo agat, id tantùm ab eo ſperari poteſt, quod à victu perfecto nullum augmenti, aut complicationis indè trahendum ſit veſtigium. At ſi curatio expectanda eſt, ſperanda illa tantùm à longo ejus uſu, qualem ſæpè victu mutato vidimus evenire. Verùm ſi lacte bilis, cujus fluxui in morbis hiſce fidimus, ita inviſcatur, ut jam ejus retundatur actuoſitas, ſequetur alvi durities, ſequetur humorum reſorptio putreſcentium, febriſque atque augmenti in herpetibus naſcetur periculum.

Hinc pro certo atque demonſtrato, tùm adjuvante experientiâ, tùm evincente ratione habebimus, lactis uſum in copiâ & impetu herpetum ſævientium ferè pro inutili habendum eſſe; in levibus illis, nec multùm inveteratis, aut tantùm per accidens ſævientibus, poſſe ad omnimodam ſanationem ſufficere ; ſed ſummum præſtare remedium in ultimis herpetum temporibus, cùm jam profligato fomite ſuperſunt hoſtiles reliquiæ ſuperandæ, præcipuèque ubi corpus potentibus exhauſtum remediis jam refici poſtulat & in ſalubrem ſtatum revocari. Præterea ubi irritationis metus ingens exoritur, lac ex aſinis deſumptum partis ferè expers caſeoſæ, & butyroſâ tenui donatum, refrigerat, laxatque potentiſſimè; lac caprinum levius, ſed acrius, minùs herpetibus aptum eſt, ita ut etiam aliquandò iis ad cutim promovendis contuliſſe dicatur; ſed nulla certè tutior eſt methodus, nulla magis efficax, quàm ſi lacte pro victu ægrotantes utantur, cæteris abjectis medicamentis, idque habet illud commodi quod poſſit nunc decoctis hordei,

avenæ tenuius, & magis refrigerans reddi, nunc etiam aquarum mineralium miſcelâ virtutes ſibi comparare tonicas, imò & pro re natâ attenuantes.

Altera & ultima curationis pars quæ maximi eſt in herpetum curatione ponderis, & maximam ideò Medicorum meretur attentionem, quòd raró crimine, aut vero, aut falſo vacet, eſt topicorum adminiſtratio, quæ eò majorem prudentiam expoſtulat, quòd muliercularum vulgus & agyrtarum cohors iis fiduciam maximam adhibeant, imò quod omnes Medici veteres in iis potiſſimùm deſcribendis atque præſcribendis inſudarint. Jam enim ut ex accuratâ operum vetuſtiſſimorum collatione patuit, veteres Medici poſt paucas, ſed accuratas purgationum adminiſtrationes illicò ad topica confugiebant, eaque duplicis generis. Prima enim cathæretica erant, altera verò ſtyptica & adſtringentia. De primis quid ſentiendum foret alibi amplè diſceptatum eſt : de aliis verò quæ in morborum principiis omninò rejecimus ſtatuendum nunc eſt, an morbo inveteraſcente & jam quaſi profligato, locum aliquem obtinere poſſint?

Et quidem, ſi vulgarem Medicorum ſapientiſſimorum praxim ſequimur, horreſcunt omnes ad nomen vel leviſſimi & ſolummodò reſolventis topici, nec ſinunt applicari, aut vulgare illud è jejunâ ſalivâ topicum, aut oleum chartæ combuſtæ empyreumaticum, aut alia quæcumque quæ ad hunc uſum circumferuntur topica. Quid enim, aiunt, vocari poteſt reſolvens in humore prorsùs degenere, & ita extraneo ut jam non poſſit inquilinus fieri? Reſolvens remedium tonicâ tantùm parte agit atque ſaponaceâ titillante. Ergo ubi ſolvi non poteſt humor & ſolutus intrà humorum molem ſapienter & leniter fluere, nullâ ratione reſolventia poſſunt tutò adhiberi. Nec aliter agunt atque ipſa adſtringentia. Quid enim agant hìc omnia illa unguenta digerentia? Quid plantæ ſaponaceæ molles? Quid ſapo? Quid ammoniacum gummi; aut ſalia neutra, marinum, ammoniacum, & reliqua hujuſmodi?

Si topicis utendum, ea ſeligenda ſunt, quæ emolliant, quæ cruſtas humectent, & ſerum acre cohibitum evacuando, atque leniendo per partes dulces, mucilagineas, pruritum tollant & affectas partes mundificent. Qualia ſunt decocta malvæ, altheæ, verbaſci, acanthi, lactucæ, betæ, parietariæ, aliarumque hujuſmodi plantarum, quæ lenem applicant mucaginem affectæ parti.

Hujus muci ſi tenacitatem reformides, præferre licebit flores ſambuci, folia ebuli, flores meliloti, verbenæ, euphraſiæ, chamæmeli, &c. & alia quæ aliquâ facultate pollent emollienti ſimul atque ſedativâ.

Hinc inter topica remedia jure meritòque & ſalutaria illa quidem recenſentur balnea tepida ex aquâ purâ ſimplici, fluviatili, nec ſeleniticis ſalibus refertâ. Quantùm ab horum calore ritè applicato increſcat exeuntibus ex aquâ perſpiratio teſtes ſunt illuſtriſſimi le Monnier & le Roi, Monſpellienſis Profeſſor. At in rebelli herpetum naturâ balnea non inter ſimplicia topica poſſunt recenſeri : tunc enim vaſa impetu externo aperiunt, hærentibuſque liberant moleculis ; undè tot commoda experiuntur quotidie medentes ab uſu balneorum in thermis bituminoſis aſſumptorum ; quæ cùm interiùs aſſumptæ aquæ tantùm ad perſpirationem reſarciendam conferant, ipſa quoque balnea perſpirationis materiam ad patula cutis vaſa advocant, & advocatam ita potentér detergunt ut ad vaſa jam hærere nequeat, eaque obſſtruere. Sed jam de aquarum thermalium efficaciâ dictum abundè.

Nec ergo etiam inter topica recenſebimus efficaciam balneorum artificialium quæ vir inter Chemicos Doctiſſimus ad luis venereæ curationem fidentiùs forſan propoſuit ex ſolutione ſublimati corroſivi ad doſim legitimam, & quæ mihi viderentur ad herpetum ſanationem magis accommodata, modò tamen non incipienti malo obtruderentur illa. Licèt enim mercurii ſublimati ſoluti penetrabilitatem negare non ſit animus, deguſtanti tamen aliquid ſtyptici videtur obtinere illa ſolutio.

At niſi jam malum prorsùs per interiora profligatum fuerit, exulare juſſerim, quidquid contrà dixerit Chirurgus Monſpellienſis Goullard, ſaturnina omnia, vel leniſſima, quæ nimiùm patienter tulimus reſolventia dici, & numerari inter attenuantia ; ſed quæ peſſimis experimentis vidimus ipſi retropellere materias ad cutim adactas, quod & alii & in Angliâ & apud nos viderunt, dùm inſanè & pecudum more figmenta viri inexperti multi ſecuti ſunt. A fortiori igitur, quidquid aliter ſuaſerit Turnerus quem honoris causâ nomino, exulare jubebimus aluminoſa omnia, vitriolicaque, aut terreo-ſtyptica à veteribus laudata, quorum effectus eſt ut fermentum herpeticum circuitûs vi abreptum, in viſcera decumbat, nec tamen cutis indè libera evadat. Contrà eorum effectu id fit, ut ad mali margines ſuccreſcat inflammatio

durior, & periculum ſuppurationis inducatur ſaltem, quod non ſemel vidi. At dolor & pruritus non mediocriter increſcunt; deteſtanturque brevì ægrotantes quod omnibus votis ardenter exoptabant. Id ſaltem in gravioribus accidit, nam levioribus, nec inflammatis topica meliùs quoad ſubitum effectum ſuccedunt: in periodicis etiam, cùm jam efflorescere incipiebant, vidi hominem ſuppreſſos per ſaturnini effectum herpetes longis atque atrocibus malis ventriculi atque hepatis redimere.

Nulluſne ergo topicis locus datur in herpetibus? Certè longè aliam concluſionem indè eduxerim, ſed prudenter & cautè ea adhibenda ſunt, quoties extremum malum extrema ſuadet remedia.

Sic turpiſſimum eſt malum quod faciem muliebrem invadit. Nec illud caret periculo quod palpebris & in viciniâ oculorum ſedem fixit. Hinc ut gravioribus per leviora medicina adhibenda eſt, ita ars jubet ut per latiſſimè patens veſicatorium materiæ quam retropellere jubet prudentia aperiatur exitus, quo veſicatorio uberiùs fluente, jam ſine periculo exſiccantibus utendum & reſolventibus. Talia ſunt auſtera ſtyptica apud antiquos tantoperè commendata, aut vitriolica, ſulphurea aluminoſaque laudata à Turnero, vel demùm ſaturnina ſpecioſo reſolventium titulo donata, ut jam dictum, à neotericis.

Sed admonendi ſunt ſæpiùs Medici ne præcipiti curâ ad fortiora confugiant. Nam metam fallerent, & corrugata cutis intùs ſervaret materiam jam exeuntem, duriorque facta illa & quaſi in corium immutata, tardè oſcillationes vaſorum admitteret, quæ ad reſolutionem prorsùs neceſſariæ ſunt. Id ſibi multi præſcribunt ut quantùm fieri poſſit in viciniâ apponatur veſicatorium, alii è directo, ſecundùm Hippocratis methodum. Mihi verò ſufficere videtur ut partis irritatæ per veſicatorium contagio pertingere non poſſit ad uſque locum affectum, cùm experientia ſatis edoceat loca veſicatoriis patula ſæpè eryſipelate latè diffundendo laborare, quod ſi ad uſque locum herpetibus ulceratum pertingat, certè malum adaugebit, nedùm imminuat.

Alter caſus in quo topica proſunt, ſed non ejuſdem generis, reperitur quotieſcumque inſanabiles per ſe herpetes nimium pruritum cum ſeri copioſi effluxu concitant, ut fit ſæpè in ſenum cruribus. Tunc enim prodeſt, molliſſimis unguentis, qualia ſunt Nurimbergenſe, unguentum fuſcum, aut etiam diapalma, fervorem ſimul temperare & ſeri effluxum cohibere, ne partes

vicinas proſerpendo exedat. Tunc emplaſtris feneſtratis vicinas partes Medici præſervant, aut abſorbentibus ſerum excipiunt : cautelam ſimul adhibentes, ne refluat humor non coctus, undè catharticis lenibus ætatem ſenilem fovent. Pruritus ſic tollitur ; cutis anteà corrugata fit mollior, lævior & nitidior : nec cohibetur omninò fluxus, ſed moderatè & leniter effluit.

Tertius demùm caſus adhibendorum topicorum jam non inter ſanantia herpetes medicamenta recenſeri ſinit illa, ſed potiùs inter præſervantia numerat. Quoties ſcilicet omnibus curationum ſignis expulſus judicatur humor, & pars illa per quam priùs effluere ſolitus erat remanet ita debilitata ut partis per cauterium apertæ effigiem efformet, certè roborantibus atque ſaturninis partes fatigatas, imò quaſi laceras, compingere atque roborare, & quaſi ferruminare proderit; & nullâ aliâ in conditione adeò proprium ſibi locum vindicat uſus aquæ illiùs vegeto-mineralis dictæ quæ ad hunc ſaltem uſum aſſervari poteſt. Proſunt ſæpè & balnea ex aquis vitriolicis facta, imò & aluminis ſolutio, modò tamen cutim non corrugent & ad limbos partis herpeticæ non ſuccreſcat inflammatio. Tunc enim ceſſandum ab opere, ne in contrarium prorsùs ruat malè ſuſcepta medicatio.

Hiſce ex generalibus indicationum capitibus tota conflatur & conſtat herpetum quorumcumque curatio, quæ, ut confido, omnes comprehendit caſus in quocumque corpore & quâcumque regionis temperie incidant illi. Facile fuiſſet, utcumque diffuſa jam nimis extendatur noſtra meditatio, ſoli ſuffulta obſervationi, hanc & pompoſis ſpecificorum titulis & topicorum farragine amplificare : quæ cùm omnia arti & ſanæ methodo, ſine quâ medicina nulla eſt, obſint potiùs quàm proſint, repudianda ideò duxi quòd animos ſtudentium obtundant magis quàm illuſtrent. At cùm herpetes morborum cutaneorum agmen potiùs ducant quàm alius quivis in eamdem partem decumbens affectus, ideò longior in hâc curatione deſcribendâ eſſe volui, ut in aliis brevior eſſe poſſim.

Simul verò tractationem hanc finienti cùm multi in eo errore verſentur quòd omnes herpetes, aut à lue venereâ pendeant, aut à ſcorbuto, horum autem herpetum curatio à ſanatione illorum morborum, cauſæque deſtructione pendeant ; non inutile erit poſt omnia iis inſiſtere argumentis quibus poſſit morborum herpeticorum natura à ſuſpicione cauſarum illarum à veris

herpetibus prorsùs alienarum vindicari. Primò antequam de morbis venereis, imò etiam de ſcorbuto mentio injecta fuerit, morbi cutanei & ii quidem peſſimi generis apud antiquæ fidei hiſtoricos & cogniti fuerunt & elaboratè deſcripti ; 2°. cùm cauſa luis venereæ ſemper ab impuro concubitu originem traxerit, contrà ſæpiſſimè herpetes ſpontè naſcuntur in hominum caſtiſſimis & à vulgivagâ venere maximè alienis ; 3°. etſi dentur herpetes per ſe maligni ab antiquis ſub variâ nominum confuſione agniti, ineſt herpetibus venereis malignitas aliqua quæ ipsâ ſuâ duritie, ipſo fluente tabo partes vicinas maximè infeſtante diſtinguatur, & oculum expertum non fallat ; 4°. noctu præſertim ſævit herpes venereus ; quamvis ille caracter non poſſit inter differentias utriuſque herpetis recenſeri, cùm nullus ſit herpes qui non nocte magis plectat ægrotantes ; 5°. herpes venereus, etſi à cauſarum externarum impulſibus etiam varietates accipiat, non tamen adeò inſignes experitur mutationes à rerum non naturalium conditione diversâ atque herpetes à causâ pendentes ſimplici ; 6°. demùm profundior eſt & magis aſper & inſigniùs pruriens herpes venereus parteſque præſertim occupat humore ſebaceo imbutas.

Verùm an non datur aliqua lues intermedia herpetes inter atque luem veneream, quæ ab illâ debiliori atque degeneri originem trahens, ipſius naturam malignitate non adæquet ? Rem nec negare audeam, nec definire. At curationem herpetum ſcrutantibus apparebit, ut ſpero, herpetes ab hâc causâ pendentes poſſe facilè in noſtrâ methodo curationem reperire, cùm præſertim præparatio propoſita ipſi competat, & quamvis pro inutili haberi poſſit in herpetibus magna illa & apparatu metuenda mercurii adminiſtratio, nunquam tamen ſobriè & prudenter admiſſus mercurius nocere poteſt. Undè nullum eſt erroris periculum. Etenim per primarios mercurii effectus ſtatim de ſperandis ſucceſſibus conſtabit.

Quoad alteram herpetum cauſam qualem multi ſibi autumant & ſingunt, ſcorbutum ſcilicet, morbus ille nunquam niſi per ſigna ſibi propria deprehenditur, quæ cùm à ſymptomatibus herpetum fermento propriis differant inſigniter, minimus eſt erroris metus, undè herpetes ſcorbuticos propriè & meliùs complicationem & connexionem herpetum cum ſcorbuto vocaverim, quàm herpetes ſcorbuticos. Herpes enim lympham ſolam adoritur, ei

proprius

proprius eſt, ut demonſtratum confidimus, quod de ſcorbuto nullâ ratione poteſt dici. Quæ ergo ſi adfuerit complicatio, cùm ſcorbuti effectus poſſint & ſubitò & atrociter ferocire, magnumque importare periculum, quod rarò in herpetibus nec niſi ſuppreſſis accidit, quis dubitat primam Medicorum attentionem in eo verſari debere, ut ſcorbuticæ labi per propria & ſpecifica remedia antè omnia medeantur? Hæc ita tamen adminiſtranda ſunt ut non ſuccreſcat inflammatio, nec rubor ſcorbuticus in gangrænam eò faciliorem abeat, quòd herpeticum acre ſuggillationes ſcorbuticas ad cutem hærere cogat. Ubi verò æger à ſcorbuticâ lue immunem ſe præſtiterit, tunc ad herpetum remedia nos convertemus, mercurialia fugientes quæ ſola poſſent ſopito ſcorbuto novas vires ſufficere. In illis caſibus id etiam commodi habemus, quòd quæ antiſcorbutica & ſunt & dicuntur remedia poſſint ad præparandum in herpetibus curandis corpus non minimam exercere efficaciam.

Nunc verò quid ſibi poſtulent diverſæ herpetum ſpecies à nobis jure requiritur. Nam non idem eſt herpeti miliari medicinam facere, non idem eſt curare herpetem ἐσθιόμενον, aut phagœdenicum ingentibus artis auxiliis adoriri.

Verùm cùm veneni natura eadem ſit, differentiæque inſigniores potiùs ab ægrotantis corpore, quàm à veneni herpetici conditionibus repetendæ ſint, eadem eſt indicationum adimplendarum natura; methodus verò medicamentorum ingerendorum diverſa.

Sicut herpes miliaris ingenti impetu effervescit, dolorumque, vigiliarum, imò & ſummi incendii præ ſe fert ſævitiem, maxima curationis pars in diluentium & refrigerantium congerie tota conſiſtit, & in ſedando erethiſmo atque phlogoſeos ardore obtundendo ferè univerſa continetur, nec niſi ubi jam pacata ſunt omnia, licet de attenuatione atque alteratione humoris cogitare. Tunc verò quæ ſit veneni acrimonia corpore pacato, & tumultu compoſito agnoſcetur. Sæpè enim quod ferale videbatur incendium minari, in corpore ſummè ſenſili & diatheſis inflammatoriæ, ſedato æſtu ab eâ inducto, ſimplex eſt & parvi momenti, vixque ulliûs curationis ſibi requirit molimina. Hinc nunquam, aut ſaltem rariùs ad herpetem miliarem pertinet ulla topicorum adminiſtratio, præter fomenta illa ſedantia atque laxantia quæ fervorem temperant, & quæ repetuntur à floribus ſambuci, meliloti, chamæmeli; verbenæ, virgæ aureæ, aliiſque hujuſmodi quæ in aquâ infuſa,

omnibus poſſunt tutò inflammationibus adhiberi. Quòd ſi quis titulo morbi, ejuſque nomine deceptus, acria reſolventia, tonicaque admoverit, brevì ſe erroris reum fatebitur, admonitus per immanes ægrotantis ejulatus, tumorem partis, ruboremque flammeum, qui non ſine febre, nec ſine diſcrimine diffunditur undequaquè. Quid futurum ſperamus ſi adſtringentia temerariò apponantur ? Vidi ſolâ aquâ vegeto-minerali totum textum cellularem in viciniâ inflammatione corripi, doloribus jam acutè lancinantibus addi pulſationes validas forteſque, naſcique ſuppurationem quæ crudo malo nedum mederetur, ei contrà vires ſufficiebat, & inducebat augmentum.

Verùm ut in herpete miliari tardè admodùm ea in uſum revocari debet indicationum ſeries quæ herpeticæ naturæ competit, ita ſedato erethiſmo illa rursùs non negligenda. Nam etſi veriſſimum ſit & conſtanti obſervatione deprehenſum violentiores naturæ laborantis conatus eò ad deſtruendum humorem efficaciores fore, quò ferociùs in cutem deſævierit morbi furor, omniaque actuoſa in tanto dolore reperiri & ad ſalutem conſpirare ; non minùs tamen demonſtratum eſt ſupereſſe nondùm ſatis debellatas reliquias ad quarum profligationem artem invocare neceſſe ſit. Illa ex recenſitis pharmacis varia nobis præſidia ſuppeditabit, modò tamen memores ſimus priſtinæ invaſionis, & timeamus ne reviviſcat tanto apparatûs molimine deletum incendium. Undè ſemper cautè incedendum per ignes cineri doloſo ſuppoſitos.

Quid εστιὸμενω atque proſerpenti herpeti ſingulare ſit atque proprium ipſa ejus natura indicat. Etenim quî fit ut nondùm fixa materies in hanc, aut illam partem quaſi tacitis progreſſibus ſerpat & obrepat ? Vehitur certè per anfractus lymphæ dicatos virus deponendum ex ipsâ ſuâ naturâ mobile adhùc, & fluxui omnium per ſingula vaſa humorum obſecundans. Undè ſi periculum eſt ne os oculoſve ſpurcè lambendo impetat, & in iis non cruciatu tantùm, ſed fœditate ſpectaculi horrendum inſideat ; tunc certè in præparandis corporibus, in mitificandâ humorum crudorum congerie, aut laxandâ ſolidorum maſsâ tempus inutile non terendum eſt. Illicò & ſine ullâ morâ revellendum malum aut per cauteriorum efficacem morſum, aut per purgantium actuoſum ſtimulum, cum prudentiâ quidem, ac ſine irritationis periculo. Siquidem humor mobilis & minas intentans expulſionem celerem ſollicitat. Imò cùm humoris illiûs, ex ipsâ proſerpendi

atque hùc & illùc vagandi facultate abundantior copia demonſtretur, ſi craſſitiei elementa in omni herpete latitantia attenuantium atque aperientium uſum indicent, nunquam hujus facultatis medicamenta multiplicanda ſunt, quin ſimul purgantibus illa miſceantur. Quippè ſumptis ab Hippocraticâ doctrinâ vocabulis, turgeſcentia ſive orgaſmus adeſt, & tardare in talibus malum.

Nec tamen ita res accipienda eſt, quaſi libeat temerariò purgantia & attenuantia aggerere, malumque cumulare pharmacis potiùs quàm medicinâ aggredi. Sed cùm plerumquè per paroxyſmos, ſive periodici ſint illi, ſive erratici, ſoleant iſtiuſmodi herpetes reviviſcere & impetum renovare, ſtet, per nos licet, ſua unicuique paroxyſmo coctio, nec niſi per intervalla, fortioris admoveatur medicamenti efficacia. Vacuum autem à medicamentis tempus teratur in diluentium uſu refrigerantiumque, imò & ſedantium, donec, antequam curatio abſolutè peracta ſit, ſaltem mali progreſſus averti, atque compeſci potuerit. Tunc enim omnia in nativum ordinem reſtituuntur, ſuperſuntquè generales indicationes adimplendæ.

At ubi cum phagædenicis atque phlyctœnoſis agendum eſt, tunc nulla eſt quæ non ſumma artis expetat auxilia medicatio. Si malum quidem effloreſcens adhuc & parvis vix metuendum initiis daretur opprimere, nil melius foret. At ea Medicis felicitas raro contingit. Intumuit intùs malum antequàm emicet, & leve aſpectu atque intuitu parum attento, brevì indolis nativæ ferociam, dùm ſub ipſis remediis efferatur & invaleſcit, ſatis indicat. Scilicet vellicatio ingens & pruritus enormis in malo vix notam inurente metuendam ſatis demonſtrant nobis rem eſſe cum hoſte acerrimo, erodente; & quantumvis liceat diffidere de auxiliorum noſtrorum inertiâ, tamen illud & balneis & ſero lactis opprimendum eſt : imò quò longior eſt increſcente & adoleſcente malo præparationum uſus, quò plus balneis, fomentis, liquoribus acri oppoſitis decertamus, eò plus & præſidii & efficaciæ afferent adhibenda poſteà & aperientia & attenuantia. Sed laxantia quæcumque in uſum admoveantur, ſive internè ad humorum repurgationem & ſolidorum laxationem, ſive topicè & ad mitificandum loci morboſi ardorem, illa ſemper huic obſtringenda legi, ne quid ſtyptici intrà ſe reconditum ſervent, alioquin periculum foret ne prodigialiter increſceret per totam viciniam mali prolongata ſævities. At vulgò in hocce malo nulla datur ſimilia topica adhi-

bendi occaſio, cùm nihil aliud ſibi admoveri poſtulent ægrotantes præter molliſſima, imò & actu frigida fomenta, undè fit ut poma leni igne cocta, fruſta carnis vitulinæ recentiſſimæ, cremorem lactis, pomatum illud quod è ſemine cucurbitarum recentium aut amygdalarum dulcium conficitur, crebrò & repetitò ſibi poſtulent. Quæ medicamenta, etſi vim efferam morbi edomare non valeant, tamen, nedum nocere poſſint, aliquod pretii merentur quòd ſublevandis doloribus non ſint inutilia, modò tamen aliquid opii in ſe non recipiant, qui enim ad nervos & vaſa pertingit ſtupor, vaſorum actionem, atque eorum reſolvendi vim cicurat, adeòque & ſaturninorum & adſtringentium ſtypticorum noxas refert fallax narcoticorum lenitas & perfida ſymptomatum levatio.

ARTICULUS VII.

De Impetigine.

Quid Plinius (*a*) per impetiginem intellexerit non patet apertè, niſi tamen quòd de impetiginibus ferè ſemper mentionem numero plurali injecerit. Undè genus mali, non ſpeciem videtur ſignificaſſe, imò genus illud quodcumque ſit & cum lichenibus & cum mentagrâ veterum Romanorum confudiſſe (*b*). Galenus (*c*) ipſe aliquâ ratione mentagram à Plinio deſcriptam cum impetigine miſcuit, aut ſaltem veram Romanis dictam mentagram pro impetigine faciei propriâ habuit, cùm fœdiſſimam impetiginem ſecundùm loca fieri dicit, ut eſt in barbâ, cum anxietate & pruritu, & quæ ſerpendo ad uſque oculos producitur. Sed impetiginibus, ſeu impetigini interpretum nulla alia vox Galenica correſpondet niſi lichenum; impetigo enim vocabulum eſt omninò latinum; verùm cùm de impetigine agitur fruſtra diſcordantium auctorum vana proſequeremur nomina. Id notandum tamen quòd antiqui impetiginem pro deformitate potiùs quàm pro morbo haberent. Ait enim Ulpianus in leg. *Pomponius*, Dig. de Ædil. Edict. §. 1°. *Trebatius ait, impetiginoſum morboſum non eſſe, ſi eo membro ubi impetigo eſt, æquè rectè utatur.* Unus omnium loco ſit Celſus qui pleniùs & meliùs quid intelligerent Romani ſub impetiginis nomine declaravit. Nomen ab impetu

(*a*) Lib. 20, cap. 1.
(*b*) Lib. 26, in Princip.
(*c*) Lib. 5, de Comp. Med. ſec. loca.

deducit, ut ait Plinius, quamvis non videam plus in illiûs aſſultibus impetûs eſſe, quàm in aliis morbis cutaneis.

Ejus ſpecies quatuor diſtinguit Celſus (*a*) cujus verba hìc mutuabimur : *Minimè mala eſt quæ ſimilitudine ſcabiem repræſentat; nam & rubet, & durior eſt, & exulcerat, & rodit; diſtat autem ab eâ quæ magis exulcerata eſt & varis ſimiles puſtulas habet; videnturque eſſe in eâ quaſi bullulæ quædam ex quibus interpoſito tempore quaſi ſquammulæ ſolvuntur, certioribuſque hæc temporibus revertitur.*

Alterum genus eſt pejus & ſimile papulæ ferè, ſed aſperius rubicundiuſque, figuras varias habens. Squammulæ ex ſummâ cute decidunt, roſio major eſt, celeriùs & latiùs procedit, certioribuſque etiam quàm prior temporibus & fit, & deſinit. Rubra cognominatur.

Tertia etiamnùm deterior eſt; nam & craſſior eſt, & durior, & magis tùm & in ſummâ cute funditur, & vehementiùs rodit, ipſa quoque ſquammoſa eſt, ſed nigra. Proceditque & latet, nec tardat. Minùs verò errat in temporibus quibus aut oritur, aut deſinit. Neque ex toto tollitur. Nigræ cognomen eſt.

Quartum genus eſt quod curationem omninò non recipit, diſtans colore. Nam ſubalbidum eſt, recenti cicatrici ſimile, ſquammulaſque habet pallidas, quaſdam ſubalbidas, quaſdam lenticulæ ſimiles, quibus demptis, profluit ſanguis nonnunquam. Alioqui verò hujus humor albidus eſt, cutis dura atque fiſſa eſt, proceditque latiùs. Hæc verò omnia genera oriuntur maximè in pedibus & manibus, atque ungues quoque infeſtant.

Hùc uſquè Celſus de impetigine cujus dùm quatuor ſpecies recenſet, gradus potiùs ejuſdem morbi quàm morbum naturâ diverſum deſcribit, niſi pro diverſo genere illud habueris in quo ſanguinea læduntur vaſa mixtoque cruore cruſtæ enatæ nigreſcunt. Verùm cùm vetuſtioribus temporibus minùs noti fuerint herpetes, variaque pro diverſis phœnomenis impoſita fuerint nomina, nil mirum ſi impetigo ſibi proprium vindicaverit nomen; cùm tamen illa nullam aliam nobis exhibeat idæam præter illam quæ convenit herpeti nunc miliari ſic dicto, in quo ſæpè admixto, ſive ob ſcalpturam, ſive ob eroſionem ſanguine, cruſtæ nigreſcunt, nunc cruſtoſo phagædenicorum herpetum generi, quod ſtatis temporibus aliquandò revertitur, cutim findit, propagaturque &

(*a*) Lib. 5, cap. 28, 17.

lenticulas etiam maculoſas, atque leviter ſquammoſas ſeorſim à morbo in cute progerminare facit. Nam ſæpè poſt obductam cicatricem locus herpetibus anteà patens lentiginibus deformatur: hinc tantummodò propter Celſi auctoritatem hìc impetigini titulum peculiarem damus. Nam quòd illuſtriſſimus auctor ait in pedibus atque manibus impetiginem præſertim emicare, id etiam herpetibus ſenum præſertìm commune eſt, quamvis & ab illis nullus locus immunis ſit. Id ab ipsâ Celſi deſcriptione deſumimus quod etiam herpetibus vulgare, præſertìm in viris exercitatis atque robuſtis contingit, ut incipienti herpeti jungatur phlogoſis, & inflammationis eryſipelatoſæ ſæpè per univerſum morbi decurſum, nunc concitentur, nunc ſileant veſtigia.

Verùm licèt & curatione apud antiquos & ſymptomatibus conſonet impetigo cum herpetibus, nec poſſit juxta Celſi mentem cum lichenibus quos alibi deſcripſimus confundi, ut tamen & Galenus & cæteri auctores Græci voluêre, fatendum eſt non mirum eſſe ſi apud varios auctores qui de morbis cutis ſcripſerunt, ſæpè diverſa ſit ejuſdem morbi deſcriptio ab illâ quam alii uſurpant. Non enim idem eſt impetiginibus laborare, ſeu herpetibus, in oris meridionalibus quas torret directa ſolis impendentis actio, in quibus cutis per ſe arida, exſucca, denſa partes humorum ſubtilium non retinet, niſi acerrimæ ſint illæ & quaſi in extractum redactæ, ſed ſummam ſimul moleculæ acres ad rodendum obtinent efficaciam ; aut contrà iis affligi atque contabeſcere in locis frigidis, uliginoſis, atque paludoſis. Multùm differt an corpus in quod incidunt molle ſit, fœmineum, carnes diffluentes habeat, deliciis fractum & voluptatibus repetitis enerve; an indurata laboribus militum membra iis corripiantur. Undè licèt nullâ ratione variet indicationum fons atque ſcaturigo, methodus tamen medendi inſignes edocet diverſitates adhibendas ; cùm hìc ſtimulo & calcare natura ſit incitanda, hìc contrà frænis atque habenis coercenda. Quod ſatis norunt Medici qui ex Hippocratico præcepto non univerſalia tantùm morborum, ſed ægrorum ſingularia ſectantur.

ARTICULUS VIII.

De Vitiligine.

Abſoluto de herpetibus tractatu maximam morborum cutaneorum partem videmur exegiſſe, nam à leviſſimo ad graviſſimum cutis affectum quaſi ſcalam præbent herpetes, varia tùm Græcorum, tùm Arabum nomina ſub uno intuitu comprehendentes. Undè ab his nunc ad enormes, tùm fœditate, tùm etiam incommodis atque periculo morbos ordo noſter nos deducit. Quorum primus à Celſo vitiliginis nomine deſignatus, ab antiquis Græcis *Alphos* & *Leuce* vocabatur (*a*). « *Vitiligo*, inquit, *quamvis* » *per ſe nullum periculum afferat, tamen & fœda eſt, & ex pravo* » *corporis habitu fit. Ejus tres ſpecies ſunt ; ἄλφος vocatur* (ἀπὸ τοῦ » ἀλφαίνειν *mutare* (*b*)), *ubi color albus eſt, ferè ſubaſper & non* » *continuus, ut quædam quaſi guttæ diſperſæ eſſe videantur. Inter-* » *dùm etiam latiùs & cum quibuſdam intermiſſionibus ſerpit.* Μέλας » *colore ab hoc differt quia niger eſt & umbræ ſimilis, cætera eadem* » *ſunt.* Λεύκη *habet quiddam ſimile* ἀλφῷ, *ſed magis albida eſt, &* » *altiùs deſcendit, in eâque albi pili ſunt & lanugini ſimiles. Omnia* » *hæc ſerpunt, ſed in aliis celeriùs, in aliis tardiùs.* Ἄλφος & μέλας » *in quibuſdam variis temporibus oriuntur & deſinunt :* λεύκη *quem* » *occupavit non facilè demittit* ».

Ex hâc quam à Celſo mutuamur deſcriptione patet vitiliginem ſive ἄλφος genus morbi conſtituere, cujus μέλας & λεύκη duæ ſunt ſpecies. Si non mavis λευκὴν ut ſummum gradum mali, ad maximam conſtituti violentiam intelligere : cùm vix ulla cauſæ differentia ſtatui poſſit, varietas tantùm inſit accidentibus. Vitiligo igitur morbus eſt verè lymphaticus, ſui generis, affinis herpetibus, ſed rebellis maximè, nec eum confundere licet cum epinyctide, quamvis Paulus (*c*) ita ſenſerit, nec ad hydroa referendus eſt, teſte Manardo (*d*). *Eſſere* pariter Avicennæ & *de Saïre* Haly Abbatis potiùs ad hydroa referuntur, quàm ad vitiliginem. Si tamen perſtent rebellia, nec in puſtularum ſimplicium claſſe contineantur, ad vitiliginem deflectunt, quam apprimè Haly Abbas (*e*)

(*a*) Lib. 5, cap. 27.
(*b*) V. Gorræi definit. Medicæ.
(*c*) Paul. lib. 4, cap. 5, 6, 7, 8 & ſeq.
(*d*) Manard. Epiſt. Med. lib. 5, Epiſt. 17.
(*e*) Lib. 4, cap. 16.

ulcerum *Balechiorum* titulo deſcripſit, eam etiam *aſſapha* vocans ut & Almanſor *alſaſaphum*.

Meliùs & pleniùs vitiliginem deſcribunt Arabes ſub nomine *Morphææ*, quam vocant *Morphæam* nunc albam, nunc nigram; & alba *Morphæa* ſub nomine *Bothor* à Rhaſe deſcripta eſt, *Albaras* etiam ab Avicennâ (*a*) & *Alguada* (*b*) dicta. Sed ſatis eſt tot nominum varietates indicaſſe. Rem deſcribendo meliùs exequemur.

Vitiligo (*c*) ſeu Alphus, ut Latinè vocem merè Græcam reddamus, conſtat ex puſtulis formam ut plurimùm irregulariter circularem affectantibus, ſenſim ſine præviâ febre à ſimplici & unicâ puſtulâ exordium ſumentibus.

Vitiligo ſimplex ſummam cutim obtinet, nec profundè in ejus ſubſtantiâ inuritur. Imò nec vicina prætermodùm tument: ſed cùm pars affecta immaniter pruriat, partes vicinæ contrà craſſiores & denſiores factæ, læveſque ad tactum pilis diffluentibus, vix ſenſu aliquo donantur. Parcus humor exit ab ulcuſculis, ſed albo-flavus ad exitum apparet, ſquallidus, aliquandò virideſcens. Similia vidi in viris cæteroquin robuſtis quos angit omnium rerum & præſertìm aëris renovati inopia atque victûs egeſtas peſſima, & quos aut ſcelus perpetratum, aut reatus etiam aliquandò injuſtus, ſed ſemper durior, ſquallori carcerum incluſorum affigit, ſæpèque ſub ſcorbuti nomine tractantur. Facilè ſanantur hæ puſtulæ, ubi ad meliorem vitæ habitum miſeri pervenerint. Jure meritòque Paulus à malo corporis habitu, ſeu cachexiâ pendere ἀλφοὺς ait; nam omnibus quos viderim & corpus & animus mirè angebantur. Facies ut plurimùm turgida ſimul liveſcebat, tumebant œdemate, ſed calido, manus atque pedes. Fœtebant ulcera, nauſeamque odor ille ac ciborum faſtidium illicò aſſiſtentibus concitabat. At ſe noctu præſertìm ita pruritu torqueri querebantur miſeri, ut in ejulatus prorumperent, cæteròquin ad alia ferè ſenſu amiſſo. Internæ verò functiones ſatis bellè ſe habebant, & ad omnia vel maximè minacia torpidi ſtabant, inertes, & quaſi ſtupentes. Præterea rumpebantur ructibus fetidis & rancidis miſeri: quod ad victûs genus, non ad morbi ſpeciem referendum eſt.

In hâc turpiſſimâ vitæ fœditate, perſeverante malo, nil mirum eſt, ſi cùm increſcat mali ferocia, maculæ nigrorem contrahant,

(*a*) Lib. 4, Feſt. 7, cap. 9, 10 & ſeq. tr. 2.
(*b*) V. Conſtant. Afric. lib. 8, cap. 16.
(*c*) V. Gorræi Defin. Medic.

fiatque

ſiatque αλφος μελας, ſeu vitiligo nigra; imò & γάγγραιναι νομαι miſero malo miſerrimum finem imponunt. Verùm non videntur antiqui hoc ſenſu intellexiſſe nigrorem vitiligini ſuperinductum, ſed à bile in nigram versâ pendere arbitrabantur.

Imò poteſt etiam nigredo illa ad ſalutem apparere, ſi nempè humor exiens ſiccatur, & exſiccatione ſuâ in nigrum vertitur; nec feralem prognoſim indè video ab antiquis inſtitutam. Nam æquâ curationis facilitate tolli vitiliginem & nigram alphum pronuntiant (*a*). Undè crediderim illos mecum conſentire; morbos illos putabant vix unquam ſævire, niſi in eos quos egeſtas atque penuria in anguſtis & aëre carentibus locis incluſit.

Hanc ergo vitiligini cauſam aſſignabimus, ſcilicet victum ex muriaticis concoctu difficilibus, & craſſo atque indivulſo glutine turgentibus, ſi corrupta ſint alimenta illa atque mucore fracido diffluentia, ut in annonæ penuriâ, in obſeſſis urbibus, in navibus altum per mare deprehenſis, atque ſæviſſimis hoſtium carceribus. Hæc verò cùm interiùs ad alteranda atque peſſumdanda ſanguinis elementa tonumque ſolidorum infringendum agant, ſi ſimul cohibeatur perſpirabilis humoris putridi effluxus, ſi aer vaporibus effœtus & viëtus inſpiretur, vireſque hoc neceſſario ſuſtentaculo defraudatæ collabaſcant, ſi animi angor vires proſternat & corpus humi affligat, validum dici debebit corpus, ſi cutis intactis cæteris functionibus labem ſola plectat; undè etiam conjicere licet tàm ad ſcorbuticam luem quàm ad herpetes vitiliginem pertinere, ejuſque conſortio raro eſſe immunem. Ex his deducitur cur in oris maritimis calentibus atque humidis, aëre non renovato, & ſilentibus ventis, plus illiûs fœditatis reperire ſit? Cur illa lues magis in eos impendat qui ex opiparo victu & abundanti omnium rerum copiâ, ſive vi, ſive mutatâ vitæ conditione, detruduntur? Ita ut rem actam videremur agere, ſi diutiùs in remotis cauſis inquirendis inſudaremus. Hic eſt ille ſancti hominis Job (*b*) morbus quem ut inopina clades ad ultimum miſeriæ detruſerat, ita reſtituit rediens rerum omnium abundantia.

Quamvis in valido corpore, cauſiſque non perpetuis, nec vehementiſſimis, jure morbum hunc inter lentos numeremus, non tamen cum antiquis de ſecuritate quam hoc morbo affectis ſpondent conſentimus; putreſcente enim lymphâ perſpirabili, cæteros pariter

(*a*) V. Gorræum Defin. Med.
(*b*) Mead. Medica Sacra.

humores peſſumdari neceſſarium eſt, undè & exoriri ſcorbutum & naſci tandem gangrænam immedicabilem conſequens eſt. Hinc ſæpè antè ſupplicium indictum incarcerati, etiam ſine illâ carcerum notiſſimâ febre, morbo pereunt; hos aeris liberior uſus & alimenta ſaniora ſervaſſent.

Verùm ſi inter periculoſos morbos illi recenſeri non debent qui levi operâ ſanantur, id verum præcipuè eſt de vitiligine necdùm inveteratâ. Nam etſi Paulus corporibus ritè purgatis topica aptet adſtringentia ſimul & cathæretica, mihi ex ipſorum antiquorum dogmatibus deduci poſſe videtur, maximam curationis partem in ſalutari victûs & aëris mutatione conſiſtere. Applicanda ſunt ulceribus emplaſtra quæ cohibeant coquantque materiem intùs hærentem, dùm intereà mutantur in melius humores per ſalutarem diætam quæ ex tenuibus alimentis, ut potè viribus deficientibus, conſtare debet, eoſque ſeligere debemus ex cibis qui maximè putredini adverſantur, licèt concoctu facillimi ſint : tales præbent olera molliſſima, juniorum animalium carnes aceto conditæ, fructus horæi, panis benè fermentatus, cereviſia recens, vinum oligophorum. Intereà juſcula, apozemata ex ſimilibus plantis confecta, ptiſanæ acidulæ præſcribuntur, condita ex melle, ſaccharo, fructibus horæis in uſum vocantur, & morbo graviori aptantur plantæ antiſcorbuticæ quæ tonum fibris atque ventriculo addunt, ſimulque vi volatili ad ultimos lymphæ receſſus penetrant. Aliquandò tamen tonicis etiam aperientibus locus eſt, ſed levioribus, ne fortiora per ſe corruptis liquoribus flammam ſubdant: talia ſunt radices angelicæ, imperatoriæ, apii, fœniculi, pimpinellæ, fraxinellæ, folia fumariæ, ſcabioſæ, chamædryos, ſalviæ, & aliorum ſimilium vegetantium quæ inerti naturæ & quaſi proſtratæ ſtimulos addunt. Hæc vulgò ſufficiunt. Inveterato verò malo fortiora præſcribuntur ex eodem genere quibus in ſummâ putredine poſſunt addi exteriùs lotiones ex cortice Peruviano. Ejus verò uſus interior omnia alia hujus generis antiſeptica medicamenta præcellit, modò ſenſim & repetitis doſibus ita intra ſanguinem inſinuetur, ut nullâ parte horæ eo ſanguis careat & cruor ipſe hujus tincturam contrahat. Certè hìc peſte pejus ageret mercurius, etſi etiam adeſſent, ut hiſce viris familiare eſt, ſigna vel maximè ferocia luis venereæ ; cùm nullum poſſit innocuè, vel ex leviſſimis attenuantibus intra ſanguinem immitti, in quo omnia in tabum diffluunt, & pars lymphæ mucida decompoſito ſanguine

à ſeroſâ ejus parte quaſi in floccos ſeparatur, quod & in ſanguine è venâ educto evidenter deprehenditur.

Cùm cutis ipſa in ſuâ ſuperficie tantùm ægra ſit, raró in hiſce morbis aliquod remanet cicatricis veſtigium, niſi tamen aliquod ex emplaſtris cathæreticis fuerit applicatum, qualia ſunt epiſpaſtica varia, digerentiave quæ viride æris recipiunt, aut præcipitatis mercurialibus animantur.

At leuce, ſeu ἀλφος λευκή, licèt eodem ſub nomine comprehendatur, jure tamen ſub titulis variis à Paulo (*a*) ab Aetio (*b*), diſtinctè tractata eſt, quæ profundior à Celſo jam pronuntiata fuerat & curatu difficilior. A prædictis verò auctoribus in hoc tantùm à leprâ diſtinguitur quòd leuce nullam aſperitatem cuti inducat, lepra contrà aſperam cutem efficiat. Ariſtoteles homines tantùm (*c*) λευκην pati ait, cætera animalia nequaquam; pueros & mulieres minùs quàm viros. In primâ quidem parte errat, nam porci & omnia quæ ſtabulis continentur animalia leuce ſubjiciuntur: in alterâ verum dicit, cùm mulieres vacuationibus menſtruis à pleriſque morbis cutaneis liberentur, niſi ad ſenium pervenerint; pueris morborum cutaneorum cauſa alia ſit ut jam alibi expoſitum eſt, & etiam alia forma, tùm ob ſolidorum mobilitatem, tùm ob liquidorum tenuitatem.

Cùm autem multa de leuce apud auctores habeantur, hunc tantùm ipſi cum Celſo caracterem appingunt quòd altiùs deſcendat, id eſt cutem excavet, & ipſi inferior atque depreſſa appareat, in ipſâque pili albi ſint & lanugini ſimiles: & reverà in leuce exquiſitâ duo iſti caracteres concurrunt. Omnes qui de leuce ſcripſerunt auctores & plerique de eâ nominatim egerunt, nihil addunt ultrà. Apud recentiores verò ſcriptores de leuce nulla mentio injicitur, ſed quidquid de eâ dicitur partìm refertur ad lepram, partìm verò ad luem veneream.

Certè fatendum eſt maximam partem earum quæ ſub leuces nomine comprehendi poſſunt affectionum à venere pendere & remediis antivenereis rectè expurgari. Undè licèt ſæpè ſucceſſu illa caruerint, ad vim morbi, potiùs quàm ignorationem cauſæ, artis impotentia relata eſt. Certè apud nos, ſi venerem illicitam tollas, leuce, ſaltem exquiſita, rara eſt, & vix unquam viſa. Mor-

(*a*) Loco citato.
(*b*) Tetrab. 4, Serm. 1, cap. 133.
(*c*) Probl. ſect. 10.

bum tamen analogum vidi in viro quadragenario qui inferioris Normanniæ littora habitabat & Pariſiis conſulendi gratiâ advenerat. Is ſtaturæ prægrandis, corpore macilento inſignis, vultum atque manus grandibus cruſtis quas lanugo rara & mollis veſtiebat obductas oſtendebat, cætera ſanus, niſi quòd aut vigilias anxias, aut ſomnum inquietum experiretur, moleſto pruritu ipſum excitante, qui die ſileret, noctu reviviſceret; decidebant incerto tempore cruſtæ, aliis bidui intervallo renaſcentibus, ſine ullo humoris exitu, & ſi quandò per artem, ſiquidem omnia tentata ſunt, tollerentur illæ, cutis apparebat rubella, depreſſa tamen, & infrà oras cutis ſanæ ſubſidens, & quaſi ſub cruſtis eryſipelatoſa. At illa brevì lemis, indèque cruſtis rursùs obtegebatur. Cruſtæ albidæ, ſplendentes, ad limbos ſubrufæ erant, aliquandò ſanguinis tincturam ob ſcalptum admixti ſibi ſumebant. Originem à levibus initiis malum duxerat. Pruritus incommodus & puſtulæ leves negligendæ malo rebelli atque pertinaciſſimo præluſerant. Semper rectè valuerat, & ſuſpicionem mali venerei omnia paratus ſubire remedia longè abigebat. Nulla ipſi fides admota; vexavimus miſerum uſque ad faſtidium frictionibus & inunctionibus mercurialibus. Succeſſerunt ex communi conſilio ſuffumigia. Poſt aliquot quietis intervalla ne quid ex parte mercurii deeſſet, confugimus ad uſum mercurii ſublimati corroſivi ex methodo Celeberrimi Van Swieten. Irrita fuêre ægro faſtidioſa hæc tentamina, malum perſtabat immobile. Tandem ex viperis & ſale viperino confecta ſunt juſcula & ſumendis juſculis ſal, ne virtus irrita caderet, admixtum. Demùm regimine ex vegetantibus præſcripto, ſimulque longo uſu ptiſanæ ſudoriferæ atque purgantis, ad patriam amandavimus virum non divitem & qui tantas jam perpeſſus fuerat moras. Convaluiſſe audivi, verùm nec methodum novi, & an caſus, Medicuſve levaverit, certò ſcire non potui. Vidi tamen ſimilem ferè caſum omninò ſanatum, longo uſu pilularum illarum mercurialium quæ *de Belloſte* dicuntur, in nobiliſſimâ muliere, quæ licèt & maculas cruſtoſas leves & lanuginoſas experiretur, ad leucem veram & exquiſitam referre ideò nequeam, quòd in fæminâ à tribus puerperâ menſibus aliquid lactei in malo latere legitimè ſuſpicari liceret.

Multi pariter alii ſimiles reperiuntur caſus apud auctores qui ad leucen referri poſſunt, & qui ſub nomine ſcabiei impuræ, pſoræ, aut aliorum ſimilium morborum deſcribuntur. Nam ſi veris nomi-

nibus uti volumus, nullus horumce morborum qui paſſim ſub ſcabiei cruſtoſæ titulo deſcribuntur ad ſcabiem referri debet; ſed ad alphum ſaltem revocatur, ſi non ad leucem. Ita caſus Martini Kelly qui apud Brisbane (*a*) balneis tepidis, ſarſæparillæ potu, tincturâ antimonii & quâque ſeptimanâ doſi ſemi-unciæ ſalis Glauberi ſanatus fuit, evidenter alpho laborabat, & ſimiles caſus apud Etmullerum, Riverium, Hoffmannum reperire eſt. Undè patet quæ ab antiquis deſcripta ſunt ſæpè apud recentiores reperiri; ſed id enormis nominum confuſio fecit, ut ſub variis nominibus eædem res tractarentur.

Ex affectionum iſtarum congerie apud ferè omnes auctores deſumendâ patet leucem, ſeu inveteratam veterum vitiliginem reverà exiſtere & in gradu remiſſo apud nos videri, licèt fatendum ſit non frequenter admodùm ſine luis venereæ ſuſpicione adeſſe. Illam veteres à leprâ & leproſis affectibus diſtingui voluerunt ob aſperitatem quæ in leprâ reperitur, cùm contrà lævitas quædam inſolita diſtinguat partes leuce laborantes; at certè differentia hæc diagnoſtica non affecit auctores ita ut diſtinguerentur penitùs inter ſe morbi affines. Nec certè diſtinctio magni momenti eſt, cùm leuce & cauſas eaſdem & medicamenta eadem atque lepra agnoſcat, ut poſteà dicendi ſeſe dabit occaſio.

In utroque enim morbo lympha mucida & pars præcipuè ejus ſolideſcens in concretum acre verſa eſt, quod ubi ad aërem expoſitum eſt reſinæ inſtar in corpus ſolidum vertitur, albeſcens primùm, poſteà rufeſcens, ut omnibus ferè reſinis commune eſt; nec lympha hæc aquæ immixta in eâ ſolvitur, niſi tepore aquæ & temporis morâ adjuta ſit. Tunc verò aqua diſſolvens turbida fit, & ſquammis volitantibus in amyli morem onerata; quæ verò maſſa priùs ſpiſſa fuerat aquæ miſcelâ ſplendeſcit & pellucida fit gelatinæ aut mucilaginis in morem. Rurſùs verò illa ebullientis aquæ efficaciâ cogetur atque concreſcet, imò & ſolida evadet & quaſi cornea; nec alium inter ebullitionem, aut etiam igne nudo combuſta, odorem ſpargit quàm qui proprius eſt albumini ovi combuſto, undè fit ut illi tot adhæreant inſecta, tot muſcæ advolent, imò & vermes concipiantur, in quo à reſinarum naturâ ut & phœnomenis ad ignem ſummè abludit.

Quæ verò cauſa efficiens poſſit concretas ita ad ſuperficiem cutis adunare partes lymphæ, ut ſine exitu humoris oculis depre-

(*a*) Briſbane, pag. 45.

hendendi queant, lemæ novæ iterùm atque iterùm ſuccreſcant, recenteſque ſuccedant abraſis, ſtatuere difficile eſt. Id tamen certò ſcimus ipſam totiûs lymphæ molem penitùs ac funditùs vitiari ; non ita tamen ut, licèt facilè concreſcibilis ſit, in interioribus atque calentibus locis concreſcat, quandoquidem integer ſervatur humorum circuitus, ſed partes quæ aëris actioni exponuntur caracterem hunc lymphæ impreſſum evolvunt & partes peſſimas concretionique aptiſſimas ita ad cutim retinent, ut ad noxam viſceribus inferendam jam evadant minùs idoneæ.

Scimus prætereà non in illâ coagulatione atque concretione partium præcisè morbi eſſentiam eſſe ſtatuendam, ſed in principio quodam fixo coagulante ; quandoquidem partes morbis illis affectæ odorem ſpirant ſpecificum oleoſo-acidum, aut aceſcentem, quòd rancidulum quoddam latè oleat, fœtoremque exhalet ſibi proprium. *Miaſma* illud eſt cujus naturam aſſequi per artem analyticam impoſſibile eſt, conjiciendo determinare periculoſum in tantâ noſtrâ rerum primordialium ignorantiâ.

At certè vitia illa cutanea ſummi generis & extremâ vehementiâ infamia non in lymphâ ſolâ ſubſiſtunt, ſed videntur etiam malo vires ſumente partes adipoſas inficere, ſaltem ſummas, & quæ ad cutem hiant, undè cutis ſub hiſce puſtulis nedùm tumeat, contrà deprimitur ; & certè ſquammæ leproſæ in aquâ ſolutæ videntur aliquid ſeparati olei indiſſolubilis ad ſuperficiem emittere.

Id etiam deprehendimus obſervatione conſtanti non omnes omnium hominum lymphas horumce morborum inſultibus æquè patere ; rarò ſcilicet apud ſeptentrionales populos, præſertim in locis à mari diſſitis reperiri, rarò in viris lautè & opiparè viventibus & magnâ cibariorum diverſitate gaudentibus, nunquam apud illos qui diætæ vegetabili adſtricti ſunt & qui aëris variabilis perpetuo fruuntur beneficio. Contrà verò morbis leproſis præcipuè addicti ſunt qui littora depreſſa marium, ventis malè perflata & humore tepido infamia accolunt, qui victu putido utuntur & piſcibus præcipuè veſcuntur, undè ichtyophagi apud veteres Ægyptios vocabantur, notante ſic Herodoto, aut locuſtis, undè acridophagi dicti, teſte Diodoro Siculo, his morbis præcipuè conflictantur (*a*). Aquæ etiam Nili apud veteres pro inſalubribus habitæ & nomo ſacerdotali interdictæ ideò ſunt, quòd qui Deorum myſteria tractabant ab omni impuritate forent arcendi. Hinc nulla

(*a*) V. Recherches ſur les Chinois & les Egyptiens, tom. 1, ſect. 3.

gens omni ſquallori cutaneo adeò fuit obnoxia atque Ægyptii quorum aër annuâ inundatione Nili corrumpitur, per ſe fervidus & vix ventis perflatus ſalubribus eteſiis Græcorum. Nec verò, licèt nunquam adeò immaniter in Europâ morbi leproſi ſæviant, aut Italiæ oræ maritimæ aut Gallo-provincialia littora hiſce morbis omninò immunia ſunt, notantibus illuſtribus apud illos Medicis Raymundo Maſſilienſi, & antiquiùs Varandæo, Gordono, aliiſque qui elephantiaſim à ſe viſam dùm doctè fusèque deſcribunt, leucen & vitiliginem videntur deſcripſiſſe, potiùs quàm Græcorum Aſiaticorum elephantiaſim.

Id verò notavêre viri illuſtres, cum antiquis in eo conformes, quòd aëris tepidi & humidi, ſimulque ſtagnantis inclementia, cum perversâ ex piſcibus atque cochleis diætâ malo quod deſcripſêre in pauperum ſorditie anſam præcipuam dare videretur.

Et certè obſervandum eſt peſſimam hanc aëris & victûs conditionem non ſolùm morbis chronicis inducendis aptam, ſed quibuſcumque vel acutiſſimis, ſi lento gradu ſæviat, ſi ſanguine intacto, aut per vim corporis reparato, lymphæ principia ſensìm adoriatur, poſſe morbos maximè ſordidos ad cutim invehere, non ita tamen ut, poſitâ conſtitutionis aëreæ idæâ, idæa etiam morbi contingat; latet enim ſpecifica quædam alteratio, à cauſarum complexu pendens, quam nulla valet obſervatio comprehendere.

Circà hujus cauſæ actionem à Doctiſſimo Raymundo ſagaciter perpenſam non ultrà immorabimur. Sed quî fiat ut lympha leuce laborantium glandulas meſentericas ſecundùm naturæ ordinem permeet, quippè inter omnes illorum miſerias vix macreſcunt, aut appetitûs proſtrationem patiuntur? Ad cutem verò ſcena omnis tranſigitur. Videtur id pendere à miſcelâ lymphæ jam aliquâ ratione corruptæ cum adipe & humoribus qui ad cutim affluunt, & ſi certa incertis miſcere fas eſt, aliquid corpori animali proprium & ſingulare videtur intrà lympham à corruptelâ ciborum introduci quòd fermenti vices ad ſolam cutim gerat, cæteris partibus innoxium; quod in cantharidibus ſolas urinæ vias lædentibus accidere videmus. Illæ enim cætera relinquunt intacta, nec infirmo pulmonum tenori nocent. Verùm cur eadem aëris conſtitutio in oris ſeptentrionalibus ſcorbutum, in meridionalibus leucen & elephantiaſim accerſat? id nunquam certò ſciemus. Sed differentiam à corporum conditione diversâ eſſe repetendam indè certò concludemus, quòd etſi leproſi morbi pluries intrà noſtras oras fuerint

advecti, pluries etiam ab iis exulare ipſos coegerit & corporum & victûs, & aëris natura. Quod tamen ita dictum velim ut de ſummis tantùm mali gradibus res intelligatur.

Prognoſis verò leuces ea eſt ut in lepram neglecta & eodem victu perſtante tranſeat. Fœdiſſimus eſt morbus, ſed longus; abſumptos tamen plures, ſed longo interitu ſcimus. Pedes inflari, abdomen intumeſcere, cæteris decreſcentibus peſſimum. Per phtyſim & hydropem via ad lethum ſternitur. Sed annos numerare licet in hoc morbo, non menſes, & quæ tùm circà leuces, tùm circà lepræ de quâ jam agendum erit, prognoſim atque curationem dicenda erunt, utrique morbo communia ſunt. Eſt enim leuce congener morbus, ſed levior, & qui eâdem ſanetur methodo. Nec multi faciendum eſt propoſitum à Celſo circà vitiliginis ſpecies experimentum ad prognoſim & curationis poſſibilitatem (*a*). Ait enim; « incidi cutis debet, aut acu pungi; ſi ſanguis exit, remedio locus » eſt; ſi humor albidus, ſanari non poteſt ». Certè altiùs in poſteriori hoc caſu infixum malum & totam telam adipoſam penetraſſe indicatur, quod certè ad gravitatem & magnitudinem mali aliquid facit, non ad omnimodam inſanabilitatem. Debet enim curatio tentari per ea remedia quæ ad ſanandam elephantiaſim conferre poſſunt.

ARTICULUS IX.

De Leprâ & Morbis Leproſis.

Lepra, nomen apud vetuſtiſſimorum populorum hiſtorias famoſum, nobis idæam exhibet morbi ſordidiſſimi cutem infeſtantis ſed parcentis vitæ, ita ut eo affecti ob fœditatem potiùs, quàm ob contagium ab hominum conſortio ſegregati miſerrimam agant vitam, & mortem expetant, tanquam malorum intolerandorum perfugium. Verùm ſi hanc idæam ſepoſueris quæ ad omnia æquè leprarum genera pertinet, nulla eſt apud auctores deſcriptio quæ omnibus æquè ſpeciebus competat & univerſas comprehendat; nominumque magna confuſio effecit, ut nullus ferè ſit ex omnibus quos deſcripſimus morbis cutaneis ad aliquam ſævitiem atque pertinaciam evectus, qui non lepræ nomine fuerit deſignatus.

In genere ſquammas in cute concitat, undè lepra ἀπὸ τῆς λεπίδος *ſquamma* vocata videtur. Antiquiſſimus apud Græcos Hippo-

(*a*) Loco citato cap. 19.

crates

crates vocabulo λέπραι utitur ad numerum plurale, quaſi ſub hoc nomine genera morbi, potiùs quàm morbum deprehenderet. Nam qui liber abſcribitur Hippocrati περι τῆς Φοινίκινος νοσȣ ad Democritum Philoſophum, vel ipſo teſte Cœlio Aureliano, ſpurius eſt; nec minùs tamen demonſtrat ab omni ævo Phœnicibus endemium fuiſſe malum quo cutis fœdè infeſtaretur.

« Hippocrates igitur de lichenibus, & lepris, & vitiliginibus » λείκηνες καὶ λέπραι καὶ λευκαὶ egit ſummatim, ita tamen ut duas » earum ſpecies recenſeat (*a*). Si enim juvenibus, inquit, ſenſim » ſe produnt, diuturnitate temporis augentur; in iis quidem » exanthemata non de abſceſſûum, ſed de morborum genere » habendi ſunt; at quibus ex his aliquid ſubitò multùmque con- » tingit, id certè abſceſſûs naturam habet. Oriuntur autem, pergit » idem auctor, lichenes maximè exitialibus morbis (quod ad » lepram de quâ agimus nunquam pertinere poteſt); & paulò infe- » riùs addit, lepræ autem & vitiligines ex atrâ bile fiunt ex quibus » quæ valdè juvenibus contingunt & ſunt recentiſſimæ, tùm quæ » in ſummè carnoſis & mollibus corporis partibus ſedem conſti- » tuunt, curationem recipiunt ». Theoria hæc ad naturæ obſervationem expreſſa, verè Hippocratica eſt, quam libro breviſſimo de alimento breviùs adhùc expreſſit. « Ulcus, ſanguis, pus, ichor, » lepræ, furfur πίτυρον, αχωρ, ſive ulcus in capite manans pingue » λείχην, lichen, αλφος, vitiligo, lentigo ſeu ἔφηλις interdùm qui- » dem lædit, interdùm juvat, interdùm neque lædit, neque juvat ». Fruſtrà igitur monumenta vetuſtiſſimi auctoris ad lepræ intellectum torſerimus, lepra ipſi morbus ſquammas in ſuperficiem etiam internam corporis emittens fuit (*b*). Hinc Theophorbi filio in Lariſſâ lepram in veſicâ ſine ullâ aliâ explanatione, ut de vocabulo cognito, admittit.

Apud Græcos igitur veteres lepræ nomen innotuerat, imò & adeò famoſum fuit (*c*) ut oppidum in Arcadiâ Lepræum nomine, & in Achaiâ, imò & Leprion inſula dicta fuerint, ex eo, ut rectè autumat R. Stephanus (*d*), quòd aquæ ibi jacuerint minerales quibus lepra ſanaretur. Apud veterem Romanorum Rempublicam in quâ Marti dedicati homines vitam agebant ſummè exercitatam ſimulque ſobriam, vix videtur de morbis cutaneis injecta mentio,

(*a*) Prorrhetic. lib. 2.
(*b*) Epid. 5.
(*c*) Plin, lib. 4, ſect. 8 & 10.
(*d*) Theſ. ling. latin.

qui poſteà poſt prima dignitatis imperatoriæ tempora, corporibus luxu diffluentibus adeò invaluêre, novitatis etiam ſpecimen præ ſe ferentes. Certè Lucretii (*a*) poetæ temporibus elephas, ſive elephantiaſis lepræ ſpecies ita Ægypto propria credebatur, ut præterea nuſquam viſam pronuntiare poëta philoſophus non dubitaverit. Meliùs Celſus (*b*) elephantiaſim ignotum penè in Italiâ morbum fatetur, aliis in regionibus frequentiſſimum, idem tamen de leuce & vitiligine diſtinctè egerat.

Nec Galenus ipſe, licèt jam ejus temporibus perverſa admodùm fuerit Romanorum agendi ratio, luxuque ac divitiis funditùs deleta & oppreſſa antiqua Romanorum & virtus & diſciplina, non minùs tamen de elephantiaſi loquitur tanquam de morbo prorsùs apud Italiam obſoleto.

In Italiam quidem ætate Pompeii magni (*c*) elephantiaſim irrepſiſſe auctor eſt Plinius (*d*), brevìque ibi reſtinctam fuiſſe, ſive ob felicioris cœli clementiam, ſive ob facilè devitandum elephantiacorum commercium; hinc etiam quanquam ævo Galeni Romæ benè cognita foret elephantiaſis, Alexandriæ tamen ob pravam victûs rationem inquilinam aſſerit & toti Ægypto communem, in Myſiâ & Germaniâ non viſam pronuntiat; imò & apud Scythas lactis potatores nunquam penetraſſe edocet. Univerſum totiûs corporis cancrum, ut omnes Medici veteres, eam vocat, & ab atrâ bile peſſimâ, ſed criticè ad ſuperficiem corporis depoſitâ, pendere putat. Quâ in opinione omnes eum ſecuti ſunt veteres tùm Græci, tùm Arabes.

Verùm facilè crediderim à Galeno (*e*) elephantiaſim genuinam nunquam obſervatam fuiſſe, nam videtur aliquandò elephantiaſim cum vitiligine confudiſſe, memoratque plures hiſtorias hominum per ſimpliciſſimam methodum curatorum; imò dùm eorum ſymptomata & curationis promptitudinem à vino in quod irrepſerat vipera narrat, nimiùm patienter anili fabulæ credit, cùm aliundè elephantiaſim ab acerrimâ bile pendere autumet, atrâ illâ & apud omnes ferè pro inſanabili habitâ.

Verùm apud illum & omnes omninò Græcos, etſi à pluribus de elephantiaſi ſingulari titulo tractatum ſit, non idem eſt elephan-

(*a*) Lucret. de Rer. nat. lib. 5.
(*b*) Lib. 3, cap. 25.
(*c*) Lib. 26, cap. 5.
(*d*) De Arte curandi ad Glaucon, lib. 2.
(*e*) De Simpl. Med. Facult. XI.

tiaſis ac lepra. Arabes primi elephantiaſim ſub titulo lepræ tractavêre; forſan ab Hebræis, forſan & antiquis Syris, lepræ nomen in elephantiaſim Græcorum tranſlatum eſt. Quem elephantiaſim Græci vocant, affectum hunc Arabes lepram nominant. Morbo diſſimili nomen elephantiaſeos dabant. Nam apud ipſos elephas eſt tumor ulceroſus pedum, & crurum, de quo ſingulariter egêre Rhaſes, Avicenna, & apud Indos Bontius, apud Ægyptios Proſper Alpinus, ut poſteà dicendi ſeſe feret occaſio. Prætereà de elephantiaſi intelligi non poteſt quod ait Galenus (*a*) ſe lepram curaſſe venæ ſectione, balneis ac uſu hellebori, ſed de Græcorum leprâ.

Aliâ ex parte famoſa eſt apud nos leproſorum hiſtoria, qualis apud ſacros codices habetur (*b*), qui morbus ita à ſacro ſcriptore delineatus eſt, ut fas ſit diſcernere an ad vitiliginem, an ad elephantiaſim referendus ſit? An verò ſit morbus ſingularis à Deo optimo maximo in populum ſuum immiſſus ut cujuſque delicta cæleſti irâ vindicaret, ut aliqui autumarunt (*c*)? Certè ita calidioribus regionibus humidiſque videntur peculiares hi affectus cutis fœdiſſimi, ut poſt ferales ſacrorum bellorum exitus in Galliam magno numero immiſſi fuerint, poſteà ferè conticuerint. Ita enim increverat eorum numerus ut, teſte graviſſimo auctore Raymundo, locorum ad excipiendos leproſos deſtinatorum numerentur mille & quadringinta, quorum tituli cum ſuperſint, vacuas ſedes oſtentant. Imò & equeſtris apud Gallos ordo iis inſerviendis natus ad alios uſus poſteà ob inutilitatem detortus eſt.

Remanent tamen lepræ illiûs Syriacæ & Ægyptiacæ veſtigia; an communione nata, an locorum infelici cœlo debita incertum? Poſteriori quidem cauſæ crediderim magis; nam apud Gallo-provinciales, quaſi de re apud ipſos cognitâ, de elephantiaſi loquitur Paræus (*d*); & quanquam minùs vulgatam, tamen & à ſe viſam & ſanatam teſtatur Cl. Raymundus & alii complures.

Hinc factum ut Univerſitatum noſtrarum Medici Græco-Arabes nomina Arabum ſumpſiſſe videantur & mutuaſſe, ſepoſitis nominibus Græcis. Apud Arnaldum de Villanovâ, Gordonum, Concoregium & alios, videtur lepra, pro auctoris lubitu, nunc ad vitiliginem, nunc ad elephantiaſim referri. Aliundè verò auctores qui in borealibus regionibus ſcripſerunt, lepræ nomen multis etiam

(*a*) Arte cur. ad Glauconem, lib. 11.
(*b*) Levitic. cap. 13.
(*c*) V. Calmet Dict.
(*d*) Lib. 19, cap. 8.

dederunt cutaneis morbis. Britannia minor quæ magnam partem littorum Gallicorum conſtituit, ex omnibus regionibus Gallicæ ditionis fœdioribus morbis cutis contaminatur. Et ut ſua eſt Picardis, ſive Morinis febris ſudatoria, ita & Aremoricis illis, ſeu minoris Britanniæ incolis ineſt cutis ſingularis fœditas (lepram vocant) per omne vulgus vagata, imò & ſæpè in divitum ædes irrepens, cujus cùm frequentia viderim exempla, nihil aliud eſſe crediderim quàm herpetum genus ἐσθιόμενον, ſeu irrepens, cui vires addit & formam maximè venenatam diatheſis in aëre humido viventium atque regiminis negligentium ſcorbutica (*a*). Undè plus mutatione loci & diætâ vegetabili atque acri cardiacâ anti-ſcorbuticâque apud iſtos proficitur, quàm ullâ apud antiquos decantatâ methodo quæ ad lepram, aut elephantiaſim commendabatur. Non auſim idem dicere de cutaneis fœdiſſimis qui non vulgò, ſed interdùm in Angliâ reperiuntur affectibus, de quibus mentionem fecêre obſervatores apud illos plurimi (*b*), cùm videantur validiſſima è ſalſaparilla & cantharidibus remedia commendari.

Si fœditas ſola affectûs aliquid facit ad elephantiaſim conſtituendam, ſine aliis de quibus mox loquemur caracteribus, non adeò rarum eſſe malum fatebimur. Alphos, leuce, imò herpes phagœdenicus nomen illud terroris plenum, & fœditate formidandum apud vulgus circumferunt; verùm ſi & vitium ſubſtantiæ in cute & etiam in textu cellulari requiratur, rariſſimum. Hinc etſi vulgari loquendi formulâ quin omnes iſti morbi ad lepram referantur nihil vetet, certè ab elephantiaſi diſtincti ſunt, ut & lepra illa quæ Finlandiæ Bothniæque ſeptentrionalium oras maritimas infeſtat & cujus cauſam Ill. Linnæus (*c*) ad inſectum peculiare quod ſagaciſſimus in hiſtoriâ naturali auctor deſcribit, adſcripſit. Ut igitur morborum horumce leproſorum diſtincta poſſit obtineri idæa, ſcireque liceat quomodò legendi ſint auctores qui de hâc calamitate ſcripſerunt plurimi, antè omnia deſcribenda eſt breviùs lepra Græcorum quæ ſimpliciorem morbum conſtituit, poſteà Hæbræorum lepra, tùm demùm Arabum lepra quæ elephantiaſis Græcorum eſt; nam elephantiaſis Arabum ad morbos peculiares pertinet. Poſteà tractandum erit de iis quæ apud nos aliquandò occurrunt reliquiis morborum qui ex Africanis &

(*a*) V. Cocchi de victu Pytagorico.
(*b*) Brisbane, Hilary, &c.
(*c*) Amænitates, tom. 7, Diſſert. de Leprâ.

Aſiaticis regionibus apud inſulas ab Europæis excultas aſportati; vel ex contagio; vel ex communione contrahuntur, vel importantur, falsòque pro venereis habentur, ſæpiſſimè ingenti medicantium errore & ægrorum infortunio.

PARAGRAPHUS I.

De Leprâ Græcorum.

Si Galeno (*a*) credamus, pituita multa, craſſa, ſalſa & immota in leprâ & pſorâ reperitur. Nullam alioquin utriuſque morbi deſcriptionem addidit, ſed ne aliquid indè ad novum morbi genus in pſorâ quærendum concludamus, facit quod omnes ferè auctores Græci, poſt Galenum, præſertim P. Ægineta (*b*), de leprâ & ſcabie promiſcuè egerint, imò Oribaſius (*c*) non ſolùm ſcabiem, ſed & leucem ſimul miſcere non dubitaverit. Verùm lepræ qualem Græci noverant & curabant deſcriptionem accuratam reliquit idem ille Archigenes qui elephantiaſim ad naturæ normam poſt Aretæum deſcripſit, & cujus fragmenta ab Aëtio (*d*) ſervata temporum naufragium evaſêre.

Hunc auctorem ſi conſulas, «differt lepra à leuce & alpho vitiliginis ſpeciebus in eo quòd lepra aſpera ſit ad contactum, & » pruritum locorum inducat; cutis enim ſola eſt quæ affecta eſt, » & excoriatâ cute, caro ſubjecta ſana reperitur. In leuce verò » ſubjecta cuti caro tota per profundum tranſmutata eſt ad albi- » diorem colorem, & ſuperficies affecti loci læviſſima eſt, & con- » fricta citiùs rubeſcit, præſertim in iis qui facilè curantur. At verò » alphos in ſuperficie hæret & veluti ſquamma cuti affixus eſt. » Cæterùm à ſcabie differt lepra quòd in ſcabie quidem furfuracea » quædam cuti inhærentia apparent, in leprâ verò quædam veluti » magnorum piſcium ſquammæ. Differt verò lepra ab impetigine » feroci eò quòd impetigo orbiculatiùs ſemper proſerpat, lepra » verò non ita, nec eodem modo ». Idem omninò Paulus (*e*), niſi quòd lepræ orbicularem figuram tribuat.

Hæc ſatis fuerint ut intelligamus lepram Græcorum non ita

(*a*) De Sympt. Cauſ. lib. 3.
(*b*) Lib. 4, cap. 2.
(*c*) Synops, lib. 7, cap. 48.
(*d*) Aetii Tetrab. 4, Serm. 1, cap. 134.
(*e*) Lib. 4, cap. 2.

rarò apud nos occurrere, nec ſævitie ſemper adeò metuendam, ſed, ut aiunt antiqui, lepram eſſe ad morbos pſoricos ablegandam; ita ut pruritus cutis quem à ſalſedine derivabat Galenus, de quo peculiari articulo egêre Aëtius, Paulus, Oribaſius (*a*), ad pſoram aditum faciat, pſora verò lepræ aditum ſternat morbis congeneribus & ſolo gradu diverſis; nam ſcabiem, ſi ab inſectis pendeat, hâc in ſcalâ numerare nefas. Impetiginem, pruriginem, pſoram & lepram velut ejuſdem mali quatuor gradus J. Fernelius (*b*) vir in intelligendis auctoribus Græcis acutiſſimus numerat, ſed mixtâ jam ex Arabum doctrinâ confuſione lepram nullis ait cedere remediis, & de ejus curatione vulgus divos, inquit, implorare ſolet, quod cum elephantiaſi conveniat, nullâ ratione ad Græcorum lepram pertinere poteſt quam adeò facilè à ſe ſanatam Galenus arguit.

Verùm rem planam & apertam auctoritatibus agitare inutile eſt. Nullus eſt qui non viderit, in hominibus præſertim quos ſua ad ſpurcitiem vitæ redegit inopia, ſimiles in cute naſci ſine ullo humoris exitu tumores, parvos primùm atque pruriginoſos, tactui aſperos, humorem nullum fundentes, ſaltem qui ſe oculis nudis deprehendi ſinat, licèt quod extrà cutim ſolidum apparet & prominet neceſſariò fluidum fuerit. Increſcunt ſensìm, & ſæpè aliquam attolluntur in molem lemæ leproſæ. Si nimiâ vi fuerint evulſæ, ſanguinem ad baſim fundunt, carnemque, ut cum veteribus loquar, ſeu potiùs baſim cutis ſanam & rubellam oſtendunt, ex quâ tamen novæ cruſtæ mox ſuccreſcunt.

Sejuncti ſunt atque ſeparati omnes iſti tumores, ſed etſi ſparſìm apparent, ſi magno numero cutim occupant, certè monſtroſo aſpectu terrent; præſertim ubi faciem occupaverint. Pruritus enormis baſim & intervalla cruſtarum ita occupat, ut noctem inſomnem ducere iis neceſſe ſit, aut à ſomno expergefactis è lecto proſilire, præcipuè, notante Galeno (*c*), ſi in diætâ fuerint negligentiores, ciboſque acres aſſumpſerint, aut curſu atque laboribus ſeſe confecerint, quod non rarò agreſtibus hominibus accidit, ita ut ab utili laborandi habitu ſeſe in turpiſſimam mendicationem projicere cogantur. Odor in hoc lepræ genere nullus niſi fracidus & ſordibus familiaris, & in toto morbi, longiſſimo quidem,

(*a*) Libris citatis.
(*b*) Lib. 7, cap. 4.
(*c*) De Sympt. Cauſ. lib. 3.

illò decurſu vix variationem aliquam accipiunt phœnomena, ita ut per longam annorum ſeriem in eodem ſtatu remaneant, donec multiplicatâ materiâ obſtruantur lymphaticæ glandulæ, cachectici que tandem atque hydropici moriantur, aut tabe pulmonali abſumantur ægrotantes. Sed pluribus ſine alio incommodo ad ſenectutem uſque prorogatur morbus, ſaltem in pauperiori hominum genere quibus ipſa facit inopia ut auxilia negligant, diætam aſpernentur, & nullam bonis artibus fiduciam, ut potè rebus ignotis & ipſorum captum excedentibus, adhibeant.

Ut in hoc morbo diagnoſis ipſis deprehenditur oculis, ita prognoſim experientia demonſtrat; curationem non adeò difficilem autumabant veteres Græci; & de eâ ſumendum eſt quod Galenus (*a*) ait ſe lepram ſanaſſe copiosâ venæ ſectione, balneis tepidis & uſu hellebori. Quem quidem hellebori utriuſque uſum etiam externè commendat Paulus (*b*), quibus ſucceſſu carentibus poſt eas purgationes quæ atram bilem expurgant, commendat topica cathæretica & exſiccantia, calcem, ſeu ejus aquam, natrum, ſulphur, myſi & calcitidem; eadem & Oribaſius (*c*) & veteres ferè omnes Græci qui ſeſe mutuò exſcripſerunt, exceptis tamen Archigene & Aëtio qui de internis medicamentis mentionem nullam vel minimam injiciunt, ſed fortiora topica commendant & potentiùs detergentia, inter quæ maximè illud famoſum erat quod in quinque dierum intervallo lepram ait tollere Archigenes. « Æruginis drachm. iij, iv, reſinæ pini liquidæ drachm. j, thuris recentis » drachm. ij, arida cum aceto terito, & adjectâ reſinâ liquatâ præfrictis imponito, & alternis ſolvito, invenies lepram ſplenio » adhærentem » : quod certè medicamentum & ritè confectum & periculi expers nil video quod impediat quin adhibeatur. Illud artificium cutis purgationem vocabant, quatenùs irritata omnia excernicula liquorem contentum exprimunt & exſudant, mutaturque liquorum in cute contentorum natura, doteſque eorum omninò renovantur. Id purgare cutem vocabant, medicamentaque ad hunc uſum adhibita dicebantur cutis purgantia. Crudelius eſt aliud (*d*) quod vocat lepram excorians, id eſt ſuppurationem ad baſim excitans. « Rad. chamæleontis nigri partem unam, ſucci

(*a*) Art. cur. ad Glaucon. lib. 2.
(*b*) Lib. 3, cap. 2.
(*c*) Synops, lib. 7, cap. 48.
(*d*) Aetius Tetrab. 4, Serm. 1, cap. 134.

» thapſiæ partem unam, ventrium cantharidum, ſulphuris, æquales » ſingulorum partes pice liquidâ excipe, & loco illine, ubi illum » probè confricueris; poſtquàm verò bullæ ac puſtulæ excitatæ fue- » rint lenticulam cum melle jam imponito ». Simile ad eumdem uſum prædicatur unguentum ab Actuario (*a*), quod non veſiculas, ſed inflammationem actuoſam concitandi conſilio per horas alternis apponit, alternis detrahit, donec omnia novam actionem purgata concipiant. Certè ex his ſuppuratio concitatur, magiſque actioni mechanicæ fidendum hujus remedii quàm empyricæ adipis arietini applicationi quam iidem commendant. Si fides doctorum virorum relationibus adhibenda, graſſantur apud inſulas Caraibum herpetes peſſimi generis & ad lepram accedentes. Hos ars nulla valet tollere : ſoli eorum malignitatem & pertinaciam aggredi audent nigritæ & vincere, ſed eos crudeli adoriuntur artificio, quatenùs ſcilicet neglectâ interiori curâ univerſam cutem ſuperficiali ſuppurationi audent committere, quâ ſanatâ, communi conſenſu fatentur Medici qui in hiſce oris medicinam fecêre tolli virus, ſine ullis ſeminis impuri reliquiis.

Verùm ex his videre eſt quanto gradu diſtet lepræ iſtiûs noſtræ curatio ab elephantiaſis curatione. Et certè nullam aliam indicationem offert illa niſi quam ſalſa & ut antiqui aiebant αλμυρώδης lymphæ indicat conſtitutio, quæ quoniam ut ad lepræ gradum evehatur altas ſupponit & intùs in vitio intimo fundatas atque ſtabilitas radices, ſupponit etiam, ut excidatur, longiora artis molimina. Omnia hìc arida ſunt & imperſpirabilia. Humor ſalſus ad ſuperficiem mucidam humorum materiem retinet inductâ conſtrictione, ibique corrumpit, exſiccat verò corruptam & quaſi coagmentatam. Undè certè præcipuum ſanationis in diluentibus, acre ſolventibus, demulcentibus præſidium conſiſteret, ſi non altum fomitem præberent concoctionum vitia præcipuumque earum inſtrumentum bilis, quæ viſa eſt veteribus ut morbi cauſa; ſed ſaltem, ſi loco virtutis ſaponaceæ atque penetrantis, acrem, ſalinam, muriaticam ſumpſerit indolem, mirum eſt quantum ferat adjumenti ad producendos affectus ſalſæ lymphæ aliundè à perſpirationis inconcoctæ vitiis inſpiſſandæ. Huic attenuandæ, ſimulque deturbando de quo mox agebamus fomiti, præcipuè conferunt reſinoſa cathartica, quidquid contradixerit Helmontius. Undè tota curatio permixtâ & complicatâ indicatione naſcitur.

(*a*) Lib, 3, cap. 5.

Hinc

Hinc diluentium atque demulcentium, illinc verò catharticorum, non neglectâ topicâ remediorum adminiſtratione, quæ nunc ex emollientibus atque laxantibus, nunc ex digerentibus atque deterſivâ vi pollentibus medicamentis abſolvitur.

Venæ ſectionem quidem quam Galenus initio morbi celebrandam indicat per ſe morbus poſtulare non videtur. Multa ſunt tamen quæ ipſam ſuadent accidentia. Certè curationem moliri magno apparatu in homine ſano & plethorico, ſine hujus remedii uſu, imprudens foret; cùm non aliud ullum remedium æquè tenſionem tollat atque præcaveat, æquè laxando vaſa ſiccitatem diluat, remediiſque efficacibus adhibendis anſam præbeat, irritationis cauſas & effectus tollendo ſimul & prævertendo. Præterea verò mucoſam ſanguinis partem plurimùm vacuat venæ ſectio, cum ejus efficaciâ pars illa maximè tollatur & exeat. Undè inter morbi noſtri auxilia pluribus in caſibus, præſertìm antequàm medicamenta aggrediamur, locum obtinet; & ab illâ poſt levem & quaſi præparatoriam catharſim ſecundum locum ſibi vindicant balnea tepida quæ cutim laxando humectant, vaſaque meabilia reddunt & humores mobiles. Iis verò ſi virtus attenuans & mucum ſolvens addatur, qualis in ſulphureo-ſalinis thermis reperitur, tunc balnea omne punctum tulerint, & univerſam effecerint medicationem. Quod in Galliis & Hiſpaniâ non incognitum præſidium mihi præcipuè optatiſſimos ſucceſſus obtinuiſſe viſum eſt apud thermas Barregienſes & Balneolenſes è Lucione, vulgò *Bagneres de Luchon*. Nec prætervifa fuit veteribus Græcis ſimilium thermarum efficacia quod conſtat ex plurium oppidorum nomine à thermis *lepria* dictis, ut ſupra monuimus. Nec crediderim, viam monſtrante illuſtriſſ. R. Ruſſel (*a*) de morbis glandularum, inutilia eſſe cenſenda quæ ex bituminosâ atque ſalsâ aquâ marinâ concinnari poſſunt balnea.

At non omnibus, egenis præcipuè medias terrarum regiones & à mari, aut thermis ſalutaribus diſſitas incolentibus, ſimilia in uſum adhibere potis eſt medicamenta; ſale marino & hepate ſulphuris additis artificiales aquas æmulari datur, ſed arte nondùm ſatis vulgatâ. Verùm ad omnes æquè pertinet diluentibus interiùs malum adoriri, lenibus illis atque demulcentibus, qualem potum præbent vernum illud & virtute recentium herbarum turgidum ſerum lactis, infuſa atque decocta herbarum mollium,

(*a*) De Tabe Glandulari.

& olerum, quales ſe præſtant lactucæ, cichorium, taraxacum, borrago, bugloſſum, anchuſa, &c. aliæ plures ſimiles, quibus ſæpè adduntur, ſi attenuandi vis major requiritur, aut ſi ſcorbuticæ luis aliqua ingruit ſuſpicio, plantarum antiſcorbuticarum ſucci, quales præbent naſturtium, cardamine, becabunga, oxytriphyllum, cochlearia, rapæ, rapiſtrum, alliaria, aliaque ſimilis notæ vegetantia nimìs cognita quàm ut iis inſiſtamus.

His intùs adhibitis, & per juſta temporis intervalla ita repetitis, ut quaſi vegetabilem tincturam principiis ſuis miſceat ſanguis, vincaturque per repetitum habitum indomita illa acrimonia quæ lepram aut comitatur, aut efficit, interrumpenda identidem ſunt remedia hæc alterantia juſto titulo dicta, & per catharticorum attenuantium atque revellentium uſum ad primarum viarum ſecernicula ferenda ſunt materiei imperſpirabilis ſtrigmenta: coquitur ſilicet attenuatione perpetuâ ab hiſce ſalutaribus ſuccis excrementitia materies, augetur ſolidorum oſcillatio, fitque habilis & prompta ad exitum illa. Quo in opere perficiendo præſtat aliis omnibus remediis veterum helleboriſmus cui commodiùs & leniùs ſupplent reſinæ illæ purgantes ab Arabibus in artem invectæ, ſcammonium, aloë, turpethum, aliæque multæ ſimiles, circa quarum uſum conſulendi ſunt auctores qui de materie medicâ pleniùs & uberiùs ſcripſêre. Tumultu quem excitare natæ ſunt ſedato, vacuatâque magnâ materiæ illiûs quæ peccabat uberrimâ parte, rursùs in iiſdem medicamentis præſidium alterans quæritur, novâque alteratione factâ, ſegregata illa & à ſanguineâ mole ſejuncta elementa vacuantur iterùm, donec eradicatum virus, mobile, ac mox fugitivum videatur. Hoc roborantibus, coctioneſque adjuvantibus medicamentis à tergo perſequi tempus erit. Quo in opere perficiendo præſtant martialia non imbuta ſale, ſed phlogiſto, ſeu, ut aiunt, ſulphure turgida. Tunc & topica admovere tempus erit, quo in opere non ea erit noſtra audacia ut antiquos æmulemur. Sed lenioribus diutiùs inſiſtemus, talia ſunt unguenta ſulphurea quæ mucum morboſum dùm exſiccant, à maſsâ ſuppoſitâ & vivâ exſiccatum, nec jam cohærentem ſeparant, unguenta mercurialia quæ molem & aggregatum muci diſrumpunt, unguenta alcalina quæ ipſam muci ſubſtantiam ſolvunt. Proderit etiam aliquandò in nimìs inerti naturâ ſtimulum addere, aut aromaticum balſamicumque, aut cathæreticum exſiccans ex ærugine, aut terris calcareis, ſed non ut videntur feciſſe antiqui,

promiſcuè & in omnibus cutis generibus, ſed in iis quæ ſtupent & activâ vi deſtituuntur. Poſteà verò, curatione omnimodè confectâ, ſolemne apud nos eſt plumbatis & ſaturninis agere medicamentis quæ cuti nitorem conciliant, ut ſunt ceratum ſaturninum, ut ſunt lotiones ex aquâ vegeto-minerali, aliiſque medicamentis hujuſmodi, quibus & nitor ad cutem conciliatur & præfractis vaſis robur additur. Verùm hæc omnia vix aliquid valent ſine uſu diætæ atque regiminis ad vegetale accedentis & quod temperatis polleat principiis ut ſanguini inducatur moderata & ab omni ſalſugine aliena temperies. Experiuntur enim omnes qui ſimilibus prurientibus morbis conflictantur, quantùm ad conciliandum pruritum conferat acrium potuum, aut alimentorum uſus. Et ſæpè nullam ſibi, niſi per epota emulſa aut papaverina noctu quietem conciliant, quæ ipſis cur negentur vacuato præſertim corpore non viderim ? Prætereà verò inter optima erit remedia, ſi aër vitetur humidus, ſi ipſis nitidæ concedatur uſus athmoſphæræ, atque quantùm fieri poterit ſine ullo incendio quod pruritus ſæpè concitat enormes ; ſic enim intenditur atque augetur inſenſilis perſpirationis libertas.

PARAGRAPHUS II.

De Leprâ Hebræorum.

In Syriâ olim & Ægypto lepram maximè communem fuiſſe omnes fatentur hiſtorici, imò & etiam hodie cutim peſſimè in hiſce oris fœdari atque contaminari viatores omnes teſtantur. Sunt etiam quibuſdam civitatum incolis ſuæ depurationes propriæ ut, teſtante Cl. Ruſſel (*a*), Medico Anglo, quædam Aleppo puſtula cujus reliquias & cicatricem ipſe vidi. Verùm an lepra quæ videtur Hebræis fuiſſe endemica, & quaſi gentilitia, alias etiam finitimas nationes attigerit, dubitandi locus eſt, ex eo quòd, vel ex maximè antiquorum auctorum teſtimoniis, morbus ipſis fuiſſe ſingularis videatur ? Etenim Corn. Tacitus (*b*) & Apion, Appollodoruſque genti & ritubus Hebraicis infenſi, morbum illum quaſi ipſis proprium ſpectavêre, fabulaſque hiſtoriæ addentes, ob hunc morbum Ægypto pulſos Hebræos & à cæterorum hominum com-

(*a*) Journey To aleppo.
(*b*) Tacit. Hiſt. lib. 5, cap. 3.

mercio repudiatos pinxerunt ; cùm contrà lepra Ægyptiis rebellibus inflicta fuerit una è plagis quibus Deus gentem infidam percutiit.

Verùm cùm ſæpè Deus apud populum ſibi dilectum ſontes leprâ illicò afflixerit (*a*), & licèt Medici plures apud Judæos, teſte ſacro ſcriptore, ab omni ævo extiterint, tamen nulla adverſus lepram medicamentorum fiat mentio, ſed tota ejus non cura, ſed mundatio, ſacerdotibus fuerit commiſſa, veriſimile pluribus doctis interpretibus viſum fuit, flagelli divini uſum præſtitiſſe Hebræorum lepram, non tentandam medicamentis, ſed precibus & pœnitentiâ avertendam. Quod, etſi non ſemper verum fuiſſe à plurimis contendatur, negari tamen non poteſt aliquandò ordine ſingulari divino, lepram in corpora pœnæ addicta decidiſſe, ut paſſim ex hiſtorico ſacro deducitur, eamque rursùs divinâ pariter miſericordiâ mundatam. Verùm an reverâ inter morbos cutaneos recenſenda ſit lepra illa, an tantùmmodò pro plagâ divinâ habenda ab expoſitione ejus ſymptomatum faciliùs erit hariolari?

Oritur in carne diverſus color, ſive puſtula, aut quaſi lucens quidpiam (*b*); plaga eſt lepræ ſi pili in album mutantur & lepra humilior eſt cute & carne reliquâ; ſin autem lucens candor in cute, nec humilior carne reliquâ, & pili coloris priſtini, ſi poſt quatuordecim dies non creverit, ſcabies eſt ; tuncque obſcuriorem factam obſervat auctor ſacer. Si autem colore albo perſtante, piliſque mutatis, caro viva apparuerit, lepra vetuſtiſſima videtur, atque inolita cuti. Liceat nunc tantiſper ab auctore ſacro diſcedere ut notemus hìc agi de unâ tantùm lepræ ſpecie quæ per maculas graſſatur & totam cutem non attingit, nec ulcerat, ſed partes ejus tantùm; hanc lepram particularem maculoſam vocabimus. Poſteà agit auctor ſacer de univerſali leprâ (*c*). Sin autem effloruerit diſcurrens lepra in cute, & operuerit omnem cutem à capite uſque ad pedes, quidquid ſub aſpectum oculorum cadit, teneri leprâ mundiſſimâ judicabitur, eò quòd omnis in candorem verſa ſit. Quandò verò caro vivens in eâ apparuerit, tunc ſacerdotis judicio polluetur, & inter immundos reputabitur. Caro enim viva, ſi leprâ aſpergitur, immunda eſt. Idem judicium ſacer auctor in capituli reliquo quod totum lègendum eſt, facit de cicatricibus

(*a*) Levitic. cap. 13.
(*b*) Levitic. cap. 13 & 14.
(*c*) Cap. 13, v. 12.

depreſſis, de mutatione pilorum, quæ poſſunt contingere, etiam in combuſtionibus accidentalibus, quibus poteſt rursùs incidere lepra; ita ut nec calvities, nec macula lucens in cute poſſint haberi pro leprâ, ſed duo tantùm ſigna admittant ſacerdotes, cutis depreſſionem, & pilorum mutationem, quibus addenda eſt lævitas & albor, ſola quidem legitimis inducendis ſuſpicionibus apta, ſed non confirmandæ lui.

Ex hâc ſymptomatum expoſitione Cl. Mead (*a*) duas eſſe diſtinguendas lepræ ſpecies putat; mihi verò videntur quatuor benè diſtinctæ lepræ differentiæ à ſaoro auctore admiſſæ. Alteram univerſalem ſquammis & furfuribus horridam, ſed nulla præter cutis ſuperficiem vitia proferentem, quam mundam lepram vocat & in quâ homines ab aliorum conſortio non ſegregarentur; alteram univerſalem, ſed ulceroſam, gravem, altiùs penetrantem, in quâ, ut ejus verbis utar, caro viva apparebat. Tùm verò duas peculiares pariter admittit, alteram ulceroſam pariter, ſed quæ hanc illamve partem intactâ reliquâ cute occuparet; alteram ſolummodò maculoſam quæ adhæreret huic illive parti, nullo ulcere ſpectandam, ſed depreſſione cutis & mutatione pilorum fœdam. Ex his porrò evidens eſt morbum hunc formâ quidem diverſum omninò, ſed eſſentiâ & naturâ ſemper eumdem fuiſſe. Apud auctorem ſacrum de immunditiâ tantùm mentio fit, ſed nec de pruritu, nec de aliis quibuſvis accidentibus, imò, licèt longo tempore labes illa vixerit, & diuturno damnaverit affectos exilio, tamen ſæpiùs ſacri codices de leprâ tanquam mundatâ atque ſanatâ loquuntur, ſive de medicinâ obſervandâ ſilentium tenuerint, tanquam de re ad religiones non pertinente; ſive ſoliùs naturæ viribus commiſsa depurationem admiſerit illa, quod certè dici non poteſt de veſtium atque domorum leprâ (*b*) quâ ubi contaminatæ fuerint, illæ comburendæ, hæ diruendæ erant.

Certè ſi, ut Cl. Ric. Mead (*c*) voluit, huic è levitico deſumptæ deſcriptioni ea addideris quæ C. Cornelius Celſus de vitiligine ſcripſit, facilè videbis quantùm inter ſe conveniat uterque morbus, ita ut lepra Hebræorum, Græcorum αλφος, ſeu vitiligo fuiſſe videatur, niſi quòd caro apparens, & ſanguis ex vitiliginosâ maculâ exiens optimum ſit ſignum in alpho, malum verò in Hebræorum leprâ;

(*a*) Med. Sacra.
(*b*) Cap. 14.
(*c*) Medica Sacra, cap. de Leprâ.

vitiligo ulceroſa vix obſervetur, lepra verò peſſima fuerit ulceroſa. Nec certè quæ apud nos adeò increvit olim poſt bellorum ſacrorum impetum lepra, & ad cujus præſidium tot condita fuêre noſocomia, nihil aliud teſtibus Medicis Gallo-provincialibus ſæculi decimi quinti & ſexti (Gordono, Concoregio, &c.) fuiſſe videtur, præter vitiliginem.

Verùm ſi temporaria & quaſi precaria in ſacrâ tellure habitatio tot leproſos extulerit, ut teſte Matheo Paris 21000 noſocomia iis excipiendis extructa fuerint, & nomina illa *ladrerie & Mezellerie* adeò fuerint hiſce temporibus communia, quale debuit eſſe inſtantis illiûs morbi periculum in incolis, & longâ climatis intemperie vexatis, ſi præſertim ſacros victûs atque præſcripti à Deo regiminis ritus prætervíderint atque neglexerint Judæi? Quamvis enim phyſica malè nobis cognita mali, cujus vix vidimus reliquias, natura rem planè non indicet, probabile eſt huic morbo producendo apud Palæſtinos multùm contuliſſe edulia craſſi ſucci, qualem præſtat apud ipſos ſuilla caro, adeò ipſis per legem interdicta. Quas verò ab aëre mutuari poſſent cauſas Judæi vix divinare poſſumus, cùm aër, aquæ, locique terræ promiſſæ, ut optima fuerint jure decantata, lepra contrà ipſis fuerit ita familiaris ut in veſtes & in parietes domorum decumberet, vel antequàm certas domos in Palæſtinâ poſuiſſent; quippè leviticum ipſis præſcripſit Moſes, adhùc per deſerta errantibus.

Illud ergò præcipuè lepram Hebræorum à cæteris morbis diſtinguit quòd nullibi & in nullis aliis obſervatoribus unquam mentio fuerit injecta lepræ & domos & veſtes invadentis, teſte Cl. Ricardo, Mead aliiſque Medicis qui de ſacris ïatricis ſcripſerunt; nihilominùs tamen de leprâ domorum, antequam domos extruxiſſent, ſacer ſcriptor loquitur. Undè non ſine ratione concluditur peſtem illam à Deo in populum ſuum immiſſam ſingularem delictorum pœnam incluſiſſe.

Si tamen audax phyſice aliquid in his auderet, cauſaſque rimari licitum foret, in hâc veſtium & domorum leprâ confirmatio & explanatio inveniretur hypotheſeos à Cl. Von-Linné (*a*) propoſitæ & propugnatæ pendere lepram à morſibus Acari, ſeu inſecti cujuſdam quod cùm in orâ maritimâ Bothniæ orientalis & Finlandiæ atque præcipuè Borealis Oëlandiæ, Gothlandiæque regionibus reperiatur, lepram quoque ibi graſſari obſervationi conſentaneum

(*a*) Amœnitates Acad. tom. 7, pag. 94 & ſeq.

eſt, ut & in Norvegiâ. Hæ tamen oræ & aëris conſtitutione & ratione victûs magnoperè diſtant à Palæſtinorum littoribus. Hanc phocarum craſſæ & indigeſtæ carnis uſui apud littorales hoſce populos deberi crediderat Doct. Sporinga : alii in alias cauſarum claſſes abiêre divinandas. Sed D. Martini ex Norvegiâ redux Academiæ Regiæ Holmienſi hypotheſim propoſuit quâ lepra ipſi pendere videtur ex vermiculis quibus partes internæ harengi, cujus uſus adeò familiaris eſt Norvegiæ, ita ſcatent ut vermiculus ille medius gordios inter atque aſcarides, ſetæ inſtar craſſitudine albus, convolutus, in harengi viſceribus undiquè jaceat, hauſtus ut videtur in mari à piſcibus illis & in fluviis à lucio piſce in quo etiam reperitur. Hanc hypotheſim ita defendit Cl. Linnæus ut eam ſibi propriam faciat, quòd non demonſtratum ipſi videatur coctione iſtorum piſcium levi vitam vermibus illis adimi, cùm in cyprino piſce cocto & appoſito inventa fuerit faſciola viva & ſe motitans ; quòd etiam lepra oris maritimis & lacuum piſcoſorum accolis familiaris ſit, & à pleriſque auctoribus piſcium uſui tribuatur.

Reſpondere tamen ad hæc promptum eſt Norvegorum lepram toto cœlo differre ab eâ quam Judæi patiebantur ut patet ex Cl. viri deſcriptione, nec magis ipſi convenire, quàm morbus à Diodoro Siculo deſcriptus ακρὶδοφαγοις ſuperveniens, & vermibus forſan debitus. Ait enim Diodorus Siculus hos antè annum vitæ quadrageſimum contabeſcere & ulceribus ſcatere per quæ exeant vermes. Labes quam Norvegiæ incolæ patiuntur, ut ex deſcriptione Cl. Linnæi patet, potiùs ad herpetes, quàm ad alium quemvis affectum referenda eſt. Verùmtamen ſi hypotheſis illa admitteretur, aliudque agnoſceretur inſectum morbo illi Hebraico producendo aptum, intelligeretur profectò, quod hùc uſquè inſolubile viſum eſt, quomodò ſcilicet lepra poſſet in veſtes atque domorum parietes decumbere, quia ſcilicet inſectorum nidulatio omnibus iſtis utenſilibus cum animalibus communis eſt. Prodigialis porrò hujuſce generis animalculorum multiplicatio per Cl. Bonnetum in calculum arithmeticum redacta ſatis daret comprehendere undè & contagio à parietibus in homines irrumperet : nullumque aliud reſcindendæ lui daretur remedium præter domos diruendas, & homines infeſtos confeſtìm à communi hominum commercio ſegregandos. Sed de incognitis hæc ſufficiant.

PARAGRAPHUS III.

De Elephantiaſi Græcorum & Leprâ Arabum.

Morbus ille tùm ſymptomatibus horrendus, tùm temporis duratione formidandus, tùm demùm eventu feralis, ab antiquis Romanis, ut Ægypto inquilinus habitus eſt, teſte Lucretio poetâ & philoſopho (*a*), qui neque prætereà uſquam eum ſævire pronuntiat. Ætate Pompeii magni in Italiam irrepſerat, ibi brevì reſtinctus, teſte Plinio (*b*); & quanquàm ætate Galeni (*c*) Romæ non foret incognitus, ipſum tamen & Africæ & Aſiæ indigenam raròin feliciores regiones invaleſcere pronuntiat, ut alibi jam dictum. Morbi tamen jure meritòque famoſi nulla accurata extat deſcriptio antè Aretæi Cappadocis tempora, quam & diffuſam & commiſerationi excitandæ comparatam, poetico adornavit ſtylo, ſed tamen ita medicæ obſervationi conſonam, ut qui de hoc morbo doctiſſimè nuper ſcripſit D. Raymundus, Maſſilienſis, hanc deſcriptionem ei quem ſcripſit tractatui præfigendam eſſe crediderit. Liceat tamen ſymptomata ex pluribus colligere auctoribus. Nam non omnia Medicorum obſervationibus conſona facundiæ nimiùm ſtudioſus collexit Aretæus.

Elephantiaſis (*d*) ob feræ ſimilitudinem ſic dictus, eo quòd corium humanum in ſquammas elephantinas videatur mutatum, λεοντίασις etiam dicta fuit ob extremarum frontis rugarum cum leone ſimilitudinem. Satyriaſim pariter vocavêre, ob malorum & genarum ruborem; addit Archigenes (*e*) ob labiorum deductionem, ut ſit in riſu amaro, tùm etiam ob impudentem coeundi libidinem quâ vexantur ægri. Herculeus etiam indè ab Aretæo (*f*) dictus eſt, quòd cæteris omnibus truculentior ad mortem ducat certiſſimam & vinci vix poſſit.

Plerumquè à facie quam tuberculoſam, aſperam, aridam & fiſſuris (*g*) horridam reddit, peſtis hæc incipit, nonnullis ab extremâ cubiti curvaturâ à genu, manûumque ac pedum articulis. Verùm Archigenes ita faciei proprium credit ut ipſum pro vultûs atque

(*a*) Lib. 5.
(*b*) Lib. 21, cap. 2.
(*c*) Iſagog. 2, & locis citatis.
(*d*) V. Aretæum, lib. 2, cap. 13.
(*e*) Aëtius Tetrab. 1, Serm. 4, cap. 120.
(*f*) Aretæus loc. cit.
(*g*) V. Paul Avicenn. lib. 4, Fen. 3, tr. 3.

faciei

faciei morbo deſcripſerit. Incipientis morbi ſub exordiis ægri tardi ſunt, ſomnolenti, otii amantes, alvum duram habent. At ſub primis ejus incrementis reſpiratio pravè olet, ob interni ſpiritûs exhalationem; lotium turbidum, album, quale jumentorum; (forſan idem illud eſt quod ſub nomine urinæ ſcateæ Paracelſus (*a*) in hujus morbi expoſitione deſcripſit): digeſtio facilis quidem & prompta, ſed cruda & imperfecta, & ſcybala non cocta formam tamen concoctorum obtinent, forſan ob ardorem quo interna uruntur. Hæc in primâ morbi periodo. Poſteà verò tumores alii juxta alios exſurgunt, nondùm continui, ſed craſſi & aſperi, & interſtitium tumorum diſciſſum eſt, ut elephantis corium. Venæ latæ ſunt, non ob ſanguinis redundantiam, ſed propter cutis infarctum & craſſitiem. Pili in omnis corporis ambitu præmoriuntur, in manibus, femoribus, & tibiis. In pube & mento rari ſunt, ut & in cæſarie. Capitis cutis profundè reſciſſa eſt: rimæ frequentes, profundæ, aſperæ. Tumores in facie duri, acuti, nonnunquam faſtigio albido, baſi viridiore. Pulſus puſilli, graves, tardi, quaſi per cœnum vix ſe moventes (*b*); venæ temporum & quæ ſub linguâ jacent inflantur atque diſtenduntur. Ventres in hâc periodo bilioſi, qui priùs tardi erant. Lingua grandinoſis varis exaſperatur, & opinari licet quod obſervationibus comprobavit Archigenes (*c*), omnem corporis adipem talibus ſcatere tuberculis, quandoquidem in victimis pravas & elephanticas carnes habentibus, adeps talibus refertus tuberculis apparet, & in ſuibus latentis elephantiaſis ſignum iſti grandines dant certiſſimum; qui grandines in hoc animalium genere ſub linguâ primùm apparent. Sin autem inquit Aretæus, ab interno fomite altiùs concepto morbus erumpit & in extremitatibus emicat; tunc impetigo ſummos infeſtat digitos, genua pruriunt, ardent, finduntur ungues, amiſſâ humiditate, & ſcinduntur.

At morbo in extremum apicem conſtituto, ſcena nova ſeſe aperit. Tumores ulceroſi undequaquè diffluunt, quæ ulcera infanda & inſanabilia alia aliis ſupercreſcunt retorrida, quoad nunc excidat naſus, nunc digiti, imò & pedes, & manus totæ, ita ut per partes morbus maximè longævus & fetidiſſimus vitam adimat miſerrimam.

(*a*) Paragr. 1, lib. 6, cap. 1.
(*b*) Aretæus, lib. 2, cap. 13.
(*c*) Loco citato.

Præcipua ſunt hæc ab Aretæo commemorata ſymptomata quæ tantâ deſcripſit vir clariſſimus dicendi vi, ut dubitandi non ſit locus, quin morbum ſæpiùs & viderit, & horruerit. Pauca addidêre Medici Græci, inter quos Paulus præcipuè morbum tractavit ut morbum faciei, & Archigenes qui ſymptomatibus ab Aretæo expoſitis raucum & concavum vocis ſonum addidit, quod ſignum poſteà ab auctoribus recentioribus ut pathognomonicum ſignum recenſitum eſt. Verùm ſi à Græcis ad Arabes noſtra ſeſe fert diſquiſitio, omnia mutata reperiemus. Elephantiaſis apud Avicennam (*a*) morbus eſt pedum varicoſus, in quo omnes venæ pedis præter modum intumeſcunt elephantini pedis ad inſtar, ita ut nulla ſuperſit diſtinctio inter ſuras & reliquas crurum partes. Idem eodem nomine intelligit Avenzoar (*b*). Idem Haly Abbas (*c*) cæterique omnes. Morbum hunc pariter Cairi ubi medicinam factitavit Proſperus Alpinus vidit ex uligine naſcentem, pravoque victu. Hujus etiam aliquam vidi effigiem in vetulâ virgine religiosâ domeſticâ quæ in varicoſum ſimilem pedum morbum inciderat, non ſine ulceroſo ſanguinis fluxu per ſola adſtringentia cohiberi ſe patienti. At illum qui elephantiaſis Græcorum erat morbus lepram appellavêre Arabes, ut notavêre jam & (*d*) Turner & Dominus de Sauvage (*e*), & omnia quæ de elephantiaſi apud ipſum Aretæum & legerant, & viderant, lepræ aptavêre.

Avicennas (*f*) lepram deſcribit ut morbum ſibi frequenter & viſum & cognitum, qualem Græci pinxerant elephantiaſim. Natura eadem eſt; facies varia, pro diverſitate hominum & regionum. Non eos quos obſervaverat Aretæus gradus in leprâ diſtinguit Avicennas, ſed ſtatim in ſummo gradu poſitam deſcribit. Colorem atrum faciei, fœditatem luridam, vocis mutationem raucam, & poſteà omnimodam extinctionem, capillorum & pilorum defluvium, naſi & oculorum fœdum aſpectum. Prætereà verò nec de urinis, nec de aliis functionum perturbatarum ſignis multùm curat, niſi quòd ut Archigenes & Arabum plerique ſalacitatem ſummam in viris anteà caſtis ab hoc morbo naſci incuſet, tanquam ab

(*a*) Lib. 14, fen. 21, Tract. 1.
(*b*) Tract. 23, cap. 16.
(*c*) Haly Abb. lib. 4, cap. 16. V. Severin. cap. 23, de nov. obſ. abſceſſib.
(*d*) P. Alpin. de Med. Ægyptior. lib. 1, cap. 12.
(*e*) Des Maladies de la Peau introd. Noſolog. Met. tom. 5.
(*f*) Lib. 4, fen. 3, tract. 3.

humore leproſo tactis genitalibus, & ſymptoma hoc mulieribus etiam leproſis commune narrat Gordonus, cùm Medicus Comitiſſæ leproſæ aſſiſtens ipſe etiam, teſte oculato Gordono, lepram concubitu pluries repetito contraxerit. Prætereà lepram à parte in partem decumbentem narrat & ſequitur Avicennas, & Galeno, ut reliqui omnes ejuſdem gentis Medici, addictus, atram bilem ad cutis vaſa motam pro causâ lepræ recipit, undè, poſt longa tædia febris melancholicæ, exortam phthiſim atque hydropem denuntiat. Uno verbo lepræ ſuæ cauſas atque pericula demonſtrat, Galenum ſecutus, dùm lepram vocat cancrum totiûs corporis, quod de elephantiaſi Galenus pronuntiaverat: quanquam in leprâ ſchirroſa durities non adſit, ſed glandularum tumefactio, ſcrophuloſæ potiùs affinis, & evidentes adipoſæ partis in ſuis cellulis induratio & ranceſcentia. Undè cellulæ rumpuntur, & tabum induratum in lemas concreſcit putridas & ulceroſas. Hinc ergo quot nomina barbara & noſtris auribus abſona, nec revocanda in memoriam ab Avenzoare (*a*) numerata ſunt, totidem ſunt elephantiaſeos Græcorum atque Arabum lepræ cognomina.

Raròadmodùm exquiſitam elephantiaſim apud nos obſervamus; nam qui & Raymundo & Joannis & aliis pluribus Medicis, Paræo, præſertim viſi ſunt, ſemi-leproſi, ſeu ſemi-elephantiaci dicendi videntur. Undè nimiùm patiens ac ſedulus videtur Gilbertus (*b*), Medicus Anglus, qui totidem ſpecies elephantiaſeos numerat, quot prædominantur ſymptomata. Undè aliam legitimam appellat, aliam leoninam, cùm aſpectum leonum referant ægri, aliam tyriam, cùm facilè ut ſerpens Tyrius exuvias ponant, aliam alopeciam, cùm pili deponuntur & decidunt; melanicterum etiam aliam appellat ex colore lurido. Verùm id mihi videtur veritati magis conſonum, tellurem & oras noſtras huic educando atque alendo morbo minùs felices, brevì de vehementiâ ejus apud nos detraxiſſe. Adfuêre longo tempore à viru illo ſemel introducto varia ulcera, rhagades, tumefactiones nunc labiorum, nunc aurium, vocis raucitas quam fingebant, teſte Paræo, mendici miſericordiam extorquentes, depilatio. Sed nullibi feralis illa accidentium agglomeratio quam deſcripſit Aretæus, & quam experti ſunt forſan concives noſtrates, cum ad liberandas ſacras regiones tot bella iniêre Ægyptiaca.

(*a*) Tract. 23, cap. 16.
(*b*) Comp. Medic. lib. 7, pag. 337.

Verùm ex hoc ſymptomatum conformi aggreſſu ſatis evidens eſt dari virus elephantiacum, ſeu virus quod intrà ſanguinem acceptum in cutim & cutis finitima loca deponatur. Quod indè probatum crediderim quòd pluries & in Italiam & in Galliam morbus eruperit, pluries etiam, non favente ejus eruptioni climate, depulſus fuerit. Quòd verò contagioſum ſit, ut & lepra Judæorum, indè patet, quòd in id omnes conſenſerint auctores, licèt obſervata à Raymundo (*a*) lepra ipſi communicari viſa non ſit; quòd ſummâ curâ elephantiaci ab aliorum hominum commercio arcerentur. Nam quod ait Cl. Raymundus ab homine elephantiaco poſſe procreari ſanos & nullâ labe infectos infantes, id verum eſſe poteſt, ſi ad uſque genitalia & ſeminis fontes in aliis corporis locis depoſitum virus, non pertigerit. Prætereà verò de venenis iſtis lentioribus non idem dicendum eſt atque de acutis, quorum fermentatio, teſte variolarum inſitione, intrà paucos dies abſolvitur. Poteſt enim longos per annos iners & inefficax in latebris glandularum latere virus quod non excluditur, niſi poſt longam annorum ſeriem, ubi ſcilicet omnes eo excludendo corporis conditiones concurrunt, atque conſentiunt; ut ſunt, forma & natura adipis à mucilagineo juvenili mutati in ranceſcens virile, liquorum acredo, tùm verò præcipuè cauſarum procatharticarum actio repetita, quarum abſentia pariter etiam producta, extinguendo atque profligando veneno, in noſtris hiſce oris, ut veriſimile eſt, conducit.

De cauſis verò procatharticis elephantiaſeos licèt auctores diſſentiant, nullus eſt tamen qui eas non referat ad victûs, aquarum, & locorum vitia. Cùm elephantiaſis Ægypto videretur inquilina, plurimi ejus ortum à Nili aquarum potu deduxêre. Hæ enim & terrâ, & ſalibus, & inquinamentis fœtæ potum præſtant gravem, viſceribus infeſtum, & lymphæ vitiandæ habilem. Verùm cauſa hæc & ſoli Ægypto competeret, nec univerſo Ægypto. Prætereà aquæ illæ Niliacæ, ſi depuratæ & clarificatæ fuerint, adeò léves ſunt, ut earum effectus ad levitatem referendos miretur P. Alpinus (*b*). Aquas putridas & ſubter domus ſtagnantes quibus popellus utitur incuſat, ſimulque eſum carnium craſſarum, piſcium ſalitorum, & caſei veteris. At cùm recentiora elephantiaſeos veſtigia morbique ipſi analogi in iis reperiantur locis qui aëre

(*a*) Raymond, Traité de l'Eléph.

(*b*) P. Alpin. de Medicinâ Ægypt. lib. 1, cap. 12.

humido calenteque, qualem veteres cœnoſum vocabant, ſqualleſcunt, ita ut humores perſpiratorii non ſolùm difficilem inveniant exitum, ſed etiam putreſcant facillimè; certè una hæc eſt de cauſis quæ elephantiaſeos ortum ſummè adjuvant. Quibus addendæ ſunt cauſæ quæ apud Ægyptios ſummè valent, teſte Proſpero Alpino, cruditates putidæ è ventriculo intrà ſanguinem admiſſæ, quales præſtant piſcium facilè putreſcentium carnes, olera duriſſima & valentiora imbecillibus ventriculi fatigati viribus, ut præſtant cucumeres Ægyptiacæ, farinæ non fermentatæ nec coctæ: & hæc eſt cauſa cur ſimili victu, nec diſſimili aëre utentes Gallo-provinciæ accolæ, aliquid elephantiaci patiantur, teſtibus clariſſimis Joannis & Raymundo. Nec mirum ſi ad eam promovendam in borealibus etiam oris conferre creditus ſit phocarum eſus, quæ craſſam, crudam atque indigeſtibilem carnem habent. Licèt verò cauſa hæc ad alios etiam morbos inducendos habilis jure habeatur, facit certè aliqua incognita corporis diſpoſitio cur elephantiacum potiùs virus enaſcatur quàm aliud quodcumque. Forſan etiam ipſe veneris uſus certæ legi non obſecundans hìc aliquid facit, ſi cum prædictis conjungatur. Obſervatum enim eſt ab omni ævo elephantiaſim potiùs in ſalaces viros quàm in caſtos decumbere, potiùs in viros quàm in mulieres, in adultos quàm in adoleſcentes. Nam quòd eunuchi elephantiaſi non laborent, quod à Galeno ſtatuitur, ab aliis auctoribus obſervatum non legi.

Vitium verò elephantiacum in lymphâ quidem ſedem figit, ſed adipem cellularem potiſſimùm occupat. Si enim non ea foret inquilina hujus morbi ſedes, undè tot immania tubera, totam corporis formam deturpantia, undè tot ulcera, craſſa, pinguia, fetida? Adde quòd ulcera illa & ſenſu plerumquè deſtituta ſint, nec ſanguinem percuſſa fundant. Totum atheromaticum eſt, ut hoc inſueto vocabulo utar, corpus. Coloris ipſa mutatio in flavum, luridum, virideſcentem, iterùm potiùs ad adipem pertinet quàm ad lympham, quæ vix colorem obtinet, aut mutat. Præterea verò ſi elephantiacorum cutis incidatur, textus cellularis quantumcumque extenditur, grandinibus craſſis, pinguibus, &, ut ex ſuibus augurari licet ſimili malo ſæpè laborantibus, ad ignem crepitantibus & inflammabilibus occupatur. Mihi certè circà hanc rem meditanti videtur elephantiaſis ab adipis & lymphæ unitarum vitiis ita pendere, ut adſit in utroque hoc humore ad cutem

potiùs enata, quàm depoſita ranceſcentia quævis, quâ fit ut cùm illa reſorberi non poſſit, accumuletur in cellulis fracida, olida, friabilis & aceſcens facta, ita ut legerim etiam (*a*) ab elephantiaco diſtillantem ichorem cum terreis abſorbentibus fermentationem iniiſſe. In quo certè cum cancro & atrâ bile convenit cujus analogias ſecutus eſt, ut diximus, Avicennas. Undè non omninò abſurdè humorem hunc cum atrâ bile veteres confuderint, omnia magna & peſſima ad hunc humorem referentes, hâc tamen differentiâ, quòd in elephantiaſi nihil ſcirrhoſi deliteat, nullaque organorum ſtructura deleta ſit.

Morbi elephantiaci diagnoſis in ipſo aſpectu ita ſeſe conſpicuam prodit ut nullum poſſet circà ejus fœdiſſimum ſpectaculum exoriri anceps judicium, niſi quòd quo tempore illa apud nos emicare ceſſavit, altera exorta fuerit miſeris mortalibus lues, ſive illa ex Americæ inſulis funeſto fuerit aſportata commercio, ſive ſponte ſuâ & ex epidemiâ nata poſteà ubique invaluerit venerea labes, ab antiquis non obſervata, & perperam pro elephantiaſi à pluribus habita. Huic opinioni refellendæ ne diutiùs inſudandum habeamus effecêre immenſi J. Aſtruc (*b*) labores quibus diverſitatem utriuſque morbi ita demonſtravit, ut nullus jam diſceptationi locus ſit, quamvis ex eodem loco multa ſcitu utilia deduci debeant ad contagium elephantiaſeos, pateatque ex congeſtis à Bekketo (*c*) monumentis, quantùm ad contrahendam elephantiaſim periculi importet concubitus cum mulieribus leproſis, aut etiam à leproſo recenter compreſſis; quâ ratione congreſſus ille ſtillicidia gonorrhoïca inferat, aliaque plurima pigeret hìc referre, cùm manibus omnium & teratur, & teri debeat liber verè aureus.

Aliud eſt periculum ne cum herpetibus vehementiſſimis & proſerpentibus confundatur elephantiaſis. Verùm herpetes magis extrà ipſam cutem prominent, nec ad intimas uſque cellulas proſerpunt, intactumque ſinunt textum cellularem & lymphaticas glandulas, aut ſaltem eas leviſſimè adoriuntur. Sub herpetibus ſana & ſanguine plena cutis invenitur. Nec niſi ob leviorem inflammationis gradum nunquàm in pus legitimum vertuntur; nam auctâ inflammatione ipſas in pus converti fas eſt, imò & pure concitato

(*a*) Joubert de Cutis affect. cap. 6.
(*b*) Lib. 1, cap. 7.
(*c*) Philoſ. tranſact. n°. 357. 1718.

ſanari viſæ ſunt, ut alibi dictum eſt. Cum vitiligine & alpho confundi facilius foret. Verùm in vitiligine color pilorum mutatur, & in album vertitur, imò æmulantur pili lanuginem; in elephantiaſi decidunt. Vitiligo macula eſt & partem tantùm occupat; elephas eſt morbus totiûs ſubſtantiæ cutis. Vitiligo cutim deprimit & contrahit; elephas contrà indurat, inſpiſſat, attollit. Hinc elephas morbus eſt unicus & ſuæ ſpeciei, ita ut nec Gilberti, nec Bekketi differentiæ admittendæ ſint (*a*), imò nec ipſa Paracelſi diſtinctio in rubram & albam. Gradus tantùm differunt, ita ut graviſſima & fœdiſſima in Syriâ & Ægypto ſævierit, remiſſior Italiam olim & poſteà Galliam, Angliam, Germaniam, ſingulariter verò Gallo-provinciam & Hiſpanica littora invaſerit: contagioſa intimiori contactu cum leproſis contrahenda eſt, non verò, ut volebat Aretæus, communi aëris inſpiratione.

Nec ambigua eſt prognoſis. Ferè inſanabilem credebant veteres, & poſt longiſſima morbi faſtidia certò & crudeliter lethiferam; ita tamen ut Aretæus ſcribat ipſam per ſphacelum finiri, quod poſſibile non negaverim, per phthiſim, febrem nervoſam, & hydropem Avicennas, quod naturæ magis conſonum eſt. Eò diuturnior eſt morbus, quò ſanitatem magis intactam relinquit: longævitati tamen potiùs obſtat, quàm lethum affert, niſi aliqua ſuccurrat curationis methodus quæ incerta ut plurimùm & periculoſa.

Facilè verò patet quòd, ſi fieri ab aliquâ arte poſſit elephantiaſeos retropulſio, nullum aliud, præter ſubitam mortem, ſymptoma immineat. Incipienti morbo, curationem adhiberi volebat Aretæus (*b*), nec omninò deſperabat ſolvi eam poſſe. Inveterato nulla ſpes affulgebat. Undè curatione vehementiſſimâ voluit morbum adoriri, veratro ſcilicet ſecundùm antiquorum methodum juſſit vomitum in elephantiaſi incipiente concitari, omni quidem tempore, ſed vere & autumno præſertim, methodumque hanc non unâ vice, ſed iteratâ proponit, imò & in annum differt. Nec mirum ſi ab atrâ bile pendentem morbum remediis atram bilem expurgantibus vincere ſtuderet. Venæ tamen ſectionem uberrimam & lactis uſum tantis remediis præparatorium antè præſcribit; balnea poſteà ex ſapone Gallico conflata & thermas ſulphureas in uſum advocat: interiùs verò cum victu è carnibus ferinis, magnâ laude

(*a*) Vide loc. citat.
(*b*) Lib. 2, de Cur. diuturn. Morb. cap. 13.

viperinam carnem proſequitur. Alia empyrica proponit remedia; cedriam, braſſicam, ſtaphylinum, variaque quorum utilitas, aut nulla aut ad antiſcorbutica refertur. Munditiem verò ſummam in veſtibus jure meritòque commendat. Simulque & peregrinationem atque navigationem præcipit, quibus ut aër purior, ſic etiam ſæpiùs renovatus cuti applicatur, revocatur & augetur perſpiratio. Illis quidem plus fidendum eſt remediis, quàm leviori illi ſtypticorum applicationi quam inconſultè & inutiliter admovet vir plus in theoreticâ medicinæ, quàm in praxi verſatus. Meliùs Celſus (*a*) præcipiens veratrum nigrum poſt largam ſanguinis miſſionem purgandum validè corpus edicit, ducendamque ſæpiùs alvum. Poſteà verò exercitatione, curſu, nulliſque aliis medicamentis, præter juſtam moderatamque vivendi normam, morbum ſibi incognitum proſequitur, ignotum enim pænè in Italiâ pronuntiat.

Certam ſibi idæam de elephantiaſi non finxiſſe videtur Galenus (*b*), cùm tot à ſe venæ ſectione atque veratro ſanatos edicit, viperæque uſu omninò ſublatum morbum gloriatur, nec topicis multùm differt ab Aretæo cum externa epithemata collaudat (*c*) faciei imponenda ex gummi ammoniaco, ſpumâ nitri, ſulphure, ſapone Gallico, maſtyche, &c.

Multò uberiùs Archigenes (*d*) apud Aëtium eamdem praxim & eaſdem indicationes proſequitur. Nam miſſo ex utroque cubito ſanguine, catapotia ex colocynthide præſcribit (*e*), dein verò nigrum veratrum cum ſcammoneo mixtum, lacque aſininum vult purgantibus interrumpi, rursùſque reſumi. Magno poſteà encomio viperarum uſum laudat, earumque eſum familiarem, dùm ſanguinem illæ puriori ſucco perfundunt, evocantque quas poſteà ejiciunt ad cutem impuritates; totique curationi quaſi coronidem addit, theriacam Andromachi compendium totiûs curationis efficere, ſi per intervalla modicè poſt purgationes præbeatur. Cui propoſitioni adſtipulatus eſt Galenus (*f*) qui eam & illitam, & interiùs ſumptam prædicat. Vix differunt medicamentis topicis à prædeceſſoribus, ſive Aëtius, ſive Archigenes, niſi quòd emollientia magis laudent, velintque deterſivis præludere; deterſiva

(*a*) Lib. 3, cap. 23.
(*b*) De Arte cur. ad Glauc. lib. 2, cap. 11.
(*c*) De Simpl. Med. Virtut. lib. 11.
(*d*) De Comp. Med. Sec. Loca lib. 5.
(*e*) Tetr. 4, Serm. 1, cap. 21, 22 & 23.
(*f*) De Theriacâ ad Piſonem.

autem

autem præbent ſyderitis, dracunculus, aliæque plantæ acres detergentes cum aceto mixtæ. Laudant portulacam, mercurialem, illecebram illitas, tùm adipes hircinos, vulpinos, urſinos, imò & deficientibus illis, taurinos ſarmentitio cinere emollitos. Sed cum his ſuam non addiderit experientia teſſeram, inutile eſt diutiùs immorari. Aliud verò ibi prædicatur remedium quod an aliquo quandoquè ſucceſſu fuerit celebrandum, ipſe ambigit Aëtius? plurimos ſcilicet aiunt ab elephantiaſi prorsùs fuiſſe liberatos, dùm ſeſe teſticulis reſciſſis omninò caſtrarunt. Durum herclè remedium. Sed cùm nihil potentiùs mutet & machinam, & humorum conditiones quàm ſimilis operatio, res nemini ſuadenda poteſt tamen ſucceſſu non deſtitui.

Vix aliquid addidit fuſus de morbo noſtro ſcriptor Paulus (*a*), venæ ſectionem præviam & purgationes pariter commendans, addens primus omnium quos norim auctorum aceti ſcillitici tanquam potentiſſimi attenuantis uſum, theriacam & illitam, & aſſumptam pro maximo remedio jactitans, victum imperans vegetabilem, exemptis omnibus carnibus, cùm contrà auctores carnium recentium uſum imperarent. Huic propoſitioni inter auctores recentes adſtipulatur vir de medicâ re optimè meritus Celeb. Cocchi, qui dùm ſolo victu vegetabili apud Ægyptios ſanatam elephantiaſim docet, evidenter eam cum ſcorbuto confundit. Præcipuè verò jubet ægros à littoribus maritimis ad aërem ſiccum Mediterraneum amandari, finiendamque curationem præcipit per longum aquarum frigidarum ferruginearum uſum.

Eamdem viam calcat Oribaſius (*b*), poſt hellebori uſum, viperas ſuadens, ſed indè illarum uſum deducens, quòd cùm cutem quotannis & exuvias ponant, ſperandum ſit exuvias morbi fore pariter deponendas. Verùm in iis deſcribendis ſimilibus methodis tempus utile inſumere prorsùs inutile eſt, cùm ſibi ita conveniant, ut plerique auctores inter exſcriptores potiùs quàm obſervatores locum obtineant; ita ut Græcorum curatio in tribus conſiſtat, venæ ſectione præparatoriâ, purgationibus atque vomitivis atræ bili debellandæ conſtitutis, tùm attenuantibus, & illitionibus, partim emollientibus, partim deterſivis, imò & aliquandò leviter adſtringentibus.

Nec meliora nos edocent Arabes inter quos unus ſit pro omni-

(*a*) Lib. 4, cap. 21.
(*b*) Lib. 7, cap. 51.

bus Avicennas (*a*) qui venæ ſectionem parciùs quidem commendat, ſed ſi homo plethoricus ſit, aut cacochymiâ turgens, nunquam vult omittendam. Poſteà verò Græcorum methodum amplexus, ſed amplificans illam, cathartica reſinoſa vehementiſſima, helleborum nigrum, colocynthidem, ſcammonea ita vult admitti, ut doſi refractâ quotidiè per longum tempus ingerantur, identidem tamen doſes potentiores atque validiores adhibendas edicens; validiſſimas verò & corpori omni mutando idoneas, vere & autumno imperans. Poſteà & balnea tepida & à balneo illitiones deterſivas ex ſcillâ, dracunculo, ſapone admittit, quibus omnibus peractis, ad viperas tranſit decoctas, elixas, vino mixtas, quibus omnibus quaſi coronidem imponit aſſiduo lactis uſu, compoſitâ hercle atque complexâ medelâ, ſed quæ omnes contineat indicationes. Sed hanc, ut in rariſſimo, nec adeò obſervato morbo, omnes uno ore Arabo-Græci Medici amplexi ſunt, ita ut nec ab unâ litterâ diſcedant ab Arabicâ doctrinâ, epithemata, cataplaſmata, quæ longum foret deſcribere ex his deſumentes, ita ut novum vix proſtet ad lepram in auctoribus medicamentum antè Paracelſi (*b*) tempora, qui dùm anteceſſores audaciùs vituperat, ipſe remedia incognita, ſeu potiùs verba & voces veræ atque legitimæ methodo ſubſtituit, oleum de realgare, aurum potabile, tereniabim & ſimilia, circa quæ inquirere nefas.

Verùm, etſi meliora ſperare fas eſſet à Medicis ævi poſterioris quos jam & ſanior Chemia & Phyſice reddiderat doctiores, fecit raritas morbi ut pauci omninò methodum curandi ſcripſerint accuratam, ita ut in eâ deſcribendâ palmam certè occupent Aëtius & Archigenes ab Aretæo; nam Cœlius Aurelianus (*c*) verbis barbaris eamdem tenuit doctrinam. Hìc diutiùs inſiſtere non eſt animus variis remediis ſpecificis quæ à multis auctoribus jactantur ſine ullo methodi, aut applicationis uſu. Ita Heurnius (*d*) elephantiaſim curatam ſolo uſu & eſu cucumerum refert, plaudente Williſio; ſcorbutum ſcilicet vidit ulceroſum, non elephantiaſim.

Hinc ſi Medicos excipias qui de morbis leproſis Americanis egerunt, & de quibus poſteà dicendum erit, videntur auctores ferè omnes univerſalem fœdioribus cutis vitiis curationem conſ-

(*a*) Lib. 4, fen. 3, tract. 3, cap. 3.
(*b*) De Apoſt. lib. 4, cap. 13, paragr. lib. 3, §. 2, 3 & 4.
(*c*) Lib. Chron. lib. 4, cap. 1.
(*d*) Raymond. de la Lepre, pag. 115.

tituiſſe, & ſibi non viſæ elephantiaſi parùm conſuluiſſe; cùm præſertim omnium auctorum edictum ſit recentioris elephantiaſis curandæ ſpem aliquam emicare, ſed nihil niſi deſperationem inveterato morbo relinqui. Undè ingens aperiebatur empyricis campus. Ecquis enim, ſi ſe viderit ab arte deſeri, à fortunâ non petat ſubſidium. Sapientiſſimus Raymundus (*a*) ſolis diluentibus ex vitulinâ carne confectis atque plantis alterantibus oleraceis, balneorum tepidorum uſu continuo, morbum hunc attigit, notatque quòd ante ipſum & Aſtruc (*b*) & Huxham (*c*), morbum hunc noſtrum ab hydragiri uſu etiam moderato pronuntiaverint exaſperari, & augeri; quod non omnibus cutaneis morbis commune eſt, & ad illos tantùm pertinet qui morbi totiûs ſubſtantiæ ad cutim depoſiti, ſed ab altiori fomite pendentes dici poſſunt. Nec etiam ab uſu antimonii meliores vidit effectus Raymundus. Ergo in repetitâ methodi pervicacioris conſtantiâ afflictis conſtantiſſimè rebus quærendum fuit ſubſidium.

Certè id omnibus morbis cutaneis univerſalibus commune eſt & ipſi elephantiaſi, ut & fluidorum moles tota mutanda ſit, novuſque, ſi fieri poſſit, caracter, nova conditio ipſis inferatur. Alteranda eſt & mutanda tota corporis compages, novo circulo ad methodicorum & Cœlii Aureliani mentem metaſyncritico. Hinc certè non ſine prudentiâ in pleriſque elephantiacis, nam omnibus æquè ſubjectis res non competeret, ordiebantur curationem antiqui à copiosâ venæ ſectione, non quòd corruptus indè ſanguis eliceretur, quâ enim ratione alius educeretur in hâc malorum mole, ſed quòd ab eâ minueretur ſolidorum tenſio, & humorum mutaretur conditio quæ elephantiaſim fecit. Nec verò is me veterum amor devium ita abripiat, ut credam pretium aliquod eſſe in ſummâ catharticorum, aut emeticorum adhibendorum ſtatim à venæ ſectione vehementiâ, cùm corpore nondùm mutato, & humoribus nullâ ratione correctis concuſſus ille foret ſaltem inutilis. Sed diluentium uſus, ſed victus è vegetantibus acribus illis antiſcorbuticis quorum præcipua virtus in eo conſiſtit ut ſalem & oleum inquilinum ſanguini adjiciant, ita directus ut maſſa humorum minùs tenax, minùs glutinoſa atque fatua fiat, & ad ſecretiones aptior evadat, ſuadendus eſt, & ita pertinaciter tenendus

(*a*) Pag. 13, 14, 15.
(*b*) Lib. 1, cap. 7.
(*c*) Phil. Tranſact. 1741.

ut attenuetur omnis humorum cruda craſſities, imò liquato omni adipe qui in reatûs maximam partem venit, marceſcant omninò ægri, vacuenturque prorsùs cellulæ adipoſæ; quod poſtquam per longum attenuantium uſum effectum eſt, quidni vehemens concuſſio à draſticis antiquorum facta laboranti naturæ partem detrahat oneris, undè vires à veneno oppreſſæ nunc reſurgant alacriùs?

Hùc certè proderunt adhibita ſapienter à Raymundo balnea tepida, lenia, poſt quæ & ſalia viperina & quæ ſudores movent medicamina agant efficaciùs. Tunc verò an non etiam plenariam curationem ſperare licet & à ſudoriferorum vi, qualis eſt illa nobilis ſarſaparilla ab Anglis nuper prædicata, qualis eſt etiam urinas movendo à quâ ſibi tanta Meadius promittebat, à noſtratibus Medicis hùc uſquè nimiùm prætervisa & neglecta cantharidum tinctura, potenter attenuans, potentiùs urinas eliciens? An non aliqua ſpes affulget ab uſu iterato & repetito balneorum vaporariorum, ſi ſudores elicere eſt animus? Illa totam cutem vaporibus elaſticis përſundunt. An non etiam ſemicupiis frigidioribus, ſi ad urinas tibi devolvenda labes videtur? Certè quamvis mercurio nimiùm vaſa & nervos vellicanti fidendum non ſit, ullâ ratione neſcio an non fumigiorum more exceptus aliquid hìc non valeat? An non à methodo Huxhami aliquid ſperare licet quâ ſummè diviſum antimonium, ſed phlogiſtico non defraudatum, refractâ doſi in humorum vel remotiſſimos aditus penetrans corpus immutat? ſcilicet vino ſtibiato ad drachmam unam emetico, paucis guttulis quotidiè ſumptis rebelles ad omnia herpetes debellari prorsùs vir ille in arte maximi ponderis edixit. Cujus ego exemplum pluriès ſecutus, morbos elephantiaſi affines, imò & à retropulſis herpetibus natam orthopnæam fugaſſe profiteor. Longa vincenda ſunt ægrotantium faſtidia. Peſſimos in hoc genere morbos ſanaſſe contigit, teſtibus Cl. Bordewiis, repetito & pervicaci uſu aquarum thermalium, præſertim Barregienſium, aut Lucienſium. Pervicaci enim malo obſtinatius medicamentum opponendum eſt. Verùm elephantiaſim veram nunquam vidi, licèt morbos cutaneos peſſimos huic analogos ſanatos vidiſſe contigerit, & in eorum curationis partem veniſſe gloriari liceat.

PARAGRAPHUS IV.

De Mòrbis Leproſis in variis regionibus à diverſis auctoribus obſervatis.

Inutile prorsùs foret varias à diverſis auctoribus à primâ Medicinæ origine morborum leproſorum obſervationes conſcriptas hìc memorare. Si quidem vocabula illa λῶβος, ψώρίασις, ἰκτερος φοίνικη pro diverſo eminente ſymptomate variis morbis leproſis impoſita ſunt. Ita ut qui cute horridior oculos inſpicientium magis percellebat, eò magis leproſus haberetur. At morbi qui ſub diverſo aſpectu graſſantur, licèt naturâ ſint affines, videntur ſibi propriam naturam vindicare, adeòque ſingularem mereri deſcriptionem. Talis eſt illa lepra *Guineenſibus* à longo tempore endemica quam *Yaws* Angli vocant, & quam in actis Edimburgenſibus deſcriptam, poſteà dilucidiùs tractatam & cognitam ſibi meliùs mihi cognitam fecit D. Maſſey, Monſpellienſis Medicus, San-Maclovii Medicinam cum laude & doctrinâ faciens.

ARTICULUS VIII.

De Morbo dicto Yaws (*a*).

Rarum eſt in Guineâ morbum hunc incolis non perpeſſum fuiſſe, ſive mulieres, ſive viros ſpectaveris; præcipuè tamen in pueros & adoleſcentes ſævit. Prima morbi dant indicia erumpentes maculæ leves, non tumentes, ſejunctæ atque diſcriminatæ, quæ ſenſim extenduntur & dilatantur, ſimulque apicem acquirunt, undè vertuntur in puſtulas, imò & phlyctœnas. In his nullus ichor, nulla lympha ſtagnat, ſed eſchara tenuis furfuracea fungum levem fragi ad inſtar pullulantem, rubellum continet. Hic increſcit, cùmque plures ſimul in diverſis corporis partibus erumpant, alter altero minor eſt. Plures ad uſque mori volumen tumeſcunt, lobulis pariter, ſive cellulis conſtantes. Ubi increſcentes juſtum volumen acquiſiêre, in his partibus pili albi evadunt, ſeu potiùs colore amiſſo diaphani fiunt.

In carnoſis & robuſtis Guineenſibus volumen majus obtinent puſ-

(*a*) Act. Edimburg. tom. 6, traduction de M. Demours.

tulæ, minus in debilibus & macilentis. Indiſcriminatim quidem puſtulis illis omnes corporis humani partes æquè patent, ſed majores, & numero, & volumine inguina, pudenda, axillas & faciem occupant. Ubi numeroſæ occurrunt, vulgò minores ſunt volumine, quaſi nunc aggeſtâ & accumulatâ materie, nunc contrà in varias partes diſpertitâ. Morbus in incrementis diuturnus videtur, tamen ſtatas periodos obtinet, ita ut dubitet Cl. obſervator annon ſibi relictus ſanari poſſet per ſe, marceſcentibus puſtulis? An non contrà verteretur in ulcera phagædenica? cui quidem ultimo aſſerto eò magis manus dederim quòd in obſervationibus ab ipſo relatis mulier Anglica neglecto morbo quem à marito nigritâ contraxerat, eâ ulcerum fœditate laboraverit quâ tandem occubuit phthiſica.

Nec rarò apud nos in portubus ſimilia obſervantur ulcera à neglecto hoc malo oriunda, cui quidem malo communicatis cum Cl. Maſſey conſiliis mederi contigit. Undè morbus hic non contagioſus ſolùm, & qui intimo commercio cum eo affectis communicetur, ſed ſi negligatur, periculoſus videri poteſt, quanquam harumce obſervationum auctor anonymus recentibus puſtulis ſatis facilem ſpondeat curationem. Sed ſi perfecta illa non fuerit & quaſi ultrà omnia mali phœnomena per artem doctam protenſa, metuuntur recidivæ. Nam alioquin, ut in omnibus morbis contagioſis obſervatur, qui ſemel lue hâc fuerit occupatus & perfectâ liberatus ſanatione, ab eâ poſteà vivet immunis, cæteriſque tanquàm cuſtos & medicamentorum applicator adeſſe poterit.

Sæpè cæteris tumoribus minus volumen adeptis extat & ſupereminet unus, grandior, & ſæpè ad pollicis diametrum ſuperextenſus; nulla tamen alia phœnomena offert quàm quæ in minoribus apparent. Caro granulata & quaſi cellularis, morbo curato tamen, propriis viribus alitur & ſuperficiem cutis fungi ad inſtar vitiat. Hunc fruſtrà ut ſignum pervicacis mali habueris, leni eſcharrotico, cæteris ſanatis, decidit, & cicatrix facilè inducitur.

Diagnoſis hujus morbi, ut & cæterorum ferè omnium morborum cutaneorum, ab aſpectu pendet, & viſu deprehenditur. Verùm ubi ulceribus puſtulæ illæ fœdantur atque commiſcentur, magnum periculum eſt, ne pro morbo venereo habeantur. Quod quidem eò difficiliorem præbet diagnoſim, quòd uterque affectus contagio contrahatur intimo, quòd iiſdem ferè remediis ſanetur, quòd ſæpè

ſæpiùs in adultis uterque morbus, tùm propter æſtum regionum, tùm propter acrimoniam humoris ſalacitatem inducentis, complicetur, atque connectatur. At certè ſi morbus ſimplex conſideretur, & deſcriptio actûum Edimburgenſium cum deſcriptione levitici conferatur, mirum eſt quantùm, ſive aſpectu, ſive ſymptomatibus concurrant lepra Hebræorum atque Guineenſium lepra quæ à nigritis in inſulas Americanas advecta eſt : quanquam etiam ſua utrique differentia intercedat, cùm Guineenſis multò magis ulceroſa ſit quàm Hebræa.

Anonymus auctor ille qui humanitatem ſibi beneficio incognitus devinxit tres in curatione morbi quem depuratorium vocat, periodos diſtinxit; primam in quâ erumpunt puſtulæ, alteram puſtularum maturarum, tertiam quâ morbi reliquias à tergo proſequitur & recidivam præcavet.

In primâ periodo locum malo relinquit, ut feratur ad exteriora, & in cutis cellulas deſæviens ibi grandeſcat, nec aliud eo tempore remedium ſuadet præter bolum è floribus ſulphuris ſcrupulo uno, camphoræ in ſp. vini ſolutæ gr. v, theriaces drachm. j, & ſyrupo croci. Per dies bis aut ter ſeptenos hoc remedium ſerò iterat, donec puſtulis jam benè maturis, ad uſum mercurii dulcis ita procedat, ut indè lenis ſalivatio oriatur quam bis vel ter repetitâ v. granorum hujus doſi ita dirigit, ut nunquam ſalivatio ultrà libras ſalivæ duas progrediatur. Hâc ſemel conſtitutâ & ritè fluente, omnes, quotcumque adſunt, fungi ſiccantur in ſquammas furfuraceas duras atque aridas viſu horribiles. Hæ ſquammæ in furfures deindè & lemas abeunt, & intrà decem, aut duodecim horarum ſpatium cutis nitida reſurgit. Mercurii dulcis uſum repetitum in hominibus hoc morbo affectis ad San-Maclovium appellentibus cum eodem ſucceſſu adhibuit Cl. Maſſey.

In tertiâ periodo electuarii uſum ſuadet ex æthiopis mineralis unc. unâ & ſemi, ex gummi guaiaci unc. ſemi, theriaces & conſerv. roſar. rubr. ãn unc. j, olei ſaſſafras guttas x x & ſ. q. ſyrupi croci. Hujus drachmas duas mane & veſperi ſumendas ſuadet, additque pro potu decocta guaiaci & ſaſſafras cum ſyrupo è ſaccharo ſimul fermentata. Hujus enim in hoc adhibendo remedio intentio eſt, ut omnia quæcumque vaſis cutaneis immorabantur ſordium genera per ſudorem liberiorem effluant, & cutim præſtent non nitentem ſolùm, ſed & ſolidatam. Quòd ſi fungus craſſior & pervicacior ſuperſit, abſolutâ per mercurium aliorum omnium ſanatione tunc eſcharroticum fungo conſumendo adhibet

ex æqualibus partibus præcipitati rubri atque aluminis uſti, & pro digeſtivo ſuperimponit unguentum baſilicum cujus uni unciæ præcipitati rubri drachmam addit. Quam quidem methodum vir ſincerus, nec gloriæ appetens, nunquam ſucceſſu carere aſſerit, & obſervationibus comprobat.

Quantumvis verò ipſiſſimis verbis viri clariſſimi methodum retulerimus, hanc tamen omnibus omnis ætatis atque conditionis hominibus æqualiter competere non crediderim, ſed certè præparationi quam adhibet ex aromaticâ & calidâ præparatione ſæpiùs, ut noſtri ſe habent homines, repugnaverim. Ecquid enim? Subeſt certè ardor ingens & cutis durities quam balneis tepidis, ſemicupiis, & diætâ diluente velim priùs adoriri, quàm ſalivationem promiſcuè uſurpare. Nec ſatis etiam fidendum videtur illi quam præ cæteris elegit mercurii dulcis præparationi. Certiùs certè & tutiùs adhibenda videtur, quoties ſtatus præſens ſinit, Swieteniana methodus mercurii ſublimati corroſivi, Swietenio quidem in ſimilibus morbis multò antiquior, ſed ab ipſo celebrata; quandoquidem ipſum cutis vitium inunctiones à periculo non facit omninò immunes. Nec ego putaverim cum omnibus ferè recentioribus Medicis ſalivationem hìc pro neceſſariâ habendam, quandoquidem ipſa puſtularum curatio ſignum hìc ſufficit ſanationis ritè procedentis certiſſimum.

Demùm in tertiâ periodo doſes prætulerim refractas mercurii dulcis magnæ æthiopis mineralis doſi. Quandoquidem remedium illud tùm virtute, tùm compoſitione incertum eſt, nec penetrabile. Multò ſapientiùs nuperrimi Anglici Medici in ſimilibus morbis largos hauſtus decocti fortiſſimi è ſarsâparillâ ægrotis imperitant, undè corpus mutetur ſenſim, & vix ſine ullâ effectûum violentiâ. Addit hic auctor noſter eſſe, ſi denegent facilem exitum, ſudores provocandos, dùm æger accenſi ſpiritûs vini vapori exponitur; quod vulgò præſtant balnea, poſſet & præſtare concamerata ſudatio in aquis thermalibus ſulphureis quas præ cæteris omnibus remediis in tertiâ curationis periodo commendaverim. Forſan & tantâ medicatione fatigatis corporibus ingens reperiretur præſidium in lactis uſu, quo remedio, ubi adhiberi poteſt, nullus eſt è morbis cutaneis qui non feliciter finiatur, nec differt curatione ab anonymo autore Cl. Hillary (*a*) qui nuper de hoc morbo ut & de elephantiaſi apud Americanos ſcripſit uberiùs.

(*a*) William Hillary Diſeaſes of. Weſt. indies pag. 423.

ARTICULUS

ARTICULUS IX.

De Morbo dicto Lepian *ou* Epian.

Quamvis multa huic morbo cum ſuperiùs deſcripto conveniant, idem genus affectionis conſtituit, ſpeciem diverſam, ut Cl. Sauvages (*a*) autumat, & patet ex utriuſque deſcriptionibus. Licèt fatendum ſit deſcriptionem quam nobis reliquit illuſtr. Sloane (*b*) morbi dicti apud Jamaicenſes *Yaws* meliùs convenire morbo deſcripto ſub nomine *Pian* à D. Virgile apud Cl. Sauvages, quàm illi qui ab anonymo Anglo ut *Yaws* deſcribitur. Nam curatione dùm convenit, diſcrepat uterque auctor in enarrandis ſymptomatibus.

Morbus incipit ab ulcere ſordido quod *mamapian*, ſive matrem pianorum vocant. Poſteà excreſcunt ubique fungoſæ excreſcentiæ, baccas rubi idæi exhibentes, & colore, & volumine, & conſiſtentiâ. Tertium ſymptoma eſt excoriatio plantæ pedum, vel palmæ manûum quæ dicitur Craba. Hæc duplicis eſt ſpeciei, undè dividitur in Crabam viridem & ſiccam.

Ulcus primum, ſive *mamapian* à quo morbus incipit, ad pollicis, vel manûs latitudinem extenditur ſuperficiarium, mucoſum, pertinacius eſt ulcere vulgari, nec remediis adeò facilè cedit. Hoc ulcus ubique innaſcitur, ſed tibiis præſertim. Poſteà qui naſcuntur fungi, ſunt coloris roſei, vel pallidè rubri, nulli ulceri, ſed cuti adhæreſcunt, granulis, ſeu papillis exaſperati, muco rubeſcente continuò madidi. Si copioſi ſunt, minus volumen obtinent (*c*), ſi pauciores, grandiores ſunt ad uſque nucis magnitudinem. Nec fidendum eſt paucioribus erumpentibus. Undè ſolent hujus depurationem excrementi cardiacis ſollicitare ; metus eſt enim ne morbus reviviſcat, ut pote non perfectè depuratus.

Crabæ virides ſunt amplæ excoriationes ſub pedibus, vel in manibus exortæ, pertinaces, nullo tumore, ſed eodem colore, eâdem formâ præditæ, ac ſi muſculus omninò nudus eſſet. Humidæ ſunt, ſenſu exquiſito præditæ. Crabæ ſiccæ ſic dictæ differunt à viridibus quòd in iiſdem locis caro ſit coriacea (*d*) ſicca, dolens tamen & aſpera, albeſcenſque atque farinoſa & quaſi virgata.

(*a*) Sauvages Noſolog. CL. X. 23 & 24.
(*b*) Hiſtoire Naturelle of Jamaïca Introd. pag. 126.
(*c*) Sloane, loco citato.
(*d*) Sauvages, loco citato.

Ulcus *mamapian* dictum ſenſim carnes excavat, & erodit oſſa vicina in morbo inveterato, carie, exoſtoſi, anchyloſi; afficit articulos, doloribuſque conterit noctu recrudeſcentibus. Illa ulcera ſunt mucoſa, pallida, à nullo cauſtico eſcharam admittentia, nullo *pian*, id eſt fungo onuſta, in quo maximè diſcrepant à morbo *Yaws* Guineenſium.

Attamen commune eſt utrique morbo quod ſemel ſanatus, ſi ſanitas per tres menſes perſeveraverit, ab eo poſteà immunis vivat qui eum expertus ſemel eſt. Nulla febris acuta hunc morbum comitatur; verùm ex hoc neglecto morbo, vel non ſanato ſequitur ſæpè macies inſignis phthiſiſque accidente lienteriâ lethalis.

Hæc Cl. Sauvages à Chirurgo experto acceperat, quæ partim cum morbo ab Anglis ſub nomine *Yaws* deſcripto congruant, differant partim. At cum nullus auctor Anglus de *Pian* loquetur nullus Gallus de *Yaws*, aſſeveraveritque Chirurgus Virgile D. de Sauvages ſe *Yaws* nunquam vidiſſe, an non credibile eſt morbum eumdem pro vario regimine diverſitates accipere, contagium non amittere, ita ut à nigritis ortus in Europæos diffundatur; ſed formas alias adipiſci apud Gallos, alias apud Anglos, cum natura eadem ſuperſit, ulceroſuſque fiat in pleniori Gallorum ſervorum diætâ, ſervet verò nativam ariditatem apud nigritas Anglos quos fama eſt diætâ ſeveriori ab Anglis exerceri. Undè hæc diagnoſeos pars ad intuentes tantùm pertinet. Certè Cl. Pouppé Deſportes (*a*) qui per multos annos Medicinam apud S. Dominici inſulam exercuit, curationem nobis ampliſſimam morbi *pian* reliquit, nihil nec de *Yaws*, nec de *Pian* ſignis diagnoſticis ut pote evidentibus reliquit. Non longiores erimus in deſcribendâ hâc curatione quam fusè tractarunt Americani Medici. Eadem enim præcisè methodus à Gallis adversùs *Pian* præſcribitur quæ ab Anglis adversùs *Yaws*. Scilicet balneis, diluentibus, aliquandò etiam cardiacis admotis exitus pianorum ſollicitatur, præparaturque corpus ad mercurialia. Videntur in genere Galli inunctiones mercuriales præ aliis omnibus remediis habuiſſe (*b*); attamen apud ipſos pro diverſis placitis nunc ſolutio ſublimati mercurii in ſp. vini commendata fuit, nunc acidi nitroſi vis ſolvendo mercurio adhibita, ſed in hoc cum Anglis conſentiunt ut levem ſalivationem procurent. Dein morbi reliquias fugant bolis mercurialibus, addito longo atque pervivaci

(*a*) Tom. 2, des Maladies de S. Domingue, pag. 61 & 85.
(*b*) V. Pouppé Deſportes, pag. 85 & ſeq.

uſu ptiſanarum ex lignis ſudoriferis indigetibus, quarum efficaciam in cœlo ſudoribus favendis patente extollunt. Verumtamen in doctâ analyſi (*a*) aquarum quæ in inſulâ Hiſpaniolâ in loco dicto *le Port à Piment* reperiuntur, notantur aquæ thermales hujus loci quaſi ſanando *pian* ita aptæ, ut nullo alio remedio opus ſit, quibus certè poſt abſolutum regimen mercuriale plures ex analyſi inter noſtras ſubſtitui poſſent.

Alii ſunt multi morbi leproſi apud auctores deſcripti quibus longiùs inſudare piaculum foret, cùm ex cognitis facilè illos ad claſſes deſcriptas reduci poſſe concludamus. Unum exceperis quem Cl. Aſtruc tractatu de tumoribus ut ſibi viſum deſcripſit & ſub nomine *mali mortui* voluit appellari. Hunc plures ex auctoribus qui antè ſtudia græca renovata ſcripſêre, hoc nomine, ut ait vir clariſſimus, donarunt. Plerique tamen, & Græci recentiores, & Arabes quos mihi perlegere datum fuit, hoc nomine ſphacelum intellexerunt, inter quos & Rhaſim & Avicennam & Haly Abbas nominaverim, reliqui ferè omnes ſiluerunt. Verùm huic morbo modò deſcribendo nomen illud & Gordonus & Joannes Manardus (*b*) cui dicitur ulcus ἐσχαρῶδες dediſſe videntur, quos ſecutæ ſunt Medicorum Occitanorum ſuperiori ſæculo ſcholæ, ut ex manuſcriptis doctorum horumce Profeſſorum prælectionibus quas excêpere eloquentium ore diſcipuli, Barbeyracii, Chiracii, Lazermii, hariolari licet.

ARTICULUS X.

De Malo Mortuo.

Malum mortuum (*c*) *ſephiros* Avicennæ (*d*) in extimâ cute ſedem figit, in cujus ſuperficie ſuccreſcunt cruſtæ, aſperæ, duræ, denſæ, latæ, colorem aut nigrum, aut fuſcum habentes. Nullus ſubtùs latet humor. In ipsâ cute fundantur hæ cruſtæ in quâ plures per annos immotæ perſtant. Ubi ſponte præ ariditate nimiâ decidunt, aut ſcalptu imprudenti avelluntur, cutis ſubtùs rubella apparet, nullo tamen indè depluente humore. Subaſpera tamen eſt cutis, & ſenſim indè halitum inviſibilem cogi illud indicio eſt quòd novæ veterum in locum cruſtæ naſcantur.

(*a*) Analyſe des Eaux, &c. par MM. Polony & Chatard.
(*b*) Lib. 7, Ep. 2.
(*c*) Traité des Tumeurs, liv. 2, ch. 13.
(*d*) Fen. 3, lib. 4, cap. 11.

Pruritus à puſtulis iſtis naſcens levis eſt, & illæ ſiccæ ſunt, nec herpetum in morem proſerpunt. Sedem aliquandò eligunt in femoribus, cruribus, in facie; præcipuè verò deponuntur in humeros. Duas hujus ſpecies recenſet Cl. Aſtruc, quarum prima malum mortuum congenitum vocatur, alteram adventitii nomine deſignat. Congenitum cum hominis ſuperficie creſcit; adventitium ad aliquam extenditur magnitudinem, ultrà quam non ampliùs progreditur. Hujus ſedem in glandulis ſebaceis ponit auctor noſter, pendereque morbum hunc putat ab ipſo humore ſebaceo inſpiſſato propter enatam in textu folliculorum ſebaceorum ab aliquâ causâ incidente irritationem, undè criſpantur. Illi criſpati retinent humorem, nec acrem, nec ſalſum, ſed ſpiſſum & aqueo deſtitutum latice, ita ut ibi fixus ille remaneat, nec progrediatur ultrà; intereà glandulæ ipſæ ſebaceæ calloſitatem quamdam acquirunt, indè in novam receptaculorum contrà naturam effictorum formam mutantur, humoremque ibi novum, antiquo deſinente, paris conditionis efformant. Undè videtur malum illud & iners & mortuum jure dictum. Diagnoſim ab ipſis oculis mutuatur; prognoſim verò eam eſſe edicit auctor noſter ut vix incommodum malum poſſit innocuè ſubſiſtere & nunquam propagari per contagionem; undè ſuadet clariſſimus auctor ut eum perferant patienter ægrotantes, quippè ipſa curatio ipſo malo & magis momentoſa & periculoſior, nec levi redimenda incommodo, modò tamen in faciem non decubuerit; nam tunc fœditas ipſa curandi ſollicitudinem & poſtulat & incutit.

Cùm verò malum illud evidenter topicum ſit, & in partem quam ſemel occupavit, fixis hæreat radicibus, nullis aliis interiùs adhibendis opus eſt medicamentis, quàm quibus & partes ſanguinis nitorem nativum debent acquirere & ſolidæ juſtam ſanitati tenſionem ſervare. Undè licèt vulgò diluentia atque temperantia, eaque quæ alvum vi ſaponaceâ ſubluunt, primatum obtineant, poſſunt pro variâ ægri conditione diverſa medicamenta hìc locum obtinere. Uno verbo ſanitas ſervanda eſt & corpus ab inflammatione præmuniendum.

Poſteà emolliri jubet cruſtas Cl. Aſtruc, aut ſuperpoſito cremore, aut caſeo recenti cujus actione molleſcunt cruſtæ, emollitæque decidunt. Poſteà verò in vulgari malo ſufficit ſæpiùs lenibus eſcharroticis glandularum ſubſtantiam leviter comburere, ita ut deſtruatur glandularum morboſa capacitas & in illâ jam

non poſſit ſtagnare cumulatum fluidum. Si verò reſiſtat pertinaciùs iſtis remediis, qualia præſtat aqua vulgaris phagœdenica, ſimul ſuperimpoſitis baſilicone & aliquot granis præcipitati rubri; tùm cuti nudæ eſcharam infligi imperat Cl. Aſtruc cum cauterio & lapide cauſtico Chirurgorum prudenter admiſſo, ſed eo tamen cum effectu, ut ſub eſcharâ naſcens ſuppuratio & glandulas & humores contentos deſtruat. Quo in caſu, loco mali ſupereſt cicatrix nuda, alba & limbis aliquantùm prominentibus diſtincta. Verùm fatendum eſt crudelem hanc methodum cruſtis ſemel deciduis raròneceſſariam eſſe, remediaque mercurialia ſimul leviter ſolventia atque eſcharrotica, dùm actione leniori vaſa obſtructa ſi quæ liberanda ſunt, liberant, ſi quæ deſtruenda, deſtruunt, & meliùs & tutiùs agere, quod ſæpè peregit ſublimati corroſivi lenior ſolutio lotione adhibita & cum emollientibus appoſita.

Finis primæ Sectionis Partis primæ.

SECTIO SECUNDA.

De Morbis Cutaneis depuratoriis qui partem aliquam tantummodò invadunt.

Cum operis noſtri partis primæ ſectio prima totiùs laboris hujuſce princeps, modos quibus vitiari lympha poſſit & ſerum ad cutim deponi, comprehendat; altera hæc ſectio nihil novi exhibere meditationi poteſt, morboſque tantummodò oſtendit phœnomenis diverſos, ſed naturâ cum prioribus convenientes atque concordes. Hinc & brevior eſſe debet, & alteriùs velut corollarium. Etenim præter paucos omninò morbos quos diverſa cutis natura atque ſtructura proprios cuique parti fecit atque peculiares, aut calvariæ, aut faciei, aut artubus, pauca hìc inquirenda ſuperſunt, ſi nominum farraginem exceperis à diverſis auctoribus admiſſorum, quæ ſua ipſa multiplicatio reddidit obſcuriora. Hinc tractandæ materiæ conditio nobis ordinem cui debemus inſervire promit & ſuppeditat: huic adſtricti ut primò diſtinguamus morbos ad eryſipelas referendos; 2°. ad phlegmonodæam naturam accedentes; 3°. ulceroſam indolem habentes; 4°. cruſtoſum caracterem depromentes.

A ſimpliciori eryſipelatis emicatione incipiendum eſſe rei natura & ordo jam conſtitutus indicant. Quod malum ut jam dictum, morbis cutaneis ferè omnibus exordium præbet, illo ſe continens, ſi levior affuerit cauſa.

CAPUT PRIMUM.

De Tumoribus Eryſipelatoſis ſingularem corporis partem impetentibus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Roſeolis ſaltantibus.

ROSEOLÆ ſaltantes à M. Aurelio Severino (*a*) dicuntur tumores rubri extrà cutem ſpontè prominentes & erumpentes, nullâ certâ figurâ. Sed illæ ex pluribus minutiſſimis puſtulis ſimul aggregatis conſtant, ut roſa ex foliorum, ſeu potiùs petalorum conglobatione exurgit. Color varius eſt, à rubro pallido in lividum uſque extenſus. Species verò duplex poteſt diſtingui; malignarum altera, quæ livida & ad omnia contumax remedia, plures per annos crura, femoraque affligit, cum pruritu ſummo & nocturno; altera ſimplicior quæ vulgò per æſtatem ſilet, facilè tollitur, & ea plerumquè occupat corporis loca in quibus à veſtium pondere calor major reperitur. Prior ſpecies vetulos magis invadit, quibus & pruritum & noctes dùm affert inſomnes, febrim tandem aliquandò concitat, marcoremque inducit. Aliæ juvenibus familiares ſunt, & ſanantur certò, nec ullum vitæ diſcrimen inducunt.

Prioribus ſemper ineſt mador aliquis lintea ſuperpoſita intingens, undè nec ad ephelides, nec ad papulas Celſi, aut lichenes poſſunt referri, ſed potiùs ſi vim nominis ſpecies ad ἑλκύδρια αὐτομάτως ἐξανθήμενα Pauli Æginetæ (*b*) revocari poſſunt. Apud nos promiſcuè habentur pro malignis herpetibus, cùm mixtam ex ulcuſculis, vel puſtulis, atque tuberculis naturam habeant. Nihil horum effectûum pertinet ad leviorem ſpeciem quæ furorem

(*a*) Lib. de Epinictidibus & Roſeolis, pag. 2, cap. 7.
(*b*) Lib. 4, cap. 77.

eryſipelatum non excedit, & id habet proprium ut ex unâ parte in quam deſævit in alteram feratur, quam protinùs invadit. Præterea vulgò, ut notat Severinus in aëre Neapolitano Medicinam factitans, per hyemen conticeſcit, vere tantummodò ſæviens, & per æſtatem perdurans. Undè ut diagnoſis utriuſque morbi ipſo aſpectu evidens, ita prognoſis diſſimillima. Nam priores roſeolæ morbum & effectibus ſævum, & ſucceſſu ancipitem deſignant, aliæ verò morbum ſolo reditu incommodum conſtituunt. Nec cauſæ aut curatio meliùs convenire poſſunt.

Priores enim, utut depuratoriæ ſint, & pro talibus haberi debeant, tamen ſymptomatum magnitudine vitium altè lymphæ infixum ſignificant, quod acre quidem ſit, ſed ſimul fixum, nunc naturam herpetum referens, nunc alia jam præcognita & prædeſcripta lymphæ vitia, ad quæ aſpectu ſolo & cognitione cauſarum illæ revocantur. Roſeolarum enim illarum primordium repetit Severinus à bilis vitio, id eſt à coctionum tenore infirmato, undè perſpirationis coctæ defectus ſemper redivivus, & fermenti jura capeſſens tandem inquilinus fit, & civitatis jure potitur. Poſteriores verò quas propriè roſeolas ſaltantes vocare ob volatilitatem poſſumus, acre quidem extraneum continent, ſed ferè volatile illud, quod ipſam non poſſit lympham in ſuâ ſubſtantiâ vitiare, ſed quod in illâ contentum vim & jura obtinet extranei, quocumquè feratur; nec coctionem recipit, ſed avolat, aut in anfractibus lymphæ dicatis conquieſcens deliteſcit, donec aliqua è cauſis motum ſanguinis & naturæ actuoſitatem excitantibus, novum ipſi ignem ſubdat & ſopitum reviviſcere faciat.

Curatio pariter prioris cum cachexiâ præviâ compoſitæ & ſæpiùs cum ſenili lymphæ vappiditate complexæ, indicationes præbet, quibus lymphæ, ſi fieri poſſit, novus concilietur nitor additis partibus actuoſis, & vacuato fomite morboſo. Undè pro cauſæ varietate diverſa aptentur medicamenta. Nunc, ſi ſola lymphaticarum partium diſcors miſcela malum efficiat, antiſcorbutica: nunc ſi herpeticum virus lateat, antimonialia, aut etiam mercurialia adhibeantur, ex ordine & methodo jam anteà præſcriptis, ita ut in illis curandis plus cauſæ quàm effectûum ratio habeatur.

At in poſterioribus duplex curationis tempus diſtinguendum eſt. Nam quo tempore efflореſcunt, pruriunt, atque ſæviunt, omni ope atque operâ cavendum eſt ne inflammentur, & mutatâ facie

in furunculos abeant, in textu cellulari cuti ſuppoſito fixæ factæ, undè temperans, diluenſque diæta, & conſimilia his remedia in uſum revocanda ſunt, qualia præbent & ſerum lactis puriſſimum & decocta pulli atque vituli, limacum, teſtudinis, herbis alterantibus oleraceis infecta. In hunc uſum advocantur borrago, ſonchus, taraxacum, aliaque hujuſmodi vegetantia quæ ſtomachum dùm fulciunt liberas liquori acri cum bile vitiatâ vacuando vias præbent; ſimulque principia ſaponacea & bili & reliquis humoribus ita impertiunt, ut, experimento inſtituto, ſaliva hominum hiſce herbis utentium, ſalium & ſacchari copiam majorem promptiùs & faciliùs ſolvat.

Tùm ſummoperè cavendum eſt ne humor adeò facilè ſedem occupatam deſerens feratur ad interiora. Quo quidem in opere, licèt plus naturæ quàm arti fidendum ſit, præſtabit tamen hìc admovere ſi quid periclitari videatur æger, levia diapnoica quæ ſtimulo agili facilè ad cutem feruntur, penetrabilitateque ſummâ promtè exhalant; qualia ſunt, ſambuci flores, meliloti, chamæmeli, papaveris erratici, imò & ſi majore opus ſit præſidio, camphorata omnia. Verùm præcipuè ſcopus ille attingitur, dùm vaporibus lenibus cutis viæ aperiuntur.

At ubi delituit tempeſtatis beneficio malum, nec jam, aut intùs aut extùs ſævit, tùm quâquâ viâ libera concilietur perſpiratio, & cutis vaſis laxitas atque libertas procuretur. Hunc in finem balnea tepida reliquis præſtant adminiculis, quibus additur intereà diæta humectans, atque acribus quibuſcumque demulcendis apta. Juſcula ſuprà memorata plantæque ſaponaceæ hìc maxima ſunt in auxilium naturæ præſidia. Nec oberit, ſi cætera conſentiunt, leve emulſum paregoricum noctu. Sed in rebelli malo, nihil melius, nihil tutius eſt, quàm totum opus curationis uſui aſſiduo lactis, præcipuèque aſinini committere, quo nullum aliud medicamentum præcipuè in junioribus præſtat. Sed ut leve malum eſt & citò deferveſcit, nihil obſtat potentiùs hujus integræ ſanationi, quàm ægrotorum negligentia qui ſibi ipſis vix imperitare norunt, & ab acrium aut potu, aut eſu non ſeſe continent. At verò in illud inſudandum eſt antè omnia, ne acre illud in aliquod obſtruendum viſcus decumbat; nam ibi volatilitate amiſſâ, & ſolam penetrabilitatem ſervans, ferales agere radices poteſt, & verti in ſcirrhi materiem, quod omnibus aliis cutaneis morbis poteſt evenire.

ARTICULUS

ARTICULUS II.

De ſacro Igne & zonâ ſacri ignis ſpecie.

Sacer ignis qualem Celſus (*a*) deſcripſit, & cujus duas ſpecies diſtinxit, ſi aliqua ſigna ad gravius malum referenda exceperis, vix ab eryſipelate differt, licèt eum malis ulceribus annumeret (*b*). Galenus per ignem ſacrum eryſipelas intelligi vult, & cum eo conſentiunt tùm Græci, tùm Arabes, & in hiſce rebus præ aliis omnibus recentioribus commemorandus J. Manardus (*c*). Quin & ipſa Celſi deſcriptio cum eryſipelate eximio conſentit. Hinc duplex ignis ſacri ſpecies duplicem exhibet eryſipelatis ſpeciem, quarum altera phlyctœnoſa, altera vel in fervore intenſiſſimo nullas emittit phlyctœnas, ſed aliquandò lividum colorem attingit, ſi ad ultimam mali periodum pervenerit.

In primâ ſpecie Celſus diſtinguit mixtum rubori calorem, ſimulque annotat puſtulas, quæ fundunt humorem, qui aſpectu ſolo inter ſaniem & pus medium obtinere locum videri poteſt. Fit maximè in pectore, aut lateribus, aut eminentibus partibus, junioreſque laceſſit ; cùm contrà altera ſpecies, quaſi radiis in unum centrum coeuntibus, cutem vix attollat. Pergit autem Celſus. Omnis ſacer ignis, ut minimum periculum habet ex omnibus his quæ ſerpunt, ſic propè difficillimè tollitur. In hoc autem ſi cum roſeolis ſaltantibus conſentit ignis ſacer, ita à vulgari eryſipelate differt, qui ut pleræque inflammationes anguſtiori circulo circumſcribitur, & cognita acutorum morborum tempora vulgò non excedit. Eſt ergo ſacer ignis eryſipelas chronicus, nunquam ad univerſum corpus pertingens, ſed hanc, aut illam partem adortus, ibique fixam ſedem occupans. Sanatur aliquandò ut eryſipelas, ſed brevì ſopitum novo impetu redit, multoties redivivum, vel in eâdem parte, vel in viciniâ aliquandò perſtat, nec integrè & omninò ſanari ſe patitur ; ſed ſub ſoporis ſpecie conticeſcens, brevì caput extollit, & inſanatum remanet.

Verùm alterum genus mitius eſt, & phlyctœnarum loco, lemas & cruſtulas leves producit, quarum unâ ſublatâ reviviſcit altera. Imò multis pro morbo habituali habetur, & quaſi, paucis reſiduis

(*a*) Lib. 5, cap. 28.
(*b*) Comm. 3 in 3, Epid.
(*c*) Loc. cit.

intervallis, perpetuo. Mulieribus quibuſdam menſtrua comitatur. Pluribus poſt finita vacuationis periodicæ tempora redit quovis menſe, imò & illum vidi arthritidos locum occupare vere & autumno redivivum, plures per dies perſtantem, dein ſenſim manſuefactum. Vir fuit mihi cognitus qui diarrhæâ levi ſi laboraret igne illo liber erat; ſi cohiberetur iſta, redibat ignis ſacer, quem cùm pro ſcabie habuiſſet atque tractaſſet incaſsùm, pro inſanabili habebat malo.

Cùm ergo formam eamdem, imò & naturam cum eryſipelate habeat ſacer ignis, duratione verò atque cauſâ tantùm differat, ejus ſymptomata facilè intelliguntur. Ea autem partim à tenſione particularum cutis & erethiſmo pendent, partim à cauſâ quæ vel maximè acris eſt, vel minori gradu vexat miſeros. Dantur enim ignes ſacri etiam non phlyctœnoſi, in quibus partis affectæ ſuperficies verum & ſævum ignem repræſentat, ſenſuque mordaciſſimo ægrotos ita vexat, ut diù noctuque requiem neſciant, ignem ejulatibus querantur, nec aliud interrogati reſpondeant præter illud, igne ſe comburi. Si ſuperficies cutis in caſibus hiſce ſummè inflammata reſpondeat ſymptomatibus, paroxyſmus morbi acutus eſt, & brevì terminum attingit. Verùm ſæpè etiam ſine hâc extraneâ & apparenti ſuperficie, idem perſentitur ignis, & expertus loquor, vidi à leviſſimâ puſtulâ quam decocto malvæ abluebamus, aquam in vas ſuppoſitum cadentem calorem ad thermometrum acquiſiiſſe; ejulabatur vir fortiſſimus, & militari vitâ præfractus. Si oculum de puſtulâ indicem ſumpſiſſes, vix illa tibi alicujus momenti viſa fuiſſet, at digitos tractantis ardore vexabat intolerando: verùm etiamſi illud oſtentum fidem vix ſibi extorqueret, non raro abluentibus Chirurgis vidi manus excoriari à ſero ex phlyctœnâ levi defluente, aliquamque indè naſci in eorum manibus ignis ſacri ſpeciem evanidam; tanta eſt aliquandò ferocia cauſæ ignem illum ſacrum inferentis.

Nec uniûs eſt inſtantis malum illud, ſimilem violentiam mali plures per menſes perſtare vidi, dùm intereà marceſcerent ægri, ſine ullo febris inſultu, præter illam levem febriculam quæ in caſibus illis noctu exoritur, urinis intereà bellè fluentibus, ritè coloratis, niſi quòd exirent ſæpè cum vivido ardoris ſenſu, & venter ut plurimùm obſtipatus eſſet atque conſtrictus.

Aliquandò loco ignis illiûs, non perpetuus, ſed cum ſummo cruciatu recrudeſcens, horis potiſſimùm nocturnis, pruritus ſcenam

occupat. Is adeò efferus eſt & humanæ patientiæ captum ſuperans ut viri etiam animoſi atque conſtantes, ſcalptu perpetuo ſibi ulcera etiam profunda conciliaſſent, ſi non ipſa conſtrictæ ariditas cutis obſtaret puris generationi, & rupturas ichore repleret cruſtoſo ſub quo infida naſcitur cicatrix. Hæc autem ſymptomata igni ſacro ad ſummum gradum evecto propria, ſimul miſcentur cum lancinantibus punctulis acerrimis, teli inſtar infixi, citò emicantibus, citò renaſcentibus; quo ſenſu renaſcente, in igne ſacro phlyctœnoſo vulgò ſerum depluit, vel nova renaſcitur phlyctœna; & quò malum acrius eſt, eò frequentior eſt ſenſus ille lancinans.

Pro varietate ſedis occupatæ, gravior, aut levior eſt ſymptomatum illorum violenta vis; ſed ſemper ignis ſacer per ſe ſævus eſt.

Nec prognoſis ſimplex eſſe poteſt. Nam variat non ſolùm pro ratione acuminis atque pervicaciæ ſymptomatum, ſed etiam pro varietate accidentali phœnomenωn externorum, & naturâ cauſæ morbum inducentis.

Notum eſt malum in cruribus ſenum tardiùs ſanari. Vulgò aiunt qui formam affectat rotundam plus obſiſtere. Mihi verò viſi ſunt ignes ſacri qui latiores obtinerent phlyctœnas minùs reſiſtere, quàm qui minutis conflarentur puſtulis, facilè renaſcentibus. Et in genere quo primis phlyctœnis exſiccatis eò crebriores reſurgunt, eò etiam durationis in malo majus periculum eſt. At ſi aliquid in vitam impendeat periculi, id diſtingues à ſymptomatum atrociâ, ſignaque magis urgentia dabit lividus ab igneo degeneraſcens color. Quod phœnomenon ab antiquis, & ab ipſo Celſo annotatum eſt. Verùm ad prognoſim fulciendam conferunt cauſæ quæ ſolæ ab eryſipelate acuto ignem ſacrum diſtinguunt, & ei formam impertiunt, atque ejus proprietates efformant.

Mutatio phyſica quæ in igne ſacro vaſa lymphatica infarctu afficit, vicina ſanguinea erethiſmo premit, eadem eſt atque in eryſipelate. Verùm cùm cauſa irritans locum unicum, cæteris intactis, occupet, imò & retropulſus ignis ſacer, ut pleræque eruptiones volatiles cutaneæ, ſanitatem quæ priùs integra erat conturbet, facilè eſt concludere ignem ſacrum pro causâ agnoſcere, non ipſiùs lymphæ vitium, aut partium ejus degenerum alterationem, ſed acre aliquod extraneum intùs contentum; ita ut pars illa extranea in partem aliquam depoſita, cæteras ſinat, & intactas, & ſalubres. Hinc ſi retropellatur humor ille, ſubitâ præſertim deliteſcentiâ, illicò ſuffocationes, tuſſes anxiæ, anginæ ſummè inflam-

matoriæ extremum deſignant periculum, & protinùs metuendum. Si contrà rursùs ex inſidiis appareat inflammatio quæ reliquerat externas cutis partes, ceſſant illicò omnia ſymptomata. Prætereà ignis ſacer ſuperveniens ſanavit, ut vidi, aſthma humorale quod plures per annos ſævierat. Undè patet non hìc cum veteribus bilem incuſandam eſſe, non humorum internorum mutationem, ſed adeſſe tantummodò in lymphâ acre quodcumque quod illi ita adhæreat, ut lymphæ propria vaſa poſſit diſtendere & rumpere; ſed cujus indoles non ea ſit, ut poſſit uſque ad ſuppurationem evehi & coctionem certam & phlegmoni propriam aſſumere. Sed quæ valeat, vel reſolutione, vel evaporatione tolli, aut in gangrænam abire.

Verùm acre illud aliter quàm per proprias & inquilinas illi proprietates noſſe impoſſibile eſt; primariam enim ſubtiliſſimorum illorum corporum naturam à priori hariolari humanæ arti non conceditur. Imò & pro certo poni poteſt principio, non dari unicum igni ſacro procreando fermentum, quale eſt aut varioloſum, aut morbilloſum, ſed eſſe genus multiplex acrimoniæ quod illud ingeneret. Siquidem & ignis ſacer poteſt venereus eſſe, qualem exquiſitum vidi, & ſcorbuticus; arthriticum ignem ſacrum non raro videmus, imò & herpeticum aliquandò eſſe illud declarat, quod, ſanato igni ſacro, aliquandò viderimus, mutato mali caractere, ſuccedere herpetes omnis generis. Sufficiet ad conſtituendum ignem ſacrum ut infarciantur vaſa lymphatica vehementi erethiſmo, nec ſanguinea phlegmonem poſſint concipere.

Ignis ſacri ſpecies eſt frequentiſſima, in duas pariter formas dividenda, ſive phlyctœnas procreet, ſive ſolo incendio conſtet, malum illud quod latini zonam, Græci ζωςὴρα vocant aut ζώνην. Scribonius largus (*a*), carbunculos, ignem ſacrum, & zonam quam Græci ἕρπηῆα vocant (ut ait) eodem ſub nomine comprehendit, parùm accuratè. Plinius (*b*) zonam etiam circini nomine deſignat, quia circulariter corpus ambit, jureque ejus effectus cum combuſtionis effectibus comparat; id addendo quòd ſi univerſum corpus ambierit ignis ſacer ille quem zona vocant, certò indè hominem perimi. Eamdem prognoſim apud reliquos omnes Medicos, ſive Græcos, ſive Arabas expreſſam reperies. Undè id ſaltem concludere eſt non adeò rarum eſſe malum illud

(*a*) Cap. 62.
(*b*) Lib. 26, cap. 11, n°. 74.

apud ferè omnes artis profeſſores conſenſu uniformi deſcriptum. Et reverà poſt æſtatis calores immodicos & aridos, ſi tempeſtas frigida ingruerit, zonam hanc raro univerſalem, ſed ſeſe ſenſim extendentem, ita ut, his defervescentibus puſtulis, aliæ latiùs extendantur, quaſi epidemicè ſævientem, & plures perdurantem menſes, non ſine atroci cruciatu, & vigiliis intolerandis, obſervavi.

Illud verò huic malo proprium eſt quod poſt ſanata ejus ſymptomata, & loco jam nullas externas notas proferente vel leviſſimæ cicatricis, interdùm, præſertim dùm ſubitò mutatur athmoſphæra, lancinantes dolores in loco priùs affecto concitentur & ſentiantur. Nec rarum pariter poſt ſanatas etiam phlyctœnas & eryſipelas ſanatum tuſſem aliquam ſuccedere quæ plus minuſve diuturno tempore divexet. Feminas vidi quæ antè ignis ſacri tempora fluori albo nullâ ratione obnoxiæ fuerant, poſt ipſum, etiam pulchrè & ſolo temporis tractu ſanatum; huic malo patere: juvenculam novi mulierem quam diarrhæa per annum integrum miſerè vexaverat. Hæc poſt corroborantia remedia lactis caprilli uſu ſanata videbatur, & ſibi vires reſtitutas, malumque fugatum gratulabatur, cùm ſubitò igne ſacro ad zonam correpta, alvi fluxum redemit cruciatibus cum tuſſi importunâ quæ tuſſis, etiam extincto ζωςῆρε, longo tempore miſeram vexavit, lacte pervicaciùs per longas temporis moras aſſumpto tandem ſanata.

Quibus omnibus clarè, ut ſperamus, evincitur zonam verum eſſe ignem ſacrum ab acri pariter extraneo intùs admiſſo oriundum, indèque pendentem. Quod acre, ut mihi plerumquè vidiſſe contigit, in zonâ quæ apud nos epidemicè aliquandò graſſatur à complicatis primarum viarum vitiis cum perſpiratione acri retentâ pendet. Undè nullis frequentius vitium illud ingruit quàm illis, ſive viris, ſive feminis qui acrium alimentorum & ſpirituoſorum potûum uſu nimioperè delectantur. Imò & nullo alio in morbo delicta in victu acutiùs ſentiuntur. Nam ſi acre aliquod, vel etiam jam reconvaleſcentes, ſibi indulſerint, plectuntur illicò & acrem morſum ſentiunt, quo admoniti, ſi ſapiant, auſteriùs & longo tempore ſevero ſe regimini addicunt. Cæterùm etſi Plinius zonam lethalem pronunciaverit quæ univerſum cingit hominem, eam nunquam lethalem vidi, niſi tamen phthiſios fuerit prænuntia, in iis quibus anteà thorax infirmus metaſtaſim humoris facilè recipit, aut cum zonâ noſtrâ confundere volueris vibices illos peſtilentiales qui in febribus maximè malignis, ut pannonicâ, apparent

in quibus & color lividus, & quæ ſupereminent latiſſimè phlyctœnæ gangrænam imminentem prænuntiant, & morti præludunt.

Ab hâc demonſtratâ ſatis per obſervationem ignis ſacri naturâ, duplex ad curationem feliciter peragendam indicatio naſcitur. Altera enim quæ ſævienti igni ſacro debetur, eadem omninò eſt atque ea quæ eryſipelati convenit. Ad illud non ſatis attendiſſe videntur veteres qui ignem ſacrum non ſolùm applicatis refrigerantibus, ſed & repellentibus etiam adoriri præſcribunt. Repellentia enim illa, qualia apud Celſum & Plinium reperiuntur commendata, nullo tempore morbi convenire poſſunt.

Etenim vigente eryſipelatoſo furore, vaſa ſtringerentur, & erethiſmus ultrà modum concitatus gangrænam arceſſeret certiſſimam, aut ſaltem mali ingraveſcentiam acerbiſſimam ſine ullo fructu. At ubi jam deferbuit malum, & omnia ad reſolutionem tendunt, petita à ſimilibus medicamentis auxilia ſupervacua ſunt morbo, cauſæ autem nocent, cujus ſubitus intrà ſanguinis meandros retrofluxus, aut pulmones apertiùs, aut alia viſcera latentiùs impetere poteſt & adoriri. Nec melioribus auſpiciis antequàm malum ad cutem delatum fuerit, cùm ſymptomata imminent, idem medicamentorum genus adhiberetur, cùm certè temerarii ſit atque imprudentis adverſari naturæ, imò illam edomare vanus ſit conatus; undè in alias partes vitæ maximè pretioſas deſæviat. Quoad ſuccum mandragoræ quem nimioperè Plinius laudat, non inficias iverim poſſe illum eſſe alicujus præſidii, cùm virtute præſertim refrigerante laudetur, ſed ſtupore ſimul inducto naturæ efficacis conatus ab hujus uſu ſupprimuntur, quod anceps & periculoſæ eſt plenum aleæ.

Verùm cùm in igne ſacro, uti jam dictum, duo ſint diſtinguenda, & eryſipelas, & eryſipelatis cauſa, duplex pariter curatio diſtinguenda.

Etenim cùm ſummè ſævit morbi violentia, evidens eſt omnia ad inflammationem ſanandam conducentia eſſe hìc admovenda, laxandam eſſe vaſorum tenſionem, & fluida omni ope atque operâ demulcenda. Quo titulo jure antè alia commendantur venæ ſectio, potiones aſſiduæ diluentes ex ſero lactis clarificato, juſculis pulli gallinacei, decoctis gramineis, &c. exteriùs verò ſolummodò locum invenire poſſunt refrigerantia, demulcentia, decocta altheæ, ſeminis lini, ſucci portulacæ, lactucæ & aliorum ſimilium, aquæ ſtillatitiæ ex ſpermate ranarum, ex floribus ſambuci, aquæ nitratæ,

& alia facultatis non diſparis ex quorum numero prudentia vult abigenda eſſe, aut quæ pinguia rancеſcunt, & cutim irritant, aut quæ abſtergunt & adſtringunt, ut omnia refrigerantia ex plumbo & aceto nimiùm nuperis temporibus hunc in finem collaudata.

Sed actum agere foret, ſi omnia jam alibi uberiùs deſcripta hìc rursùs enumerare foret animus. At id ſummè & antè omnia perpendendum eſt non in malo præſenti maximum inſidere periculum, ſed in ancipiti ejus recurſu. Sæpè enim non in extimas tantùm partes decumbit extranea cauſa, ſed plures per menſes, imò & annos iners, & in folliculis glanduloſis depoſita mala atomus, quâcumque de causâ irritata, & rursùs in actum mota ſeſe multiplicat, & partes nobiliores invadit, undè non ſemper extricetur facilè. Quod ubi per plures inſultus admonitus adverteris, cum omnibus Medicis recentioribus in id uniformi opinione conſentientibus neceſſarium erit, partem aliquam cutis debilitandò ita aperire ut indè partes nocivæ per irritationem hìc advocatæ facilè defluant, internaque viſcera tuta & ſarta relinquant. Hùc cauteriorum uſus maximi eſt momenti, quibus inuruntur fonticuli lati, & longo tempore ita aperti ſervandi, ut impurum quidquid poteſt intrà ſanguinem irrepere, facilem inveniat exitum.

In caſu præcipiti, ubi jam ruens humor minas præſentes intentat, cauterii tardioris loco, veſicantia medicamenta ex cantharidibus præcipuè conflata citam irritationem efficiunt, & potentiſſimè virus à parte nobiliori in cutem revellunt. Invaluit nuperrimè apud nos jam pridem cognitus & laudatus, ſed neglectior forſan conſuetudo corticem thymeleæ, ſeu ligni ut aiunt, ſani, applicandi, quod veſicantibus è cantharidibus præparatis lentiùs agens, nec adeò certo effectu, id tamen habet præferendum quod ſuâ vi ignem ſacrum effectibus verum efficiat, nec ultrà ſuppurationem legitimam efficiendo penetret. Præterea ſuſpectam mihi cantharidum efficaciam caſus quem vidi effecit. Vir cauteria per artem inurenda formidans, at humori qui quandoquè in aures & oculos impetum fecerat proſpiciens, plures per annos unguentum à cantharidibus, lene quidem, at quotidiano uſu repetitum adhibuerat. Imbiberat ſanguinem & lympham pars acris & viroſa cantharidum. Undè poſteà in pruritus atroces ſub finem vitæ incidens, poſteà igne ſacro horrendo correptus eſt. Quo inter cruciatus, atque ejulatus enormes, inſomnem noctu diuque vitam agens conſumptus eſt, poſt integrum cruciatibus addictum biennium.

Verùm ſi jam conticuerit malum, ægerque cautelarum pretium vix ſentiat, non ideò Medicus ſe monitorem & prævisorem futurorum oblivifcetur. Latet altè infixa mali cauſa, quæ lymphaticas glandulas iners obſtruit. A prægreſſis ad futurorum metum evehitur. Cauſæ ſtudet. Sæpè diluentibus ſolis cum aperientibus mixtis, fluente per aliquod tempus liberiùs alvo, & urinis copioſiùs prodeuntibus, ignis ſacri cauſa tollitur. Tale præſidium præſtant juſcula ex herbis oleraceis conflata, lactucâ, ſoncho, borragine, aut iis quæ lympham tenuare obſervatione nota ſunt, ut ſunt chærophyllum, ſcolopendria, naſturtium, becabunga, & cætera paria. Quibus additur ſal neuter pro conditione ægri varius. Leniſſimi ſunt terra foliata tartari, ſal vegetalis & alia hujuſmodi. Adduntur hìc, ſi tenor lymphæ craſſior videtur, cancer fluviatilis, virtutis non adeò expertæ, atque millepedes, tenuandi lympham efficaciâ inſigniores.

Sæpè profuit in bilem retentam & malè fluidam potentiùs agere cum radicibus aperientibus lapathi, acetoſæ, bruſci, corticibus capparidos, & cæteris hujuſmodi, repetitiſque aut ſennæ aut ſalium neutrorum doſibus, undè fluxus concilietur alvo revulſivus, quo ſuperiora vaſa vacuentur acriori lymphâ.

Hanc verò tibi, aut illam eſſe ſequendam methodum ſigna dabunt, phœnomena, tùm ex cauſis procatharticis, tùm ex cognitâ ægri temperie repetenda. Imò ſæpè fatendum eſt, latere in ignis ſacri eruptione aliquid herpetici, quo in caſu poſtquam deferbuit malum, corpus purgandum atque tractandum eſt, ut in herpetibus; imò latere quid ſimile probabile eſt, quoties malum rebelle, à prioribus memoratis medicinam non recipit, in caſu quo illa ſaltem aptè & appoſitè pro præparatione fuerunt admota.

ARTICULUS III.

De Igne ſylveſtri, ſeu volatili Infantum.

Ignis ſylveſtris apud Hippocratem, teſte Galeno (*a*), nihil aliud eſt quàm eryſipelas. Apud nos verò eo nomine intelligitur tumor eryſipelatodes, mentum, genas, imò & totam faciem infantum atque puerorum occupans, in cruſtas leves & phlyc-

(*a*) Galen. de Voc. Hippocr.

tœnas molles abiens, ſine ullo ſymptomate præter pruritum. Is ſolo attactu, ut videtur, ab alio infante in alium diffunditur. Sæpè dentitionis tempore apparet ignis ille ſylveſter, ſeu volatilis, & eruptionem dentium comitatur. Sæpè plures per annos, & ad uſque ſeptennium exactum extenditur. Aliquandò poſt primos dentes excluſos ceſſat, revertitur ad ultimos versùs ſeptennium excludendos. Aliquibus ad uſque plenam pubertatem nunc reconditus, nunc furens, inconditè ceſſat, atque revertitur. Raró verò adultos, aut virgines rectè menſtruatas aggreditur. Non tamen eo omninò carent, aut hæ, aut illi, ſi vel cacochymia ſanguinem infeſtet, vel impuro verſentur in aëre, quod evenire vidi non unâ vice mulieribus quæ circà varioloſos invigilant eoſque aſſiſtunt. Dividit hunc morbum Cl. Aſtruc (*a*) in ſiccum & humidum; ſed hæc diviſio, cùm nihil, aut circà naturam, aut circà curationem morbi indicet, vix videtur admittenda.

Omnibus æquè phlyctœnæ naſcuntur, omnibus in cruſtas abeunt. Aliquandò glandulæ colli intumeſcunt, & quod non raró obſervavi, detumeſcentibus illis, ignis ſylveſtris tanquam ex receptaculo prorumpit, aut ceſſante illo, glandulæ rursùs intumeſcunt.

Nunquam ultrà mentum, aut ſuperiores colli partes malum illud extenditur: licèt enim in thoracem aliquæ maculæ eryſipelatoſæ ſimul appareant, non tamen illæ, aut eamdem periodum ſervant, aut eadem ultrà graſſantis mali exhibent phœnomena. Indè factum ut Cl. Aſtruc circà hujuſce morbi naturam non hallucinatus, circà mentagram veterum evidenter erraverit, cùm morbum turpiſſimum à Plinio deſcriptum pro igne ſylveſtri habuerit, aut morbum hunc noſtrum indiſtinctè lichenem, vitiliginem, & mentagram appellari contendat (*b*).

Nec rectè *Sahafati* (*c*) Arabum, ut idem putat, pro noſtro malò haberi poteſt, quamvis conſtet ex baſi eryſipelatoſâ cum phlyctœnis parvis. Sed meliùs ad ignem ſylveſtrem rectè referuntur maculæ illæ eryſipelatoſæ quæ febribus depuratoriis ſuperveniunt & buccas, labia, ac totum os deturpant, plaudente ſibi plebe, at ſæpè incaſsùm; nam etſi negari non poſſit vi febris ad cutem venenatas acreſque moleculas depellentis ſimiles phlyctœnas naſci, cùm tamen in morbo gravi, non ſit materiæ febrili proportionalis

(*a*) Traité des Tumeurs, liv. 2, ch. 10.
(*b*) V. infrà de Tineâ.
(*c*) Avicenn. liv. 4, f. 3, tr. 1.

exitus illiûs particulæ, & nil paucum ſit criticum, notante Hippocrate, non rarum eſt ægrotos cum tali depuratione emori. Signum tamen indè petendum eſt, morbum non uno tenore decurrere, ſed per varios variè ſævire paroxyſmos. Id autem igni ſylveſtri omni commune eſt, ut parciùs erumpat æſtate & in aëre clementiori, ferociùs verò hyeme & temporibus in quibus perſpiratio & exhalatio minores ſunt ; ita ut videantur pueri qui quotannis poſt prima veris tempora ad autumnum uſquè cutem nitidam geſtent, & frontis oſtentent honorem matribus gratiſſimum; at ubi ſæviit autumnus, & tempeſtas in frigus inclinatur, omnia in priſtinum ſtatum redeunt. Hinc cùm diagnoſis viſu facilis ſit, & prognoſis ſimplex omni vacare periculo ægrum declaret, de duratione tamen mali niſi poſt annum exactum integrum pronuntiare impoſſibile ſit, eſt ergo ignis ſylveſtris propriè dictus morbus puerilis, & in puerorum conſtitutione ejus cauſæ quærendæ ſunt.

Inter eryſipelata numerandum eſſe ignem ſylveſtrem vel oculo patet, ſed inter levia atque in ſuperficie ipsâ cutis, vel vaſis tenuibus reticuli mucoſi malphigiani poſitum eſſe illud declarat, quòd rubor nunquam intenſus ſit, quòd tumor nullus cutem exaſperet, ſeparetur tantùm epidermis à ſubjectâ parte, quòd demùm nulla in tenello infantum corpore ſymptomata concitet feralia, etſi corpus illud alioquin tam facilè convellatur. Eſt ergo cauſa ignis ſylveſtris excrementum malè coctum perindèque acre humoris mucoſi, quod in loca tenerrimâ epidermide operta deponitur, qualia ſunt labia, genæ, mentumque in quo plurimùm humoris mucoſi bulbis comprehenſi cutaneis reperitur, præcipuè verò ob dentium viciniam quorum excluſio maximam præbet occaſionem morbo huic noſtro procreando. Eò autem evidentiùs cauſa hìc afferta proponitur, quòd morbus hic ſæpè apud pauperculos ſolâ ſanetur patientiâ, atque per temporis labantis intervalla, quia concoctionibus robur acquirentibus meliùs coquuntur mucoſa excrementa & ex ordine naturæ expelluntur.

Nec certè parùm confert ad hunc producendum continuò ſaliva exiens è buccis infantum, manûum ſordidarum frequens ad loca morbo imbuenda applicatio, baſiationes ſordidæ, ſed præcipuè concoctiot arda ob glutinoſorum, craſſorum alimentorum, ſpontè aceſcentium ingluviem. Nec non culpandas reddiderim ſæpè matres, quæ graviditatis tempore mucum nutritium ingenti ſordium &

alimentorum abſurdorum farragine onerant ; hinc à pravis elementis vitam ordiuntur miſelli ; ſi verò in benè moratos nutricis humores incidunt, non niſi poſt exactam nutritionem, reconditus humor apparet.

Novum contrà fomitem, novam excluſionem humori malè cocto præbent dentitionis varia tormenta, quæ adeò miram in infantili mucilagine mutationem inferunt, ut acor exundet undequaquè, & ipſa bilis eo acore vitiata viridem & praſinum colorem aſſumat, quod à dentium excluſione pendere vel ipſæ norunt nutrices.

Quæ cùm ita ſint, patet curationem ignis ſylvatici nunquam, niſi conſilio admodùm perverſo, poſſe per topica repellentia tentari. Quippè indè maximi in infantiâ momenti depuratio præpeditur & labes viſceribus infertur ; undè mors præceps metuenda, vel cum immani ſuffocatione, vel quod frequentius eſt, cum ſpaſmis & convulſione quæ morbos capiti proprios in infantibus ferè ſemper comitatur.

Verùm licèt depuratio hæc jure meritòque felix habeatur & bonis auſpiciis à naturâ inchoetur, cauſa tamen intùs vitioſa latet. Non enim ex ordine naturæ dici poteſt vitium illud quod cutim deturpat & pruritum in miſeris infantibus, adeòque ſæpè vigilias infert. Si ergo malum ultrà tolerabilem evehatur gradum, tunc prima & præcipua curationis pars in eo conſtat, ut alvus libera glutinoſum ſpontaneum quod tam multiplicia mala infantibus ſtagnatione intrà primas vias, & acore indè in ultima uſquè vaſorum receptacula inducto, cauſatur, ſinat effluere. Notatum enim eſt quòd quibus infantibus alvus ſervatur liberior, niteat meliùs vultus, & reſiduæ ſæpè in facie maculæ per ſalutarem diarrhæam auferantur. Ea enim eſt primæ ætatis proprietas, ut nullatenùs fidendum ſit, aut perſpirationi, aut excretioni per urinas, ſed alvus centrum præbeat à quo & in quod omnia corporis excrementa confluant. Proderit ergo in ignis ſylvatici curatione, vitare quantùm fieri poterit ſuperfluam alimentorum farraginem, eorumque glutinòſorum, aut dura nimìs viſcera ita expetentium ut ab iis felix ſperari poſſit concoctio. Si nondùm ablactatis, quod rarum, ignis ſylveſter erumpat, copia hauſti lactis imminuenda erit, & nimìs craſſa ejus qualitas emulſionibus levibus, aquâ leviori è decocto graminis, diætâ nutricis tenui corrigenda. Si qualitas lateat acris, lac illud demulcentibus

indiget ; ſed fatendum eſt multò feliciùs mutari nutricem ipſam, ſiquidem acris humorum conditio non uno temporis puncto mutatur.

Ablactatis diæta præſcribatur tenuiſſima, ex farinoſis benè fermentatis atque biſcoctis, nullâ evidenti donatis acredine, imò nec aceſcentiâ. Superfluam non generare materiem quæ exhalare præ copiâ non poſſit in hâc curatione perficiendâ palmarium eſt; poſteà verò cùm alteri vacuationi ultrà modum fidere nefas ſit, ferè omnibus hebdomadibus recurrentibus optimum erit & ventriculi in omnibus hiſce ut plurimùm peccantis vires ſuſtentare rhabarbarinis decoctis, & ſimul alvum leniter his vacuare. Hæc vulgò in hiſce malis levandis ſufficiunt. Brumali tempore cùm riget tempeſtas, nec improvida ætas poteſt aut à frigore arceri, aut à motu contineri, vix aliquid aliud tentare auſim, niſi in conſtitutionibus infantium ruſticorum durioribus, quibus præſtat jalappa rhabarbaro.

At ubi jam calor certus, & conticuêre ut plurimùm ſymptomata, tunc cum effectu maximè ſalutari ad recidivas præcavendas uſurpavi antimonialia ſulphurea, inter cujus præparata maximè illud eminet quod à naturâ in antimonio puriſſimo ex ſulphure & regulinâ parte conflato reperitur, cujus grana aliquot quotidiè ingeſta hunc habent effectum ut pleniùs & meliùs exhalatio fiat. Undè ſi per aliquot menſes remedium illud fuerit repetitum, nullum aliud potentius reperitur ad recidivas ignis ſylveſtris præcavendas ; modò tamen & arcto vitæ regimine contineantur infantes, nec ſinantur ſordes quarum maximus in cute infantum proventus eſt ad cutem ita adhærere, ut ipſam ſublevent epidermidem, meatus obturent, adeòque perſpirationi obſtent.

ARTICULUS IV.

De Prunâ & igne Perſico Avicennæ.

Inter tumores eryſipelatoſos peſſimus ille eſt qui proprium ſibi nomen ab Avicennâ (*a*) meritus eſt : quanquàm enim ab illo auctore jure meritòque inter eryſipelata numeretur ignis perſicus, tamen malignitatis jure propriam ſibi tractationem vindicavit.

Duas ejus diſtinxit ſpecies, quarum prima pruna dicitur, igne

(*a*) Lib. 4, fen. 3, tr. 1, cap. 9.

levior perſico, id eſt & celeriùs ſua decurrens tempora, & minus formidinis afferens. Conſiſtit autem pruna in puſtulâ phlyctœnæ ad inſtar ſublatâ, cum limbo ſummè eryſipelatoſo, & ne cum eryſipelatibus ſummæ acrimoniæ & gangrænoſis confundatur, monet illud ipſi proprium ineſſe caracterem quòd ex parte in partem excurrat, priori relictâ ſede, ita ut hoc ad ipſum pertineat ut & ad formicas quo nomine auctor noſter herpetem deſignabat.

At pruna nec limbum adeò fervidum, aut flammeum, nec phlyctœnam adeò nigricantem, nec humoris effluxum adeò acrem habet atque ignis perſicus, ſed perfidâ lenitate illudens, profundiùs exurit, & licèt aſpectu clementior, difficiliùs curationem recipit.

Omnia in igne perſico vehementiora, dolores, pruritus : at curatio promptior atque facilior. Plerique auctores credunt (*a*) ſub ignis perſici nomine nihil aliud intelligendum eſſe præter anthracem à Galeno pluries deſcriptum. Et reverà nullus anthrax eſt, nullus phlegmo qui non limbos habeat eryſipelate ſæpè etiam latè diffuſo conſpicuos. Verùm diſertè monet Avicennas (*b*) rem non eamdem ſub diverſis latere nominibus, cùm etiam edicat aliquandò ignem perſicum in phlegmonem converti cujus natura non eadem ſit, niſi, ut ſcholarum more loquar, per accidens.

Utrumque pariter malum diſtinguit ab eruptionibus peſtilentialibus quibuſcum confundi poſſet, aliiſque hujuſmodi puſtulis quæ febri peſſimæ miliari ſuccedunt, aut eam comitantur. Rarum certè apud nos malum aut pruna, aut ignis perſicus Avicennæ; quod tamen non incognitum vidi totum ſucceſſivè corpus cum inſigni dolore occupaſſe, ita ut nunc crus, nunc brachium tota humore illo ſanioſo diffluerent ſummè mordaci illo & epidermidem ita ſublevante, ut omne illud in rimas quaſi ab aquâ ſtygiâ impreſſas fatiſceret, cute ſubjectâ in rivulum exesâ.

Puſtula inerat nigricans quidem, ſed ab effuſo ſanguine: ſerum ipſum pellucidum erat & digito etiam ſano acre & pruriens. Longum duratione malum, ſolis diluentibus ſanatum, jam quaſi perfectâ ſanatione reviviſcere viſum, donec tandem per plus quàm quatuordecim menſes nunc ſæviens, nunc manſuefactum deſierit omninò.

(*a*) Jo. Gorræus, Fr. Ant. Mongius. Annot. in Avicenn.
(*b*) Loco citato.

Nec verò rarum eſt in ſcorbuticis ſimilia reperire ulcuſcula potiùs quàm phlyctœnas. Verùm id ſcorbuticis proprium eſt ut aliis ſtipentur ſymptomatibus quæ primarium deſignent malum, cujus ſeu ulcus, ſeu phlyctœna poteſt ut accidens haberi. Sed etiam ſine ullâ causâ prænotabili non raræ ſunt phlyctœnæ nigricantes, quales ambuſtorum, in ſenibus præſertim : de his jam alibi egimus. At differunt ab igne perſico ex eo quòd non adeò in his vehemens dolor, nec ulla inflammationis ſigna exardeant quæ prunam & ignem perſicum, teſte auctore noſtro, ita comitantur, ut à bile acri flavâ atque mordaci malum pendere pronunciet. Undè apparet quod licèt morbus ille poſſet apud nos occurrere, rariùs tamen contingat quàm in locis ferventibus & cœlo arido atque calido Indiarum atque Aſiæ. Apud nos verò cauſa acris aut leviores phlyctœnas, aut graviores carbunculos inducit; quamvis Rhaſes (*a*) carbunculum cum prunâ & igne perſico confundat, carbunculum verò velit ab anthrace Græcorum diſtingui : quâ de ratione auctor ille id ſentiat, dictu difficillimum.

Verùm ex dictis, ubicumquè ſæviet pruna & ignis perſicus, diagnoſis nullâ ratione difficilis haberi poterit, quippè quæ oculis uſurpanda. Sed prognoſis non adeò prompta. Etenim varietatem non mediocrem imprimit cauſa antecedens, & quæ ejus exortum, aut comitantur, aut antecedunt accidentia, de quibus ſiluit Avicennas. Verùm ſi quod vidi ad prunam perſicam referri poteſt, moroſitas plurium dierum, potiùs quàm febris, & malus ventriculi habitus ciborumque faſtidium cum nauſeâ junctum præceſſerant, poſt vitam ærumnis plenam & corpus duris laboribus attritum. Necnon ſimile quid accidiſſe ſcivi poſt epularum lautiorum & vini ſummam ingurgitationem; quod congruit cum puſtulis in febre ab Hippocrate obſervatis poſt commeſſationes. Verùm quidquid eveniat, prognoſis tutò deducetur, ut alia quævis, ex ſymptomatum magnitudine & receſſu à ſtatu naturali.

Certè indicationes eaſdem malum illud offert atque eryſipelata quæcumque, monente ipſo Avicennâ : cauſæ eædem, niſi quòd vehementiori deſæviant impetu & in unam partem irruant. In ipſo tamen mali exortu largiùs & pleniùs ſanguinem detrahit Avicennas ex locis convenientibus quàm in eryſipelate. Diæta tenuis refrigerans paginam implet ; monitos verò vult Medicos in principio hujus mali non eodem gradu eſſe ſequendam methodum

(*a*) Lib. 21, tr. 7.

refrigerationis atque in eryſipelate, ut pote quod malum evidenter criticum ſit. Verùm cùm ea quæ antiqui & Græci & Arabes refrigerantia vocaverint reverâ & jure apud nos pro adſtringentibus habeantur, repudienturque meritò in omni horumce depuratoriorum tempore, evidens eſt curam eamdem eſſe adhibendam quæ igni ſacro convenit, niſi quòd magis præſens eſt metus ne gangræna malum invadat & vertatur eryſipelas in affectum phlegmonodœum, aut gangrænoſum. Quo titulo in lotionibus atque fomentis, & ſcordium, & camphora, & quod nuperrimis temporibus meritò cæteris antiſepticis palmam præripuit, cortex Peruvianus, principem locum obtinere poſſunt.

CAPUT II.

De Tumoribus Phlegmonodæis partem aliquam cutis impetentibus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Phygethlo & Phymate & Furunculo.

PHYGETHLON Græcis φυγεθλον, Latinis dicitur panis, ſeu panus. Panus dicitur à figurâ pani illiûs inſtrumenti quo textores utuntur. Dicitur etiam panicula (*a*). *Eſt autem tumor non altus, ſed latus, in quo puſtulæ quidpiam ſimile eſt. Dolor diſtentioque vehemens eſt, & major quàm pro magnitudine tumoris. Interdùm etiam febricula. Idque tardè matureſcit, neque magnoperè in pus convertitur: fit autem maximè in alis, in vertice, in inguinibus.*

Phyma φῦμα (*b*) verior eſt phlegmone magiſque exquiſita. Differt tamen à furunculo cum quo confundi ſolet, quòd rotundius ſit & planius, quòd per latius ſpatium quàm & phygethlon, & furunculus diffundatur. Nihil intùs conglobati ut in furunculo reperitur. Dolores quàm in phygethlo & furunculo minores ſunt. Verùm omnis corrupta caro in pus vertitur, quod non fit

(*a*) Celſ. lib. 5, cap. 28.
(*b*) Celſ. ibid.

in furunculo. Id autem in pueris crebrò reperitur, ætate invaleſcente minùs & rariùs oritur; in ſenibus ne reperitur quidem.

Furunculus Δοθιὴν Græcis (*a*), tuberculum eſt acutum, cum inflammatione & dolore, maximè ubi jam in pus vergit. Ubi adapertus eſt & exiit pus, ſubter apparet pars carnis in pus verſa, corrupta, ſubalbiba, ſubrubra, quem ventriculum furunculi quidam nominant. Ait autem Celſus in illo nullum periculum ſubeſſe, cùm per ſe matureſcat. At Galenus (*b*) duplicem furunculi differentiam ſtatuit. Alios dicens eſſe furunculos duros, varis ſimiles, & qui concoctionem vix admittant; alios verò eſſe φλεγμονώδεις & magnos, qui febrem concitent, & corpora conficiant.

Diſtinguit autem Galenus omnia hæc mala à bubonibus, teſte Paulo (*c*), ex eo quòd, quæ propriè nomen bubonum gerere debent mala phlegmones ſint, ea modò recenſita aliquid, cum naturâ phlegmonis, eryſipelatoſi ſemper gerant: cui diſtinctioni id velim per obſervationem addidiſſe, quòd mala hæc de quibus hìc agimus & quæ recenſemus inter depuratoria cutis mala, à ſummâ cute ſenſim ſemper incipiant, profundiùſque in textum cellularem irrepant; ſed apicem in cute habuerunt primum, à quâ altiùs penetrant: bubones verò & reliqui phlegmonodœi tumores ab interioribus ad cutim ferantur, eamque demùm attingant. Hinc inter morbos cutis recenſendi non ſunt. Quæ cùm ita ſint, non video cur Manardus (*d*) Plinium reprehendat quòd ſub nomine pani ea intellexerit mala, quæ Græci ſub phygethli nomine deſignant. Cùm nomina hæc duo idem ſignificarint Celſo & aliis omnibus latinis etiam vetuſtiſſimis auctoribus.

Nec minùs verò ex his patet ſub titulo phygethli, phymatis, furunculi, aliorumque nominum ab Arabibus excogitatorum, quæ referre longius hìc foret, unum & idem mali genus intelligi, eryſipelas phlegmonodæum, ſed ſpecies reverà diverſas eſſe, ut accuratiſſimis obſervationibus conſtat. Nullus eſt enim Medicus qui non in praxi diverſas hujus ſpecies obſervaverit phygethlon, phyma, atque furunculum, quorum ergo genus tractandum primò, dein diverſæ ſpecies exequendæ.

Ab humore in cutem deponendo & cujus excrementitia indoles

(*a*) Celſ. ibid.
(*b*) Lib. 5, de Comp. Med. ſec. loca.
(*c*) Lib. 4, cap. 22.
(*d*) Lib. 7, Epiſt. Medic. 11.

occluſas

occluſas perſpirationis vias affectabat, eryſipelatoſi illi phlegmones trahunt originem. Undè vulgò, dùm excitantur, habentur pro varis, aut levibus puſtulis ſenſu vix notandis incommodo; quod ita tamen velim intelligi, ut de iis tantummodò loquamur qui ſine febre præviâ, aut morbo cujus criſim conſtituunt, naſcantur. Mox uniûs diei, aut noctis ſpatio increſcunt, ſæpè pruritu prævio, ſæpè leviter tantùm ad tactum dolentes. Brevì lancinantem atque punctorium dolorem ſibi adſiſcunt : in centro mali dolor pulſatorius ſentitur, dùm intereà limbi eorumque vicinia pruriunt immaniter. Limbus plerumquè roſeo colore nitet, aliquandò tamen vix, niſi in centro, tumor rubet; febris quandoquè excitatur, tumor ad tactum renitens, durus extollitur ultrà cutis ſuperficiem, fitque demùm & doloris ceſſatio, & ſuppurationis exortus. Hæc in principio morbi communia; ſed enaſcente jam pure exoriuntur notabiles differentiæ. In phygethlo enim minæ ingentes; ardor vehemens, dolor lacerans & pungens, apex ſummè rubens duritieſque partis immanis ſuppurationem enormem viderentur portendere; ſed hæc omnia unâ, aut alterâ puris guttulâ erumpente ceſſant, remanente in parte affectâ ſummâ duritie, ſed mucosâ illâ & quæ lentiùs non reſolvitur quidem, ſed in lemas abit cruſtoſas, aut furfuraceas.

Id etiam phygethlo proprium eſt ut rarò ſolum emicet, ſed uno deſtructo exoriatur alterum, aut duo ſimul; imò plures per menſes ſcena protrahitur. Nunc in hanc, nunc in illam partem defertur, inguina & alas præcipuè, imò & faciem occupans. Phygethli ultimi illiûs ſpecies maximè vulgata ad mulieres præprimis pertinet, eaſque puerperas, habetque aliquid mucoſi & lactei, undè propter humoris inertem naturam minùs inflammationis, aut ſaltem minùs perfectam phlegmonem inducit; & unam ex eo genere mulierem vidi quæ tentatis incaſsùm omnibus in id aptis remediis plures per annos phygethla nunc hùc, nunc illùc experta, deſiit tandem ſimilia pati, nullâ pariter de ratione, ut exorta erant. Vulgò phygethlum minus volumen occupat quam phyma aut furunculus, ſed in cute impreſſam duritiem longo tempore ſæpè relinquit.

Phyma, ſi antiquis credendum ſit, ad pueros præcipuè pertinet; rotundius & planius eſt, eò quòd minorem inflammationis gradum ſecum advehat. Tardiùs ſua decurrit tempora, adeòque ſuppurationem inducit perfectiorem, minùſque acrem, nec cauſam

agnoſcit adeò ferocem, nec glutinoſam, aut mucidam adeò; imò & cùm maximè perfecta ſit ſuppuratio, non adeò frequentes recidivas minatur, nec revertitur; nam ſuppurationis perfectæ beneſicio quidquid vitiatum fuit tollitur. Prætereà nec adeò cutem ſupereminet, nec adeò in vicinum adipem ſe protrudit, & quòd aliquandò plus quàm aut phygethlon, aut furunculus extendatur, id pendet præcipuè à naturâ eryſipelatosâ, quâ cutis ſuperficiem plus quàm textum cellularem, aut ſaltem æqualiter occupat.

Nec quilibet attentus obſervator credet unquàm diſtinctiones has ut precarias admitti vix debere. Inſunt enim in rerum naturâ. Et non rarò occurrit, licet minùs obſervatum ſit phygethlon. Ubi tamen ſemel alicui inſidit cuti, cùm facilè & frequenter revertatur, brevì methodum præſervatoriam expetunt ægrotantes. Phyma quidem quòd adeò frequenter non advertatur cauſa eſt quòd cum furunculo confundatur; at ſi Chirurgos atque Medicos interroges, quot vicibus non exierit è furunculo maſſa albida quam ventriculum Celſus, Galli *Bourbillon* vocant, id ſæpè ſæpiùs eveniſſe reſpondebunt omnes. Hinc phyma differt à furunculo.

Furunculus enim circà unam molem crudam atque indigeſtam pus accumulat, ſæpiùs extrà cutem magno tumore extat, & rubeo atque flammeo colore inſignis eſt. Dolor in hoc malo acutiſſimus eſt, brevi deſæviens furore, cum non omnis maſſa in pus vertenda ſit, & vulgò in furunculo, ubi ſemel exiit ventriculus, omnia ſedantur. At fatendum eſt id furunculo & phygethlo commune eſſe, ut uni ſedato ſuccedat alter, nec niſi exhauſtâ excitante cauſâ liberi ab illis poſſint dici ægrotantes. Verùm enim ceſſante uno, pauca poſt intervalla redit alter in aliâ parte ſæpè ſummè diſſitâ; ejuſdem formæ & naturæ; ita ut dentur hominum præſertim juniorum conſtitutiones quæ quotannis vere & autumno, ſed vere præcipuè, horumce morborum recidivas tres quatuorve patiantur, dein iiſdem reliquo anno immunes. Undè magis noſtrâ intereſt horumce in cauſis eruendis inſudare.

Evidens eſt à ſuppuratione perfectâ quæ hæc mala comitatur, imò & eorum eſſentiam conſtituit, jam & novam morbi ſedem quærendam eſſe, & novam peccantis humoris indolem. Scilicet pars mucoſa ſanguinis in cellulis cuti ſubjectis, aut cutem ipſam efficientibus, ſiſtitur & agglomeratur. Fluxione, ut cum veteribus loquar, ſubitâ vehementiſſima naſcitur inflammatio, eaque citò

ſyſtrophica. Mucus ergo ſpiſſior concretus & hærens pro causâ malorum horumce efficienti haberi debet, ſi ſpiſſior illa craſis juncta ſit acrimoniæ ad putridam indolem inclinanti quæ valeat erethiſmum concitare & quaſi ignem concipere. At hæc ipſi inuſta labes à pluribus cauſis occaſionalibus inferri potuit.

Prima verò eſt perſpirationis obſtructio ſubita, ſi vitioſus humor perſpiratorius jam fuerit, chylique crudi atque viſcoſi & craſſi crudum & craſſum excrementum. Undè in hiſce inducendis malis primæ concoctionis inertis atque glutinoſæ primarium eſt momentum. Nec frequentior ulla eſt in hominibus qui vitium illud furunculoſum ferunt cauſa quæ illos importet, quàm hinc ſanguis denſitate peccans inflammatoriâ, illinc chyli crudioris copia maxima.

Altera cauſa eſt muci illiûs coagulatio & coagmentatio per frigus ſubitum & vehemens ; motu cordis intereà valido & à tergo urgente. His enim cauſis agentibus ſupprimitur perſpiratio, lympha concreſcit, erethiſmus naſcitur.

Tertiam cauſarum claſſem conſtituunt venena quælibet intùs nata, aut partium virulentarum nondùm extinctæ reliquiæ. Ita poſt variolas alicujus momenti & copiæ exſiccatas atque depuratas, cùm omnia jam in vado poſita ſunt, qui ſuppurationem in puſtulis concitabat humor textum cellularem invadit & phymata, phygethla, furunculos concitat renaſcentia, & ſeſe mutuò excipientia, imò & ſine variolarum eruptione ſæpè qui ægris adſtiterunt eorumque cutem infectam attigêre ſimilibus morbis afflictantur. Nobilis mulier per ſex integros menſes furunculis nunc hìc, nunc illìc erumpentibus, ſanitate alioquin illibatâ, vexabatur. Cauſam deteri & remedia obtrudi poſtulabat impensè. Illicò, ſine ullâ febre præviâ, variolæ confluentes erumpunt. Omnia, exceptâ febre, adſuêre confluentium variolarum ſymptomata, ptyaliſmus, vultûs & manûum tumor, convaluit, ſimul ab eruptione furunculorum poſteà immunis. Vidi non ſemel herpetibus ferè ſanatis furunculos ſuccedere, nec minùs etiam aliis cutaneis quibuſcumque morbis, cùm jam depulſum virus ſtagnat ad vaſorum oſtia, nec jam poteſt experiri infractas naturæ vires. Tunc enim artis auxiliatricis ope, bono omine in hanc illamve partem novâ ſub formâ deponitur.

Demùm ultima cauſarum claſſis continet quodcumque mucum ſanguinis in corporibus validis & inflammationem non renuentibus vitiare poteſt. Lactis reliquiæ in fæminis, affectus catharrodei, imò & ſæpè pleuriticorum ſanguis reſolvi abſolutè renuens

ſanato jam morbo reliquias coagmentati muci per furunculos ejicit, & abſceſſus furunculoſos; ſed hæc cauſarum inflammatoriarum claſſis, cùm vulgò in glandulas deſæviat textumque cellularem circumjectum, vix inter morbos cutaneos recenſenda eſt; eaque ſit abſceſſûum claſſis quam Hippocrates ait, copioſâ & albâ urinâ affatim eductâ præverti. Ex his patet quàm multæ poſſint hujuſmodi tumores invehere cauſæ accidentales, ex quibus illa quæ ad nos præcipuè de morbis cutaneis tractantibus pertinet, ea eſt quæ debetur partibus extraneis acribus, quæ cum muco jungantur, eum inficiunt, & inflammationem concitant per quam depuratio fit, quæ quidem raro ita abſoluta eſt, ut non aliis natura egeat ſimilis indolis tumoribus per quos omne virus expellatur; undè fit ut qui priores naſcuntur furunculi & majores, & vehementiores ſint; qui poſteà ſuboriuntur, minores & volumine & accidentibus evadant.

Ex hâc accidentium quæ furunculos comitantur expoſitione facile eſt concludere duplicem eſſe curationis ſervandam viam, nec ſimile eſſe furunculo præſenti mederi, aut cauſam furunculorum ſubindè naſcentium attingere. Scilicet duplicem hìc diſtingui debere curationem, alteram ut loquuntur ſcholæ, palliativam, curativam alteram, id eſt, quæ fontes mali & cauſam in ſanguine radicatam poſſit evertere.

Palliativa quidem furunculi, phymatis, atque phygethli curatio per ſe ſimplex eſt, & merè chirurgica. Id enim ars poſtulat ut omnis ad cutem delata materies felici ſuppuratione tollatur, ſuccreſcantque novæ jam non inquinatæ veteri fermento cellulæ. In phymate omnis in ſuppurationem abit contentus humor, in furunculo ſupereſt maſſa coagulata, pinguis, coagmentata, quæ pure circùmundiquè cincta, ab omnibus vinculis exſolvitur. Hinc omne per emplaſtra & unguenta maturantia negotium abſolvitur, modò ſimul illa emolliant. Undè pro re natâ atque diverſis, aut cutis, aut mali caracteribus præfert Chirurgus nunc unguentum fuſcum, nunc baſilicum, nunc etiam populeum farinis remixtum ſimul mucilagineis, ſimulque acribus. Anteà tamen, ſi dolores acriores fuerint & cutis adhùc intacta, partem emolliit atque dolores compeſcuit per applicationem cataplaſmatum, laxantium, emollientium, anodynorum. At ſuppuratione ſemel factâ res omninò naturæ committenda, quæ brevì nulliûs momenti eſt, atque leve vulnus conſolidatur, etiam ſine ullâ cicatrice, ſi tamen

furunculus gravior non fuerit; nam ſæpè qui ventriculus conſtitit ex accumulato in cellulis humore, depreſſionem ſatis notabilem relinquit.

Intereà verò cùm erethiſmus in parte generalem erethiſmum poſſet accerſere, Medicinæ ſapientis opus eſt ita vim naturæ dirigere, ut non ultrà modum excandeſcat illa, nec ſuppurationi obſtet irritatio nimia. Hinc diluentia, antiphlogiſtica ita ſanguinearum partium acrimoniam retundent, ita partium ſolidarum tenſionem laxabunt, ut quæ febris neceſſaria eſt in parte, per dolorem vehementiorem excitata, totum in corpus non ſæviat. Imò cùm dolenti naturæ non poſſibile ſit concoctionem inteſtinalem abſolvere, ſi tumor ſuppurationi addictus alicujus momenti fuerit, diæta, aut pertenuis, aut ſimpliciter tenuis, ad ſenſum antiquorum ſervanda; & ne per doloris tempus aliquid acris acceſſerit in bile & quiſquiliis per inteſtina ſtagnantibus, artis erit opere peracto alvum medicamento leniter laxante ſimul, nec ſtimulante tamen repurgaſſe, ut alacrior, ſordibus expulſis, ad opera ſolita exercenda reſurgat ventriculus. Hæc quidem ſatis ſuperque eſſent ſi horum tumorum indoles in unicâ eruptione tota comprehenderetur. Sed id rarum eſt. Tuncque ut plurimùm à causâ evidenti tumor ortus eſt. Verùm ubi alii aliis ſuccreſcunt, cauſa latet intùs quæ extincto tumore ſupereſt debellanda. Et in hoc perficiendo opere non unica ſollicitudo adhibenda eſt.

Aliàs enim herpetibus mediocri primùm eruptione, poſteà aut remediorum applicatione, aut ipsâ naturæ vi, depuratoriè erumpentibus, poſtquam furor ille deferbuit, phymata & furunculi ſuccreſcunt; tuncque optimo omine plerumquè apparent, quippe cauſa morbi naturæ viribus evincitur, & vix ullis aliis remediis indigent, præterquàm aperientibus mollioribus ex herbis ſaponaceis, quibus, dùm canales aperiuntur, & liber humorum præparatur exitus, poſteà, apud nos ſaltem ſeptentrionales, catharticis bilemque moventibus ad quam acria omnia ſpontè devolvuntur, curationi finis imponitur.

Aliàs herpetibus mixta materies ſimul erumpit; tuncque nullam aliam curationis formam poſtulat, præter eam methodum quæ convenit ipſis herpetibus, in quorum herpetum genere illud notandum eſt, eos qui mixti cum phymatibus apparent, nec rebelles eſſe, nec malæ naturæ, cùm ea ſit fermenti indoles ut poſſit facilè per apertam ſuppurationem derivari, cauterii more,

quod non priùs exſiccatur aut recreſcere ceſſat, quàm maxima materiæ pars aſſumpta ſit.

Verùm nulla eſt ferè cauſa quæ cùm ab interioribus ad exteriora feratur, non poſſit phymata, furunculoſve inducere. Dantur hujuſce modi tumores venerei, dantur & ſcorbutici. Cauſam, niſi ſymptomata interiora ſedulo excuſſeris examine, hariolari à formâ vix poteris. Limbus ſolus differt. In ſcorbuticis vulgò limbus tumorem ambiens atque circumdans, purpureus eſt, & ferè nigreſcit. In venereis furunculis oræ furunculi ulcerati pravæ, retorridæ ſunt & albicantes, nec facilè confunduntur, niſi cum leproſis furunculis. Scorbutica hujuſmodi ulcera facilè ſanantur, recreſcunt facillimè ; ulcera venerea tardiùs, nec niſi difficillimè curationem admittunt. In his omnibus cauſæ curatio morbi ſanationem facit. Verùm cautè cum unguentis externis incedendum eſt. In ſcorbuticis enim ſuppuratio non promovenda. Si vertatur phyma venereum in ulcus, cicatrix non exoptanda, ſed comprimenda cauſticis lues ſerpens & exedens vicina. Apertè autem ex his paucis patet, ſæpè phyma, phygethlon, furunculum, pro ſymptomate, aut mox erupturi morbi, aut reliquiarum à præterito morbo redivivarum habenda eſſe, & quamvis per ſe ferè vix aliud ſymptoma inducant, præter incommodum grave, non eſſe tamen unquam à Medicis oculo levi tumores hoſce prætereundos, quippè qui ſignum præbeant malæ in humoribus conditionis.

Aliquandò tamen more criſeos erumpunt à redundante atque ſuperfluo muco orti tumores, & ab ipsâ collectione vires atque erethiſmum concitare apti. Hic caſus adultis juvenibus, imò & nondùm ſatis menſtruatis mulieribus ſæpè apparet, ter quaterque, verno præſertim atque autumnali tempore, quo præſertim tempore humorum ſumma fit mutatio, rarefactorum atque motum concipientium, autumno contrà, repercuſsâ perſpiratione, redundantium. Imò fatendum eſt dari corpora quaſi à conſtitutione nativâ in horum tumorum eruptionem propenſa. Sed juvenibus præſertim furunculi erumpunt, ſenibus phygethla. Scilicet plus muci juvenibus adeſt qui deeſt ſenibus, adeòque vix concreſcere poteſt. Hiſce in caſibus certè non diatheſis inflammatoria tantùm corrigenda eſt quæ per ſe furunculos non ingeneraret, ſed & voracitas juvenum regiminis tenuitate & parvitate temperanda, augendus excretionum regularis exitus ; perſpiratio balneis, fomentiſque ita adjuvanda, ne ſordes in cute concreſcant atque

augeſcant, viamque exeuntium humorum præcludant. Vetulis verò acria omnia vetanda ; ſimulque monendi ſunt quàm parcus alendis illis victus neceſſarius ſit, quem ſi nimiâ ingerant copiâ, non furunculi tantùm metuendi erunt, ſed multò majus imminebit periculum apoplexiarum, aliarumque à redundante cacochymico humore pendentium affectionum.

ARTICULUS II.

De Plantâ nocturnâ Arabum, Ficis Galeni & antiquorum, Lupo Manardi & Roſâ Severini.

Diverſitatem nominum ſummam, & ab auctoribus ex Arabum ſcholâ prodigialiter & barbarorum more ſine ullâ ratione multiplicatam ſæpè eaſdem naturâ, diverſas formâ tantùm affectiones ſignificare eorum codices ſitu & vetuſtate deletos evolventi ſatis apparebit. Ad claſſes tamen diverſas ea nomina dùm revocare aggredimur, id à nobis faciendum credidimus, aut quoties nova nobis ab hiſce vocabulis idæa naſcitur, aut quoties puderet in hiſtoriâ morborum à prioribus obſervata ignorare.

Confuſionem hanc nominum jam pluriès obſervare datum eſt. Nec ulla nobis admirandi ratio ſubiit, cum ſæpè & apud Hippocratem ipſum eodem vocabulo deſignentur affectus ſimiles quorum alius per ſe exiſtit ad morbos ſui generis referendus ; alius ſub eodem aſpectu tantummodò gravioris morbi ſymptoma ſit. Ita Hippocrates (*a*) dùm Ariſtæi uxoris fratri in febre acutiſſimâ terminthos exiiſſe ait, de ſymptomate loquitur quod multi pro legitimo variolarum exitu leviter, ut mihi videtur ipſo Nic. Leoniceno judice, habuerunt. Nos cum Aetio (*b*), imò Galeno (*c*), aliiſque auctoribus de terminthis ut morbo ſui generis egimus ; non quidem quòd is ſit nobis animus, ut negemus poſſe terminthos exire ſymptomaticos, imò & fateamur in febre illâ miaſmodæâ, quæ carcerum dicitur & ſentinarum, frequentes exire, ſed tunc putrida corruptelæ intimioris propullantis germina febris ipſiûs & indolem & curationem requirunt.

Non idem de epinyctide dici poteſt aſpectu luridâ & lividâ illâ puſtulâ de quâ ſingulari articulo inter morbos univerſæ molis

(*a*) Epid. lib. 2.
(*b*) Tetrabibl. 4, ſerm. 2, cap. 62.
(*c*) Galen. de vocibus Hippocrat. Oribaſ. Synops. lib. 3, cap. 36. J. Manardus, Lib. 7, Epiſt. 2.

egimus, quam noctu inquietantem pinxit Plinius (*a*). Verùm ſymptoma illud nocturnis redivivum horis, ut pluries jam proferendi ſeſe obtulit occaſio, omnibus pruritibus commune eſt. Undè nulla eſt ratio cur *eſſere* Arabum, ſera nocturna Avicennæ, ſive *eſſere noctis*, apud ipſum (*b*) fruſtrà cum epinyctide confundatur. Sed multò magis analogiæ cum epinyctide Græcorum ſervat tumor ille quem ſub nomine plantæ nocturnæ idem deſcripſit. In hoc tamen ab epinyctide Græcorum planta nocturna Avicennæ & à cæteris tumoribus differt, quòd Avicennas in fervido Arabiæ cœlo & apud Aſiaticos directo peruſtos ſole obſervator plantam nocturnam quaſi ſolitariam puſtulam deſcripſerit, epinyctides Græcorum ſæpè plures ſimul partes invaſerint.

Hinc ergo illud nobis impoſitum negotii credidimus ut res ad naturæ normam, ſepoſitis libris, expenderemus; licèt plures interpretes inter quos principem locum jure obtinet J. Manardus (*c*), velint ſeram nocturnam ſeu *eſſere noctis* & plantam nocturnam Avicennæ, atque illa mala ab Haly Abbate (*d*) deſcripta & indicata ſub nomine *Sayre*, *Aſſapha*, diverſas ejuſdem mali ſpecies conſtituere, atque ad Græcorum epinyctides referri: nos diverſa mala verè & ex obſervatione credimus eſſe epinyctidem de quâ jam actum eſt, *eſſere* quod papuloſum eſt malum, & plantam nocturnam, quæ phymatis ſpecies eſt ſymptomatibus atrox, lividum, noctu recrudeſcens, aliquandò multiplex, ſæpiùs ſolitarium, raròapud nos ſæviens, aliquandò tamen obſervatum.

Cùm verò rarior ſit hæc puſtula ferox & ab ipſo Arabum principe non deſcripta ſatis, malum à me obſervatum licebit antè oculos memorare, quod & ſedulus in notas reduxi, & antequam Avicennam legerim nullibi alibi notatum inveni.

Vir ſeptuagenarius, ſobrius, de menſurando tritico Pariſiis judex & parvæ opellæ gnaviter incumbens, religioſæ aliquid melancholiæ pectore reconditum geſtans, pruritu levi ad cutem dorſi corripitur, noctu redivivo. Mox rubor levis extra prominens, ſemper ſemperque adaucto nocturno pruritu, vertitur in puſtulam albicantem, limbo nitentem ſubrubello. Sed quotiès redivivi erant dolores, liveſcebat. Recrudeſcentia hæc ſingulis quidem

(*a*) Plin. lib. 22, cap. 25. Paul. lib. 4, cap. 9.
(*b*) Lib. 4, fen. 2, tr. 1 & 2.
(*c*) Epiſt. 2, lib. 7.
(*d*) Haly Abbas. lib. 10, cap. 5 & 8.

noctibus

noctibus ita accedebat, ut certâ horâ magnis cum ejulatibus, imò & lacrymis prodiret; febris nulla, imò in ipſo doloris paroxyſmo pulſus demiſſus & tardior. In viciniâ nec tumor, nec rubor alius præterquàm ad limbos inſignis. Manabat ab ipſo ulcere guttula liquoris limpidi mucoſi, ſed eâ donati acrimoniâ ut ejus effluxus doloris vehementiam efficeret ſummam, & partes quam attigerat igne ardenti combureret. Nec nocte tantùm ſævior exardebat, ſed manu vel maximè ſuſpensâ tractatus tumor & ejulatus, & motus convulſivos eliciebat. Videbatur, ſaltem me judice, ultima nervorum pulpa quaſi ulcerata; nam nec linteis carptis, nec topicæ unguentorum applicationi locus dabatur, quippè ſi leviùs attingeretur, illicò & ponderis prementis ſenſu, & ardore incredibili correptus tolli omnia jubebat; nec tolerabile induſium linteum. Nudus humeros diù noctuque ſtabat; nam recubare impoſſibile, nec oculos nictitare. Aquâ ſolâ perfundi poterat eâque tepidâ tanti mali auctor puſtula. Plures per menſes perdurabat non mutatus morbus, ſine ullo alio phœnomeno præter & maciem ſummam à vigiliis inductam, & animi deſperationem. Affectus qui ſenſim increverat, decrevit ſenſim. Pus loco ichoris bonum plures per dies in melius ſenſim ſeſe immutans cicatricem lentam induxit, ſanatuſque æger plures vixit per annos ſanus integerque; peripneumoniâ nuper octogenarius vitæ finem invenit. Alios hìc etiam poſſem numerare eodem malo, ſed non æquè ferociter affectos, quorum ſanatio nunquam obtineri potuit, quin per ſuppurationem pars primùm dolens fuerit deleta. Vaſis ſanguineis per ſuppurationem abſumptis, & ſenſus deſtruitur, & exſiccata nervi pulpa decidit. Malum hoc Arabes ab atræ bilis morſu oriundum judicabant, & cancro æmulum. Certè acerrima eſt quæ plantæ nocturnæ, ut & epinyctidibus inducendis confert materia, at ubi unica eſt, nec alias afficit functiones materies illa, pro criticâ poteſt haberi & depuratoriâ. An morbus ille idem eſt ac *nævus niger* à quibuſdam Arabibus deſcriptus, teſte Golio (*a*), qui per integrum biennium ferox dein ſenſim decreſcebat?

Verùm quantumvis materies illa extra organiſmi centrum atque circulationis limites in bonum corporis disjecta ſit, poteſt tamen & præ ſummo dolore necare homines, inediâ conſumere, vigiliis macerare, aut corruptelâ vicinorum corpus inficere. Undè id ſummè optandum ut antequam vires acciſæ ſint, atque à morbo

(*a*) In Levitic. 13.

conſumptæ unica medicationis via tentetur, & per legitimam ſuppurationem vicinorum pars ipſa ſuppurationi minùs idonea tollatur. Quo quidem in caſu ſuppurationem fruſtrà per unguenta emollientia, ſtimulo tamen adjuncto, moliaris. Quidquid per ſe maximè laxans eſt apponendum, imò ut Paulus (*a*), Avicennas (*b*), aliique veteres ſuadent, admovenda ſunt, ſi fieri poteſt, narcotica ex hyoſciamo, ſolano, aliiſque hujuſmodi quibus rectè ſuppleveris ex recentiori medicinâ, ſi laxantibus atque emollientibus opii aliquid cautè admiſcueris. Ubi enim dolor eſt atrociſſimus & vix tolerabilis, ſedativa indicatio princeps fit & antè alias omnes adimplenda; nec diffitendum tamen ipſam opii efficaciam verſam fuiſſe in irritantem in viro illo de quo mentio injecta eſt.

Nec minùs per medicamenta intùs adhibita è ſero lactis, laxantibus juſculis, aut herbis molliſſimis ſummam tenſionem ſatages, aut tollere, aut ejus ſaltem effectus præpedire, ut dùm à dolore corpus vaſtatur, atque marceſcit, per artem ſaltem aliquâ ratione reparetur. Forſan etiam in tanto malo radices ejus altiùs repetendæ ſunt atque inquirendæ. Videndum certè an æger melancholiam vultu lurido, vitâ anxiâ, terroris plenâ, longo uſu acrium auſterorum contraxerit, an non tota corporis œconomia acri aliquo laboret, quæ omnia remediis ſpecificis & ad cauſam obviis medicanda ſunt? At præſertìm, licèt veteres (*c*) non ita ſemper ſenſiſſe videantur, balneorum tepidorum uſu longo ſuccurremus ſanitati labefactatæ, poſteàque artis erit ita ægrum diſponere ut quotannis, per duos integros menſes, vere præſertim & autumno, cùm vigent herbæ recentiores, & ſaponaceus eorum ſuccus ferè integer lac ſubit, æger lacte utatur aſinino, ſummo ſimul imperato è vegetantibus regimine, niſi tamen ex eorum naturâ ſit, rarâ quidem in hiſce malis, qui poſſint omnimodè ex lacte vivere, ſpretâ omni aliâ diætâ.

Mitioris eſt generis & vulgatior affectus ille qui Græcis dicebatur *σύκωσις*, ſicoſus affectus ob fici ſimilitudinem; quia caro in eo excreſcit, ut aiunt veteres, id eſt fundus ultrà labia ulceris attollitur. Morbi hujus duas ſpecies diſtinguit Celſus (*d*). Altera

(*a*) Loco citato.
(*b*) Loco citato.
(*c*) Paulus, loc. cit.
(*d*) Celſ. lib. 6, cap. 3.

ulcus durum & rotundum eſt, altera humidum & inæquale. Ex duro exiguum quoddam & glutinoſum exit, ex humido plus & mali odoris. Fit utrumque in iis partibus quæ pilis conteguntur; ſed id quod calloſum & rotundum eſt, maximè in barbâ, id verò quod humidum, præcipuè in capillis. Hæc Celſus à quo nullatenùs diſſentire videtur Galenus (*a*), licèt alii auctores aliter ſub nomine fici intellexerint tumores induratos, indolentes, ſive ſcirrhoſos, alii inter quos Gorræus (*b*), per ficus intellexerint mariſcas, ſeu ulcera in pudendo ſic Juvenali olim dicta, ex vulgari loquendi normâ. Quæ ulcera ad cutem ſolam non pertinent, & ſi aliquandò pro ficubus haberi poſſunt, non tamen comprehendunt univerſum ficûum genus.

Verùm ſi hiſce principibus Medicinæ Celſo atque Galeno, ut æquum eſt, confidimus, apparebit ficus eſſe phymatum ſpeciem quæ bulbos pilorum præcipuè invadit: ibi verò contentus & evidenter ad capillorum formationem luxurians mucus ab inflammatione, ob ſtagnationem indureſcit, donec aucto ſemper volumine findatur ipſe bulbus, & cum vicino textu cellulari ſuppuret. Hæc eſt arida illa fici ſpecies quæ in barbam deſævit quo loco cutis aridior eſt. At in capite altera fici ſpecies magis communis eſt, cùm cutis capitis capillata magis alluatur, & humoribus magis ſcateat. Fatendum tamen eſt quòd, etſi muci illiûs ab aliquâ è non naturalibus cauſis contracta durities poſſit huic malo anſam præbere, mundities tamen & cutis cura apud nos diligentior levibus hiſce malis præcavendis ſufficiat, undè apud divites & melioris conditionis homines fici & rariores ſint, & numero perexigui; cùm contrà apud pauperes & ſordidos, nec tundendæ barbæ aſſiduos, plures viderim & craſſitie & mucosâ ſuppuratione conſpicuos. Quæ ubi ſuppuratio unum ad finem perduxit, renaſcitur alter causâ vivace & perpetuò redivivâ, decidentibus intereà, nec poſteà renaſcentibus pilis.

Cauſæ quidem tumorum horumce ad univerſales tumorum ſuppurantium cauſas revocantur, eaſque præcipuè quæ parti humorum noſtrorum mucoſæ cogendæ atque coagulandæ potiſſimùm inſervire poſſunt. De his jam abundè dictum.

Verùm non adeò facilè eſt enarrare quæ ſint illæ quæ malum in pilorum bulbos determinant, & ficoſum tumorem conſtituunt.

(*a*) Lib. de Comp. ſecund. loca, lib. 5.
(*b*) Defin. Med. Aetius, lib. 2, tetrab. 4, cap. 4.

Certè inter præcipuas morbi cauſas ſordities & impexa negligentia aut barbæ, aut capillorum numeranda. Poſteà verò notandum eſt malum illud, herpeticis hominibus familiare maximè, in eos præſertim incidere qui mentagrâ laborant, & cute furfuraceâ; undè cùm Romæ olim epidemici videantur fuiſſe menti lichenes, apud Celſum atque Galenum longa mentio eſt & ingens remediorum ſeries ad menti papulas ficoſas.

Non enim omnis tumor in mento ſuppurans fici nomine donatur, ſed ſi volumine minor ſit, papula ficoſa à Galeno dicitur. Indè verò facile eſt deducere naturam ficûum, ſeu tumorum ficoſorum vix à phymatis, ſeu furunculi naturâ differre, niſi quòd videatur inflammatio in tumoribus de quibus agimus folliculos cutis duriores occupare, qui ob ſenſilitatem imminutam & duritiem quam partes perpetuo aëri expoſitæ contrahunt, tardiùs concipiunt atque peragunt ſuppurationem, imò humorem jam ferè ſolidum intùs continent qui ideò difficilè, nec omnimodè in pus convertitur. Undè ex hiſce tumoribus non modò pus exit, ſed ſimul ſecum trahit materiem adipoſam, rancidam & olidam.

Licèt ergo veteres, & præcipuè Galenus, ficoſos tumores mento ſoli adſcribant, ſimillimos tumores ad axillas, inguina atque dorſum ſæpiùs obſervamus, qui lento admodùm progreſſu in ſuppurationem abeunt; ſimulque, ſi eos compreſſeris, cum pure materiem aliquandò vermibus albidis ſimilem, granuloſam, adipoſam cum impetu exprimis. Hanc ſequitur pus paucos per dies aliquandò, ſi compreſſio fortior fuerit, ſanguini remixtum, & brevi temporis intervallo fit morbi curatio qui plures aliquandò per menſes, imò per annos integros progreſſu tacito, nec cæteroquin turbatis functionibus increſcebat. Et certè nulliûs alteriûs mali curatio unquam ſimplicior; digerentia enim atque reſolventia emplaſtra adhibita malo ſanando ſufficiunt, donec centrum ipſum auferat lenta, ſed certa ſuppuratio.

Ut univerſalibus cauſis, prout in hanc illamve partem decumbunt, ſua ſunt phœnomena, ita ab illorum varietate, nullo ad cauſam reſpectu habito, varia nomina efficta & inventa ſunt. Licèt enim apud Arabas & Græco-Arabas Medicos in genere nomen lupi inditum fuerit ulceribus quos aliàs vocabant nomadas, ſeu proſerpentes, de quibus videre eſt Arn. de Villanova, Gordonum, Mathæum de Gradibus & alios, tamen apud pleroſque receptum

eſt ut lupi (*a*) haberentur & vocarentur puſtulæ phymatodes, ſeu ſuppurantes in cruribus & extremitatibus ſeniorum inferioribus. Quæ ubi ſemel natæ ſunt, ob infirmitatem virium ætatis, ob declivem locum, & præcipuè, ob frigus in tantâ à corde diſtantiâ enaſcens, difficilè in bonam ſuppurationem vertuntur, & difficiliùs adhùc perducuntur ad cicatricem perfectam. Verùm, etſi ſymptomata mali hujuſce omnia in tarditate ſymptomatum conſiſtant, undè grandeſcunt potiùs quàm minuuntur, in pravitate carnium ſuccreſcentium, ob caloris, ut aiebant veteres, nativi defectum, tamen vulgò eò magis notanda ſunt quòd raro ſine causâ interiori accidant, eaque vulgò, aut ſcorbutica ſint, aut melancholica. In priori caſu pro criticis haberi non poſſunt & pendent à ſanguinis lentore, acrimoniæ commixto; nec niſi validiſſimis remediis antiſcorbuticis per methodum benè cognitam ſaneſcunt. In poſteriori ſæpè habenda ſunt pro criticis & verè depuratoriis. Sic unam vidi fœminam jam vetulam, & menſtruis planè carentem quam ſimilia ferè periodicè adorirentur ulcera. Phlogoſis præcedebat, ſimulque omnia phymatis ſymptomata. Varicoſum illi omne crus erat, & inter varices ſuperficiale ulcus, non ſine ſummo dolore, identidem recrudeſcebat. Si verò celerior cicatrix per deſſicativa unguenta induceretur, brevì aliud in viciniâ maximè proximâ ſuccreſcebat, donec humor exhauſtus plures per menſes relinqueret liberam & à malo ſemper facilè redivivo immunem. Quamvis autem cauſæ illæ in ſenibus facillimè occurrant, & ex vetulis infirmis multi ſint qui iis affligantur, Σαπροκνήμους vocabat Dioſcorides decrepitæ ſenectutis malum, præſertim apud monachos & monachas auſtero & ſordido victui ſacratos commune, tamen aliæ omnes cauſæ ad ſimilia ulcera inducenda poſſunt concurrere.

Juvenem novi, ſi modò dicenda exceperis, ſanum. Huic à febre peſſimâ reſurgenti artus inferior ſiniſter altero craſſior remanſit, & cute duriori inſignis. Plura ad hanc fœditatem fruſtrà tentata ſunt. Sprevit vix notandum formæ vitium per plures annos, alioquin integer. Nunc quotannis vere & autumno lupoſo ulcere laborat, cogiturque & labores togæ quibus addictus eſt deſerere, & lecto affigi plures per dies. Nulla enim ambulanti, imò & erecto cicatrix ſperanda ſupereſt. Idem accidere vidi & perſtare doleo in eximio & ſplendore generis atque animi fortitudine celebrando viro, cui poſt confluentes variolas idem contigit ut crus unum

(*a*) Manard. lib. 7, Ep. 2.

altero craſſius remanſerit. Pluribus ab annis ad hunc uſque lupinis laborat ulceribus quibus identidem erumpentibus ſpes affulget, ut aliquandò cruris craſſities ad priſtinam reducatur molem. Nam licèt decennium jam à variolis exactum ſit, quotieſcumque ulcus aliquod eminet, de cruris mole detrahitur aliquid.

Quod ad curationem attinet, ſi topica ſpectaveris, ea ſeligenda ſunt quæ neutrâ virtute donantur, ne, ſi ſtimulent, mali progreſſibus anſam præbeant, ſi adſtringant, falſam præpoſterè inducant cicatricem, materiamque intùs cohibeant quæ ſtagnando pejor fieret. Adeòque mollities cuti atque lævor per topica ſervanda ſunt, imò & quod ſæpiùs accidit in parte ferè frigeſcenti, ſi aliquis ichor effluat, emplaſtra admovenda ſunt feneſtrata, quò poſſit tenuior ichor ita effluere, ut craſſior & mucoſa pars ad pus conficiendum neceſſaria retineatur, ſuperfluo ſero effluente. Quod ad interiora ſpectat, cauſæ adhibenda meditatio, ut ſcorbutus per ſpecifica abigatur, melancholicus humor per diluentia fluxilis fiat, non neglectis intereà tonicis, quæ viribus alendis atque ſuſtentandis neceſſaria ſunt, & quorum uſus, tùm externè, tùm internè magis multò prædicandus erit, ſi, ut ſæpè fit, gangrænæ in cruribus ſenum ſemper pertimeſcendæ metus ingruat. Quo in caſu quid de ſcordio, alliariâ, aromaticis omnibus ſentiendum, quid præſertim de kinakina ſperandum ſit, omnes auctores qui de eâ ſcripsêre materiâ ſatis ſuperque edocuerunt, nec noſtrum eſt ad alia properantibus fuſiùs de iis diſſerere.

Ad hujus generis mala pertinent plurima alia diverſis nominibus ab auctoribus deſcripta. Talia ſunt ulcera Balechia quæ barbaro nomine Haly Abbas deſcripſit. Phlyzacium, ſeu φλυζάκιον quod ulcus inter puſtulas Celſus deſcripſit. Scilicet in eo affectu reperitur puſtula durior, ſubalbida, ex quâ quod exprimitur humidum eſt, & quæ certè non poteſt ſine ſuppuratione ad perfectam curationem deduci. Quamvis graviſſimus auctor J. Manardus φλύζακιον illud à Celſo deſcriptum pro corrupto vocabulo velit accipi, referatque illud ad ψυδράκια, ſeu pſydracia, quæ eâdem definitione gaudent, idque habent ſingulare quòd ad caput præcipuè pertineant, quo nomine ad ficus & ficoſos Galeni tumores referendi ſint, quamvis parùm interſit in tantâ nominum farragine unum alterumve admittas. Singulariter tamen hujus mentionem faciemus humoris quem M. Aurelius Severinus (*a*) ro-

(*a*) De Reconditâ abſceſſ. lib. 4, cap. 12.

ſam capitis nuncupavit, quippè is ex eorum paucorum numero eſt qui ſua obſervata ad naturæ normam libravêre.

Roſa illa neſcio quâ de cauſâ ſic vocata ; « à tuberculo incipit, » ſeu parvâ quæ abceſſit puſtulâ, ſeu à thymio maligno, vel » parvo ulcere. Malum illud ulcus rotundum, inverſis plerumquè » oris, planum, & in tenues verrucas identidem ſublatum oculis » objicit, id impurâ ſcaturigine fotum humoris mali, ſaniem non » reddit præter quàm ichoroden. Perdolens ad aliqua tempora; » nullis remediis quantumvis præſtantibus cedere ſuetum eſt: » propterea quòd altiùs infixus fomes pericranion, aut cranion, » nedum cutem & membranam carneam infecit ». Hæc Severinus. Quâ quidem ex deſcriptione evidens eſt quantùm roſa Severini cum ficubus Galeni conſentiat. Forſan & hùc referendæ aures cruentatæ de quibus vide Paulum (*a*) ? Roſa quidem, licèt ad herpetum virus potiùs quàm ad phlegmonum naturam pertineat, ideò hìc locum reperit quòd ſuppuratione ſolâ tollatur, hæcque inſtituatur difficilè admodùm, cùm à fomite rebelli pendeat. Certè Severinus cauſticis ſolis malum illud adoritur. Undè ſublatâ parte malè affectâ ſub eſcharâ legitima naſcitur ſuppuratio, quæ inutilis eſt prorsùs, niſi remediis adhibitis legitima lymphæ atque ſanguini craſis inducatur. Imperfecta enim eſt & erit ſemper ſuppuratio, donec vitium interiùs graſſans arte magiſtrâ fuerit prorsùs emendatum.

Dantur etiam & ad cutem & in toto quâcumque protenditur textu cellulari ſuppurationes, & eæ quidem legitimæ, ac perfectæ, ſine vix ullâ præviâ inflammatione peculiari atque locali. At eæ verè criticæ ſunt, & iſtæ ſunt à quibus, monente Hippocrate, liberat craſſa & copioſè diffluens urina. Verùm illæ apparatum habuerunt quaſi in univerſo corpore, atque febrilem inflammatoriamque præparationem : de quibus veteres Medici monuerunt ſigna adeſſe quæ ſolutionem non fieri prænuntient, nec tamen ullum mortis incurri periculum. De iis tot præcepta, tot aphoriſmos congeſſit Hippocrates, ut Medicis hujus ſuppurationis ſigna prænuntia nunquam defutura ſint.

(*a*) Lib. 3, cap. 23.

CAPUT III.

De Tumoribus Lymphaticis ſuppurantibus alicui parti cutis propriis.

ARTICULUS PRIMUS.

De Meliceride, Cerio, & Melitagrâ Galeni.

MELICERIS, μελικηρις & κηρίον quo nomine intellexerunt veteres ulceroſum affectum prorsùs alienum ab illo malo quod hodie apud Chirurgos nomen illud circumfert poſt Celſum (*a*), (& nihil aliud eſt quàm tumor cyſticus humorem melli ſimilem continens, de quo hìc agere non eſt ex noſtri operis inſtituto) Galeno etiam μελιτάγρα dictus eſt, & μελικηριόδες ἕλκος, ſed vulgatiùs κηρίον quo nomine Celſus illud deſcripſit. Forſan ad cutis morbos cur illud ulcus referamus mirum videbitur. Verùm & ad alios morbos cutaneos fuſiùs exponendos ac meliùs intelligendos confert ejus tractatio, nec alibi quàm in cute cognoſcitur; quippè in organa tantùm cutanea decumbit.

Ejus deſcriptionem, quandoquidem alii auctores deſunt, à Celſo mutuamur. Ejus duas ſpecies diſtinguit. Alterum eſt ſubalbidum & furunculo ſimile, ſed majus & cum magno dolore; quod ubi matureſcit, habet foramina per quæ fertur humor glutinoſus & purulentus; nec tamen ad juſtam maturitatem pervenit. Si per artem diviſum eſt, multò plus intùs corrupti quàm in furunculo apparet, altiùſque deſcendit: raró niſi in capillis apparet. Alterum eſt minus, & ſuper caput eminens, durum, latum, ſubviride, ſubpallidum, magis exulceratum: ſiquidem ad ſingulorum pilorum radices foramina ſunt per quæ fertur humor glutinoſus, ſubpallidus, craſſitiem mellis aut viſci referens, interdùm olei, &, ſi inciditur, viridis intrà color apparet. Dolor autem & inflammatio ingens eſt, adeò ut acutam quoque febrem movere conſuerit.

Certè in hâc utriuſque ſpecie ulceris κηρὶȣ quod in cute apparet

(*a*) Lib. 3, de Locis Galeni, cap. 7.

deſcriptione.

deſcriptione, quam ex Celſo mutuati ſumus obſervatio naturæ accurata miranda eſt. De ulcere melicerode, quod idem eſt atque κηρίον, Aetius (*a*) tanquam de morbo apud Syros vulgari loquitur, eaque ulcera *ſanalia* appellat. Verùm Galenus μελιτάγραν & μελικηρίδην alibi alio ſenſu accepit, dùm eas cum mentagrâ confudit de quâ jam alibi dictum, & ſi deſcriptionem Plinii inſumimus, viroque rei naturalis à ſe obſervatæ non imperito credimus (*b*), reverà differt maximè mentagra à meliceride de quâ hìc tractamus.

Verùm cùm in partibus piloſis præcipuè emineat κηρίον, non mirum ſi in barbâ pariter emineat cujus ſpeciem apud nos obſervaſſe mihi non ſemel datum eſt. Naſcuntur ſcilicet inter barbæ pilos tubercula rotunda, parùm inflammata, dolentia, tantùm ſi comprimantur, & quamvis dura ſint aliquid tamen ſubmolle perſentitur. A novaculâ tuberculis illis inſidentes pili abraſi, baſim facilè cruentatam habent. Coloris cutem primo in inſultu non mutant. Vulgò ſolitarium naſcitur tale tuberculum, ſed mox plures diverſis in barbæ locis enaſcuntur, ita ut ſtructura exterior menti mutata in tuber videatur. Et aliquandò ab iis totum integrè ſpatium à barbâ occupatum repletur: tardèque adeò incedunt illa tubercula ut timeant ægrotantes ne pars ſimili modo infecta ſemper remaneat. Mox tamen, ſed uniùs aliquandò menſis intervallo, tuberculum apicem album oſtentat, fit dolentius, nec ſine aliquibus lancinationibus, ſed non perpetuis, & poſt intervalla longa recrudeſcentibus, exit per foramina plura quæ mox matureſcente tumore in unum coeunt non pus, ſed puri remixtum ſebum quoddam granulatum cum unâ ſanguinis guttulâ, quo facto poſtridiè aliqua puris veri atque legitimi particula exit, & de tuberculo illo jam nulla mentio. Cætera pariter ſuo quæque tempore ſanantur, nec reviviſcunt; ita ut malum durabile, fœdum, & indolens aliquandò plures per annos perſtet vultum infeſtans. Pili verò barbæ ab illo malo evadunt rariores, ſed non omninò viſi ſunt periiſſe.

Aliud eſt malum de quo jam dictum capite præcedenti ſub nomine ficorum, quæ ab iſto differunt eò quòd non adeò increſcant, nec ſebum fundant, & velociùs ſua tempora decurrant, ac demùm pilos funditùs excidant, ita ut barba poſteà intervalla

(*a*) Tetrabibl. 1, Serm. 4, cap. 23.
(*b*) V. de Impetigine; pars 1.

tantùm à ficis illis libera occupet. Fici bulbos pilorum occupant; κηρία verò in glandulis ſebaceis ſedem fixêre.

Vitium quod hanc indurationem effecit ad herpeticum virus referri ut plurimùm debet, quòd materiam oleoſam & adipoſam cuti proximam & in folliculis degentem invadat, undè forſan minùs ad morbos cutis, quàm ad affectus textûs cellularis deberet referri. Undè fit ut ſicoſi tumores ad mucoſæ materiæ degenerationem referendi differant à noſtris ulceribus, in eo quòd ſicoſi tumores antè barbæ eruptionem apparere non poſſint: at κηρία atque meliceride s illæ noſtræ, in infantibus etiam reperiuntur, mentumque cicatricibus in totam ætatem deturpant. Hinc qui iis affecti fuêre, videntur, ob cicatrices relictas, variolis quas nunquam experti ſunt laboraſſe. Imò & forſan ſera olim docebit experientia eos qui aut his, aut ſimilibus malis in infantiâ multùm atque diù laboraverunt minùs poſteà variolis eſſe obnoxios.

At, ceſſante hoc malo, ſæpè pro multiplici illâ abſceſsûum verè depuratoriorum varietate, cùm jam res peracta videtur & ſæpè ſibi curationem pollicetur æger, accidit ut reliquiæ depurationis in unum abſceſſum angulos maxillæ obſidentem mutentur, ſolitarium, inflammatum atque doloriferum. Quæ converſio morborum cutaneorum in unicum abſceſſum non rara eſt; at abſceſſus ille id habet in noſtro caſu proprium & ſingulare quòd, vel in ipſis ſuis primordiis, non dubia fluctuationis ſigna importet. Id etiam ipſi proprium eſt quòd non ita præcipiti curſu ſua tempora peragat, ita ut difficilè admodùm, nec niſi poſt anxias curas aperiatur, applicationeque etiam cauſtici ſæpè egeat, cùm materies intùs contenta non phlogiſtica ſit, nec ad pertundendam cutim apta. Hæc eſt vera, ut mihi ſaltem videtur, antiquorum meliceris.

Verùm inquirenti in cauſas mali hujuſce, certè videtur depuratio altiùs repetenda ex miaſmatum impurorum lympham impetentium naturâ. Quod miaſma, ſi in adipem deponatur, facit tumores illos, nec aliam expetit tractationem præter illam quæ herpetibus convenit, cùm fatendum ſit obſervatione conſtantiſſimâ demonſtrari, raro omninò mala illa in eorum hominum genus cadere qui nunquam herpetes fuerint experti, aut ſaltem lichenibus laboraverint, adeòque textum lymphæ, aut acrem, aut craſſum non habuerint. Undè forſan non adeò immeritò videntur malum hoc cum mentagrâ confudiſſe Galenus & Plinius, quæ cùm lichen primi ordinis fuerit, atque citò contagioſam luem oſtenderit,

certè non ſine magnâ glandularum ſebacearum læſione invadere debuit ; adeòque pro magnitudine læſionis curationem non potuit accipere, ſine aliquâ perfectâ ſuppuratione : confuſio forſan indè orta eſt, nec ſatis intellecta diſtinctio morbi in primâ ſuâ origine, ac deindè in variis ſuorum temporum periodis. Certè nil commune magis in eruptionibus lymphaticis quibuſcumque, quàm phœnomenon illud ; ſcilicet quod primò herpeticum erat, coctionem accipere, & in pus verti. Quid enim ? Verſo locorum ſitu, miteſcit virus & ſæpè cauterii vicem adimplet ſuppuratio.

Non igitur, poſt jam dicta repetitaque de lymphæ vitiis corrigendis, diagnoſique inſtituendâ cauſarum, de curatione melicerìdos multùm inſudare neceſſe eſt. Nec utraque ſpecies oculis tantùm diverſa, quam notavit Celſus, aliquid diſcrepantis ad curationem poſtulat. Quippè quæ vel topica eſt, vel ad internum vitium, ſeu veram mali cauſam accommodanda. Certè exteriora poſtulat remedia abſceſſus ille ex ſuppurantium genere, quæ cum emollienti facultate putredinem certam cuti afferant efficaciter. Imò & in nimiâ cutis tenacitate, ne indureſcat humor contentus, & vertatur tumor inflammatorius cujus ſuppuratio radices prorsùs ſuſtuliſſet in tumorem indolentem & cyſticum, proderit cauſtico admoto cutem violare ; cùm illiûs remedii efficaci operatione actuoſa vis nova in tumorem univerſum diffundatur & extendatur, non in tumorem ſolùm, ſed in omnem viciniam. Sic topica phlogoſis excitatur in tumoris deſtructionem : & ſemel aperto tumore illo & jam ſanatione ferè perfectâ, ad interioris vitii cauſas tota ſe vertit attentio, quas quidem ſollicitè expiſcari oportet. Non enim una cauſa hiſce inferendis valet, inter quas tamen præcipuas partes tenet, ut jam diximus, herpeticum virus. At ſæpè venerea lues talia invexit mala, quæ tunc, vulgato apud Chirurgos nomine, gummi dicuntur, ob naturam mucoſam & ſordidè purulentam. Sed ea non unica ſunt mali latentis ſymptomata, verùm eorum natura ex enarratione præcedentium & obſervatione ſatis demonſtratur.

ARTICULUS II.

De Achoribus & Favis Infantum.

Achores Ἀχῶρες Græcis, favi dicuntur Latinis à ſimilitudine cum apum favis, undè & ad κηρίον veterum referuntur. Eſt autem

αχῶρ indè dictus, ſi Tralliano credimus (*a*), quòd ichori ſimilem ιχῶρι παράπλησιον humorem fundant. Sunt autem achores capiti & cuti capillatæ proprii per foramina exigua liquorem fundentia ulcera. Αχῶρ à favo differt ſecundùm Alexandri mentem, cùm ſint ejuſdem naturæ, quòd aperturæ in ſavis ſint ad aſpectum majores, quippè quæ evidentes ſint in favis, vix ſe ſinant conſpici in αχωρε. Quod aliter ſentiat Galenus circa nominum originem, parùm ad artem confert. Satis ſit ſiviſſe omnium auctorum conſenſu per achores & favos intelligi manantia atque chronica capitis ulcera, ſæpè ſine inſigni tumore, aliquandò cute tantùm per areas tumefactâ, quæ vulgò odorem acidulum fermentatum, aut rranceſcens & olidum fundunt, ſine inſigni ſanitatis detrimento. Plures per annos perſtant, aliquandò cum capillorum defluvio, interdùm capillis remanentibus, ſed ſemper cum ingenti capitis dehoneſtatione. Depuratoria autem eſſe hæc ulcera & ratio & experientia ſuadent; nec ſine magno corporis periculo repelli poſſe monet Alexander, licèt Aëtius (*b*) aliique plerique, nec excepto Celſo (*c*), ad favum adſtringentia & fortia deterſiva malè & inconſultè ſuadeant.

Malum illud multò plus infantes quàm alios quoſcumque invadit, & ad dentitionem erumpit. Non ſecurè, niſi poſt primum ſeptennium ſanantur pueri, cùm intactæ alioquin cæteræ functiones perſtent, ſed non rarò vicinæ glandulæ tumefactione fœdè affligantur. Undè cùm malum illud cum aliis quibuſcumque morbis hujus ætatis cutaneis coincidat de quibus agendum erit, & formâ potiùs quàm naturâ morbi illi differant, operæ pretium erit paululùm conſtitutioni corporis infantilis inſiſtere, quanquam rem ſedulò jam alibi attigerimus.

Madidum undiquè & diffluens corpus infantile in magno ſui corporis incremento conſtitutum, & bellè comedit & concoquit celerrimè oblata, modò tamen illa viribus corporis aptè & ſapienter fuerint proportionalia. Exundat undequâque in illis humor lymphaticus, & glandulæ, receptacula muco ſcatent glutinoſo, ita ut proportio liquidi ad ſolidum multò major ſit quàm in adultis.

Non copiâ ſolùm, ſed & dotibus differunt inter ſe humores illi. Mucus crudior &, ut in junioribus animalibus, ad acidum ma-

(*a*) Alexander Trallian. lib. 10, cap. 8.
(*b*) Tetrabibl. Serm. 4, cap. 22.
(*c*) Lib. 5, cap. 18.

ximè vergit, ita ut & ſudor, & halitus perſpirabilis tenellorum horumce corporum maſſam fermentantem exprimat, & volatile quid acidulum exhalet. Sed ſi ob concoctiones vitiatas, aut minùs benè confectas, vel præpediatur exhalatio illa, vel cohibeatur in vaſis, tunc evolvitur ad acredinem uſque manifeſtam aceſcentia illa; & ſi in glandulas feratur aliaque organa ſecretioni humorum dicata, indurantur quidem illa facillimè eò quòd ſeleniticum quemdam inſolubilemque ſalem cum terrâ abſorbente ubique in lymphatico humore reperiundâ efficiant, obſtructiones tunc creantur difficillimè reſolvendæ: humores verò nativum caracterem amittunt, fiuntque indè, aut fatui, atque terrâ & ſale deſtituti, aut reſinoſi atque aceſcentes. In hoc ultimo caſu bilis virideſcens vitium illud oculis exprimit. Hæc feralis quidem ſcena eſt, & eò ad dentitionem periculoſior, quòd eo tempore plus terræ illiùs animalis debuit evolvi ad oſſium quorumcumque, ſed evidentiùs dentium, corroborationem; undè dùm cætera organa quæ mollia ſervare natura debuiſſet, indureſcunt, ſublatâ terrâ, additoque acido, oſſea compages molleſcit, flacceſcit, articuli molem accipiunt molliorem, torquentur & diſtrahuntur à muſculis oſſa longiora. Ab uno hoc fonte millena mala in ætatem teneram diffluunt, quæ poſteà vix poterunt corrigi.

Hæc quidem mala non adeò rara ſunt, ut quivis ea non obſervaverit, præſertim in tenuioris ſortis infantibus quos dura egeſtas cogit ad alimentorum crudorum, duriorum, è vegetantibus farinoſis ingluviem, aut in opulentiorum malè moratorum filiis, quibus nihil non conceſſum. Quid ſi innatum, aut adventitium virus malè fabricatæ conſtitutioni novas vires addat, & vitium vitio ſuperingeminet ſeſe, ut ſæpè ſit, ſi lacte, aut alimentis obruatur vis infantilis, ſi perſpiratio cohibeatur incautè, ſi animi pathematibus tenella anima corpus imbelle divexet, ſi demùm caſus quicumque in eos qui vel maximam adhibent prudentiam ineluctabilis inciderit? Notandum eſt enim quodcumque infortunium in ſanitatem infantum uniformem exerere actuoſitatem: undè non rarum eſt, à lapſu, ictu, vulnere quocumque infantes in miſerrimam incidiſſe rachitidem; nec à dentitione difficili ſolâ, ſed à caſibus quibuſcumque morboſis puerilis ſanitas labefactatur, & ſemper eâdem ratione.

Ætatis progreſſu lympha ſemper magis magiſque ab augmento virium eorumque pleniori exercitio & tenuationis & phlogiſti

accipit, acquiritque dotes undè novis uſibus, noviſque ſecretionibus apta evadat; cornua in animalium quorumdam fronte ſuccreſcunt, evolvuntur organa, ſecretionum tenor & augetur, & firmatur, novaque generatrix facultas novis ſtimulis hominem accendit & inflammat. Omnes illæ mutationes in œconomiâ animali neceſſariæ doctè & fusè à Cl. R. Ruſſel (*a*) enodatæ & expoſitæ noſtri non ſunt inſtituti; ſufficiat ſcire mitiùs multò & leniùs cum infantibus à naturâ agi, ubi ſuppreſſa, vel ſenſim imminuta perſpiratio ſub textu cellulari remanet, undè ſibi viam cudit, cuti capillatæ præſertim inſidias ſtruens, ad quam & maxima moles, & libertas meatûum major, & refluxus etiam proximus faciunt ut, repreſſo à cutis textu humore, tot ſubitæ convulſiones infantum tenella corpora obruant. In hâc ergo infelicitate hoc fortunatum ſupereſt, quòd ſtante hâc abſceſsûum vacuatione ſaltem à gravioribus malis eos immunes poſſimus ſpondere.

Verùm hærens ſub cute & ad cutem perſpiratio quam veteres fuliginoſam vocavêre, & de quâ Aëtius (*b*) pulchrè annotavit cutem granuloſam efficere, cutis ſubſtantiam ejuſque maximè externas occupat cellulas. Infringitur nativa ejus conſtitutio & mutatur etiam exterior aſpectus. Scilicet illa florem hunc tenellum qui mucoſis vaſis extra propullulantibus debetur, amittit; dura eſt tractanti pellis, quæ lævis & molliter afficere tangentis manum debuit, & notante Aëtio, hiſpidi fiunt pueri, imò & piloſi poſteà. Supercreſcit cuti, ubi præcipuè tenſa eſt, lichen levis & mucoſus, quem facilè inſtrumentis radentibus abradunt nutrices. Sub hoc verò lichene tanquam puſtulæ leves numero plurimæ apparent, quæ poſteà adunatæ in ulcera uniuntur, aliquandò lata, aliquandò tenuiùs diſperſa, quibus ob muci affluentis copiam oræ & limbi craſſiores & retorridi apparent; ſed ſemper tamen innatam mollitiem ſervant. Exit ab hiſce abſceſſibus humor flaveſcens, olidus, rancedinem aciditati mixtam exprimens, & qui volatilitate oculos & nares acutiſſimè feriat, niſi ſedula adhibeatur mundities.

Stadium horumce malorum definire difficillimum eſt. Alia vix trium menſium periodo continentur, & id malo omine fit, quandoquidem humoris perpetuò renovandi, vixque per artem, ſed per ſolam ætatem mutandi moles, tam brevi ſpatio ſanari

(*a*) Œconom. nat. in glandul.

(*b*) Tetrabibl. 1, Serm. 4, cap. 26.

non potuit. At ſi omnimodè & quaſi ſubitò diſparuerint omnia ſimul ulcuſcula, tunc ferè de infante conclamatum eſt. Vel enim brevi ſpatio eum antè ora parentum è medio tollent convulſiones atrociſſimæ, aut refluus in viſcera humor organa ſecretoria indurando lentâ conficiet tabe. Alia intrà quatuor tempeſtatum ſpatium continentur, ſed hæc è genere leviorum ſunt, vixque limbos ulcerum extantes habent: alia demùm, vel ad uſque ſeptimum à ſecundo à nativitate anno orientia extenduntur, hæcque maximè communia ſunt.

Vulgò vere & autumno ſæviunt magis, hyeme abundant, per æſtatem, quo tempore viget perſpiratio, aut ferè evanida, aut humectata tantùm; imò multi ſunt è pueris in quibus omninò diſparent ad primos verni caloris impetus achores atque favi, ſenſim ad autumnum redivivi. Patet ſatis ex his achores veros eſſe tumores mucoſos, à muco aceſcente & rancidulo pendentes. Quantâ enim facilitate acidum quodvis, vel etiam acetoſum multâ aquâ dilutum agat cogendo atque condenſando molem mucoſam, facilè intelliget quicumque in ſe laborem inſumpſerit experimenta tentandi in mucum recentem cum acidulis quibuſcumque liquoribus; in quibus id notabit cum admiratione, diverſa omninò eſſe phœnomena acidorum variæ naturæ, etiamſi ad gratam aciditatem, multâ additâ aquâ, cujuſvis generis acidum debilitatum fuerit, de quo numeroſa exempla poſſemus allegare. In his enim tentaminibus converſus mucus pro acidi varietate materiem non diſſimilem achoribus exhibuit, ſed diverſam inter ſe, cum ſpiritu nitri flavam, cum ſpiritu vitrioli albam, duram, pellucidam, cum ſpiritu ſalis albam ſordeſcentem, nec duram. Acetum floccos ingenerat. Sed ſi acidi illi ſpiritus puri fuerint remixti, vertitur pus in molem granulatam non dubiâ præexiſtentiâ demonſtratâ ramentorum ſolidorum. Ea quidem theoria cùm ferè ad omnes æquè puerorum morbos pertineat, indè factum eſt ut ad illos univerſim ſanandos, & ſingulos methodicè deſtruendos, vir apud Anglos ſucceſſibus & arte nobilis G. Harris (*a*) anti-acida, alcalina, ſed præcipuè abſorbentia commendaverit. Et certè, licèt forſan aliqua hìc reſtrictio adhibenda ſit, ita ad acidum inclinat mucoſa infantium colluvies, ut de eâ ſuſpicio ſtatim injicienda ſit, nec in achoribus ſanandis alia ſæpè oculis & menti ſeſe objiciat indicatio.

(*a*) G. Harris de Morbis infantum.

Verùm antè omnia id inquirendum, an arte medicâ opus ſit infantibus quos vexant achores? an totum opus naturæ committendum ſit? Facile quidem reſponſum. Nam cùm achorum eruptio ex naturæ ordine fiat, ſuperfluumque potiùs quàm hoſtile venenum ab iis vacuetur, certè periculoſæ plenum opus aleæ foret, & neceſſariæ depurationi obſiſtere, & acrium partium eruptionem ita vetare, ut refluus humor, vel in caput convulſiones, vel in thoracem ſuffocationes, vel demùm in abdomen indurationes atque hydropes inferat. Et certè præcipitata quævis curatio vel vacuantibus irritantibus tentata, vel unguentis ſuppuratoriis & irritantibus accelerata, non ſine aliquo diſcrimine tentari poteſt. Attrahentia verò topicè admota, dùm inflammationem parti inferunt, conturbant naturæ ordinem. Prætereà verò ſervanda ſunt trahentia illa, aptandaque infelicibus illis caſibus in quibus aliquandò natura elanguerit, & per infortunium nullâ prævidendum prudentiâ tracta intùs fuerit morboſa lues, cùm nullum in ſinendis iſtis ulceribus ſubſit periculum. Veruntamen non neganda in curandis hiſce ulceribus, aut rejicienda artis efficacia. Sed duobus præſertìm remediorum generibus facilè hiſce malis ſuccurritur.

Primò enim tollenda antè omnia ingluvies, quæ ferè ſemper pro primâ & præcipuâ achorum causâ jure habetur. Eſt enim achor malum pendens à ſuperfluâ lymphæ copiâ, crudâ illâ atque indigeſtâ, adeòque, ſi ſevero addicantur regimini infantes, & multùm de copioſiori quem vulgò poſtulant cibo detrahatur, ſpes eſt fore ut minoribus laborent achoribus. Et facilè in eorum ſententiam iverim qui credunt farinoſas pultes crudaque omnia largiori copiâ exhibita huic malo inferendo apta ob craſſitiem eſſe. Undè infantibus in hoſce affectus propenſis cibos euchymos, benè fermentatos parcâ copiâ ingeri velim, & cum Gl. Harris (*a*) ſenſerim liquores omnes fermentatos, vinum, cerevíſiam, &c. eſſe iis interdicenda, quippè quæ, ſi valentiora ſint, humorem ad caput determinent, ſi oligophora, aceſcant facillimè. Poſteà verò quid vetat abſorbentium uſum adhibere; cùm certè & acidis in primâ coctionum officinâ, ubi maxima eſt eorum copia, & indè lymphæ miſceantur, atque alvum, ſeleniticâ naturâ adeptâ, ſubducant: inter hæc abſorbentia eminet vi laxante alba illa magneſia, ſalina ſimul & abſorbens.

Prætereà verò calces metallorum jovis, ſtibii, quæ virtutem

(*a*) V. Harris, loc. cit.

diaphoreticam

diaphoreticam obtinent, ſi præcipuè ſulphuri miſceantur, locum hìc invenire poſſunt. Hæc refractâ doſi, ſerò præcipuè & antè ſomnum, alimentis paucis mixta adhibeantur. Intereà verò topica auxilia ita admovenda ſunt, ne humorum perpetuo per achoras fluxui obſtent, at contrà fluxum hunc promovere queant; undè omnia ex plumbo confecta emplaſtra repudiare eſt animus, ſi quidem, quantùmvis hujus methodi auctores aliter ſentiant, & reſolventi virtute ſaturnina illa pharmaca prædicent, repellentia ſunt tamen, & vidi hiſce emplaſtris admotis partem humoris in faciem, partem aliam in viſcera ferri. Nec mercurialibus crediderim, quibus convulſiones accerſitas vidi. Sufficiet certè applicatio foliorum humidorum betæ, lactucæ, & ſi aliquid iners & ſtagnans hæſerit, hederæ arboreæ folia quæ aliquid corroſivi habent. Tùm verò partes foveantur lenibus reſolventibus, ut aquâ mellitâ leviter ſalsâ, ad antiquorum mentem, decocto foliorum veronicæ, hederæ terreſtris, florum ſambuci, aut ſi copioſus humor effluxerit, ita ut indè aut debilitas oſſibus, aut damnum metuenda ſint, aqua calcis ſecunda melli remixta ſufficiet: licèt fatendum ſit adſtringentia deterſiva ab omnibus vetuſtioribus auctoribus mirè prædicari, quibus in hâc parte fidem derogat experientia, nec intelligere ſinit quâ ratione iſta apud ipſos ſucceſſu aliquo donata fuerint.

ARTICULUS III.

De Lactumine Manardi.

Ad achoras atque favos refertur quod ex vernaculâ loquendi formulâ lactumen vocavit J. Manardus (*a*), & *ſapathum* Avicennas (*b*). Ulcerum genus ſtatìm ab initio vitæ exoritur, aut paulò poſt initium, & partim cruſtoſum, partim ulceroſum totum corpus dehoneſtat. Hæc vitia ab impuritate lactis orta creduntur. At impuritas illa vulgò à ſtagnantis ejus nimiâ copiâ ad cutim hærente oritur, & in pauperioris ſortis infantibus obſervatur præcipuè. Nam ſordes infantiles lacteæ ſunt atque acidulæ, in lemas tolluntur & epidermidem eò faciliùs à cute ſejungunt, quòd ipſa terrea epidermis acidis facilè uniatur, ſicque ſua vin-

(*a*) J. Manard. Epiſt. Medicin. lib. 7, Ep. 2.
(*b*) Serm. 4, Fen. 7.

cula à textu mucoſo ſolvat, eleveturque in phlyctœnas. Tùm evaporatur & evaneſcit ſerum, remanet magma partim mucoſum, partim caſeoſum. Hoc ubi cruſtâ per aliquod tempus contentum fuit, mutat indolem, putridum fit, & in pus vertitur, ſed mucoſum illud & malè coctum. Imò poteſt & peſſimam indolem induere & horrenda illa inducere mala de quibus, ut pote ab univerſali causâ pendentibus, egimus in priori parte. At ſemel aperto illo quaſi naturali cauterio depluere hìc omnes, quotquot in corpore vitiantur, mucoſos humores pronum eſt, quippè ad partem feruntur cujus tenor infirmus magis eſt; hinc complicationes variæ cum malis de quibus egimus. Differunt tamen lactumen & achores inter ſe, quòd achores altiores videantur radices habere, lactumen ſuperficiem magis lambat, & in ſummâ cute hæreat. Lactumen breviori tempore ſua percurrit tempora; imò ſæpè acutorum morborum terminos non excedit, ſummâque munditie ſolâ curatur, ſimulque imperato legitimæ diætæ ordine tollitur. Infanti lactis materni parcior uſus concedatur, ita ut appetat vehementer, imò & aliquatenùs famem patiatur. Quod cùm difficillimum ſit mulierculis perſuadere quas ejulatus & vagitus infantum ad copiam nimiam lactis ingerendam compellunt, ſaltem impetrandum eſt ut lac quantùm fieri poterit tenue efficiatur, alimentis tenuibus, & diluenti nutricis diætâ, ita ut minus craſſamenti caſeoſi in lacte generetur. Exulet ſaltem lac vaccinum, craſſitie nutrienti commendatum, & peſſimus in omnibus ferè caſibus pultis uſus, ſed hic pernicioſus; hujus enim uſu lactumen in achoras verteretur. Lactumen enim potiùs eſt gradus ad ἀχῶρας quàm malum, aut genere, aut etiam ſpecie diverſum. Demùm ſolemnis eſt apud nos praxis, quibus illa ſedulitas maleſana nutricum pueros ferè perpetuâ lactatione demulcendi, nec ratione, nec præceptis ſuperari poteſt, ut ſingulis ferè menſibus infantum ſimili ulcerosâ diatheſi laborantium, hyberno præſertìm tempore, cùm perſpiratio, aut vigere, aut reſtitui non poteſt, levi catharſi alvum ſubducamus, quâ vacuatur imminens humoralis plethora, ſimulque à cute farrago ſupercreta abducitur. Cujus in rei gratiam, manna, ſyrupos ex pharmacopæis laxantes adhibemus, refractâ doſi, felici ut plurimùm inſtituto, cùm poſteà appetitus & reſurgat acrior, & alacritas reſtituatur. Quod quidem nunquam damnaverim, hâc tamen adhibitâ cautelâ, ne indè infirmior alvus reddatur, fungaturque nimis

emunctorii naturalis facultate, habituſque contrahatur, quo cohibito, facilè turgebunt abdominales glandulæ. Verùm in his prudenter & cautè agendum. Certè nullibi mobilior humor quàm in infantibus, quorum ad temperiem accedunt puerperæ, tùm humorum copiâ, tùm naturâ conſimiles.

Aliud malum verè lactumen vocaverim, in puerperis non lactentibus, aut nutricibus, ubi à lacte depulerunt infantes, obſervandum. Malum hoc ad mammæ extrema & areolam tantum pertinet, per quæ quaſi à cellulis cutis pertuſis ſine ullâ ulceratione notabili, ſed per acinulos cellulares apertos & hiantes, exit ingens lactis copia. In ipſis ſuperpoſitis linteis, coagulatur illud, & caſeum ſpirat. Quæ cicatrix ſerò facta videtur leviſſimâ pelliculâ cooperta, facillimè rursùs manè aperitur. Lemæ pellucentes aliquandò exitui obſtant. Sæpè plures per menſes hâc formâ, intactis functionibus lac ſtillat, cum pruritu & rubore levi. Mammæ ipſiûs ſubſtantia non induratur, nec dolet. Iis vulgò menſtrua nondùm regularem fluxum reſumpsêre. Adeſt plethora localis lactea, quæ tenui diætâ, exercitiis, aut ſaltem alvi laxantibus, atque diureticis lentè & ſensìm ſanatur.

CAPUT IV.

De Tumoribus cruſtoſis atque farinoſis partem aliquam impetentibus.

SI naturam morborum horum ad quos noſtra hùc ſe vertit tractatio, ſeorsìm meditamur, vix differre primo intuitu videbuntur ab iis de quibus jam actum eſt. Etenim nullum eſt ulcus quod non, ſi ſibi relinquatur & à topicis immune ſit, cruſtâ contegatur, quæ quaſi emplaſtri vicem impleat, & eſcharræ formam exhibeat. Verùm multi caſus dantur in acutorum præſertim morborum hiſtoriâ, in quibus vel molliſſimis munita atque tecta emplaſtris ulcera in eſcharram vertuntur, & loco boni puris, quod ab iis expectare fas erat, cruſtam mucoſam exhibent, quæ colore & conſiſtentiâ ad laridum ſuillum accedat. Id quotidiano uſu veſicantibus accidere videmus, ſi quandò aut parti ingruit irritatio localis, aut univerſo humorum ſyſtemati condenſatio & adductio principiorum phlogiſtica.

Quod autem in acutis ſæviente erethiſmo accidit, an non & chronicis malis poteſt contingere? Id profectò non rarum eſt: undè fit ut qui ſuppurare debeant tumores, in capite, in manibus ad digitos & præcipuè in plantis pedum, fiant eſcharroſi, nec ullam patiantur ſuppurationem; ob ſcilicet æſtum, aut compreſſionem, aut demùm ob virium in naturâ defectum. Ita ſæpè accidit in miſerrimâ maniâ quaſi per incendium accensâ ut quæ priùs fluebant ulcera ad aures, cruſtoſa fiant & nullum puris indicium dent. In manibus præduris ruſticorum & artificum videmus aliquandò puſtulas, quæ in cæteris quidem corporis partibus ſuppurationem concipiunt, indureſcere & in cruſtam, aut farinam abire, quod & in variolis non incognitum eſt. Demùm in ſenili gangrænâ proſtratio virium quæ gangrænam comitatur mortem accerſit, cùm ſalutaris ſuppuratio & criſim, & exitum ſalutarem morbi facere poſſet.

Verùm alii ſunt morbi ad cutem cruſtoſi, quorum naturæ nunquam debetur ſuppuratio, & qui etiam ſine hujus ſubſidio ſanantur. Iique adhùc morbi ſub duplici titulo diſtingui debent. Alii enim ſine evidenti ulceratione ichorem fundunt qui concreſcens & lemas & cruſtas facit, ita ut mixti ex humorali excretione & ſolidis concreſcentiis dici poſſint. Alii verò nullum humorem evidentem reddunt, ſed concreſcentem ſtatìm; & quanquàm in primâ ſuâ origine fuerit omnis morbus depuratorius ex humoralium & eorum qui naturæ auſcultant indole, tamen humor concreſcens in ipſo ſuo exitu ad ſuperficiem corporis ſolideſcit.

Undè morborum cruſtas atque lemas in hâc, vel illâ parte inferentium genus triplex eſt. Alterum enim eſt eorum qui verâ ſuppuratione tolluntur; alterum eorum qui ſuppurationem veram non admittunt; tertium verò eorum qui ſemper ſolidas lemas oſtentant, nec ullam fluidi notam. Theoria eorum morborum omninò iis communis eſt cum morbis illis univerſalibus quorum expoſitionem in primâ operis parte ſuſceperamus. Sed cur in aliquas tantùm partes deſæviant, aliis intactis, id deducendum à cauſis multiplicibus. 1°. Ab ætate & ſtructurâ diversâ cutis quâ non aliud organum adeò mutatur, adeò ſolideſcit, & novas partes evidentiùs promit, ad mentum, calvariam, genitalia, axillas, mammas. Quæ omnes partes ratione ſtructuræ, varias agunt partes in œconomiâ naturæ. 2°. Ex regionum differentiâ, quæ etiam varietates infinitas affert in veſtium, ſtragulorum,

cubandi ratione ; ita ut nudipedes variis tententur ad cutem pedum malis quibus non attinguntur qui cutem calceis protegunt. 3°. Ex vario ornamentorum uſu, quorum quidem actionem hìc evolvere prorsùs foret inutile & quaſi abſurdum, ſed quæ in alterâ hujus operis parte locum invenient, ubi agendum ſupererit de morbis in ipsâ cute naſcentibus. Quæ enim cauſæ morbum à proprio inſtrumenti vitio determinant, in ipſum alienigenas etiam partes advocant, dùm debilitatur tonus loci ad quem univerſalis cauſa pertingit. Varietatem hanc perſequi ut inutile foret, ita etiam inutilem diviſionem omittimus, & morbos nominibus & affectibus inſignes totidem articulis proſequemur.

ARTICULUS PRIMUS.

De Cruſtâ lacteâ Infantum.

Undè digreſſi ſumus revertimur. Prima enim ætas primos atque præcipuos cutis morbos experitur. Quippè patent omnia quaſi hiulca vaſa, & perſpiratio, uti jam diximus, & maximè mucoſa eſt, & indolem ciborum maximè retinet. Cibi quidem maximè ſimplices in ætate novellâ nihil luxûs habent quem peroſi infantes refugerent, nihil guloſæ illiûs varietatis quæ nedùm palatum molle, nec eruditum jucundè afficerent, contrà venenorum loco ipſos convellerent ; ſed ne ſuum cuique ætati deſit peccatum, ingluvies per copiam nimiam demonſtratur, & appetitui infantum nutrix malè ſedula nimìs obſecundat. Undè duplex origo duplicis cruſtæ lacteæ pendet. Prima enim cruſta lactea quæ in vertice & totâ cute capillatâ infantum apparet, dici poſſe videtur ex ordine naturæ. Quippè quæ ad omnes æquè infantes pertinet, & ſquammis atque furfuribus tota comprehenditur. Pruritum tamen aliquem ab illo excremento concitari indè judicandum eſt, quòd ubi caput detectum, & manus liberas obtinent infantes quicumque, ſeſe ſcalpunt illicò, cum aliquo impetu qui & delicias & neceſſitatem arguat ; nec tamen fortem eſſe, aut intolerabilem ſenſum illum indè deducitur, quòd de ſcalpendi neceſſitate cogitare non videantur, ſi retectum fuerit caput. Furfures illi non eam quæ lichenibus familiaris eſt formam aſſumunt, ſed cruſtam cruſtæ ſuperpoſitam exhibent, ita ut lamina una fortiter cuti affigatur & adhæreat, altera minùs firmiter, tertia ut in

arborum libro libera videatur & ferè divulſa leni frictione tota eximatur. Cruſta hæc ſeorſim ſumpta pellucet, ſed ſordidâ pelluciditate; in aquâ excepta molleſcit & in mucum vertitur, coagulatur acidis, levibus leviter, fortibus fortiter; cum acido nitri aquâ mitificato flaveſcit; omnia denique muci ſimplicis, aut albuminis ovi phœnomena exhibet. Plus muci illiûs cruſtoſi ingenerant infantes, ubi plus comedunt, minùs, ubi vexantur inediâ. Nulla omninò cruſtæ illiùs in morbis productio fit, & ſi aliquid hujus, ceſſante morbo elicitur, tunc prodigiosè fætet, diversè quidem pro morbi naturâ, ita ut nunc aceſcat, nunc ranceſcat, nunc putridinem oleat, imò ſi Rhaſi, aut antiquiùs Dioſcoridi credendum, Arabibuſque omnibus, aliquandò cruſtæ illæ nidum vermiculis præbent. Certè & lendibus & pediculis aut eſcam, aut fomitem proprium ſufficiunt, quibus, præ cæteris ejuſdem ſpeciei tenella animalia plus obnoxia ſunt. Hæc quidem in primâ ætate, quæ quò invaleſcit magis, eò magis etiam de iſtâ ſorditie aufert, ita ut, ubi cutis univerſim capillata eſt, jam de eâ nulla fiat mentio, aut pauca admodùm. At obſervatio docet quòd quò plus hujuſce excrementi generatur, eò tardiùs erumpant capilli iique maximè flaveſcentes.

Quamvis autem depuratio illa ex ordine naturæ fiat, eamque aut prohibere, aut vetare piaculum ſit, morboſa tamen evadit, fitque altera cruſtarum lactearum ſpecies, ſi fuerit aut copioſior, aut acrior. Copioſiorem pro ratione nimii cibi jam diximus. Acrior præcipuè fit, vel à qualitate lactis in nutrice, vel ab innato & à parentibus contracto vitio. Ubi copioſior eſt hæc materies, ſtagnat & ſuprà cutem & in ipsâ cute, atque in ſquammas ſquammis ſuperpoſitas concreſcit. Undè & pruritus, & alia mala etiam ulceroſa ſuccreſcunt. Nec dubium eſt, quin poſſint etiam achores indè naſci. Si acrior ſit mali materies, non ſine puſtulis morbus naſcitur, & ſquammæ concreſcunt in cruſtas, quæ dùm aliæ aliis ſupercreſcunt, comprimunt vicina, inflammationes accerſunt, & tandem ab alienâ origine petitam inferunt ſuppurationem. Hæc quidem præſenti malo tollendo ſufficit, ſed non omninò ad mali originem eradicandam. Nam ſi à vitio pendeat illud innato, non tolletur, aut corpus relinquet liberum, quin virus illud ſublatum prorsùs fuerit; ſi à nutrice pendeat acrimonia, aut illa, quod tutius & brevius eſt, immutanda, aut ſanguis ejus ſpecificis & acri dominanti oppoſitis medicamentis

emendandus eſt atque corrigendus, vel demùm ipſi infanti ars adhibenda.

Curationem quidem cruſtarum lactearum inſtituere non debemus ex dictis, niſi ſummâ cum prudentiâ. Si enim fieri poſſit, ut mali tollantur incommoda, fons ſaltem ita diu ſervetur apertus, ne repugnemus unquam naturæ, ſibique illa relinquatur. Non præcipitanter agendum, ne fiat ut vel invitam cogamus ad utilium expulſionem, nec ita timidè ut cruſtæ cruſtis cumulentur. Moris eſt apud matres ut butyro leviter & recenter ſalſo caput infantum protegant, undè ſperant & cruſtarum emollitionem, & pruritûs ceſſationem; ſimul à ſale aliquid detergi credunt. Quam quidem praxim ideò non probem quòd oleum facilè ranceſcat, maximèque olidum ſit caput iis quibus id apponitur. Prætereà verò cruſtæ illæ, atque lemæ oleo vix ſolvuntur, & vertuntur in axungioſum magma. Meliùs & ſapientiùs mihi videntur cuti infantum aptari recentia folia betæ, lactucæ, imò & niſi oleret, ob alcalinam indolem, braſſicæ: ſiccantur quidem celeriter folia illa, ſed abſorbetur intrà cruſtas ſuccus ipſorum ſaponaceus, qui terrea earum elementa dividit, undè poſteà abraduntur facilè. Prætereà prodeſt infantum caput, volumine præ cætera membra inſigne, frictione ſiccâ quotidie agitare, quod dùm ſit vulgò voluptatis ſenſum exprimunt illi, nec ſine pretio eſt tergere caput cum decocto emollienti hordei, avenæ, malvæ, imò & infuſo florum ſambuci, meliloti, chamæmeli, ut ſolvantur leniter concreta.

Nec ſine fructu vidi, quoties inflammatum quid compreſſionem arguit, lacte & micâ panis cruſtas fovere quæ aceſcentiâ lactis brevì emolliuntur. Hinc ſublatâ compreſſione malum ſit levius, imò & ſanatur per facilem abraſionem. Verùm hìc nec acria, nec emplaſtica ſunt admovenda, multò minùs verò, licèt alii alia ſuaſerint, ſulphurea ſiccantia, aluminoſa ſtyptica, quæ brevì & convulſiones & mortem inferunt.

Quod verò interiorem remediorum uſum ſpectat, nunquam majori cautelâ opus fuit; res enim, niſi in molem ingentem excreſcat, ſibi relinquenda, ſin acrimoniæ ſenſum ſecum inferat, tunc regimen infantum culpabile eſt, & ſublatis acrimoniæ cauſis tollitur. Diæta tenuior, præſertim ſublatis ex animalium fortiorum carnibus & eorum juſculis, nutrici ita imperanda, ut ipſos non fallat cuſtodes imprudentiſſimum fœminarum genus. Serum

lactis, emulſiones ex ſeminibus frigidis paginam omnem implent; quibus intermiſcere licet purgantium uſum. Sed ſeligenda illa ex minorativis, & quæ nec nutricis inteſtina irritent, nec infantum nervos ſubvertant. Imò apud nos moris eſt in malo urgente identidem alvum infantum præſertim jam grandeſcentium & ablactatorum ſubluere leni infuſo rhabarbarino, ad eorum vires adæquato, vel ſyrupi de cichorio compoſiti doſi refractâ; cujus quidem praxeos in probationem eò lubentiùs ierim quòd fatendum ſit, cruſtam lacteam, lactumen, & achores eos præſertim infantes laceſſere, qui per ſe corpulenti, adipoſi, multum ſuperflui ingenerant; ita ut de mole eorum detrahere nullum ſit piaculum. Imò dantur etiam infantes quibus, ubi copia ingens agglomeratur ſimilium cruſtarum, ſuppurationem promovere licet. Quod tamen rarum, nec ſine damno fit aut erupturorum mox, aut jam erumpere properantium capillorum. Quippè non ſolùm tolluntur & deſtruuntur per ſuppurationem bulbi quibus innaſcuntur capilli, ſed cutis cicatriſata, lævis, jam vix perſpirabilis eſt, undè nec ſudatio per caput fieri poteſt, nec ipſa perſpiratio poſteà legitimè perficitur. Quod poſteà quouſquè poſſit humorem hunc excrementitium, aut in aures, aut in oculos refundere, meditentur practici. Certè non levis momenti argumentum noſtri non eſt inſtituti hìc fuſiùs expendere ad alia properantes.

ARTICULUS II.

De Intertriginibus.

Intertrigo Græcis διάτριμμα propriè & ſecundùm vim nominis, malum eſt quo laborant femora, quæ vel equitatu, vel aliâ causâ comprimente & contundente aduſta, contritave ſunt. Dioſcorides παράτριμμα vocat affectum, ubi pes pedem, vel ungula ungulam terit, quo ſenſu ad veterinarios præcipuè pertinet. Intertrigo à recentioribus Medicis alio ſenſu accipitur pro illo eryſipelatis, aut herpetum genere, quod ſæpiùs adultorum femora ad eorum ſuperiorem partem, natium fiſſuram, perinæum, genitalia in utroque ſexu, ſed præcipuè apud mares invadit. Undè Aëtius (*a*) licèt aliam idæam, id eſt eamdem ac veteres ferè omnes de intertrigine ſumat, ſeu potiùs de intertriginibus, eas tamen ambuſtis

(*a*) Aëtii Tetrabibl. 4, Serm. 2, cap. 67.

comparat

comparat, & eâdem curatione exſequitur. Oribaſius (*a*) verò duplicem intertriginum originem, aliam ab internâ causâ, aliam ab externâ admittit. Undè hodie nomen illud defluxit ad morbum eruptivum femora laceſſentem, præſertim illorum qui robuſti, ad motum alacres & prompti bellè exercentur. Hic in iis eò ſævior eſt, quò plus motu aguntur, lenior ubi quieſcunt. Qui morbus cùm apud opiparè & lautè viventes & ſimul exercitia ſine cautelis gymmaſticis, ſine ordine capeſcentes, maximè familiaris ſit, propriâ & deſcriptione, & inquiſitione dignus eſt.

Morbus ille adultos ut plurimùm, & primum pubertatis florem egreſſos adoritur, eoſque qui caſtè viventes, ingenti tamen impetu ad venerem ferrentur; mulieres etiam, ſed maturiùs adoritur. Ejus ortus primò mitior eſt, & pruritu totus continetur. At pruritui illi tùm in maribus, tùm in fœminis jungitur ardor in venerem inexplebilis. Mores & præcepta repugnant, coercet virtus vivax, at manus indocilis ad has partes fertur, ſcalpendoque malum irritatur, & animus ipſe in partem operis venit cum artûum tremore & palpitatione. Sedatur vulgò per plurimas horas malum, tùncque omnia tranquilla apparent, at recrudeſcit per paroxyſmos, noctù potiſſimùm afficiens. Sævit autem eò vehementiùs, quò aut familiariter magis, aut proximiùs cum fœminis mares, aut cum maribus fœminæ vixerint. Nec minores accipit vires à vino, piperatis, ſpirituoſis, acribus alimentis, potu coffeæ, oleoſorum ſpirituoſorum, ita ut noverim viros qui nunquam ſimilibus tentarentur pruritibus, niſi una ex hiſce cauſis acceſſerit, quas edocti experientiâ vitabant ſeduliùs. Progrediente malo partes ad aſpectum maculoſæ, maculis flavis vix ſupra cutem extantibus diſtinctæ ſunt; ſcrotum omninò rugoſum eſt, ut & labia pudendorum in fœminis, & tempore paroxyſmi prorsùs retractum. Erectio penis & libidinis ardens cupido mentem incendunt. Partes illæ non eruptione lichenibus ſimili afficiuntur, ſed epidermis rugoſa olet, & alluitur liquore unctuoſo, non lintea maculante, non digitis adhærente, ſed ad ſenſum lubrico.

Increſcente malo pruritus enormes fiunt, per paroxyſmos & ſummè violentos, & frequenter redivivos, ita ut nec pudor, nec reverentia regum à ſcalpendo divertant, & ſæpè per intervalla etiam paroxyſmorum puncturæ acerrimæ acubus inflammatis per

(*a*) Oribaſ. de Morb. cut. lib. 3, cap. 18, cap. 19.

cutem tranſactis morſu ſimiles, in clamorem adigunt: hinc partes illæ rhagadibus, atque fiſſuris manu factis undiquè hiant. Ardor ſemper ineſt, & ad quemvis leviſſimum inceſſum exhalat humor olentiſſimus, ſervente intereà œſtro venereo.

Fatendum tamen eſt quòd in morbi etiam violentiſſimi impetu, retundatur ille multùm vitâ ſobriâ, accuratâque acrium quorumcunque fugâ, reviviſcat acriùs, vel minimo in diætâ errato; ita ut non unum viderim quem ſubitò, velut per electricam ſcintillam, potus vini meracioris illicò in cruciatus pruriginoſos ageret. Nec licèt morbus ingraveſcat, & invaleſcat color cutis aliter quàm maculâ flavâ in rubrum vergente diſtinctus eſt. Nullus lichen, nulla cruſta, niſi tamen à frequenti ſcalptu epidermis citò renovanda ſeceſſerit, ſed rugoſa hìc cutis & quaſi criſpata mali diagnoſim evidentem oculis exhibet. Virus hìc deponitur acre: an excrementum venereum? An ſpermatis vicini & in veſiculis ſibi propriis fermentantis tinctura? Ut vicinæ veſicæ felleæ partes bile viridi tinguntur. Certè vix credas ab integritate cæterarum functionum aliquid adeò virulenti hìc deponi. Nec prognoſis per ſe funeſta unquam eſſe poteſt, niſi à frequenti ſcalpturâ ſemen etiam frequentiùs effundatur. Quo in caſu cùm repetatur ſæpiùs indomabilis pruritus, repetito etiam effluxu, tabes dorſalis in junioribus accedet, cujus periculum ingens in ſimili malo vidiſſe me memini. At longus & diuturnus morbus eſt, & licèt juvenibus, caſtiſque aliquo modo ſæpiùs accidat, non tamen rarò illum obſervaſſe contigit in vetulis & anubus; undè utrique ſexui æqualiter propudioſus, renovabatur in extremâ illâ ætate circà partes ulceroſas flagrans libido, non durabilis, non effectibus prædita, ſed ita violentâ vi nervos concutiens, ut indè mentis ipſa acies obſcuraretur, & in deliramenta conjicerentur miſerrimi ſenes, ridentibus miniſtris dilapſam in cinerès facem.

Malum verò illud, licèt mortis metum non injiciat, ſe tamen negligi non ſinit. Ecquis enim maximo pretio tormenta illa non redimeret? Undè tot remedia jactantur, tot methodi adhibentur, quarum utilitatem facilius erit expendere, ſi quod de cauſis mali ſcimus paulùm perpenderimus. Vulgò affectus ille inter herpetes numeratur; reipsâ tamen naturâ differt ab herpetibus; non enim communicatur, ſed hoc quiſque ſibi ſervat: cùm enim quotidianum ſit ut in fœminas acriter invehantur qui eo affecti ſunt, nullam tamen de communicatione meritò conquerentem novi.

Differt adhuc ab herpete, quod etſi unctuoſum humorem ſtillet, quaſi perpetuò, non tamen cruſtas unquam faciat; niſi tamen ſupercreſcant eſcharæ leves rhagadibus aut fiſſuris ſcalpendo factis. Differt verò etiam indè quòd, cùm plurimos viderim incautiùs adſtringentibus abutentes, nivem, glaciem, acetum, aluminoſa imprudentiſſimè exhibentes ad hoc malum, nunquam illiûs, repercuſſi quamvis, non curati ſigna obſervaverim. Cantharidibus, veſicantibuſve ad loca diſſita appoſitis, augeri potiùs quàm ſublevari conſtanter obſervatum eſt.

Neſcio an eo eunuchi laborent, res obſervatione digna foret. Certè ſcintillæ illæ acerrimæ quæ hominem è ſtatu quieto volentem, nolentem dejiciunt, & ſubſilire jubent, aliquid habent electrici, & videtur illud malum aliquatenùs cum ſeminis generatione aut erethiſmo in partes genitales aliquid habere communis. Quamvis enim ad juvenes & veneri inhiantes referendum malum videatur aliquandò in extremâ ſenectute recrudeſcere, in quâ parùm ſeminalis auræ generatur, notum ſatis eſt in decrepitis aliquandò miram ſalacitatem quaſi è profundo emergere, ob acrimoniæ novam eruptionem quam ſtagnantia in folliculis genitalibus fluida concipiunt, & quam auget immodica ſcalptura, ſi præſertim foveatur ſenilis iſta flammula cardiacis aromaticiſque ob præconceptam ferè omnibus opinionem illam ſenibus calida omnia eſſe obtrudenda. Nec verò ab hâc opinione deſiſtendum, quòd malum etiam ad fœminas pertineat, quæ nihil habent quod ſemini poſſit conferri. Verùm partes ipſis inſunt eximio ſenſu donatæ, ardorque partibus genitalibus ingenitus; ibique humorum mirè oleoſo-ſaponaceorum, in folliculis propriis contentorum, uberem reperias proventum. In hiſce porrò folliculis ubi adeſt diſpoſitio particularis partis ſentientis, latet non minima pars venereæ tentiginis, quam acrimonia quæcumque intrà loculos hoſce accepta intendit cum pruritu & calore.

Undè non ſine causâ malum hoc proprio & peculiari capitulo tractandum credidimus, cùm differat ab omnibus hùc uſquè deſcriptis, nec poſſit vocari herpes, nec eryſipelatis naturam referat. Imò ſi inter lymphaticos, cruſtamque inducentes morbos numerari poſſet, non ſine aliquâ diſtinctione propriæ & peculiaris indolis deberet intrà eorum genus admitti: ſed pro peculiari cutis in genitalibus morbo accipiendus eſt.

Hinc ergo curationem inſtituentibus alia prorsùs via tenenda

eſt, quàm quæ aliis morbis cutaneis competit. Quâ quidem in ingadandâ natura ipſa ſeſe nobis obviam ſiſtit. Nam cùm evidenter acria omnia, omnia ſpirituoſa ita noceant ut peccatum ſequatur pœna, eaque ſubita, patet leniendo ſaltem morbo atque ſubducendis paroxyſmis, & diætam, & medicinam laxantem, diluentem, uno verbo, anti-phlogiſticam eſſe omnibus aliis anteponendam.

Imò novi homines hoc morbo dirè vexatos qui, cùm vivendi priſtinam normam abjeciſſent omninò, & mutaſſent prorsùs, ſero lactis, vitâ ſimplici admotis, ſimulque condimentis omnibus rejectis, inſtituiſſent vivere, balnea tepida uſu prorogato ſumpſiſſent, emulſiones ſub noctem quo tempore fervet crudeliùs malum, quotidiano uſu aſſumpſiſſent, præterea vini, & præcipuè vini illiûs oleoſi quod moſchatum vocant uſu abſtemii, ſine ullo alio remedio prorsùs convaluerunt; lenito primùm malo, etiam ita ſopito, ut nunquam reviviſceret, niſi proprii obliti conſilii aliquod admiſiſſent in diætâ vitium. Tunc enim recrudeſcebat & renovabatur miſerrimè, brevì tamen moderatiori agendi ratione exſtinguendum. Undè poſt multa alia remedia incaſsùm pluries tentata, huic ſeſe regimini prorsùs ſacrarant. Vidi virum graviſſimum obnoxium huic malo ſimul & arthritidi cum quâ quouſque ſervet analogiam non eſt hujus loci inquirere, ab utroque morbo vixiſſe prorsùs immunem, dùm fortiter & ſine ullo alio remedio, diætam vegetabilem, ſimplicem illam atque lacteam ſequeretur.

Nam non ita res accipienda eſt, tanquam omne tulerit punctum qui ſtatìm abſtinuerit à carnibus. Si enim olera, farinoſa, legumina, condimentis, butyro ſalſo, pipere & nuce moſchatâ, ut moris eſt, vitientur, nedùm indè malo noſtro quærenda ſit medicina, contrà affertur nocumentum maximum. Ita ut ex obſervatione conſtet plurium, quòd recrudeſcant vehementiùs paroxiſmi iis diebus quibus jubet abſtinentiam mater Eccleſia, & macro victu utentes monachi eâ tentigine præ aliis laborent.

At ſerum lactis, lacticinia omnis generis, regimen arctum ex ſimplicibus, quies, ſed non otioſa, fuga ſedilium illorum qui ex plumis conflati incaleſcunt & calorem acceptum reddunt, tanquàm morbi noſtri ſummè præſervativa habenda ſunt. Ubi autem malum, aut his, quod rarum eſt, reſiſtit, aut eum gradum adeptum eſt, ut vel leviſſimâ de causâ reviviſcat, tunc plenariam ejus curationem tentare ex arte eſt.

Ea autem curatio duplex. Topica altera, altera ex internis conflata auxiliis craſin humorum immutat. Circà topica, exceptis antiquis qui in intertriginibus ſtyptica & adſtringentia ſuadebant re & nomine à nobis alieni, conſentiunt omnes ea eſſe ex diluentibus atque refrigerantibus petenda mitiſſimis. Sed alii ceratum recens & oleoſa dulcia imponenda partibus affectis ſuadent; alii contrà illa refugiunt, tanquàm obſtipantia atque ranceſcentia, diluentibus ſolis atque reſolventibus aqueis contenti. Verùm quamvis omnibus ferè in caſibus cutaneorum morborum oleoſa mihi ſemper, ut aliis, nocere viſa ſint, in hoc tamen noſtro, ſi recentiſſima ſint, ſemper profuiſſe animadverti. Hìc enim minùs eſt retropellendi humoris periculum; & certè oleoſa eſt, aut ſaltem ad oleum accedit natura humoris acrimoniam concipientis. Undè cerato Galeni recentiſſimo, viſa mihi eſt retundi paroxiſmorum violentia illa, modò tamen diutiùs applicatum cuti non ſervetur, ſed detersâ cute renovetur ſæpiùs. Alioquin noceret oleum rancefcens, & eò magis quòd olidum fieret eo odoris genere qui noſtræ acrimoniæ proprius eſt. Prætereà nihil rhagadibus atque fiſſuris meliùs medetur. Nec tamen ei qui ſimilia topica reformidaverit contradicere auſim, cùm plures acrimoniæ ſpecies hìc conjungi poſſint.

Cætera reſolventia quæ hìc adhibentur conſtant ex altheæ, pſyllii, lini decoctis, infuſis florum ſambuci, meliloti, chamæmeli, foliis lupuli, calthæ, eupatorii, aliorumque ſimilium, quorum id criminis erit quòd citò exſiccentur, exſiccata verò cutem relinquant aridiorem. Famoſa ſunt in hunc uſum ſaturnina & præcipuè plumbum in aceto ſolutum quod aquam vegeto-mineralem vocant, remedium, pace aliter ſentientium dixerim, repercutiens potiùs quàm reſolvens, & quod nullis in caſibus depuratoriis periculo vacet. Undè in malis ſimilibus frequentiſſimè applicatum, ut ſuadent, cutem non corrugat tantùm, ſed indurat, ſenſum hebetans, & ejus ſubſtantiam in corii formam prorsùs immutat, undè illa dura, inſenſilis, tractanti reſiſtens, & granulata apparet. Imò & mutatur ipſe ejus color, flavumque ac luridum poſteà vix ullis debellandum ac delendum remediis colorem accipit.

In omnibus hujuſmodi depuratoriis caſibus illa eſſe vitanda remedia non ego ſolus, ſed plures Britanni Chirurgi notaverunt. Nec meliùs fidendum forti ſalis marini decocto, quod tamen à

viro illuſtriſſimo & experto commendatum memini qui ſe nullo alio topico ſublevatum prædicabat. Quod quidem certè fugerem remedium ut obſtipans & cuti indurandæ aptum, quanquam fatendum ſit ab eo oleoſam cutis diatheſim maximè cicurari. Si ſineret irritatio, alcalina, calcarea ingenti aquæ copiâ diluta, & præſertim ſaponacea mucoſis remixta, omnibus topicis prætollerem. Verùm in eorum loco nihil melius eſt balneis tepidis atque diluentibus cutem fovere. Si verò aliquid univerſali eorum uſui obſtiterit, ſaltem ſemi-cupia adhibere fas eſt, aut ſaltem ſedilia cava arte facta, quæ aquâ & emollientibus herbis impleveris, undè longâ ſeſſione pars humectetur penitùs, & magna acrimoniæ pars cicuretur omni ratione.

At in internis præcipua medicamentorum actio tranſigitur. Nam quæcumque ſit acrimonia retundenda, aut univerſalia indicat acrimoniæ cuicumque oppoſita remedia, vel ſpecialia & in acrimoniam peculiarem ſpecifica.

Cùm verò raro genus & ſpecies acrimoniæ ſatis adamuſſim noſcantur, ut directa poſſit in illam actio inſtitui, tutius eſt univerſalia adhibere. Quâ in efficaciâ lac cæteris præſtat. Indè lactis uſus univerſus pro diætâ atque regimine princeps hìc remedium conſtituit, ſin minùs lac aſininum per integras ſex ſeptimanas, aut per duorum menſium ſpatium, vere & autumno, plures per annos debito regimine malo noſtro ſuppetias ita feret, ut ferociens acrimonia penitùs extinguatur.

At eadem non omnes juvant. Undè hìc pro indicatione curatoriâ id aſſumendum jubent phœnomena morbi qui robuſtos ſolos & exercitatos invadit, ut minuantur oleoſæ, ſeu, ut cum veteribus loquar, ſulphureæ ſanguinis partes, quod auctis fit vacuationibus quibuſcumque, diætâque ſimul humectante & tenui. Hinc aquæ minerales ſalinæ & purgantes, ut Vallenſes, Cranſacenæ, Sedlitcenſes hìc punctum omne tuliſſe viſæ ſunt, ſi præſertim moranti alvo identidem ſtimulus addatur. Oleoſæ enim partes ſanguinis affatim cum bile proruunt. Undè boli ex ſcammonio, jalappâ, reſinoſiſque ſolventibus aquis iſtis immixti ſæpè mali radicem ſuſtulêre. Nocere mihi viſa ſunt mercurialia majori doſi adhibita, prodeſſe ubi doſi parvâ darentur, ſimulque vacuarentur per purgantia, ne moras intùs traherent. Tùm verò juſcula viperina deficientibus aquis mineralibus, an principiorum tenuatione, malum longo uſu ſuſtulêre, ſi cùm plantis aperientibus & bilem commoventibus

jungerentur. Decantata etiam teſtudinum terreſtrium caro ſæpè effectus utiles attulit, ſed forſan ſine hâc carne ſolus plantarum recentium uſus ad medelam fuiſſet ſatis, ſi plantæ illæ ſaponaceo recenti ſucco turgeant, ut vere & autumno ſcatent illæ præcipuè, principiis nondum per æſtatem aduſtis, atque reſinosâ craſi donatis. Verùm omnia hæc, niſi bilis aſſiduus proritetur effluxus per repetita purgantia, præcipuam amittunt efficaciam; nec tamen cathartica temerè uſurpanda, ſed ſemper ægri naturæ atque viribus admovenda ſunt proportionalia.

ARTICULUS III.

De Auribus ſuppurantibus.

Inter loca cutis maximè morbis cutaneis obnoxia jure meritòque recenſetur auris humana ejuſque vicinia, quæ quidem ita conſtitutam habet cutim ut undequâque ſcateat folliculis humore unctuoſo repletis, facilè inflammabili & ad ignem evidenter decrepitante. Quæ cùm omnia in pueris molliſſima ſint, & cauſis tùm internis, tùm externis cedentia, depurationique apta ſint, ſatis intelligitur quare morbis cutaneis adeò pateant, vitiumque intùs innatum in aures facilè deponatur.

Depuratio quidem hæc ad aures incipit, ſed ita ex univerſo corpore procedit. Hinc varia apud auctores morborum in cute auris enaſcentium nomina & deſcriptiones. Sic ab Alex. Tralliano (*a*) mentio fit morbi quem jam denominaverat Dioſcorides, nec fuſiùs deſcripſit Alexander de vermibus aurem occupantibus. Idem & Paulus Ægineta (*b*) qui ſanguineas prætereà aures ut morbum vulgarem annotavit, aliique Medici plures ex infimâ Græcitate qui plus in præſcribendis medicamentis, quàm in deſcribendis morbis inſudavêre.

Verùm paſſim Hippocrates ipſe de aurium fluxione craſsâ atque viſcosâ tanquàm de criſi locutus eſt (*c*), & horum conſiderationem pluribus in locis attigit, tanquam de corporis emunctorio, humiditateſque circà aures naſci præſertìm infantibus atque pueris commonuit, eaſque æſtate potiſſimùm fieri voluit animadverti (*d*).

(*a*) Lib. 3, cap. 10.
(*b*) Lib. 3, cap. 23.
(*c*) Epid. 4, 107, Foeſius.
(*d*) Aph. Sect. 3, 22, 61.

Quidni enim, cùm tot & tam varia ferantur ad caput phœnomena; ipſamque ejus arcem impetant, exituro humori aliquam ſemitam præbeant aures (*a*)? Pituita olim capiti adſcribebatur & fluxus ipſi liber per fauces, nares & aures conciliari poſſe credebatur; nos verò magnum quidem brevemque ſanguinis impetum ad ſuperiora annotamus, ibique magnas atque copioſas glandulas, excerniculaque maximè notabilia. Ibi etiam è proximo ore, buccâ, naribus immenſam & ferè continuam perſpirationis vim annotamus. Undè nullibi adeò validè cohibita retropellitur. Nullibi adeò facilè turgeſcunt glandulæ, & imbibitur humore textus cellularis ex quo velut è fomite perpetuò renovato ſæpè videmus ad cutem aurium ferri ulceroſa, olida liquamenta perpetuo fluxu incommoda, ſubjectam erodentia epidermidem & in cruſtas brevì alias aliis lamellatim ſuperpoſitas erumpentes, ſæpèque indè ad caput, mentum deferri, rivulorum ad inſtar.

Id fœminis præſertìm in quibus molliores ſunt glandulæ & pueris contingit. Nam in provectâ ætate rariùs accidit induratâ cute & flaccidioribus glandulis, ut aures fluant, licèt herpetibus ſuſcipiendis idonea ſint vetulorum corpora, ut alibi dictum, & ſæpè aures ipſorum prærubræ ſint ad poſticam partem & muco olenti imbutæ. At pueris ſæpè ſubitò ſuccreſcunt glandulæ, quæ ſi copioſiorem mucum, ſed lenem illum atque innoxium concluſerint, reſolvitur ille ſenſim, & patentiores circulationis vias regreditur; hæ apud nos glandulæ incrementi dicuntur. Verùm ſi aliquid acre cum muco mixtum fuerit, varii in glandulis hiſce nidulantur morbi, qui in textum cellularem erumpunt & ab illo in cutem. In quibus glandulæ facilè ſuccreſcunt, præcipuèque Parotides, ii ſe debent morbis ad aurium cutim enaſcendis obnoxios judicare. Imò præclarè à naturâ cum illis actum erit, ſi ſine ullo alio morbo, erumpente ad aures ſuppuratione, tandem & glandularum tumore & earum causâ liberentur.

Nec id hypotheticum, aut è theoriâ deſumptum credi velim. Multos videas infantes & pueros, quibus glandulæ per hyemem tumeſcunt atque turgent, cute intactâ: his ſub primo veris erumpentis tempore, poſt levem ad aures inflammationem, pluribus poſt febrem ephemeram jam Hyppocrati antiquitùs cognitam, aures ſubitò defluunt; pluit ab illis aliquandò foraminibus manifeſtis, aliquandò viis incognitis humor craſſus, lemoſus, pruritum

(*a*) M. Aurel. Severin. de novis Abſceſſ. cap. 15, lib. 4.

ſummum

ſummum incitans, imò & aliquandò dolores acutiſſimos. Decreſcunt intereà glandulæ per totam æſtatem; formam & nitorem puerorum jactant matres. Sub autumnum redeunt glandulæ; vere rursùs humor idem exſtillat. Et licèt vulgò ad primum ſeptennii circuitum humore illo corpus liberetur, non raro videre eſt, præſertim in muliebri ſexu, fœminas per longam annorum ſeriem hiſce malis obnoxias.

Superfluum ſcilicet acre pro variâ perſpirationis copiâ, nunc copioſiùs exſtillat, nunc parciùs ſævit, nunc fluidum agit maximè, nunc contrà ſolidius paucam vim eamque ferè inertem exerit.

Memini novæ nuptæ clariſſimæ exarſiſſe in genas fædiſſimum herpetum, ut aiebant, genus; hanc ego methodo longiori, quanquàm ingemiſceret, & artem incuſaret, eſſe ſanandam edico. Adeſt vir empyrici potiùs quàm Medici nomine dignus, qui bellam cutem citò mundat, nimiùm veſicatorio ad brachium appoſito confidens. Sed parùm auſcultavit præceptis coacta natura. Glandulæ intumuerunt, ſcirrhoſæ evaſerunt, nec potuimus, licèt omnia tentantes, materiem ad cutem rursùs protrudere. Undè poſteà phthiſi occumbendum fuit. Ob ſimilem malè repulſum à vultu in primo juventutis flore fluxum olentem adhucdùm, magno omnium luctu, aſthmaticos experitur inſultus vir nobiliſſimus. Alium hìc appellare poſſem, cui quotannis redivivus ille fluxus ſanitatem ſervat athleticam, quam, ubi hoc fluxu caruit, amiſerat verè melancholicus. His omnibus partes auri vicinæ, auricula ipſa lenis obſidentur perpetuis, at ter vel quater de die fluxus fit copioſus, acris, ſæpè cum evidenti, at ſubitò detumeſcente, glandularum parotidum inflatione. Acriùs & vividiùs fluit incautis liquor, ſi plus epularum ingeſſerint, minùs verò & parciùs manat ſobriè viventibus.

Nec rarum eſt, nil tale cogitantibus Medicis, ut dùm partes obſtructas reſerare quærunt, ex improviſo, malo primario benè ſe habente, cutis deturpetur, & herpetibus ſe tectum miretur æger. Latebat ſcilicet intùs in muco concretum & extrà, ut parùm latinè loquar, ſphæram activitatis conſtitutum virus. Hoc ars, aut natura, aut fors etiam, quæ aliquid in rebus humanis ſibi vindicat, per diluentium atque ſolventium efficaciam ex priſtinâ ſede extruſit. Tunc vires priſtinas reſumit, agitque novâ redivivum juventâ. An non indè datur ſolvere problemata plurima circà morbos hæreditario jure contractos, qui ſæpè per integras ætates ſilent

& tandem jam ſeneſcente viro apparent, & parentum refricant memoriam? An non indè intelligitur cur lues venerea in glandulis concentrata poſt longum tempus emicet? Cur aliquandò, morbis cutaneis per palliativa extinctis, dum habent per aliquod tempus undè ſibi glorientur agyrtæ & empyrici, mox phthiſin contrahant ægri? Verùm ut revertamur undè digreſſi ſumus, aures in juvenibus & fœminis facilè omni generi morborum cutaneorum patent, cauſamque univerſalem antè alias partes accipiunt, undè à naturâ morbi hìc depoſiti pendet curatio, ſive herpetes ibi ſedem fixerint ἐσιόμενοι, ſive humor lacteus infantum, aut puerperarum de quo jam egimus, hìc decumbat, ſeu demùm adſit mucus ſuperfluus ille, & ſæpiùs acris qui ad pubertatem uſque partibus evolvendis confert, attenuatiſſimus, cornua in illis animalibus producens, in aliis barbam & pilos & quandoquè cruſtarum congeriem: undè ad morborum horum omnium curationem aurium ſuppurantium curatio ableganda eſt.

ARTICULUS IV.

De Porrigine.

Porrigo Græcis πιτυρίασις, morbus eſt capitis cuti proprius, depuratorius tamen. Fit autem, ait Alexander (*a*), ubi tenuia & furfuracea corpuſcula ex capitis ſuperficie, aut etiam ex reliquo corpore, citrà exulcerationem reſolvuntur. Hinc ergo ad furfuraceos & lichenoſos morbos refertur porrigo. Aliquandò à capillis in barbam ita progreditur, & eâ invadit copiâ ſuperpoſitis laminis, ut illam nivi & copiæ farris comparet Q. Serenus Samnonicus (*b*), Poeta Medicus, certè in utroque genere mediocris.

Verùm omnia quæ de porriginis deſcriptione dici poſſunt brevibus verbis Celſus (*c*) expreſſit. « Porrigo eſt, ubi inter pilos » quædam quaſi ſquammulæ ſurgunt, eæque à cute reſolvuntur, » & interdùm madent, (quâ in ſpecie videtur porrigo aliquâ » ratione ad achores referri) multò ſæpiùs ſiccæ ſunt, idque » evenit, modò ſine ulcere, modò exulcerato loco. Huic quoque » modò malo odore, modò nullo accedente. Ferèque id in capillo

(*a*) Alex. Trallian. lib. 1, cap. 4.
(*b*) Verſ. 34.
(*c*) Lib. 6, cap. 2.

» ſit, rariùs in barbâ, aliquandò etiam in ſupercilio. At neque » ſine aliquo corporis vitio naſcitur, neque ex toto inutile eſt. » Nam benè integro capite non exit ; ubi aliquod in eo vitium » eſt, non incommodum eſt ſummam cutem ſubindè potiùs cor» rumpi, quàm id quod nocet in aliam partem magis neceſſa» riam verti ».

Ex his intelligitur porriginem aridam, ſi ſimplex & abſque læſione functionum fuerit, ad lichenes verè eſſe referendam, & vix aliam ſibi curationem poſtulare. Alexander (*a*) quidem « cretam cimo» liam betæ ſucco remixtam jubet illiniri, & ſinere ſupra caput, » donec inaruerint, deindè ubi ablueris, thuris lacrymam tritam » ex vino & oleo inungi ac ſinere, donec exſiccentur». Quâ quidem in curatione abſtergentia, imò & attrahentia, qualis eſt betæ ſuccus, abſorbentibus remiſcet, ut quâ proportione exit humor, imbibatur abſorbentibus ; quâ medelâ ubi fons porriginis inaruit, imponit cum tonicis ea quæ lubricent. Si verò humidiores fuerint porrigines, tunc mucum vult muriâ appoſitâ tenuari, aut farinâ lupinorum coctâ, & capiti appoſitâ reſolvi, curationum indicationibus herclè maximè legitimis, ſi alicujus momenti fuerit tentare mali incommodi curationem. Nam Celſus adſtringentium in morbis cutis alioquin non parcus laudator, de iis adhibendis in porrigine non adeò ſollicitus videtur, nec niſi in gravi incommodo ea incautiùs advocat, alioquin diſertè pronuntiat commodius eſſe ſubindè pectendo porriginem repurgare, quàm eam ex toto prohibere. Quod certè multò magis ejus ſententiæ qui malum pro depuratorio haberet, convenit, cùm reverâ, vel ab ipſorum antiquorum doctrinâ, ſtyptica omnia in morbis depuratoriis nociva ſint. Ex his paucis quæ noſtri nos majores docuêre, ſatis & natura & forma porriginis intelliguntur. Lichenes ſunt in capite nati, & quamvis apud illos qui ſummam capitis curam habent & capillos nitidos ſervant rarò in ſummo ſuo gradu porrigo obſervetur, fatendum eſt non rarò occurrere hujus veſtigia, quoties ſcilicet acri aliquo levi humor ſebaceus atque lemoſus folliculorum in capite hiantium intingitur.

Infantibus recens natis, quo tempore capilli emergunt, ineſt, uti jam diximus, quædam porrigo naturalis, cui ſolùm conſilium Celſi congruit, pectendo veteres ſquammas tollere, novis exitum conciliare. Quò enim cutis accreſcendo fit validior atque magis

(*a*) Loco citato.

addenſata, eò minùs quiſquiliarum harum exit. In juniore ætate rarò porrigo ſævit. Nec tamen hâc etiam melior ætas omninò immunis eſt. Poſt pubertatem in maribus ſæpè areſcit cutis capitis, ſi præſertim diuturnos labores illi tolerent, ſolive ardentiori fuerint expoſiti, undè antè diem non ſine porrigine calveſcunt, cùm liquidiori muco minùs foveatur epidermis, exſiccatoque textu cutis capillatæ denſiſſimo, in ipſis ſuis natalibus mucus inorganicè concreſcat, rursùſque novis ſemper affluentibus muci liquidi elementis mox concreſcendus renaſcatur. Ariditati autem illi ut maximè ſubjecta eſt & folliculorum ſebaceorum & bulborum vicinia, ita præcipuè in locos pilis obſitos ſævit porrigo. Cùm autem inclinante ætate ariditas illa ex naturæ ordine eveniat, nil mirum eſt ſi porrigo eam ætatem affligat, cùm iis qui calveſcunt cutis prætermodùm areſcat, ita ut ubi nulla porriginis ſuſpicio eſt, cutis calvorum prætermodùm lævis & nitens oculis appareat, imò & in ipsâ ſaniſſimâ capitis conditione lemæ ingentes epidermidis facilè à cute ſubjectâ detrahantur. Verùm de eo calvitiei genere aliquandò dicendum erit, cùm certè in hiſce caſibus porrigo pro depuratorio morbo haberi non poſſit.

At nullo ætatis diſcrimine invadens datur alia porrigo verè morboſa & depuratoria, nunc ſicca, nunc madens, capillis præcipuè infenſa. Utramque cum priori & ſimplici porriginis ſpecie nunquam confuſam velim. Quæ non madet juniores & adultos perſequitur, nec ſenio parcit. Ipſa cutis capitis, ſi deradatur, aliquandò œdematoſa apparet, & digito tangenti cedit, doloremque levem excitat. An hanc porriginem ſub nomine *achorum dolentium* deſcripſit Trallianus (*a*)? Tùm apparent maculæ furſure tenuiſſimo & per aëra volitanti, dùm frictio adhibetur, plenæ. Fundus macularum rubicundior eſt, & ſæpè à calvariâ ad uſque frontem fœdo ſpectaculo protenditur. Sæpè per hyemem & æſtatem malum deliteſcit, nec tamen ceſſat omninò; vere & autumno rursùs ſævit ferociùs. Quænam verò cauſa porriginem hanc in capillos, ſupercilia, ut vidi, barbam determinat? Sæpè contagium, ſæpè acrium irritantium aromatum uſus, malè ſedulâ munditie applicatorum, porriginem efficit. Sæpè, verno præſertim tempore, in calvariam debilem radiorum ſolarium actio mali auctor fuit. Vidi pulcherrimum juniorum fœminarum cœtum pulvere cyprio eodem aromatico utentium, hocce malo infeſtatum; mutato pulveris

(*a*) Ibid. cap. 8.

venditore ceſſavit porrigo, & qui copioſiùs diffluebant capilli jam firmiùs conſtitêre. Vidi etiam porriginem evidenter veneream. Sed hæc nec ſola, nec ſine gravibus & diagnoſticis emicabat ſymptomatibus.

Species alia quam Celſus & Trallianus indicant humida eſt, cuti ſoli capillatæ propria, & hanc fæminis crediderim, ſed non auſim ſpecialem pronunciare. A me certè tantùm in fæminis obſervata eſt quibus & capilli abundantiores, &, ut veteres loqui amabant, caput humidius. His caput quidem ingentem excrementorum copiam accumulat, ita ut quò plus pectendo detrahas, eò plus farris illiûs videatur ingenerari : intereà verò naſcuntur ſine ullis evidentibus foraminibus maculæ ingentes, ſero acri totæ humidæ quod vulgò coït cum capillis, imò ſæpè capilli ipſi inter pectendum cum magnis epidermidis fruſtulis quibus innaſcuntur decidunt, brevì tamen renaſcentes, ſi malum curatum fuerit. Maculæ hæ poſt aliquot horas totæ ſiccæ ſunt & farre plenæ. Altera alibi exurgit, & plures ſic ſibi ſuccedunt. Madorem in cute evidentem deprehendas, undè mador ille pendeat oculus vix invenit. Conſopitur brevì malum, mox recrudeſcet. Et in pluribus vidi antè recrudeſcentiam, horrendum præire capitis dolorem. Imò mulierem novi quæ hoc malo defuncta videbatur, cæſariei quam pulcherrimè curabat maximè attenta, eodem malo rursùm affici menſtruis deficientibus, capillis intereà pereuntibus quos ſummâ mœſtitiâ quotidie colligebat. Præibat ſemper internus capitis dolor cum porriginis eruptione ceſſans. Præibant in aliis ψυδρακιαι, ſeu puſtulæ capitis de quibus & Græci (*a*), & Arabes (*b*) egerunt, quaſi de præviis ad omnia capitis exteriora mala incommodis. Fruſtra varios adipes, urſinum, vulpinum, muſtelinum adhibuit ſedula mulier ; omnia prorsùs inutilia.

Verùm genus illud porriginis non dubitavi ad herpetes referre, licèt quædam videantur phœnomena malum noſtrum ab iis diſtinguere atque diſcriminare. Locus præſertim & ſedes morbi hìc ſpectandi ſunt, ut differentiæ cauſam intelligamus. Adeps hìc ſuppoſitus parcus, muci natura tenax, folliculi lubrici maximè. Humor facilè foras exit, nec facilè repercutitur, quamvis adſtringentia non careant periculo. Fæminam enim vidi cui ſtypticum pomatum ingentes ad thoracem dolores attulit, ſolo lacte aſinino

(*a*) Galen. lib. de Tumorib. cap. 16; Trall. lib. 1, cap. 5.
(*b*) Avenzoar, lib. 1, cap. 10.

redemptos. In meretriculâ cui ſimilis morbus quæſtum abſtulerat, dùm frontis honorem detrahit, aſtringentia appoſita nec profuêre, nec nocuiſſe viſa ſunt : ſanavit præliorum venereorum ſæpiùs expertam mercurius inunctus. Certè reſolventia non ſtyptica poſſunt hìc locum invenire, ut decoctum lupinorum ab antiquis decantatum.

Præterea eamdem eſſe herpetum atque porriginis hujus naturam id indicat quòd verè herpeticis mulieribus mala hæc accidant. Undè Hippocrates (*a*) de porrigine non loquens, vocat tamen ægrotantes aliquos poſt criſim in morbis acutis porriginoſos πιτυρώδεις, quod reverà pluribus morbis accidit, in quibus poſt longos capitis dolores, non ſolùm capilli defluunt, ſed etiam ingenti copiâ ſurfures enaſcuntur.

Igitur in operosâ horumce malorum curatione non inſudabimus, cùm ea quæ de herpetibus dicta ſunt ad porriginem referantur humidam, & ea quæ de lichenibus prolata ſunt alibi pertineant ad ſiccam. Si tamen magnitudo mali ejuſque dignitas jubeat malum ad alias amandare partes, quod fit ſi in oculos, ſi in interiora aurium cum ſurditatis periculo malum videatur graſſari, tunc cauterium alterutri brachiorum inurere ſapiens erit & utile, propter cauſas alibi fusè & copiosè expoſitas.

ARTICULUS V.

De Tineâ.

Tinea novum eſt nomen & barbarum apud melioris notæ Latinos incognitum. Morbus verò quem hoc nomine cum Arabico-Latinis auctoribus deſignamus à Græcis cùm *ſavis*, achoribus, lactumine confundebatur, & ſi quandò graviùs ingrueret, lepra in capite vocabatur; nam cùm Plinius (*b*) ait iridem opitulari infantibus tinearum vitio laborantibus, perſpicuum eſt non tineam noſtram hoc loco intelligi, ſed cutim vermiculis forſan & pediculis deformem, ut rectè notat Harduinus.

Apud Arabes prima mentio tineæ noſtræ injecta videtur ſub nomine *ſahaſati*, Avicennæ (*c*). Quæ quidem, ut ait, incipiens eſt *bothor*, dein ulceratur ulceribus cruſtoſis quandoquè, & emittit virus.

(*a*) Epidem. 2.
(*b*) Lib. 21, cap. 20.
(*c*) Fen. 7, tract. 3, cap. 10.

Tuncque duæ ejus diſtinguuntur ſpecies. *Sahafati* humida quam *refringi* vocant, & ſicca atque antiqua quæ eſt peſſima. Si eidem auctori credamus, ab humore melancholico cauſam accipit, cutem corrumpit atque corrodit, hæcque eſt *alvathim* à quo nomine barbari, ut videtur, thim & thineum & tineam fecerunt. Eſt autem apud Meſuem (*a*) *ſaphatin* idem atque *ſahafati* Avicennæ, *albacore* & *albathin* Rhaſis. Tyria verò & tinea apud veteres Haly Abbas (*b*) interpretes uſurpatum nomen primùm reperitur. Avenzoaris interpretes, ut & ipſe Avenzoar, *alſafati* à tineâ diſtinxêre (*c*). Nomen verò tineæ poſteà acceptum apud omnes ævi poſterioris auctores invaluit, Gordonum, Nicolaum Florentinum, Arnaldum de Villanova, ſed præcipuè Guidonem de Cauliaco (*d*) qui in eo maximè notandus eſt, quòd *alſafati* vel *ſahafati* Arabum diſtincto articulo atque tineam tractaverit: qui quidem morbi in quo differant vel ſymptomatibus, vel etiam adhibitâ apud ipſum curatione, vel attentiori Guidonis meditatione non video. Certè maximus auctor per æva ſequentia Guido de Cauliaco ad ſe poſteriores ferè auctores traxit, quanquàm ſæpiùs promiſcuè apud ipſos uſurpentur nomina tùm Arabica, tùm tinea, tùm etiam *ſerpiginis* nomen quod è ſerpendo aſſumptum herpeti Græcorum reſpondet, & pertinet ad ipſum, ad tineam verò nullatenùs, quæ raRò ultrà calvariam, & aliquandò, ſed rariùs ad barbam neglecta protenditur.

Hujus autem noſtræ tineæ ſpecies quinque vult numerari Guido de Cauliaco: prima eſt favoſa de quâ exit per foramina ſubtilis humiditas favo & melli ſimilis, de quâ fatebor me non videre in quo à favis & achoribus modò deſcriptis differat. Secunda ficoſa in quâ continetur quoddam granis ficûum ſimile & rubens ad extrema, quæ etiam ad ficos deſcriptos refertur. Tertia *amedeſa*, ficto & barbaro nomine, in quâ humiditas carni ſimilis egreditur per foramina minora quàm in favosâ, & hanc ab achoribus & κηρίοις cur diſtinguant neſcierim. Quarta *uberoſa*, ſimilis uberibus mamillarum cum rubore, à quâ humiditas fluit ſanguini ſimilis (id eſt ichor). Quintam demùm lupinoſam vocat, eſtquè ſimilis figurâ & colore lupinis, à quâ quaſi cortices & ſquammæ

(*a*) Pract. Meſue Summ. j. cap. 3.
(*b*) Avenzoar, tr. 2, cap. 4.
(*c*) Haly Abb. lib. 4 pract. cap. 13.
(*d*) Tract. 6, doctr. 2, cap. 1.

fluunt albæ & ſiccæ ; & ſub iſtâ, pergit idem auctor, comprehendi poteſt furfuroſa in quâ ſunt corpora ſubtilia farinæ, ſeu furfuri ſimilia quæ à capite fluunt ſine ulceratione. Hæc vera porrigo eſt. Undè perperam teſtimonium Galeni (*a*) Guido invocat qui achores & ſavos & furfura diſtinxit, nec aliquid prætereà. Indè factum ut licèt ſubtiliorem iſtam diſtinctionem in tineâ plures admiſerint, repudiarint tamen plurimi, quaſi multos morbos in unum convertentem, inter quos eminet graviſſimus auctor Euſt. Rudius (*b*) qui de his & doctè & ad naturæ obſervationem ſcripſit. Hic enim Avenzoarem & Avicennam ſecutus, tineæ vult tantummodò nomine deſignari capitis ſcabiem ſiccam, cruſtoſam, ſeu ſquammoſam, quam ab humore melancholico natam pronunciat.

Quinque has tineæ ſpecies ad tres reduxit Ambr. Paræus (*c*) ad naturam obſervandam factus homo, nec tam intricatè doctus: furfuroſam quam jurè porriginem vocamus, ficoſam, & corrodentem, quarum altera favos conſtituit, altera ad herpetes, ſeu ſerpiginem eſt referenda. De lupinosâ quam veram ſolam agnoſcimus tineam ne mentionem quidem injicit. Quinque verò ſpecies cum Guidone & Gordono Sennertus, Foreſtus aliique diſtinxêre, quibus oblivioni traditis, ut pote tractatis, id unum obſervatores Medicos rogamus ; an non inſpecto capite illicò pronuncient tineam adeſſe in uno morbo, quem pueris pauperum, aliquandò, ſed rariùs in divitibus occurrere omnes conſentiunt, nec tamen ab eâ immunes ſunt adulti. Hujus ergo, ut error in poſterum vitetur, deſcriptio accurata tradenda eſt.

Aliis, ut aiunt auctores, connata eſt tinea, aliis adventitia. Connatam faciunt parentum vitia ; nam ut videtur apud antiquos obſervata fuiſſe leproſorum progenies, ita & nunc tineoſorum dantur proſapiæ. Sed quî fiat ut matre ſanâ & patre ſano viderim univerſam progeniem ſimilibus deturpari fœditatibus ? An hoc ab uteri lacte, an à vitiosâ organorum conformatione quæ ſecernendo cutaneo lubrico capitis humori inſerviunt ? Quo in caſu vix ſperanda foret curatio. Aliter tamen rem evenire vidi. Crediderim ergo nullam dari tineam verè connatam, ſed poſſe à materno

(*a*) Galeni exegeſis voc. Hippocrat.
(*b*) Euſt. Rudius de Sympt. extern. lib. 4, cap. 11, ad calcem libri de affectibus externis.
(*c*) Lib. 17, cap. 2.

utero

utero accipi acre indomabile quod ſummâ tenacitate lymphæ adhæreat nutritiæ, & poſteà lacte nutricis, vel ipſiûs matris perverſo invaleſcat, tineamque producat; hinc cùm hujus originis nullum ſtatui poteſt tempus, connatam credimus affectionem quæ ab incipientis vitæ exordio nunquam nos deſeruit.

Incipientis tineæ vulgò prodromus & quaſi nuntia porrigo, in iis locis maximè conſpicua quæ mox tinea invadet, indè quaſi à centro ſenſim decreſcens, protenditur. Quo in loco porrigo magis eminet, fit cruſta, quæ ſenſim ſenſimque ſpiſſior, mucoſa tamen eſt, & malè olet. Rancidulo-aceſcentem mixtum tamen putrido ſpontaneo odorem emittit, ſi fuerit impura & malè tractata; vix ullus eſt odor ſi lintea mutentur, & puer mundus fuerit, atque bellè educatus. Cruſtæ illæ ſenſim ſenſimque albeſcentes evadunt, & in viciniâ jam non furfur, aut far morboſum apparet, ſed lemæ grandes albeſcentes. Sub hiſce lemis cutis lævis apparet & quaſi marmorea, imò aliquandò pellucens. Nullus tamen humor exit præter mucum levem ad ipſos tumoris margines. At non unus, aut ſolitarius tumor exſurgit. Verùm priore jam quaſi maturitatem adepto ſuccreſcunt alii, ita ut tineoſorum caput, aut glabrum ſit, aut in partibus non glabris totum cruſtis ſcateat, ſeſe invicem ſuperſcandentibus.

Interdùm tamen tineæ incipientis alia eſt forma, præſertìm in illis quos grandiores tinea invadit. Pſydracia pauca, conferta, uno in loco turmatìm erumpentia tineæ dant locum, id eſt porrigini & cruſtis indè naſcentibus. Cætera ut in aliâ ſpecie eadem ſunt phœnomena. Ad frontem uſque tinea protenditur. Et cùm glabritiem cutis ſedulo examine perpendimus, ſimulque epidermidis ſublationem in lemas ſibi ſuccedentes, evidenter ſubjecta cutis tumefacta in ſuâ ſubſtantiâ deprehenditur. Imò, licèt non doleat per ſe, rudiùs tamen tractata ſenſum obſcurum dolorificum refert, & ſub frictu atque attactu rubet facillimè; indè patet cur cruſtæ videantur depreſſæ, velut ſi à cute humiliore exſurgerent.

Non tamen ſemper eadem externa tineæ phœnomena ſunt. Alia enim verè lupinoſa dici poteſt, eò quòd & ſuprà baſim multùm emineat & attollatur: alia depreſſior eſt, &, ut Paræus ait, corrodens, eò quòd extendatur, quæ etiam ſubjectam cutim erodit & oſſibus ipſis ſulcos imprimit, ut in cadaveribus deprehenditur.

Aliquandò verò humida eſt, id eſt aliquo, ſed parco humore

ſcatens, qui inter cruſtarum intervalla ex cute rubrâ ſcaturire videtur, mellis corrupti ad inſtar. Brevì tamen coagulatur humor ille in lemas, adeò ut ſi veterum ſequi dogmata velimus, ea ex porriginosâ atque lupinosâ complicata dici poſſit. Aliquandò ſicca eſt & prorsùs arida, quæ verè tinea dicenda eſt.

Sed vera atque maximè animo tenenda diſtinctio quæ ad omnes ferè morbos cutaneos pertinet in eo conſiſtit, ut ſedulò perpendamus, præſertim in adultis, an non tinea venerea ſit, & ab impuris orta concubitubus? Hoc enim in caſu, qui non infrequens dici poteſt, ſupervacua eſt omnis inquiſitio, nec alia tentanda curandi methodus quàm quæ morbis venereis competit. Hæc & profundior & dolens magis, & pruritu nocturno ſæva & abnormis, oſſeam compagem magis fatigat, ſimulque in graviora ſymptomata it degener : cùm contrà tineæ noſtræ id proprium ſit, ut perſtet integra, nec ullâ ratione moveatur, ita ut plures per annos neglecta nec progreſſus accipere, nec tardari, uno verbo, non alterari videatur.

Plures tamen ſunt inter recentiorem tineam atque veterem differentiæ ſymptomatum quas hìc paululùm annotare neceſſe eſt. Recens enim pauciores occupat partes, minùs prurit, minùs arida eſt, minùs olet; at creſcit eundo malum. Cutis magis atque magis glabreſcit, glandulæ ad occiput lymphaticæ intumeſcunt, non criticè, non depuratoriè, ſed mali communicatione : indèque aliquandò & collum & axillas invadunt; intumeſcunt aures ferè elephantinum in morem, ſqualleſcunt oculi, palpebræ ipſæ rubent, inflantur, introvertuntur : intereà fetidus odor ex capite exhalat, veteres excutiuntur pili; qui ſuccreſcunt, aut albidi ſunt, molles, vix aliquod capientes incrementum, aut lanuginis in morem tenuiſſimi, rari, intricati, vix calvitiem ipſam diſſimulantes. Intereà benè valet æger, immoriger eſt, & quodam appetitu voraci donatur. Verùm ut plurimùm mens ad labores capeſcendos vix apta aliquam hebetudinem refert, & ad corporea exercitia agiles, vix mente valent. Non hìc diſcrimina temporum, aut intervalla numeranda ſunt. Perſtat tinea quaſi immobilis, nec niſi attento obſervatori & per longa tempora hiſtoriam morbi rimanti, aliquid novi in ipsâ apparet. Etenim ſi tinea ſibi relinquatur, ætas, regionis mutatio, victûs prorsùs immutata conditio ipſi ita ſuppetias afferunt, ut qui tineâ à primâ laborarunt infantiâ vulgò ad pubertatis tempus, mutatâ prorsùs lymphâ, ipsâ ſenſim libe-

rentur. Quibus tardiùs exſurgit & poſt pubertatem, verſùs mutatas in virili ætate vitæ conditiones, ſed præſertim aliquo ſuperveniente malo, ſanantur. Schenkius (*a*) à retropùlsâ tineâ ſuppuratum unicum cerebri lobum indèque mortem vidit. Vidi tineoſam virginem ab ipsâ prorsùs ſanari. Succeſſit inſania immedicabilis.

Febres intermittentes longæ, diuturno vexantes tempore, dùm lymphæ mutant textum, dùm regimen vitæ poſtulant, huic morbo medelam attulêre. Idem fit à febribus illis magnis depuratoriis quæ totiûs corporis conſtitutionem ſubvertunt. Verùm quæ magis communis eſt tineæ ſequela, ea eſt: intumeſcunt glandulæ, ſecretione privantur; ad caput jam nullus deponitur humor; articuli craſſeſcunt & ſpina ventoſa tineam excipit. Sin minùs, vel fit phthiſis ſtrumoſa, & pulmonibus in materiem duram, granuloſam, quaſi cretaceam converſis, quam vel ipſa ſuppuratio abſumere non poteſt, poſt longos febris hecticæ languores miſer æger antè diem fatis cedit; vel longius fatum poſt languores peſſimos eos manet quibus, depoſito in glandulas meſaraicas eorumque viciniam veneno, obſtruuntur illæ, indurantur, fitque ab intercepto circuitu, aut lethalis diarrhæa, aut hydrops inſanabilis. Verùm ſæpiùs ipſa ætas huic malo ſola medicinam fecit. Nam plures reperire eſt vetulos quos in infantiâ tinea divexavit, & nullum unquam inclinante ætate tineoſum vidiſſe mihi contigit.

At ſuſcipere hujus mali curam in immorigeris infantibus, aut in pauperioris ſortis hominibus arduum eſt & ita difficile opus, ut & Guido de Cauliaco, & Paræus ipſe conſilium dent Chirurgis ne illam in ſe ſuſcipiant. Quod quouſquè per ethicam liceat, viderit quiſquis amorem proximi pro altero Chriſti præcepto colit. Non minùs tamen ex arte eſt ejus curationem fusè exſequi quam difficilem eſſe ſentiet quivis qui artis non ignarus, perpenderit ſibi cum inerti materiâ & à centro actionis diſſitâ rem eſſe agendam. Ecquæ enim eſt cauſa tineæ in quam noſtras indicationes dirigemus?

Antiqui omnes visâ ejus tenacitate ac virulentiâ eam humori melancholico acceptam ferendam credidêre, humori ſcilicet qui validum virus ab ipsâ tenacitate mutuaretur, & quem mobilem reddere periculoſæ plenum opus aleæ arbitrabantur. Et certè ſummam eſſe tenacitatem humoris tineam efficientis nemo negare poteſt. Sed non ea eſt quaſi reſinoſa viſcoſitas quæ melancholiæ

(*a*) Obſerv. lib. 1, Obſ. 3, pag. 15.

competit. At tenacitas acrimoniæ evidenti mixta, gypſea eſt & cretacea, nataque hoc in humore acrimonia mediocris eſt ut plurimùm, & ſtagnationi exundantis humoris debita.

Cruſtæ in tineâ quaſi lapideæ ſuperpoſito cataplaſmate non emolliuntur, aquâ ſimplici non ſolvuntur. Et ut aliquid prorsùs ſimile cum muco animali ars chemica procreet, neceſſe eſt, experimentis factis, ut creta, aut terra abſorbens cum muco miſceatur in vaſe plano, ſicque evaporet. Poſt paucum enim tempus moles illa primùm fluida, in corpus ſolidiſſimum dureſcit & concreſcit. Superficies verò dura & verè lapidea materiem cruſtaceam teneriorem & humidiorem contegit, quæ, ubi aërem ſenſit, paucis temporis minutis eamdem acquirit duritiem, ſed magis friabilem: hæc omnia ſi diutiùs aſſervantur, finditur ſuperficies ac filamenta emittit, & ſitum mucoſum contrahit. Præcipuè verò lenibus acidis remixta ſeleniticam compagem efficit, partim ſolidam, partim humeſcentem, olentem brevì, & tenuiſſima emittentem fila, intricatiſſima, ſimilia tenuioribus illis quæ à capite tinea propellit, quæ, etſi videantur à cute oriri, in ipsâque radices aſſumere, tamen & ſine dolore, & ſine nixu avelluntur, & nullam videntur baſim obtinere. Quantumvis porrò non negemus ingentem intercedere differentiam inter ſubjectum experimentorum mox prolatorum, & cauſam tineæ efficientem, non poteſt tamen negari certa quæ inter utrumque productum ineſt analogia. Terra videtur ex nutrimento oſſeo, aut uberior, aut vitiata in tineoſo excremento redundare, quæ cùm tineæ materiem præbet, ita in brutis in cornua & ungulas abit, aut excreſcit in nodos & tophos, mechaniſmo quem ſagaciter & ad naturæ normam R. Ruſſel (*a*) expoſuit.

Aliquandò etiam, ſed caſu raro, in hominibus exundans hæc materies cornua imitari viſa eſt, ſed frequentiùs ad articulos tubera facit nodoſque rachiticos ; in ſpinam dorſalem deflectit, variaque efficit deformitatum genera, ſolida uniens atque compingens quæ ſeparata eſſe debuerant.

Nec rarò dùm uno in loco exundat, in altero deficit. Tuberosâque dùm articulos opplet farragine, oſſium longitudinem deficiens molliorem facit, & incurvat contrà naturæ ordinem.

Nec illud velim accipi circà cruſtarum tineoſarum naturam quaſi ab hypotheſi petitum, ſed in naturæ obſervatione fundatum

(*a*) Œconom. natur. in gland.

credas, ſi attentiùs ſpectaveris illarum elaſticitatem & duritiem, gypſea fragmenta, in aquâ inſolubilitatem, donec putreſcant, & reſiduam terræ à putreſcentiâ copiam. Nec inauditum, aut inſolitum in arte ſpectaculum eſt, talia intùs enata corpora in glandulis & viſceribus reperire, quorum ſi analyſim chemicam ſpectes, eadem eſt omninò, tùm circà producta, tùm circà aërem exeuntem, ac oſſium analyſis. Diverſitatem hìc imprimit diverſa acidi humani miſcela, ſeri exuberantis à proprio ægri temperamento copia, ætas, regio : ſed natura ſemper eadem, iners, muco ſuperfluo gravata & compreſſa ; vix alia concitans ſymptomata præter illa quæ à compreſſione & mutato textu cutis pendent, aut peſſima retropreſſionis phœnomena, ſi illi materiæ debitus denegetur per oſtia patentia exitus.

Nulla igitur ſperanda in tineæ cruſtis ſuppuratio. Immutabiles perſtant ſub attrahentibus unguentis, & ipſa cutis ægra bonum pus concipere non poteſt. Evellendum malum præſens, ejuſque ſcaturigo inveſtiganda atque tollenda eſt. Duplex ergo hìc curationis intentio. Altera tota continetur remediis internis, & mutatione totius ſanguinis, ſeu potiùs lymphæ nutritiæ & mucoſæ in ſtatum naturalem reductione. In poſteriore, ſeu topicâ & locali evellendæ ſunt cruſtæ locum obſidentes, erodenda eorum principia, ut juſta & profundior ſuppuratio, organiſmo cutis deſtructo cicatricem loco tineæ efficiat, undè à tineâ benè curatâ ſemper ſequitur calvities.

Guido de Cauliaco, Foreſtus, Paræus, & auctores omnes mox allegati uno ore volunt curationem à venæ ſectione ordiri ; non aliâ de ratione, niſi quòd antè omnia vacuandum ſit corpus, quibus quidem, modò vires valeant, non video quare non adſtipulemur. Vehementiora certè remedia concutiendo toti corpori idonea poſſent per ſe inflammationem concitare, & nedùm tunc morbi cauſa propellatur, invaleſcet contrà neglectâ univerſali corporis præparatione. Undè etiam Paræus curationem in infantibus tentari vetat, ne infirma corporis compages illis ferendis invalidior diſſiliat. Vult in illis corporibus topica tantùm laxantia capiti aptari, donec ætas firmior ſit, imò corpus juſtam magnitudinem adeptum ſit, foliaque betæ tantùm, aut braſſicæ in hunc uſum commendat, quod ſanè conſilium poſſumus exſequi, modò propriis ſignis non pateat humoris illiùs degeneraſcentia, & in

alias functiones impulſus. Tunc enim ſegnities ad curam non toleranda foret.

Loco venæ ſectionis, aut poſt eam adhibitam Euſtachius Rudius hirudinum applicationem ſuadet, non ut à capite revellant, ſed cùm tineam ab humore melancholico ortam putet, ejuſque emporia locet aut in hepate, aut in liene, directè ab iis credit eſſe fomitem deducendum, quod quidem auxilium in noſtrâ theoriâ levioris videtur eſſe ponderis. Poſt prima hæc præſidia humores à capite revellunt Medici modò citati, & purgationes adhibent, hydragogas illas, atque potentiſſimè ſolventes quibus intermiſcent diluentia ex lapatho, cichorio, taraxaco, borragine, meliſsâ, lupulis, ſcabioſâ, fumariâ, aliiſque hujuſmodi. Quanquam autem Rudius modò citatus enuntiet creditum fuiſſe ab antiquis nihil melius unquam fuiſſe veratro ad humoris illiûs vacuationem ſimul atque mutationem, præfert tamen illa medicamenta, præcipuè ſub catapotiorum, ſeu pilularum formâ quæ humores ſolvendo alvum potentiſſimè ſubvertunt; tales ſunt pilulæ cochiæ cum helleboro nigro præparatæ, nec non hiera cum helleboro. Ad ulcera capitis quæ tineæ analoga eſſe poſſunt, commendavit Galenus (*a*) pilulas ex aloë, diacrydio & trochiſcis alhandal confectas, ſi pulvere corticum radicis hellebori nigri involvantur. Ad ſimilem affectum laudantur etiam pilulæ de lapide lazuli & lapide armeno.

His exantlatis nares etiam ſternutatoriis & caput atque os collutoriis & ptarmicis purgant, nec niſi his jam à longo tempore peractis, topica tentant. Quibus dùm ſuam concredebant operationem, purgantibus remotis, ſerum lactis caprini fumariâ aut aliis ſimilibus intinctum ſuadent.

Miramur porrò quòd cùm de morborum cutaneorum internâ curatione ferè omnes Medicinæ principes ſiluerint, adeò attenti fuerint in tineæ curâ enarrandâ poſteriores Medici. Tùm etiam notabimus curam illam acrem & vividam, non omnibus æquè convenire corporibus, & in eo peccare quòd cùm nulla in tineâ affectarum functionum ſigna extent, periculum ſit ne à tantis remediis immedicabili modo machina concutiatur.

An non eadem leniori methodo obtineri poſſunt, & partes reſinoſæ reſolvendo muco aptæ ejuſque tenori immutando idoneæ, leniùs introduci, cùm præſertim ibi nulla ſpes revulſionis, nec

(*a*) Galen. de Comp. ſec. loc. lib. 5, cap. ultimo.

hoſtilis materiæ ab humorum circuitu & organiſmo ſeparatæ, legitimè avertendæ poſſit dari indicatio ? Certè antè omnia cùm terræ nutritiæ atque mucoſæ vitio peccet humor, prorsùs invertendum eſſe regimen crediderim ; & ad tales ægros advocatus Medicus id antè omnia explorare debet, ad quod vitium inclinet regimen illud. Nam ſi è vegetantibus ſolis conſtitutum foret regimen, id ita vertere velim ut omnia benè fermentata, panem biſcoctum ſuaſerim, carneſque teneras, aut piſces concedam ſaxatiles. Sin contrà ex animalibus diæta conflata fuerit, his animalia cibaria interdicam prorsùs, ut, ſcilicet quâcumque ratione, quâcumque viâ illatæ humorum conditioni medeamur.

In genere tamen diæta, quantùm fieri poterit in viribus illæſis, arctior imperanda. Cùm non acre ſolùm, ſed & ſuperfluum hìc morbo fomitem addat, ſuperfluumque & ſpiſſius ſit, & quaſi mucoſum nimìs. Undè ſæpiùs evenit ut ii qui tineâ maximè vexantur, ſi gravis aliquis in eos inciderit morbus, in quo & febre & fame conficiantur, conticeſcat & quaſi ſileat tinea, nec de eâ longum per tempus mentio fiat. Imò nonnullos novi ſimili modo curatos, ſed ut fatear quod res eſt, non ſine interioris viſceris alicujus diſpendio; febris enim, ut ut violenta, vix videtur ſufficere tanto fomiti debellando. Forſan aliter alii viderunt.

Omnibus verò circà vivendi normam in ordinem reductis, medicamentis proſpiciendum eſt. Suadent omnes, uti jam dictum, à venæ ſectione curam ordiendam, quod nec ſemper, nec univerſis verum eſt ; ſiquidem ad indicationes curatorias venæ ſectio nihil evidenter confert, corpori tantùm per eam conſulitur. Poſteà verò, ut veteres ferè omnes, præcipuèque Paræus, cauterium inuri & latè apertum ſervari commendant, in eorum ſententiam eundum eſt. Non quòd eo cauterio revellatur humor, ut plerique putant, aut divertatur quæ divertenda non eſt tinea, ſed ut ſuperfluus humor exitum facilem inveniens, non jam ad ea loca feratur per quæ exuberat, adeòque fomes tineæ minor fiat.

Exindè verò ad leniorem medendi methodum vertenda eſt cura, me ſaltem judice. Quid enim ſub morbi principiis, materiâque crudâ, à fortioribus emeticis, à validioribus purgantibus ſperemus ? at inquient, ne materia copioſior exeat, ipſa in ſuâ origine opprimenda. Verùm nil melius foret, ſi aliquis ſperandus ſucceſſus. At illi fiduciam adhibere naturæ mores & agendi normam perpendenti impoſſibile eſt. Ars quippè eam imperfectiùs

æmulatur, & metus eſt ne ſubita ſubverſio œconomiæ animalis partes neccùm mutatas in viſcera nobiliora transferat. Victu igitur mutato, primiſque viis molli cathartico expurgatis, commendaverim leniores herbas ſaponaceas illas atque ſale eſſentiali leniſſimo turgentes, uſu longo, mutationi humorum efficiendæ aptas maximè, ſalibuſque lenibus & oleis dulcibus, muco animali tenuando & mitificando idoneas. Tales à veteribus commendatæ ſunt, bardana, lapathum, aperientes omnes radices, & præcipuè ſucci, infuſa atque decocta borragineorum, cichoriaceorum, crucifero flore donatorum, naſturtii, becabungæ, trifolii fibrini, aperientium denique ſic dictorum omnium, ſub formâ infuſi & apoſematis quater de die repetendi, hos ita præſcribere velim, ut eorum virtute nullo tempore ſanguis careat, adeòque partes eorum ſalinæ ſolventes dominentur inter partes craſſas, terreas, inertes, quæ mali eſſentiam conſtituunt.

Laudantur à multis juſcula è viperarum carne ſecundùm artem confecta. Sed illa puerili ætati raro aptantur; ut potè quæ nimiam actionem exerant, & corpus nimiùm immutent: ea præferenda ſunt medicamenta quorum dotes temperare & regere facili imperio poſſis.

Nec verò inutile eſt hìc antimonialia leniſſima miſcere quæ ſulphureum aliquid, aliquid partis regulinæ contineant, ita tamen refractâ doſi, ut perſpirationem promoveant, quod ipſis competere obſervatio vel conſtantiſſima demonſtrat. Talia præparata ſunt ſulphura antimonii aurata dicta, ſulphura illa lotione ſolâ præcipitata, antimonium diaphoreticum, ipſum verò præter omnia alia crudum antimonium, ſive arte regeneratum, ſive ex mineris extractum puriſſimis.

Præterea verò pluribus in caſibus, præſertim ubi parentum minùs aptè concinnata vitæ ratio originem malo præbuiſſe videtur, mercurialia etiam locum opportunum inveniunt, præcipuè ſi quod tineâ afficitur corpus craſſum ſit atque corpulentum, non exeſum, nec marcidum. Si verò glandulæ intumuerint, ſi artus & eorum articuli graves & craſſi, mercurialia præparata ſibi maximam curæ partem vindicabunt. Inter hæc aquila alba, panacæa mercurialis, forſan & æthiops mineralis, doſi ita ſuſpensâ oblata, ne indè aliquis affectus eliciatur, materiem tineoſam mirè attenuare viſa ſunt. Quibus multis in caſibus erudita

in

in mercurio exhibendo induſtria mercurii ſublimati corroſivi adhibitionem prætulit, modò ille ita refractâ doſi in corpus intromittatur ne vel nunc, vel in poſterum aliquas concitet turbas, aut inteſtinorum ſenſilitatem augeat, ipſaque reddat maximè phlogiſtica. Intereà verò ſemper & ſecretio bilis partibus plantarum amaris intrà ſanguinem intromiſſis adaugenda, & alvus laxior ſervanda, ut quaſi perpetuâ revulſione partes plures morboſæ excrementorum ſub formâ exeant, quod præcipuè fiet, ſi plantis ſuprà memoratis addantur fumaria, taraxacum, chamæmelum, abſynthia, ut tonica amara, prætereà verò, & præcipuè ſalia neutra, amara temperamento ægri aptiora ſeligendo; terra foliata tartari virtute ſolventi eminet, purganti ſal catharticum Anglicanum. Alia ſic aliorum vices præſtant, nec ignem, aut calorem accendunt, eorumque doſis ita moderanda, ut alvo ſtimulum potiùs lenem indant, quàm vim videantur inferre.

Verùm hæc omnia ita adminiſtrata materiem mobilem potiùs reddent, quàm ipſam deſtruent. Undè non rarum eſt ut ſub ipſorum adminiſtratione humor quodammodò turgeat, malumque adaugeri videatur. Quod jam factum eſſe cum levamine functionum aucta ſymptomata materieſque humidior reddita, indicabunt; tuncque ad potentiora corpuſque mutantia auxilia deveniendum eſt. Hìc jam, ſed longo tantùm exacto à principio morbi intervallo, cum veteribus conſentimus. Tunc enim revulſio à capite facienda humoris copioſioris, & ob conciliatam fluiditatem exundantis, quam & per topica ſimul adorimur. Nulla autem aut potentior, aut efficacior, quàm quæ per largas vacuationes alvinas, jam reſeratis vaſis biliariis, & patentibus organis ſecretoriis per inteſtina expanſis, tam facilè proruit; nulla cujus incommodis adeò facilè mederi poſſimus.

Si ergo formula pilularum ægro arriſerit, & ejus corpori fuerit accommodata, baſim eorum tibi præbebunt efficacem, ſcammonium, virtute & purganti, & ſolventi præcipuè efficax, jalappa, mechoacana antiquioribus ad hunc uſum in tineâ decantata, helleborus niger, minùſque hodie uſitatus lapis lazuli. Sed poſt ſcammonium nulla reſina plus ſolvit lymphatica concreta helleboro nigro. Solventi autem virtuti plurimam vim addes, ſi ſaponacea, gummi ammoniacum, galbanum, opopanacem partim reſinoſa partim gummea admiſcueris, & mercurii dulcis doſim refractam. Hæc eâ doſi danda ut moveatur alvus, & ſi

quæ naſcantur tormina, ea ſtatim diluente, calido, demulcente potu retundes.

Verùm ea non omnibus æquè conveniunt. Inter potiones optimè & ex arte mihi felicem ſucceſſum dedêre ptiſanæ ex ſudoriferis ſimul atque purgantibus conflatæ, quæ humores ſimul ſolvunt, tenuant, urinas, alvum movent, & perſpirationem etiam juſto tempore exhibitæ promovent. Talis eſt quæ in Pharmacopæâ Pariſienſi titulum ptiſanæ ſudoriferæ purgantis præfert, & guaiaco, ſarſaparillâ, chinæ radice, antimonio crudo conflatur, ſennâque, epithymo, atque ſalinis conſtat. Hanc ita exhibui, ut alternis diebus, una remedio vacet, altera eo inſumatur, & pluries ejus doſim unam veſpere, ut intrà ſanguinem ſubeat, & nocturnâ laxatione altiùs infundatur, altera, vel duplex doſis, poſt unam, aut alteram ab evigilatione horam præbetur, ut evacuentur ſoluta. Quæ verò dies à remedio vacat, demulcendo atque diluendo tranſigitur. Hæc methodus, nec vires exhaurit, nec angorem inteſtinis ullum præbet, per triginta dierum ſpatium poteſt continuari, ſine ullo periculo, dùm topicis intereà remediis malum debellamus efficaciter. Nullos hâc methodo ſanatos, aut recidivas, aut aliud malum expertos novi; modò tamen malo, ut videtur evanido, omnibuſque ſanis, non ita confidamus adhibitis remediis, ut prorsùs abjiciantur cautelæ omnes. Diu iiſdem remediis inſiſtendum atque perſeverandum, & ubi ab iis ceſſamus, longis adhuc præceptis medicis æger proſequendus eſt.

Si de profligatione veneni tineoſi certi demonſtrativè eſſemus, in ægro valente, & firmi corporis, juniori præſertim ætate, nihil melius foret ad veneni reliquias edomandas & exhauriendas, diætâ lacteâ, & omni lactium benè conſtitutorum uſu. Si verò de hâc diætâ antiqui ne verbum quidem locuti ſunt, illud indè repetendum quòd cùm humorem noſtrum ad melancholiam referrent, non videbant quâ poſſet ratione fieri, ut lac ipſis conveniret. Nos cum iis ſaltem conſentimus ut fateamur, lactis quidem opem non eſſe admovendam, antequam venenum illud craſſum debellatum ſit, cùm in tineoſis deſint partes bilioſæ atque actuoſæ, quibus diluatur craſſamentum lacteum, nec niſi reſtitutâ meatûum libertate illud prodeſſe queat. Sed ubi vaſa tonum accepêre, vires fatiganti methodo anteà convulſæ & fractæ reſtituendæ ſunt, & remediis per lacteam diætam finem imponere tempus erit.

Forſan hæc & nimìs implicata & complexa methodus videbitur. Sed œconomiæ animalis variam rimanti in variis mali ſtadiis diatheſin forſan multò ſecurior atque tutior videbitur tot aliis prædicatis. Modò tamen non compendioſum magis videatur nobilem apud Anglos omni tempore ſalſæparillæ decoctæ ad uncias iij in aquæ libris duabus admovere ptiſanam, aut, ut in leproſis J. Brisbane (*a*), corticem Peruvianum. Circà quæ id ſaltem annotandum, methodum hanc, ut & longum vini antimoniati uſum, in aliquibus caſibus non ſine ratione commendatum, omnibus in caſibus nunquam poſſe competere. Imò & licèt pulchrè inſtituta fuerit methodus per interna præſidia curatoria, fatendum eſt ipſam ſine topicorum evellentium & detergentium auxilio, nullâ ratione fore profuturam. Tantas & tam inertes radices injecit in cute capitis venenum tineoſum, ut etiam vix poſſibile ſit malum per topica curare, ſine ullo vel ipſiûs cutis diſpendio. Ad eorum igitur uſum nunc noſtra ſeſe vertit curatio, notando quòd non niſi jam præparato per prædictam methodum ſanguine, ea admovenda ſint.

Duriſſimas quidem cruſtas atque pilos qui quaſi fulcra exeunti materiei præbent forficibus avellere, atque in ipsâ origine reſcindere, ita ut plaga quaſi univerſalis capiti inferatur, ſanguinemque cutis illa undequâque ſtillet, ſuadent omnes mox citati auctores ; nec ejulatibus puerorum commoveri, aut ipſis parcere jubent, ſiquidem cruſtæ illæ munimentum adverſus omnia medicamenta præbent, quæ penetrare illa nequeunt ; adeòque niſi avulſis illis nulla ſperanda medicatio.

Veruntamen Turnerus (*b*) applicari jubet emplaſtrum de pice quod heſternâ die applicatum quò fortiùs inhæreat, magnâ vi uno ictu avellitur, ita ut & cruſtas & epidermidem ſimul auferat. Quam quidem à Turnero commendatam praxim hodie apud nos inſtituunt religioſæ quædam mulierculæ ad quas ferè ſolas cura tineæ infeliciter devoluta eſt. Infeliciter inquam, cùm ex his quæ dicta ſunt, ſatis pateat, non contemnendam latere ſub tineâ malorum proſapiam. Atque ſi ſtatim ab hâc operatione ut facere ſolent illæ, ſine ullo interno adminiculo ad repercutientia imprudenter tranſeamus, poterunt mala plurima pullulare in thoracis

(*a*) Obſerv. & inquiries loc. cit.
(*b*) On Cutaneous Diſordes part. 2, cap. 1.

abdominiſque glandulas ; imò & gangrænam à nimis ſubitâ tineæ repercuſſione ortam memorat Turnerus.

Reſolventia igitur & deterſiva, illâ operatione peractâ, hìc adhibenda ſunt, ſed diverſa illa, pro diverſitate naturæ & morbi & ægrotantis. Si æger robuſtus, jam adultus, tinea verò antiqua & rebellis, fortiora deterſiva etiam vi aliquâ cathæreticâ donata apponenda ſunt. Tale eſt unguentum illud à Paræo deſcriptum quod à Guidone de Cauliaco mutuatus erat, Guido autem à Celſo & veteribus, à malis analogis ad tineam detortum. Id conſtat ex helleboro utroque, auripigmento, lithargyrio, calce vivâ, vitriolo, alumine ; tum addunt nucem gallarum & cinerum clavellatorum āā unciam ſemiſſem, mercurii in adipe extincti uncias tres, æruginis drachmas duas, in quartâ libræ parte ſuccorum borraginis, fumariæ, ſcabioſæ, lapathi acuti, eâdem aceti fortiſſimi doſi, & librâ unâ veteris olei, quæ ubi ad conſumptionem ſuccorum cocta fuerint, cineres clavellatos addes, picis Burgundicæ unciam ſemi & ceræ quantùm ſatis fuerit ut omnia in unguenti conſiſtentiam reducantur.

In hâc monſtroſâ præparatione, quales ſunt reliquæ ferè omnes ex veteribus adulteratæ, aut acceptæ ab Arabo-Græcorum Pharmacopæâ id notari velim, non minimam efficaciæ partem deberi cineribus clavellatis qui vi alcali fixi præcipitem ex unione agunt terram abſorbentem animalem, adeòque cruſtas decomponunt ; undè loco tot variorum emplaſtrorum quæ pro tineæ naturâ in mitia, vel valida vult diſtingui Zacutus Luſitanus (*a*) de hoc morbo agens, lixivium apponendum nunc fortius, nunc lenius judicaverim, nunc pluri aquâ remixtum, nunc pauciori; ita ut nec inflammatio inferatur partibus denudatis, nec ſinamus ſegnitie & inertiâ renaſcentes occupari acinos cutaneos. Quem ad uſum etiam poſſunt conducere calcis præparata omnia, aqua calcis nunc mitior, nunc fortior, quæ omnia æruginem, auripigmentum, ſuſpecta jure remedia, poſſunt compenſare.

Nec minùs Alexander Maſſarias (*b*) acetum fortiſſimum commendat, eoque pro univerſali topico utitur, quod certè ad cruſtas decomponendas plurimùm valet, ſed carnibus mollitiem benè experientiâ cognitam indere videtur, & in oſſium viciniâ pene-

(*a*) Pract. liv. 1, cap. 2.
(*b*) Lib. 1, cap. 5.

tranti vi aliquid periculi importat, ne etiam terram oſſium nutritiam adoriatur. Quod ſentiens Maſſarias ipſiûs vim retundit aut exſtinguit, additis cadmiâ & lapide calaminari, ſpodioque uſto, & in linimenti conſiſtentiam coquit. Sic & Galenus (*a*) fuligini ex chartâ uſtâ adeòque alcalinâ jungit acetum, ut topicum in favis apud ruſticos, cùm alia remedia præſtò non eſſent. At certè alcalina plantis detergentibus remixta ariſtolochiæ, bryoniæ, enulæ campanæ, liguſtici radicibus, aliiſque hujuſmodi quibus auctores ſcatent nullum ſimile diſcrimen afferunt. Hùc & emplaſtra faciunt ex Pharmacopæis omnibus deterſiva cathæretica, modò vis alcalina non negligatur. Imò mulierculis quæ ferè ſolæ morbum hunc attingunt familiare vidi, nec ſine ſucceſſu, calanticam imperare quæ ex telâ ceratâ viridi conficiatur. Hæc ceruſſam, quæ ſemper aliquid adſtringentis habet, & viride æris magnâ copiâ recipit. Solvitur cera à capitis calore, & agunt vi ſuâ medicamenta, deterſivumque fit ſatis efficax, & non ſine periculo ſive humoris repercutiendi, ſive nervorum irritandorum. Plura hìc exſcribere quæ ex hujuſmodi cathæreticis apud auctores præſcribuntur emplaſtra vetat pudor, ne dùm prodeſſe quærimus, circumſcriptâ nimìs methodo noceamus, cùm ſuum cuique tribuendum ſit, libros autem ſcribentibus fugiendæ ſint particulares indicationes, generales ſectandæ.

At curato benè capite, & omnibus ad cicatricem properantibus, exſiccantia, abſorbentia emplaſtra apponenda, lotiones aromaticæ, non ex vino, ne aceſcat, ſed ex aquâ leniter alcalinâ diù adminiſtrandæ. Verùm metus eſt experientiâ demonſtratus, ne capilli nunquam ſuccreſcant.

At verò aliquandò tinea negligitur, quid à neglectâ accidit? Difficile eſt quæſtioni reſpondere. At in genere ætas eam dirimit. Calvities ante diem ipſi ſuccedit, & mutatio ætatis atque humorum eam tollit in pauperioris ſortis hominibus duro labore confectis. At in iis qui opulentiùs vivunt & non vincunt hoſtiles atomos per dura exercitia, per victum parvum, alcalinum, iis, inquam, ſi tineam negligere fas eſſet, ſenſim omnes obturarentur glandulæ: tinea in ſtrumas abiret, & aut phthiſi conficerentur, aut hydrope tandem obſtructi perirent.

Undè patet quantùm operæ ſit pretium, tineam vel leviorem non negligere, imò curatis ab hoc malo, nec aliquid priſtinæ

(*a*) Lib. 10, de Comp. Med. ſec. loca. cap. 8.

labis ſentientibus auctor ſim ut quotannis vere & autumno alvum benè ſubluant & catharticis primas vias emundent, glandulisque meſaraicis, per ſtimulantia lymphæ ſolventia prudenter adhibita, libertatem concilient. Præſtant ad hoc aquæ ſalinæ ſulphureæ per quindecim dies integros corpore benè repurgato hauſtæ, magnâ copiâ. Aut ſi ab his pauperior fortuna, aut locorum diſtantia interdixerit, ſaltem pro potu ordinario decocto levi radicis chinæ utantur ſuaſor ſim. Licèt enim circà hujus virtutes iniquiùs ſenſerit auctor alioquin raro non credendus Cartheuſerus, tamen ea quantùm longo uſu lympham tenuando, & ut aiunt, proindè ſanguinem depurando proſit, ad omnes Medicos appello. Millepedum vivorum contuſorum uſum multis contuliſſe vidi, ſi ſingulis diebus vorentur. Idem aiunt aliqui de longo æthiopis martialis uſu, quod puellis præcipuè ad catamenia properantibus, quo tempore omnes cutanei morbi reviviſcunt, prodeſt, ſi illæ cæteroquin fuerint languidulæ & ad chloroſim atque puellarem cachexiam inclinantes. Qui caſus eſt tineoſarum quibus ex ipsâ morbi naturâ partes rubræ ſanguineæ vulgò deſunt, exuberante cæteroquìn mucoſæ partis malè coctæ farragine.

Ii ſunt præcipui affectus qui depuratorio munere in corpore, impetu ad cutem facto, funguntur. Quamvis enim ſumma ſit & nominum, & locorum occupatorum diverſitas, tamen ad deſcriptas jure meritò referuntur. Varietas autem ab uſu & functione læsâ pendet præcipuè. Omnes enim morbi cutanei depuratorii, ſi phlegmonas excipias, qui vulgò inter tractatus de tumoribus cenſentur, ad lympham pertinent.

Jam nobis agendum ſupereſt de vitiis in ipsâ cute naſcentibus & ab organiſmo cutis pendentibus, quæ pars nec dignitate, nec numero morborum priorem æquiparat.

DE MORBIS CUTANEIS.

PARS SECUNDA.

De Morbis in ipsâ cute naſcentibus.

HUC uſquè per longum atque tædioſum laborem morbos illos proſecuti ſumus quos cutis non parit, ſed fovet acceptos. In illis junctus perſpiratorio humori vitioſus humor exitum molitur, & deturpat organum ſecretorium. Hìc ipſiûs cutis ſubſtantia vitium ſuſcepit, ſuſceptum alit & enutrit. Undè cutis functiones vitiatæ reliquo corpori labem inferunt. Poteſt autem hìc admitti illa quæ diviſionem noſtræ primæ partis effecit differentia.

Aliquandò ſcilicet univerſa cutis vitium contrahit, aut contrahere poteſt. Aliquandò vitium uni parti proprium eſt & ſingulare.

Undè ſectiones duæ naſcuntur; prima de morbis univerſalibus cutis, altera de morbis ſingularibus alicujus partis in cute tractabit. Quam quidem diviſionem ita admittimus ut fatendum ſit poſteriorem partem in primâ ferè totam contineri. Idem enim ferè peccandi modus eſt in ſingulari parte, atque in toto corpore, niſi tamen diſcrepantiam aliquam inferat ipſa ſtructura; atque fabrica partium cutis, ut ſuo dicetur loco.

Erunt ergo operis noſtri ſectiones duæ, ſubdiviſiones plures. In quibus quidem id annotandum velimus aliquos eſſe morbos à nobis non viſos, ſed ſub fidem auctorum deſcriptos, quos prætermittere voluiſſemus; verùm, ne integro tractatui aliquid deſit, de iis ſcribendum fuit. Hortamur ergò autoptas ut vineta cedant hæc noſtra, melioraque doceant experti inexpertos. Talis eſt plica Polonica, cujus ne elementa quidem ullibi alibi terrarum reperiuntur.

SECTIO PRIMA.

De Morbis in universâ cute naſcentibus.

Cutis commune corporis involucrum non pilos tantùm emittit qui partem ejus conſtituunt, ſed etiam & omnis generis vaſa & nervos maximè ſenſiles, & tactui efficiendo idoneos continet, imò & evidentis craſſitiei folliculos, quibus omnibus pro baſi eſt textus cellularis craſſior & denſior, ut alibi dictum ſatis. Hæc & perpetuæ exhalationi patet, ut jam dudùm experimentis comprobatum eſt, at verò inhalationi etiam quam jam à veteribus Medicinæ patribus & ipſo Hippocrate benè cognitam ſolertiſſimis ſubjecit experimentis Stephanus Hales, eruditione verò, atque obſervatione multiplici demonſtravit Abr. Kaw Boerrhaavius.

Prætereà verò perſpirationem coctam & ab alimentis ritè coctis reſiduam certis horis emittit cutis. Undè fit ut functiones ejus, quantùmvis univerſales ſint, tamen pro rerum nonnaturalium influxu perpetuo continuò varient, noctu diuque diverſæ, pro tempeſtate, regione, victu ſummè diſcrepantes, pro ætatum & ſexûs diverſitate admodùm abludentes, quæ omnia antè oculos ſibi ponenda ſunt, priùſquam de morbo pronuntiemus, cùm admodùm diverſum ſit de cute agere adulti, aut infantis, militis duriſſimi, aut fœminæ molliſſimæ. Sua cuique craſſities, color ſuus. Nec idem eſt, teſte jam dudum Hippocrate, humorum exitus, nec eadem horum natura. Quæ omnia cùm differentias naturales conſtituant, tùm morboſas etiam poſſunt inducere.

Verùm ut nos non deſerat ſummè in obſcuris requirenda diligentia, in patefaciendis cutis vitiis ordo pathologicus aſſumendus eſt. Vel enim conſiſtentia, ſirmitas atque rigiditas cutis prætermodùm aucta eſt, vel contrà nimìs imminuta. Vel color, vel craſis immutata ſunt, vel uſus impeditus. Vel demùm externa extùs irruentia corpora novas ipſi & extraneas partes addunt. Undè capitum mox exponendorum naſcitur diviſio. Nam capite primo agemus de cutis craſeos atque craſſitiei vitiis. Altero, de ejus ſubſtantiæ mutatione, qualem præſtant ariditas, aut exuſtio,

vel contrà humiditas atque laxitas. 3°. Demùm agemus de venenis; quæ certè capita plurimas ſubdiviſiones admittent.

CAPUT PRIMUM.

De Cutis in ejus craſſitie vitiis.

CRASSIOR atque denſior eſſe poteſt cutis à primævâ origine, poteſt eſſe mollior atque tenuior. Cutis uniûs hominis alteriûs cuti poteſt vix ac ne vix quidem aſſimilari. Compactum certè & denſum eſt Afrorum nudo corpore incedentium & ſole peruſtorum corium; cùm exſiccanti aëris ardori expoſitum neceſſariò maximam exhalationem patiatur, adeòque partes ad illud affluentes nutritiæ facilè ſolideſcant, & arctiùs compingantur. Lenior ad tactum & mollior cutis ſeptentrionalium hominum qui, dùm veſtibus denſis corpora protegunt, perpetuum rorem in ejus villis tenuibus ſervant, & perſpirabili humore cohibito ejus mollitiem alluunt. Imò radiorum ſolis ea eſt in denſandâ atque colorandâ cute efficacia, ut maximum tùm denſitatis, tùm coloris diſcrimen interſit inter partes ſoli expoſitas aliaſque quas nunquam ejus radii attingunt. Verùm ſi nigritas alioſque colore patrio & avito diſtinctos ab aliis & Europæis hominibus ſejunxeris, claſſemque ex illis conſtitueris, cum omnibus graviſſimis in hiſtoriâ naturali auctoribus, multò minor eſt inter infantum atque puerorum cutem differentia, quàm quæ poſteà inter adultos emicat. Veruntamen cùm coloris differentiæ illæ à textûs reticularis à Malpighio deſcripti differentiis & liquidi illum alluentis naturâ, conſtitutione, aut acquiſitâ ſecundùm naturæ leges craſi pendeant, nunquam morboſæ dici & fieri poſſunt, adeòque illas attingere nefas.

Verùm id pro principio habere poſſumus, cutim quo colore magis fuſco donata evadit, ſi non ſit ſanguineus ille & fluxilis color, aut cum erethiſmo junctus, etiam & denſiorem eſſe & craſſiorem, adeòque multùm etiam ſuæ ſenſilitatis atque irritabilitatis deperdere, quæ ſemper tenuitati proportionalis eſſe debet. Umbratilis vita cutem efficit molliorem & laxiorem, fæmineam, θηλεῖαν vocabat Hippocrates. Hinc loca perpetuis nebulis obſita cutis colorem album & pallentem efficiunt,

conciliantque illi & mollitiem & tenuitatem, ut inſularum incolis familiare eſt teſte Hippocrate (*a*).

In genere pariter fœminarum cutis marium cute tenuior eſt, & magis exilis, eamque ſi microſcopio inſpexeris, textu delicatiori & cellulis magis compactis minùſque hiantibus effictam reperies, ita ut ea etiam differentia ad infantum, in hoc vel illo ſexu, cutem pariter referatur, quæ à primordiis quidem exſtat connata, ſed minùs notabili gradu. Cùm verò cutis denſior eſt, perſpiratio libera quidem eſſe poteſt, ſed non impetu eodem proſilire : cùm mollior eſt & laxior, tardatur pariter ob virium tonicarum inertiam. Minùs perſpirant mulieres in cute ſummè tenui ob parvitatem & mollitiem meatûum. Minùs ſudant adulti eo quòd vaſa cutanea minùs cedant, & fortiùs impetui liquorum reſiſtant. Cutis fortior atque craſſior minùs ſentit, quia ab externorum corporum inſultibus minùs commovetur, ita ut aucta prætermodùm craſſities ſenſum omnimodè obtundat. Cutis tenuior exquiſito ſenſu donatur ; niſi tamen, ut ſæpè accidit, mollities, & laxitas tenuitati junctæ nativum ſensûs acumen enervent, & hebeſcere faciant. Undè ſæpè in eisdem phœnomenis inducendis cauſæ contrariæ poſſint concurrere. Quod obſervatione ſolâ dirimendum eſt.

ARTICULUS PRIMUS.

De Craſſitie ſubſtantiæ cutis auctâ.

Cutis morboſè craſſeſcit, quoties aut ſubitò, aut ſenſim, id eſt, ut veterum loquendi normam ſequar, aut fluxione, aut congeſtione indurata præter naturæ ordinem, & ſcabroſa fit ; ita ut tactus hebeſcat, & ipſa cutis forma brutorum in pellem tangenti converſa videatur. Vitium hoc non quidem in ſummo gradu, nam gradus ille rarior eſt, ſed remiſſo ſæpè obſervavêre veteres, gymnaſtices & decoris externi corporis multò plus ſolliciti quàm hodierni artifices, qui aliena in corpus ornamenta congerunt, corpus ipſum verò tractant negligentiùs.

Symptomata morbum illum concomitantia partim ex oculis & tactu petuntur, adeòque evidentia ſunt, partìm ab ægrorum ſenſu qui objecta quæcumque obtuſiùs ſentiunt, motumque difficilem experiuntur, partim etiam ab effectibus qui hoc vitio ſemel

(*a*) De aere, locis, & aquis.

contracto neceſſariò ſequuntur. Ii autem ſunt perſpirationis & exhalationis imminutio, undè perpetuus atque præſens metus ne in partes nobiliores refluat humor excrementitius. Undè etiam catharrodes affectio perpetua, & coryza inextincta miſeros divexant. Prætereà nulli hominum adeò abſceſſibus obnoxii ſunt, qui ſi non recurrant identidem, aſthmata, anhelitus, imò & varia hydropum genera imminent. Notante enim Galeno (*a*), veteres craſſitiem illam cutis pro frigidâ diatheſi habebant, & turgidam credebant ingenti excrementorum proventu. Undè idem ait (*b*) eam plus juſtò denſatam, abundantiam humorum inducere poſſe. Quod dogma Galeni ab immortalibus Sanctorii obſervatis ſatis enodatur. Malum enim in cute natum à compactâ humorum mole textum etiam cellularem invadit, & farragine partim mucosâ, partim adiposâ, aliquandò etiam ſerosâ miſerè opplet. Quo ſenſu dictum eſt à Galeno (*c*) craſſitiem cutis auctam carnium generationi & tumefactioni inſervire. Nam hæc Galeni opinio aliter accepta repugnaret & obſervationi, & rationi docenti nullam poſſe nutritionem peragi niſi materiâ nutritiâ ex ordine naturæ aptè diſtributâ.

Patet ergo denſitatem cutis ſi ſubitò aucta fuerit, & acutorum morborum more totam æqualiter invaſerit cutim, quâcumque circumvolvitur illa toti corporeæ moli, malum eſſe è graviſſimorum genere, nec leviter prætermittendum. Poteſt ſcilicet breviſſimo temporis ſpatio hominem conficere. Quod periculum ad eos affectus non pertinet qui ſensìm, lentè, & actione repetitâ cutim tacitis progreſſibus indurant.

Scilicet ſæpè viatores incauti, vel vino turgidi, dubiâ tempeſtate ſub dio ſani indormiunt & ſomnos toto proflant pectore. Si fiat intereà aliqua in athmoſphærâ converſio, à ſudâ in humentem, à calidâ in frigidam, hæret perſpiratio ad cellulas cutis. Ubi evigilantibus motus ſanguini additur, tunc non poſſunt artus craſſiores movere, aut oculos attollere, ſed anxii, anheli, oculis prominentibus, linguâ exertâ, mox ſibi ipſis ſuffocandi videntur, pulſu debili & ferè ſuppreſſo; cutis intereà tota ſcabra &, rhinocerotis corii inſtar, per areolas diſtinguitur. In tanto rerum tumultu ubi omnia ferè conclamata videntur, ad ignem lenem admoti, diluentibus tepidis foti reviviſcunt; perſtat tamen ſcabrities cutis,

(*a*) Comm. 4, in lib. de Victu in acutis: in aph. 37, ſect. 4.
(*b*) Comm. 3, in libr. 3, epid.
(*c*) Id. ibid.

donec uno, aut altero phymate ſuccreſcente & quaſi ſuperpoſito, ſolvuntur omnia, velut nodo ſoluto, tuncque fluunt urinæ quaſi per diluviem, aut alvus erumpit, & aqueas mucoſaſque eruptiones non ſine torminibus reddit; lenis omnia excipit ſudor, ſanaturque cutis non ſine lichenibus & pruritu. Quæ omnia intrà viginti quatuor horas penitùs abſolvuntur. Nec tamen immunibus aliquandò à conſtanti labe omnibus articulis qui ſedatum in aliis partibus dolorem excipiunt, & tumentes longum per tempus memoriam mali renovant.

Verùm ubi malum chronicum in morem atque ſenſim invadit, non eadem proſunt ſubſidia, niſi principiis obſtiteris; quod in malo vix percipiendo non adeò facile eſt. Nam auctâ paulatim cutis craſſitie, cùm pluriès ſolvantur vincula quæ epidermidem cuti nectunt, furfureſque indè in corpore naſcantur, ſeſe lichenoſos atque herpeticos pùtant homines, undè ſenſim obtunditur tactus, nec de malo advertitur, niſi jam ferè immedicabile evaſerit. Hìc igitur arti omnia ferè peragenda ſunt. Verùm meritò notavêre Paulus (*a*) & Actuarius ferè ſemper craſſitiem illam ſolvi per ulcera achoroſa, quæ in craſſitie ſenſim inductâ numeroſa eſſe debent & plenè ſuppurantia, cùm omne negotium in illa impendeat. At in ſubito malo, cute per erethiſmum addenſatâ, criſpatâ, & quaſi convulsâ, vel unicus tumor erumpens vincula laxat, ceſſanteque erethiſmo fit plenaria morbi ſanatio per ſubventaneas perſpirationi vacuationes.

Sed cùm ſymptomata & accidentia morbi eadem ſint, cauſæ impetu tantùm differunt; univerſalis cutis addenſatio ſine ullo alio morbo rariſſima. At craſſitiem cutis in hanc illamve partem decumbere non adeò rarum eſt; & ad faciliorem morbi dilucidationem, licebit chronicæ atque acutæ craſſitiei in cute cauſas ſimul expendere, cùm modus agendi idem ſit, ſublato in chronicis caſibus erethiſmo, & ut plurimùm una ab altera pendeat, ita ut acutæ ſuccedat chronica.

Cutem præſertim in cruribus & ad artus inferiores ſubitò indurari non rarum eſt, imò initia ſiccæ gangrænæ à ſimili induratione in brachio orta vidi, undè tota hujus artûs cutis aruit prorsùs & collapſa poſteà fœdam cicatricem, & brachio inſenſilitatem reliquit. Non adeò ſubito impetu, ſed tamen morborum acutorum

(*a*) Lib. 1, cap. 22.
(*b*) Lib. 3, cap. 21.

more cutis aliquandò induratur, & criticè ac veluti per metaſtaſim craſſeſcit. Virum graviſſimum & fortiſſimum novi, qui à variolis confluentibus, & propter quas veſicatoria ſuris admota fuerant, rectè convaluit. Remanſit femoris, cruris & pedis ſiniſtri cutis craſſior & denſior, ſine ullo incommodo. Alterâ vice idem vidi in juvene qui à peſſimâ febre malignâ ſe reſtituit, veſicantibus pariter admotis. Uterque hodiè ſanus & valens, ſervant hanc in artu inferiori inæqualitatem, cum cutis aſperâ ſcabritie & tactûs obtuſione. Venantur, currunt alacriter; at ſenſus cutis ſtupet, licèt uterque aquarum thermalium ſubſidia pluribus vicibus quæſierit. Res lentè & ſenſim inducta chronicum in morem non oppidò rara, poſt fracturas crurum in quibus cutis ſupra callum inducta ſenſum amiſit. Cauſæ mechaniſmus tribus in hiſce caſibus idem eſt, differt impetus.

Sed cùm inflammatoriæ cauſæ ſemper fluxionem agentes, quæ in cutem decumbunt raro, non ſint depuratoriæ, ſatius erit cauſas craſſitiei in cute auctæ, ad duplicem revocare claſſem. Quarum prima erit earum cauſarum quæ in cutis ipſiûs ſubſtantiâ naſcantur; altera erit earum quæ ab altioribus principiis petitæ cutim etiam penetrant & in eâ ſedem figunt.

Quoad cauſas quæ in cutem ipſam agunt, eas tantùm quæ in praxi occurrunt recenſebimus, ne pathologicè poſſibilia videamur ſectari. Hinc inter primarias cauſas antè alias eam quæ evidentiùs agit recenſebimus nuditatem aut coactam, aut voluntariam partium quæ anteà veſtibus bellè cooperiebantur. Criſpatio enim primùm & ſæpè mixtus cum rubore erethiſmus in cutim nudari non aſſuetam excitatur. Pruritus indè & epidermidis ſeparatio oriuntur; undè aliquandò craſſitiem cutis cum lichenibus confudiſſe videntur veteres quos jam excitavimus, Ægineta, Actuarius, Aetius; at inter utrumque morbum ingens differentia eſt. Nam in craſſitie morbosâ cutis ſubſidunt lichenes, & qui primùm acutiſſimus fuerat ſenſus brevì obtunditur, fitque epidermis, primò craſſior & quaſi calloſa, dein ipſa cutis & granuloſa apparet & denſior. Id evidenter vidi in puellis tenerrimis quæ religionis amore captæ ex deſidiosâ vitâ in monialem tranſeunt, ibique duros labores exercent manibus nudis, ſæpè etiam ex inſtituto nudipedes incedunt. Id etiam videre eſt in iis qui ob ſcelera perpetrata ad remigium damnantur & ferè nudi officia dura adimplere coguntur. Verùm tranſit in habitum ea cutis conſtitutio

& brevì morboſa dici non poteſt ampliùs. At ſi cutis fuerit tenera magis & perſpirationi aſſueta blandiori, verè morbum inducit craſſities illa, donec in callum vertatur, undè ſæpè, monialibus præcipuè fæminis, accidit ut manus duriores & tumefactæ totâ vitâ maneant, crurumque cutis rigida, aſpera, varicoſa, abſceſſibus obnoxia ſit non facilè ſanandis. Cùm verò antiquis mos fuerit partem vitæ in gymnaſiis abſumere, ibique cutim plus æquo curare, nil mirum ſi plus quàm nos cutem craſſiorem pro vitio habuerint, illique indè contrahendæ craſſitiei quotidianam adhibuerint medicinam ex oleis penetrantibus, notante id apud Aetium (*a*) Archigene. Duritiem atque craſſitiem ſimilem in nutricum mammis, ita ut totus illarum ambitus granuloſus ſit, reperire eſt; cùm eas nudare ſæpiùs cogantur, illæque nunc muco lacteo turgeant, nunc flaccidæ & exſuccæ detumeſcant.

Nuditati adjungatur frequens inſolatio quâ decoquitur quaſi cutis, & in corium præ nimiâ fluidiorum partium exhalatione & ſolidiorum inſpiſſatione vertitur. Nec diverſa ſunt hujus ad exſiccandum agentis cauſæ phœnomena ab iis quæ nuditas parit. Inſolatio ſiquidem erethiſmum eryſipelati vicinum concitat, ſiccantur vaſa lymphatica, cellulæ aggeſto liquido replentur, ſolvuntur epidermidis vincula, cutis granuloſa fit, & œdema ſiccum atque calidum, brevì exſiccatum in duriorem, calloſam & penè ſcirrhoſam maſſam vertitur. Id quotidiè obſervare eſt in novis illis militibus ex nobili & opulentâ oriundis proſapiâ, quos è nido materno & luxu diffluente vitâ rapit ad deteſtata matribus bella & gloriæ amor, & honorum cupiditas. His enim ubi ſub martio campo ſolem accepêre, phlyctœnæ aliquandò in manibus, dorſo, imò & facie ipsâ elevantur. Eryſipelas non ſine dolore ſummo incandeſcit. Sed ubi per aliquot menſes & laboribus, & ſoli æſtivo aſſuevêre, tunc eam contraxêre cutis duritiem atque craſſitiem quæ jam hiſce non moveatur. Periit frontis honos & craſſa cutis jam non puellarem exprimit ruborem; boream ſpernunt, & ſolem oculo irretorto ſpectant: imò & diſcolores omninò ſunt pro variis partium tegumentis. Fatemur quidem alia & gravia ab hâc causâ naſci incommoda, febres ardentes, eryſipelata, aliaque multa, quæ ad huncce noſtrum tractatum non pertinent. Suffecerit cum veteribus modò citatis vidiſſe tùm acutam, tùm chronicam cutis craſſitiem poſſe ab inſolatione pullulare, circà quam tamen

(*a*) Tetr. 1, ſerm. 3, cap. 179.

notabimus quòd cùm nullum hìc lateat vitium, præter illud quod ab exſiccatione pendet, nullam cutis indurationem tolli faciliùs partìm per lichenes partem exſiccatam tollentes, partìm etiam per reſolutionem materiei in celluloſo cutis textu contentæ.

Varietates caloris atque frigoris certè cutim etiam obdurant, ac reddunt & minùs ſenſilem, & magis aptam ad reſponſandum variis corporum externorum impulſibus, ac præcipuè athmoſphæræ varietatibus. Hinc qui loca ſimili temperie donata incolunt, & minus ex contentis in aëre imbibunt, & minùs à colore frigoreque commoventur. Verùm quouſquè actio illa à contrariis colluctantibus qualitatibus aëris nata & efformata poſſint cutim morboſè indurare non conſtitit ullâ obſervatione. Imò cùm morbi iſti in cutes tenerrimas & facilè cedentes incidant, veriſimile eſt cutim aliquatenùs, ſed non ultrà ſtatum mediocrem induratam, fieri maximè aptam atque idoneam ad reſiſtendum externo humorum impulſui. At contrà frigus intenſum aſſiduè exceptum, & ſine ullâ cautelâ, ei morbo producendo maximè accommodatum eſſe debet, cùm non ſolùm fibras per ſe accurtet & induret, ſed fluida etiam coagulet atque ad cutem retineat, ita ut regreſsûs locus non ſit. Hinc omnes ſeptentrionales populi cute craſſiori donantur, ubi præ inopiâ veſtibus uti non poſſunt, aut animalium pellibus muniri; ita ut in cutem idem ſit ratione oppoſitâ effectus & frigoris acerrimi & caloris intenſiſſimi. Quid ſi, ut Ruſſorum mos eſt, à ferventi balnei calore, ſeſe in nive provolverint, iis certè periculum eſt ne cutis intenſiſſimè obrigeſcat, & credibile ſit quod aiunt iis verbera & flagra vix clamorem elicere, & ſenſum cutis præter cæterorum hominum conditionem obſtupeſcere. Sed ſi incautus & inaſſuetus iis ſe balneis imprudenter tradiderit, fit ſæpè cutis craſſities univerſalis, artûum impotentia, anhelitus, ſuffocationis metus, calore leni & diluentibus ad cutem admotis tantùmmodò ſanandus, quod ſervulo D. Chappe, ipſo narrante, acciderat.

Nec minor eſt efficacia in denſandâ & criſpandâ cute applicatorum externorum. Vidi ipſe cutem in lepidiſſimâ muliere, nil tale cogitante, induratam, craſſiorem atque quaſi granuloſam fieri, dùm balneis aſſiduis in aquâ puteali aſſueſcit, & diutiùs inſidet. Aqua, ut credere eſt, erat aluminoſa. Hanc quidem cauſam aliis balneis unctuoſis tollere datum eſt, ſed longiori tempore, nec unquam uſquè ad hunc diem priſtinus cuti nitor rediit. Imò

norunt benè mulieres quanti ſit ad gratiam momenti aquam ad eluendas manus ſelegiſſe. Undè etiam mos ille multis incedit ut aquâ manus vix eluant, paſtâ oleosâ & emulſivâ utantur. At apud ferè omnes fœminas aquâ faciem tergere piaculum eſt, quòd terreæ aquâ contentæ, vel ſalinæ partes ei duritiem quamdam inducant quâ nitor corrumpitur. Nec etiam indifferens eſt ipſis quâ tincturâ donentur quæ collo circumdantur, quæ vultum tangunt ornamenta. Non difficile eſt cutim faciei, craſſitie & areolis etiam nigricantibus undèquaque prorumpentibus in iis vetulis diſcernere quæ fuco ſaturnino ad dealbandam cutem abuſæ ſunt. Iis enim brevì ingruit fuci renovandi neceſſitas. Nam quæ ſubtùs latet pellis, ubi deeſt ſubſidium illud, jam ſpectantibus craſſa & lurida apparet. Brachiis etiam apponi fucos illos cùm viderim, mirum eſt quàm craſſa & tractanti dura atque aſpera illa evaſerant, ut jam pœnas falſæ & fucatæ pulchritudinis rependeret neglectum & triobolare ſcortum. Vidi etiam longo uſu aquæ illiûs quæ ex aceto ſaturni & cerusſâ conſtans, novo nomine vetus ipſa remedium, aqua vegeto-mineralis vocatur, cutim induratam & in acinos flaveſcentes converſam, ita ut omnem amiſiſſet illa ſenſum, de quo ſibi miſerè plaudebat mulier cancro laborans peſſimo. Nam thoracis illa pars quæ hâc aquâ contegebatur tota flava & in corium verſa erat. Addita erat viribus ſtypticis ſaturni vis coagulans aceti, quam quidem vim coagulantem qui negaverit, experiatur velim mixtionem ſeri & muci animalis cum aceto; mucum enim illum videbit evidenter craſſeſcere & in membranaceas lamellas abire, ita ut, unâ ablatâ, altera formetur, ſimilis prorsùs membranis illis acinoſis quæ ſanguini è venâ ducto in cachecticis ſuperimponuntur, & per laminas plures ſecantur facilè. Hinc non dubito quin ſi dentur mulieres quæ malè conſultæ hâc aquâ ad lotiones abutantur, iis poſt aliquod tempus cutis craſſeſcat. Idem profecto effectus erit acidorum quorumcumque, fortior fortiorum. Verùm hæc cauſa nunquam inter univerſas locum obtinere poteſt, & benè norunt qui acida mineralia tractant quantus ſit eorum effectus in cutem. Hanc etiam decolorant, & prorsùs immutant, nunc in fuſcum colorem, quod vitriolicis proprium eſt, nunc in flavum, quod nitroſi acidi effectus eſt, nunc in albicantem, quod ad ſpiritum ſalis communis pertinet. Variè etiam agunt varia in iis ſoluta metalla. Certè in ungues, imò & in colorem cutis agunt balnea hepate ſulphuris imbuta

quæ

quæ effinxerant Medici quidam ſeduli, ut aquis thermalibus ſupplerent. Memini me vidiſſe hominem cui cutis tota erat plumbea & in colorem penè metallicum verſa, ſimul verò craſſa & quaſi elephantina. Aiebat ſe ab agyrtâ ſic mutatum dùm lui venereæ per balnea mederi ſuaderet. Id velim notari adversùs viros doctiſſimos & ſagaciſſimos qui balnea mercurio ſublimato corroſivo imbuta ſuaſerunt. Non enim eadem eſt actio ſolutionum metallicarum in cutem atque in alia interna organa in quibus & plurimo humore diluuntur, & excipiuntur universâ lymphâ, locis clauſis atque calentibus. Cæterùm experientia judex eſto.

Cùm omnes de quibus egimus cauſæ in cutem externam externè agant, facile eſt eorum effectus ponderare, forſan etiam & ſanare. Altior eſt contemplatio earum cauſarum quæ ab internis partibus delapſæ, cutim craſſitie afficiunt, cùm vix intelligi poſſit dari in corpore mutationes quæ tam notabiliter cutim alterent, illæſis aliis functionibus; ſi porrò lædantur functiones, affectio cutis in ſymptoma vertitur univerſalis morbi, non jam ipſa morbus eſt.

Has inter antiqui duas præſertim recenſuêre craſſitiei cutis inducendæ aptiſſimas (*a*). Altera eſt alimentorum craſſi ſucci & farinæ malè ſubactæ diuturnus uſus in non exercitato corpore; altera, mœror & affectus animi triſtes. Si omnia peſſimaque mala quæ ab alimentorum horumce præpoſtero uſu pendere poſſunt ſepoſueris, certè fieri poterit ut, excrementis ad cutem accumulatis, craſſeſcat illa & denſetur à perſpirationis defectu aggeſtoque muco crudo atque indigeſto. Verùm cùm hujus cauſæ unicus effectus vix concipi poſſit, ita hæc cauſa ſola agere vix intelligitur; at jungas velim concurrentes effectus cauſarum ſimul conjunctarum, frigus & ſordes ad quas cogit penuria, jungas & mœrorem, fugam hominum, habebis certè undè, ſi interiora vi innatâ benè defendantur, cutis craſſeſcat. Nam deeſt perſpiratio, deeſt difflatio. Morbi cutis omnes timendi ad quos quaſi præludit cutis ariditas, craſſities, lichen, immobilitas, ſtupor, aliique ſimiles affectus. Idem præciſè dicendum erit de triſtibus animi pathematibus qui tanta tamque gravia aliundè mala important, ut vix de eorum in cutem effectibus cogitare liceat. Rem tamen viderat Archigenes: nec mirum, cùm teſte Sanctorio nihil directiùs in perſpirationem agat. Certè mœrentibus perit omnis cutis nitor; perit omnis, occupatâ nimiùm mente, ſenſus ad alia. Qui ſubitus timoris atque

(*a*) V. Archigen. apud Aëtium loc. cit.

mœſtitiæ effectus poteſt in habitum duci, atque ideò cuti duritiem conſtitutivam inducere. Quid ſi jungatur mœſtitiæ, aut ipſam etiam inducat humor melancholicus, non quidem ille ad atræ bilis efferam ferociam evectus, ſed vi coagulante donatus? certè cutis fiet, ut raris in quibuſdam caſibus, ferina, hiſpida, piloſa; fient miſeri ad verbera vix ſenſibiles, ad frigus tolerandum aptiſſimi, & ut Nabuchodonoſor, videbuntur priſtinam, humanamque formam depoſuiſſe, indutâ ferinâ; neque verò, licèt hìc melancholicus morbus adſit in hoc caſu, cutis craſſities negligenda, cùm remediis adhibendis ingens incommodum afferat denſitas cutis impenetrabilis.

Verùm cauſa interiùs agens vix ac ne vix quidem in cutem ſolam deponitur. Excipiendi tamen ſunt quidam peculiares caſus, ut eſt ille à Curzio (*a*) deſcriptus, cujus præcipua, ut videtur auctori, cauſa à menſtruorum in virgine adultâ nullâ eruptione repetenda erat; ceſſante enim menſtruo fluxu in fœminis, habemus novam cauſam undè cutis nitor tollatur, & contrà craſſities quædam inducatur. Verùm ad malum hoc, ſi in aliquem notabilem gradum aſcenderit, formandum, non una, aut ſimplex cauſa ſufficit, ſed plurium combinatio atque complicatio requiritur, ita ut cauſas ab alto prodeuntes corpore vis aliqua externo corpori applicata determinet.

Sic Diemerbroeckius (*b*) qui inter recentiores plura de hoc morbo ſatis apud auctores neglecto obſervata refert notanda, vidit cuti craſſitiem & denſitatem cum ſtupore inductam in nautâ gregario, poſt duras navigationes, acria tolerata frigora, ſalſo mari ſæpiùs imbutam cutem, ſimul cum ingenti alimentorum craſſorum, ſalſorum ingurgitatione. Imò, etſi de causâ ejus morbi determinante ſapienter ſileat auctor illuſtriſſimus, aliam mulierem allegat cui ſimilibus de cauſis ſimilis ingruerat morbus, vultque ad hunc cutis affectum minùs cognitum referri, ſi quandò aliquis morbus occurrat in quo manente motu ſenſus diſpereat. Hujus viri clariſſimi opinionem hìc diſcutere inutile eſt; verùm notare licebit duo ſymptomata præcipua quæ in hâc cutis craſſitie morboſâ ab eo notantur, eſſe, hinc difficultatem ad ſeſe movendum, cute repagula imponente, illinc ſummam inſenſilitatem quæ forſan à Diemerbroeckio nimii habita eſt, cùm ab hac inſenſilitate deſignari vetat cutis

(*a*) Lettre à M. l'Abbé Nollet, traduite par M. Vandermonde, pag. 75.
(*b*) De nervis Anat. lib. 8, cap. 1.

paralyſin. At in juvene de quo Tranſactiones Philoſophicæ (*a*) mentionem fecêre, ſumma pariter inſenſilitas aderat, cùm cutis penitùs deformata eâ peccaret craſſitie quâ tympanum ſono æmularetur, & per laminas ſibi invicem ſuperſtratas inſenſiles ita abiret, ut una alteri cuti ſuperpoſita videretur.

Verùm in eâ prorsùs ſingulari & memorandâ quam Curzius (*b*) deſcripſit cutis induratione id inerat prorsùs ſingulare, quòd vel leviſſimus tactus ſenſum exquiſitè dolorificum efficeret, undè, licèt phœnomena vix ſinant morbo prorsùs unico nomen imponi, hanc vocavit cutis conſtrictionem tonicam auctor illuſtriſſimus; ſed in hoc forſan differentiæ origo petenda eſt quòd in prioribus à Diemerbroeckio allegatis textus mucoſus & mucus inter papillas cutaneas exundans inſpiſſatus ſenſum obtunderet, integrâ cutis baſi, contrà in virgine Curzianâ baſis cutis prima afficeretur, nec nervis compreſſio illa competeret, ſed contrà tenſio major ſenſum nervorum augens.

Hæc verò & de cauſis & de obſervatis circà conſtrictionem & craſſitiem auctam cutis ad hujus mali curationem viam ſternunt. Quæcumque enim cauſa hanc invexerit, illa eam mutationem phyſicam fibris inducit cutaneis, ut & duriores & craſſiores evadant illæ, adeòque rigidiores, ad ſenſum & motum minùs aptæ, poſtulantque ut molliantur, demulceantur, aperiantur. Verùm raró ſolutio hiſce remediis plenaria ita expectanda eſt, ut dùm mucus ille concretus cutem ut plurimùm indurans ſolvitur, non ſecedant lemæ evidenter mucoſæ atque glutinoſæ, ſi in textu reticulari Malpighiano præcipuam ſedem fixerit malum, erumpant verò puſtulæ, ſi altiùs radices egerit cauſa mali.

Duplex enim eſt, ut diximus, pro diverſitate impetûs in cauſis agentibus cutis addenſatio; acuta altera, altera rebellis, chronica, & ut parùm latinè loquar, altè *incuneata*. In acutâ vix indigemus aliis præter fomenta, & ut Actuarius ſuadet, ſpongiis lacte imbutis, quibus immiſceantur herbæ emollientes illæ, atque leniter ſolventes, quales ſunt ſambucus, melilotus, chamæmelum, aliæque hujuſmodi plantæ quæ vapore tepido atque blando inſinuent ſe per aperta pororum oſcula. Nam quantùmcumque balnea ex lacte & ſimilibus herbis indicentur, malè virgini Curzianæ (*c*) ſucceſſerant, cùm organa fortiter clauſa ſolum

(*a*) Tranſ. Phil. n°. 424, art. 1.
(*b*) Lettre, pag. 13.
(*c*) Lettre, pag. 85, 86, 87.

pondus ab aquâ appoſitâ & appreſsâ experiebantur, undè retropreſſi humores ſine alio commodo, viſcera interna premebant nimiùm. Rectè, & ad artis inſtitutum juſſa ipſi vaporum balnea quæ forſan ſola curationem abſolviſſent, erumpente undiquè muco. Intereà verò ſumma ſedulitas adhibenda, ne dùm mobilis humor per hæc fomenta redditur, mobilitaſque addita ipſiûs & volumen & energiam eò plus auget, quò plus efficaciæ eſt in vaporibus aquæ elaſticis, humor obturans in maſſam circulationis abreptus cætera in viſcera feratur, ipſaque prætermodùm opprimat; undè & alvus tùm eccoproticis, tùm laxantibus ſervanda libera. Quem in uſum nil meliùs viderim repetito uſu, imò quotidiano ſalium neutrorum, cum herbis aperientibus cichoraceis, borragineis ita unitorum atque maritatorum ut duplex indè impleatur indicatio, quarum altera eſt ampliſſimos alvi fontes reſerandi, altera verò urinas quæ officium perſpirationis vicarium maximè explent, magnâ vi eliciendi. In his certè tota conſiſtit acutum in morem decumbentis craſſitiei curatio, quibus addideris ex arte frictiones in cutem affectam leves. Siquidem ſecundùm Hippocratem (*a*) frictio levis reſolvit, fortis exſiccat. Quibus ſi obſit rei familiaris anguſtia, ſaltem levia ſuadeantur miſeris exercitia ad initium uſque levis laſſitudinis, ſed hâc ſub cautelâ, ne proliciantur ad ſudoris impetum, qui cùm impoſſibilis foret, cuti addenſandæ inſerviret nixus inutilis, aut ſaltem pruritibus excitandis immanibus, vel phlogoſi quæ in hâc ſpecie cutis craſſioris ſemper proxima eſt.

Nec diverſa methodus adhibenda in chronicâ cutis craſſitie, niſi quòd diù, imò ad faſtidium uſque diluentibus inſiſtendum ſit, nec priùs ad alia deveniendum remedia, quin cutis humiditatis contractæ certa det indicia. Hinc omnia ſint humectantia. Aër, ſi fieri poſſit, littori fluminum, aut locorum depreſſorum atque ſtagnantium ventis non perflatorum vicinus, hâc ſaltem vice, utilis. Cameræ, lecti vicinia plantis roſcidis & irriguis plenæ ſint. Vapores lactis calidi, plantarum emollientium imbibantur à corpore noctes dieſque ſi fieri poſſit. Dein ad reſolventia tranſire dabitur modò deſcripta; fugientur fotus aromatici, ſed olea leniſſima, lini, amygdalarum dulcium, de cacao ita admovebuntur ut eluantur citò, ne ranceſcentia inducatur, quæ tamen in hoc genere cutis minùs metuenda eſt, cùm omnes perhibeant

(*a*) De Officio Medici.

in hoc morbo ipſam frigidiorem eſſe. Iis ubi jam phlogoſeos remotus erit metus, tunc ſaponacea alcalina licebit admovere, & proderit cutim leniter ſapone amygdalino primùm, dein communi leviter affricare. Nec diſpar agendi modus in remediis internis adhibendis. Poſt diluentia, & diætam antiquis dictam imbecillem, quæ ex levibus, ut melle & ſucco fructuum præcipuè, atque farinoſis fermentatis conſtat, radicibus atque oleribus uti conveniet, quæ aperiunt atque urinas cient. Locum etiam invenient ſaponacea, gummi, reſinæ, quales ſunt gummi ammoniacum, opopanax & cætera hujuſmodi ſub formâ bolorum largâ doſi adhibiti, quibus adjunguntur ſucci & extracta taraxaci, becabungæ, trifolii aquatici, cochleariæ & ſimilium. Quod verò ſpectat ad uſum mercurii crudi internè aſſumpti quo tam feliciter curam peregit (*a*) Curzius, audax methodus, aut deſperatione tentanda, aut ſpe ſalutis jam illuceſcente, ut fecit doctiſſimus Medicus. Si enim efficax medicamentum cutis vincula non perrupiſſet neque abiiſſet illa in puſtulas, quantas ſtrages edere poterat. At incœpta cura ſpem dabat eximio Medico non incertam. Quæ ſi omnia vel per puſtulas, vel per lichenes, vel per achoras cutem ſolverint, tunc ex clariſſimi viri præceptis ſalutare erit, imò neceſſarium, omnibus jam benè patentibus, & vaporum admotionem longam & aſſiduam imperare, diætamque levem & humectantem, quarum diætarum generi cuicumque plurimùm præſtat diæta lactea pro unico victu imperanda, aut ſaltem bis de die ubera aſinæ exhaurienda erunt, ſervatis alioquin ſervandis. Nec uno ceſſandum anno, ſed præteriti periculi memor æger ſingulis autumnis imminentibus, ubi cutis conſtringitur, & farrago humorum eam opplet, ad balnea amandandus eſt ſulphureo-ſaponacea illa, ſi fieri poſſit, ſin minùs ex aquâ ſelectâ fluviali, nec frigidâ, nec prætermodùm tepente.

ARTICULUS II.

De Rugis morboſis.

Ρυτὶς ruga, ſeu potiùs ρυτίδες rugæ, inter morbos numerandæ ſunt. Imò apud Hippocratem dicuntur ρυτιδȣ́μενοι οφθαλμοι & γαςέρες ρυτιτώδεες oculi rugoſi, & ventres rugoſi, ut affectus morboſi, nec ex ordine naturæ. Rugas definire inutile eſt,

(*a*) Lett. pag. 101.

Propiùs inſpicere & in omnibus phœnomenis exſequi, tùm ad praxim, tùm ad theoriam morborum cutis non inutile. Omnes nos manent rugæ, niſi mors antè ætatem occupet. Iſtæ nil ad aſpectum offerunt, niſi textum cellularem vacuum, priùs tenſam cutem præ macritudine & ſenio collabentem, laxatis ſubjectis vinculis, laxato etiam ipſo textu cutis mucoſo. Undè ſi rugas aſpexeris ſeniles, grandes illas primùm, & veluti plicaturas inſpicies. Poſteà verò increſcente ætate, & homine ad ſilicernii conditionem redacto, rugis ipſis majoribus minores adduntur, quaſi areolæ à ſe invicem diviſæ quæ in minores minoreſque faceſſunt. Hæ rurſùs minimas etiam exhibent. Si vitro oculum armaveris, adhùc minima cellularia intervalla plicis minimis interſtincta videbuntur; undè tam facilè ſordeſcit cutis ſenum, quæ ſordes vix ac ne vix quidem eluuntur, hinc facies decrepita ſenum terram ſemper redolet, terramque repetere videtur. Imò multæ dantur facies centenariorum quas ipſe luſtravi, quæ vix rugoſæ videntur; at ſi propiùs inſpexeris, iſtæ adſunt areolæ per univerſam cutem, præcipuè verò per faciem diffuſæ, ita ut ſubſtantia cutis eadem appareat, ſed quaſi alluente liquido orba & exſiccata. Proh! quantùm diſcrepans à juvenili illo nitore qui fæmineam juventutem condecorat.

Alius eſt rugarum, ſed non in omni corpore exortus, & qui ad modò deſcriptas nulla ratione attinent.

Eæ ſunt rugæ quæ vultui atque faciei propriæ pendent à ſpaſmodicâ muſculorum contractione, qui dùm cuti adhærent, ipſam undequâque trahunt, varioſque animi affectus exprimunt, nunc lætitiæ, nunc mœroris, nunc iræ aut terroris, quorum affectûum expreſſio magnam artis pictoriæ partem comprehendit. Hinc in vultum videtur anima deſcendere. Verùm ſæpè affectus illi repetiti habitum quemdam inducunt, ita ut qui varios animi motus exprimere fingendo norunt comœdi, hi vultum maximè mobilem obtineant, minimè verò aulici atque politici, quorum maximè intereſt ne quid mens ſentiat intelligatur.

At ſumma etiam hominum in hiſce diverſitas eſt. Macilentis enim hominibus facies movetur maximè. Italos præcipuè atque Hiſpanos à facie ſummè mobili noveris. At cùm iis macilentia ſumma ſit, ſæpè muſculis tonus ſpaſmodicus inducitur, & contracta manet velut melancholicorum facies. Quod vitium ſenibus meditabundis & qui alta atque diù cogitarunt familiare eſt,

eòque magis notabile, quòd junguntur rugis naturalibus & ſenilibus contractiones illæ tonicæ. Verùm rugæ illæ in habitum verſæ, ut & mobilitas faciei ſumma, nihil aliud nobis exhibent præter ſpaſmum & ſpaſmodicam diſpoſitionem quæ atrabilariis adeò familiaris eſt, ut multi dentur qui vel ad minimum pavorem, in labore vel minimo, toti ore diſtorqueantur, & artubus etiam tremant, undè morbus ille pro affectu muſculari potiùs habendus eſt, quàm pro cutis vitio, quæ agitur & obſecundat juſſis & neceſſariis motibus.

At non eadem eſt theoria rugarum, ſive ſeniles illæ ſint, ſive conquiſitæ & accidentariò vitam juvenilem turbent. Siquidem pendent illæ à textûs cellularis, & cuti ſuppoſiti, & ipſam efformantis vacuitate, qui cùm ob rigiditatem & attritum nec mucum nec adipem intùs admittere poſſit, in ſe complicatur cutis, tono amiſſo. Hinc fatiſcens & ſolidas quæ ipſam conſtituunt partes ad ſe adducendo, craſſeſcit, & ſenſus ejus obtunditur. Undè credi deberet quòd quicumque marceſſit, rugas contrahere deberet, quod quidem aliquâ parte verum eſt. At ſi in juvenili & florente ætate marcor ille incidat, ob cauſas adventitias, rugis obſiſtit vis tonica cutis. Ita immaniter diſtentus gravidarum mulierum venter poſt primum partum vix rugas contraxit, poſt tertium aut quartum tono amiſſo omninò rugoſus apparet. Et phthiſici etiam poſt exactos primos morbi gradus rugosâ pelle deformes ſunt.

Rugas tamen antè diem ſiccitatemque ac denſitatem inducunt labor nimius & ſudorum aſſidua effluvia in ruſticis & duro labore confectis militibus qui juniores adhùc rugas oſtentant, & in florente etiam urbanorum ætate corpus præfractum habent. In rugis nullus vulgò morbus. Verùm ſenectus ipſa morbus eſt, & anticipare rugas, anticipare mortem eſt. Quidquid ergo ariditatem & rigiditatem ſenilem inducit, rugis pro causâ eſt. Hùc omnia optimo ſæpè inſtituto tentata jejunia, vigiliæ, affectus animi meditabundi, ciborum neglectus, aut eorum indigeſta craſſities, vacuationes nimiæ, exercitia violentiora, acrium aromaticorum uſus, præcipuè verò ſpirituoſorum abuſus, quæ & ſolida compingunt & criſpant, liquoreſque cogunt, atque coagulant, maciem & rugas procreant. Imò choleræ morbo ſæpè accidit ut hominem omninò à ſtatu nitente in maciem & rugas ita conjiciat, ut ab amicis, paucis à morbo exactis diebus, non agnoſcatur. Contrà affectus eryſipelatoſus, aut leve in vultu ſenili œdema, tumefacto textu cellulari,

faciem ipſi nitentem præſtitit & muco refertam ; undè aliquandò ſibi miſerè plaudunt, mortis atria pulſantes.

At vidiſſe datum ſuit aliquandò infantes miſerè rugoſos ab ipſo exortu, quanquam & muco turgere eorum ex naturâ ſit, & cute roſeâ placere. Vitium muci non ſatis diſtendentis vaſa nec compacti ſatis id fecit. Nec rarus eſt adeò affectus in quo liquidiore, nec ſatis nutriente muco flacceſcit textus mucoſus atque cellularis, quem in infantili ætate lacte & humoribus præter adultorum morem tumeſcere natura vult & imperat. Rugæ illæ ſucco nutritio ritè diſtributo ſanantur, cùm infantes illi præ macritudine rugoſi vulgò famelici ſint. Acre enim humores inficit ſtomachicos & in ventriculo hoſpitantes. Undè raró plus nutriendi ſunt, ſed regulatim & ordinatè alendi.

Hæ ſunt præcipuè rugarum morboſè naſcentium cauſæ. Nam quòd oculi ſenum rugoſi fiant antè omnia, id à texturâ cellularum oculorum globum involventium pendet; quòd etiam fæminarum ſæpiùs puerperarum venter rugis propendeat, id ab immani geſtati pueri pondere atque volumine repetendum eſt, undè cutis poſteà & tonum amittat, & recuperare vix valeat. Pariter & mammarum & ventris turpis propenſio anilem ſenectutem dedecorat. Curta ad omnes rugas curatio. Juveniles, moderatio animi & victûs regimen aptè diſpoſitum ſanat. Seniles morte abſconduntur. Cauſa quæcumque ſit, contrariis tollenda. Somno, diætâ ad vires concoctrices accommodatâ, moderatione exercitiorum, acris ſublatione rugis medetur ars coſmetica. Sed nihil præſtat emollientibus atque demulcentibus inter quæ principem locum obtinent lacticinia, hinc etiam Romanis olim meretricibus ad tollendas atque impediendas rugas, balneum ex aſinino lacte commendabatur, & exſul Meſſalina comites eas etiam deducebat. Quid hìc varia faciei delinimenta, atque fucos emollientes, oleoſos tamen, quibus ne marceſceret cutis vetabatur, commemorem? Eò infantile magis opus, quòd ex iis pauca metam attingant; cùm nulla alia tollendis rugis via pateat, niſi ſuppleatur adeps novus, eâ craſſitie quam ex naturâ debet habere turgidus. Undè malim ruſticorum quorumdam Afrorum methodum quam parvâ ad uſque cellularem telam aperturâ in cute factâ adhibent, inſufflantque aëra. Sic enim ſeptem ad minimum dierum pulchritudo aut ſaltem cutis turgeſcentia inducitur; hanc curſu, ut aiunt, diſcutiunt. Nulla alia eſt in hoc curationis genere phyſica indicatio, niſi ut

novus

novus aër ſanguini atque liquoribus miſceatur, quod quouſquè poſſit prodeſſe nec ratio, nec erudita obſervatio hucuſque indicarunt. Fides cuique in ſuâ praxi adhibeatur. Certè balnea, diluentia vix rugis medentur, niſi illæ repetendæ ſint ab ariditate mucum exſiccante, aut adipe concreto, qui tamen, utut rugas efficere poſſit, tumores potiùs procreat & morbos graviores.

ARTICULUS III.

De Cutis ariditate & Furfuribus.

Ariditas ξήράσια aut ξηρος νούσος apud Hippocratem (*a*) ad omne æqualiter corpus pertinet, à quo cutis ſuam etiam trahit ariditatem. Undè vulgò, nec ſine ratione, ariditas cutis ejuſque, ut cum Celſo loquar, ſqualor, potiùs inter morborum internorum ſymptomata recenſetur, quàm habetur pro morbo ſui generis, & inter ſigna maximè ſpectanda degeneris jam, & morbum affectantis ſanitatis jure numeratur ab auctoribus quibuſcumque qui de ſignis ſcripſerunt. Coctionis etiam in morbis acutis indicium non æquivocum præbet cutis, ſi tenſa priùs atque arida, laxetur; imò etiam cùm retentus humor ejus ariditati comes ſit, humectetur illa neceſſe eſt, ut aliquam ſpem inducat melioris ſanitatis & præcipuè redintegratæ perſpirationis. Circà hanc ariditatem ſymptomaticam videantur præcipuè, inter alios auctores, Sanctorius & de præſagiendâ vitâ & morte ægrotantium Proſper Alpinus.

Etenim cunctis erethiſmo conſtrictis atque rigentibus nulla perſpiratio fit; imò nec appellit humor ad cutim. Si appulerit, aut laxata fuit cutis, ſedatuſque erethiſmus, quod optimum, morbique ſanationem indicat; aut, quod peſſimum eſt, laxata omnia præ debilitate in certam perniciem ruunt; vel ſaltem crudis omnibus, liquidiſſimoque ablato, in morbi longitudinem protrahuntur. Erethiſmus ille morborum quidem acutorum comes indefeſſus, chronicos etiam, ſaltem in exacerbationibus febris lentæ atque hecticæ comitatur, & cum ſudoribus nocturnis ægri ceſſante paroxyſmo diffluent; novum ariditati fomitem creant, cùm ſolidiorem liquidorum maſſam, ſi ita loqui fas eſt, efficiant.

Verùm ariditas illa merè ſymptomatica eſt, & morbi primarii atque principis effectus. Datur ne morbus qui in ſolâ cutis evi-

(*a*) De Morbis.

denti ariditate conſtituatur & conſiſtat ? Obſervatio veterum rem videtur admiſiſſe. Tunc ariditate perpetuâ cutis laborat, arida epidermis vix huic inhæret. Sed certè vitium ex altiori fonte repetendum, & cauſis conceptum atque fotum intimioribus latet intùs. Siccus ille eſt morbus quem Galenus (*a*) ex morbo ſenium nuncupavit, ſeu ſenium Philippi, quòd Philippus Medicus eum ſic prior vocaverit, reliqui verò auctores maraſmum, maraſmum ſiccum ſimpliciter appellavêre.

Hujus cauſas quatuor recenſet Galenus; primam à vigiliis oriundam putat, ſeu à cerebri ac principis, ſeu animalis facultatis vitio pendentem. Nervos illa ſemper ita tenſos & vibratiles ut laxationem ſoporiferam accipere non poſſint, ſupponit. Altera ipſi à jecore pendere videtur. Quippè ipſi & omnibus ab eo Medicis uſquè ad feliciora patrum tempora, jecur ſanguinis officina creditum. Tertiam repetit à ventriculo à quo omnia & nutritionis & eam conſequentis humectationis elementa pendent, quo ceſſante ceſſare etiam debent vitalia flumina. Quartam verò quam dubitat an potiùs frigiditas vocanda ſit quàm ſiccitas, ab accidentariâ venarum exhauſtione repetendam pronuntiat; eamque curatui credit, jure meritòque, facillimam. Vertantur porrò nomina, diviſioque hæc ſiccantium cauſarum præſenti phyſices theoriæ aptentur, cauſas certè hìc reperies ſiccitatis efficaces maximè. Deeſt ſcilicet nutritio, deeſt perſpiratio, omnia quæ accipiuntur intùs, aut in molem indigeſtam obſtructionum feracem faceſſunt, aut in excrementitios vertuntur humores. Scilicet aliæ cauſæ à mente in corpus redundant, aliæ ſolum corpus invadunt. Omnes affectus animi, quicumque ſint, triſtes præſertim, dùm nervos in ſpaſmum & oſcillationes concitant, ſomnum arcent, adeòque tempus illud longè diſpellunt, in quo omnia vaſa turgent alibili liquido, & eo ita imbuuntur lentiorem per circuitum ut humiditas & flexibilitas indè natæ perſtent. Nihil ergo magis ariditatis infert quàm vigiliæ nocturnæ quæ exhauriunt corpora; & notante Hippocrate (*b*), nullæ adeò aridæ febres exoriuntur quàm quæ à vigiliis pendent, undè alibi effatum illud Hippocraticum *ſomnus humectat.*

Quid verò in ariditate cutis & cæterarum partium, nam indiviſim res tractanda eſt, præſtent alimenta acria atque piperata, præſertim verò oleoſa, qualia ſunt coffè potus, atque vanillâ ſcatens

(*a*) De Meth. Med. lib. 7.
(*b*) Progn. 1, Epid. 7.

chocolata, ſatis norunt omnes, atque adeò quid omnia ſalina, reſinoſa ſitim quæ ipſa ab ariditate pendet accerſentia efficiant, quiſque in ſe ipſo experiri poteſt. Nam quot ſunt quibus ſomnos adimunt, aut coffè, aut vina aromatica Gallorum, Hiſpanorum; quæ ſi ſomniare ſinant, non quietem, ſed turbulentum illum ſoporem excitant, vexantem inſomniis, & vigiliis ſæpè redimendum. Surgentibus à tali ſomno cutis, lingua, dentes areſcunt. Perſpirationis veſtigium nullum, undè in habitum tracta hæc cauſa veram inducet ariditatem.

In hiſce omnibus cauſis cutis cum cæteris viſceribus jure commercii & pro ratione ſuperficiei ariditatem patitur. Verùm poteſt etiam cauſa dari in cutem ſolam agens, aut ſi cæteris interioribus adjuncta ſit, in cutem eorum actionem determinans.

Hæc adeſt, ſi vir cute ſanâ & humidâ donatus à locis temperatis atque cœlo quidem puro, ſed mediocriter humido, ad ferventia ſole directiore loca amandetur, ibique cogatur vitam degere. Huic enim cutis arida fit, & ab ipſo calore exſiccata contrahitur. Sæpè totum corpus phlyctœnis, non criticis illis, ſed quaſi eryſipelatoſis à diſtracto vaſorum cutaneorum tono rubet ardetque, nec jam ſudor prorumpere poteſt, ob compreſſionem ibidem natam, ſed hæret in textu cellulari, ibique acer fit & rodens. Tolluntur ſic epidermidis vincula, & ipſe mucus in textu reticulari contentus exſiccatur, fitque ſpecies porriginis quædam non critica, ſed plures per menſes durabilis, ſi præſertim regionis æſtus increſcat. Finitur tandem malum, acquiſito novo & ad regionem proportionali in cute tono, ſed ſemper remanet fuſca magis cutis vixque ſub temperatiori cœlo amiſſus color reſtituitur.

Non eodem gradu illa experitur cutis muliebris quæ, ut ſubſtantiâ tenuior eſt per ſe, & minùs perſpirabilis, minùs etiam inflammari ſe ſinit. Attamen ſolis actio tardiùs, ſed magis irreparabili labe in eam agit. Indè eſt enormis prorsùs differentia cutis inter ruſticam & fuſcam Theſtylidem atque urbanas laïdas quas ſenectus venuſtas adhùc & nitente cute candentes occupat. Ruſticis verò virginibus ubi ab umbrâ & quaſi nido materno ſoli primùm committuntur, antequam fuſca fiat cutis, rubet primùm intensè, dein farra emittit & longo quidem tempore.

Imò ſæpè quotannis poſt hyemalem temperiem in quâ quieſcentis naturæ ſopor otium ruſticis imperat, & frigus incluſas domi continuit, ubi ad novos labores ſub dio tolerandos, calidior

tempeſtas evocat, non rarum eſt & eryſipelata vix dolentia, & phlyctœnas in mulierum cute ac juniorum ruſticorum enaſci. Certè non idem vultus eſt, non eadem cutis poſt exactam æſtatem peractoſque meſſis labores ruſticorum, quæ fuerat incipiente vere. Quinimò aſpice virum litteratum, aut hominem civilibus officiis deditum poſt forenſes labores aëris liberi atque ruris delicias expertum; ipſiûs faciei ſol ariditatem ſuam impreſſit, receſſit epidermis vetus, ſuccrevit nova.

Verùm quantùmcumque ſummitas hujus ariditatis ad cutim pertineat, fatendum eſt ejus idæam admitti non poſſe ſine internâ ariditate; cùm nulla ſit è cauſis quæ ariditatem cuti inferant, quæ non etiam in linguam, fauces & pulmones agat, adeòque univerſam animalem œconomiam comprehendat, nec poſſit ariditas cutis ſejuncta ſpectari.

Proindè cùm diagnoſis morbi inſtituitur, non ſine ratione ſiccitas cutis habetur pro ſigno latentioris ariditatis, prognoſiſque ex interiore cauſarum actione debet deduci quæ lenis, nec curationi adeò rebellis erit morbus, ut in noſtrâ accidentali, de quâ hìc ſolâ agitur, ſi viſcera bellè concoquant, humiditatemque accipiant, ſi ſomnus facilè reſarciatur: nam cùm indè perſpirationem ſanam & coctam ex ordine naturæ reſtitui neceſſarium ſit, ſanabitur pariter cutis ariditas, aut ita tardabitur, ut ſenſim & ſine morbo æquilibrem cum climate nuper acquiſito ſanitatem novus incola adipiſcatur.

Verùm ſi à præpedito ab unâ è cauſis Galenicis nutrimento, ariditas atque ſuccorum defectus pendeat, longa certè poteſt eſſe atque lethalis affectio, maraſmumque inducere. Certè ariditas ſumma malè neglecta ſanguini inflammatoriam diatheſim inducit, mucoſis partibus, loco benigni roris nutritii ſupra omnem imaginationis captum tenuatiſſimi, & qui antè omnes avolavit humores, loco ſpiritûum ſubtiliorum, acredinem ſummam adjicit, undè deſtruat ille, non reparet, ſomnumque qui princeps eſt in curatione ariditatis aufert, undè aliquandò ariditas cutanea maximam cladem attulit, præcipuè in iis qui per æſtuantem oceanum navigantes, aquâ privantur & nutrimentis boni ſucci, undè oriuntur ſitis, marcor, liquidorum hærentia, inflammatio, cauſus, ſeu febris ardens, gangræna.

Ut verò furfura ariditatis comites nullam aliam cauſam agnoſcunt, præter illam quæ ariditatem cutis invehere idonea eſt, pen-

deantque illa, partim ab epidermide quæ in cute aridâ vix per ſufficientia vincula nectitur, adeòque facilè eraditur, partim à mucoſis particulis quæ in cute aridâ areſcunt facilè & perſpirationis materiam ſicciorem efficiunt, quantùmvis illi aliquandò magnâ copiâ erumpant, quantùmvis verorum lichenum naturam affectent, nulla tamen ipſis ſingularis competit curatio, cùm, causâ benè cognitâ, nihil aliud poſtulent præter humectantis regiminis auxilia. Nec rarum eſt, poſt inſueta exercitia, ſudo & fervente ſole, poſt epulas lautiores, & abuſum vini inconſuetum, videre in juvenibus ſimiles furfuraceas eruptiones quæ potu diluente, aut balneis tepidis ſolvuntur. Imò quo præcipuè tempore pubertas emicat, & novus ſe venis inſinuat ignis, quo tempore apparent ſigna turgeſcentium glandularum, ſæpè fit, ampliatâ quaſi ſuperficie cutis, ſeparatio epidermidis quotidiana, ejuſque renovatio, ſimulque excrementorum mucoſorum, in principiis quidem ſuis tenuiſſimorum, ſed denſorum mole, proventus magnus, quæ in far & farinam abeunt, magno timore matrum qui ſuas credunt jam jam laboraturas herpetibus puellas. At diætâ diluente tumultus ille componitur, renovandus aliquandò leviſſimis erroribus admiſſis per annos integros, & cauſæ producentis ceſſatione annis labentibus, atque conversâ ætate tandem finiendus.

Ariditas verò, ſive cutis, ſive totiùs corporis per ſe quidem ut vitium eſt ſimpliciſſimum, ſic etiam ſimplicem indicationem offert. Verùm ſi ariditatis cauſas ulteriùs ſcrutemur, certè ex ſimpliciſſimo vitio fiet teterrimum. Nunc enim ventriculo medela ferenda eſt, nunc tonus reſarciendus vaſorum actione concoctrice defraudatorum, nunc aperiendi canales nutritii, infarcti; aut materia iis ſufficienda; nunc corpus exhauſtum alendum eſt, pro virium ratione. Sed verè ait Hippocrates, facilius eſt vacuare quàm replere. Vacuationem ars facit, repletionem naturæ vires efficiunt ſolæ. Non noſtrum eſt tantæ incumbere materiei; cutis ariditatem ab externis contractam ſectamur ſolam hanc, & uno verbo omnis adimpletur curatio. Humectantia tùm internè, tùm externè admovenda.

Nec ullum eſt humectantium genus quod recuſet cutis ariditas, niſi tamen curâ præpoſterâ & ineruditâ ea nimiâ adhibeantur copiâ, ita ut venter indè jam oneretur, lympha ita immergatur, ut jam non in homogeneum & animalem laticem verti poſſit, ſed in corpore quaſi aquoſus latex diluviem faciat. Undè, ut in injec-

tionibus ex aquâ quam intrà corporum animalium venas experiundi gratiâ tentamus, ſpaſmi enormes oriuntur, donec tota aqua è venis effluxerit; adſunt aqueo latice largiùs epoto & affatim ingeſto ingens anxietas nauſeoſa, & ſumma reſpirationis difficultas, adeòque aqua ſimplex nimiâ copiâ humoribus noſtris addita, veneni loco eſt. Præthereà torrente illo aqueo ſalia è ſanguine eluuntur, maſſa remanet inſipida, iners, nec jam ſtimulos in fibris concitans; perit omnis actio. Undè in ſimpliciſſimâ diluendi actione arte moderatrice egemus.

Prætereà verò notandum eſt aquam ſolam & ſimplicem vix ſatis liquoribus noſtris adhærere, ſed quaſi præterlabi. Undè optimum erit ſi ejus ſolventi efficaciæ partes addantur quibus illa aliquam lucretur adhærendi efficaciam. Ita mucilagineæ, gummoſæ quæ ex vegetantibus petuntur partes, hâc gaudent proprietate ut aquam & contineant, & retineant; undè farinoſa dulcia, qualia ſunt avena, gramen, hordeum, ſecale & ſimilia multa, aqueâ potiùs diluente donantur facultate quàm vel ipſa ſimplex aqua. Lenia verò ſaponacea ex acido & oleo levi vegetali conflata, multâ aquâ ſoluta præſtant idem, ut reperire eſt in ſero lactis, in fructùum horæorum ſuccis, in ſaccharo & melle; niſi quòd in his ultimis ſubſtantiis oleum prædominans ſiti levandæ nedùm ſit idoneum, hanc contrà concitet, adeòque acido oleoſo corrigendum ſit. Ea verò omnia ita exhibenda ſunt ut ſtomachum non gravent, ejus vires non obtundant, nec poſſint bilis, quæ malè ſecreta ariditatis inſtrumentum eſt, actuoſitatem retundere, ut poſſint ſimul halitui indeſinenti tepidorum balneorum miſceri & maritari. Sic nullum ab humectatione vacabit temporis punctum. At regimine diluente ſuffulta medicamenta meliùs diluent. Verùm his omnibus ita miſcenda ſunt narcotica ut, quas humectans diæta non potuerit vincere, vi & arte domentur vigiliæ; ſine enim ſomno, ſine curarum & meditabundæ ſollicitudinis abſentiâ, nunquàm vinci, aut corrigi poterit ariditas, quam fruſtrà contranitente arte, illæ ſemper & perpetuò inducent.

ARTICULUS IV.

De effectibus ſolis radiorum in cutem.

Locus hìc eſſet de combuſtione agendi igniſque admoti ad cutem effectibus; verùm cùm ipſa combuſtio, aut ad eryſipelas

vel cum, vel ſine phlyctœnis referatur, dein verò aut ad phlegmonem, vel ad eſcharam gangrænoſam, de re ad tractatum de tumoribus pertinente eò magis abſtinuimus, quòd de materie ampliſſimè pertractatâ nihil novi dicendum ſeſe offerat. Eadem forſan ratio ad præſentem tractationem pertinet. Verùm cùm quædam phœnomena huic cauſæ peculiaria ſint, ſaltem morari circà illam tantiſper decet. Actio enim ſolarium radiorum in nudatos artus, cutemque ipſi inſolito more expoſitam ad eryſipelas refertur; & eo quidem aliquandò cum furore ut phlyctœnas etiam quæ in ſummo emicant eryſipelate producat, πομφοὶ πομφόλυγες Hippocrati olim dictas, aut, nomine his phlyctœnis proprio, à Galeno vocatas φῶδες aut φῷδες.

Verùm antequam ad eryſipelas talis eruptio evehatur, quod ſæpè uno oculi ictu fit, tamen quædam ſunt ſolis impendentis actioni propria phœnomena, quibus videtur æqualiter agere & in fructus tenerioris ſubſtantiæ & in animalium cutem, eò quidem magis, quò illa tenuior fuerit.

Cuidam puellæ tenerrimæ è balneo exeunti fluviatili, in quo illa & linteis benè tecta fuerat, & à ſole defenſa, tergum nudum ſoli ardentiſſimo exponit, & quaſi ab ipſo opprimitur. Rubor in dorſo intenſus exoritur, ſine ullo dolore ad tactum, evanidus tamen, & ſubitò recurrens, ſi tractaretur digitis: viginti poſt quatuor horas dorſum omne prurit, epidermis abit in lemas ſine ullo dolore, ſine ulliûs humoris exitu, ſed rubor in hâc parte remanet uſque ad hunc à pluribus annis diem, ſine ullâ mutatione, niſi quòd à miſcelâ albæ epidermidis flaveſcat, ſed eâdem ſemper flavedinis intenſitate pars ſole peruſta diſtinguitur, quidquid tentaverit cutis curioſè ſtudioſa muliercula.

Multis aliis eadem actio non ruborem reliquit, ſed à rubore flavedinem intenſam, qualem ſæpè reperire eſt in meſſorum manibus & brachiis, imò & in pectore malè defenſo; ſed in pluribus agit radiorum ſolis efficacia, dùm maculas imprimit flaveſcentes, imò fuſcas, quæ vix unquam abſunt à cute mulierum ruſticarum quâ parte ſoli exponuntur. Collum earum vulgò ſimilibus maculis deforme eſt, quod omnibus videre licet, non ſine urbanorum faſtidio, quoties lactantibus infantibus mammas albeſcentes & à flavo thorace pendulas exhibent. Ut ergo fructus partem à ſole averſam albidam habent, & qui foliis conteguntur nunquam rubicundum acquirunt colorem, ſic urbani qui faciem

à ſole protegunt, ſic inſularum & præſertim Britannicarum incolæ quibus ſol vix purus illuceſcit, cutem multò albidiorem habent Hiſpanis, Italis & meridionalium ardentiumque orarum incolis, ſi præſertim calidiores illæ regiones per ſe ſiccæ ſint, & intimioribus radiis ſolaribus patentes.

Non dubium eſt quin macularum iſtarum ſedes in textu reticulari atque mucoſo Malpighii quærenda ſit ; quin tota debeatur radiis, non calori ſolis. An quia pars eorum aliqua iis ſe partibus inſinuat ? An ſolidas etiam ferreaſque conſtitutivas atque elementares partes phlogiſto donat, quo partes colorantur rubris atque flavis in partem mechaniſmo incognito fixatis ? An olea pariter elementorum partem conſtituentia ſol exaltat & evehit? Certè ipſæ flammæ ardentioris ignis cui per diuturnas hyemes aſſident homines litterati, ipſorum tibiis maculas durabiles nunquam delibiles, niſi poſt longa tempora imprimunt, per æſtatem illæ integram durant, ſenſim flaveſcentes, epidermis pariter ſine ullo tumore ſecedit, nec niſi poſt ardentiſſimam foci repetiti vehementiam acceptam in eryſipelas deſinunt. Imò ſenioribus deficiente aliundè tono vertuntur aliquandò in gangrænam. Quod quidem fatum inſolatæ etiam cuti aliquandò poteſt accidere, ſed rariùs, eò quòd raró ſol crura & tibias afficiat vehementiſſimè, parteſque quas attingit tono gaudeant potentiore.

Prætereà id de ſole notandum eſt, quòd quanquam vividiſſimè agant ejus radii, vel minimum linteum, ut ſunt coæ illæ veſtes quas *ventum textilem* vocavêre veteres , ſufficiat ut ab ejus effectu protegatur cutis mulierum. Quod & ipſæ benè norunt, leviſſimis illis ornatibus faciem tenellam defendentes. Sed multis tenuibus atque bellulis non ſolis radii ſoli timentur, ſed aër quaſi nimiùm pellucidus, vocant *le hale* gallicè, qui, ut videtur, radiis ſolaribus etiam non directis turgidus, tenera tamen vaſa actione acriori contingit, & areſcere facit; undè monent ipſas materculæ ne lentigines contrahant, & ipſis faciei elegantia deturpetur, quamvis aliud ſit lentigo, aliud maculæ illæ à ſole exortæ quas potiùs cum græcis εφηλίδας (*a*) vocaverim.

Hæc omnia ad genus eryſipelatum à longè pertinent, ejuſque continent principia. Sed ut verum ſubitumque eryſipelas à ſolis irradiatione ſubitò irruat, requiritur vulgò ut actio radiorum

(*a*) Crito apud Aetium, tetr. 2, ſerm. 4, cap. 11.

directa

directa à reflexione vires acceperit. Nam notante Boerrhaavio (*a*) rarò graves illi morbi, imò ſubitaneæ mortes metuendæ ſunt à ſole, ſi aëra perfundat æqualiter innubilus, ſed tunc imminent, cùm reflexi per nubes radii in centrum atque focum, more vitrorum opticorum, aut ſpeculorum metallicorum uniuntur, tuncquè validiſſimâ vi poſſunt externas, imò & internas partes deſtruere. Verùm de febribus ab inſolatione de quibus & vetuſtiſſimi Medici egêre, & ſcriptores ipſi ſacri mentionem faciunt, quæque minùs forſan à Medicis tractatæ ſunt, quàm rei dignitas poſtularet, hìc agendi non eſt locus; de cute loquimur, quam vario modò percuſſam videmus.

Diagnoſis mali à causâ cognitâ pendet, quam agnoſcere maximi eſt momenti, ne cauſa externa & penitùs coporis functionibus extranea magno remediorum inutilium vexetur apparatu. Prognoſis circà periculum ſimplex. Nullum ènim ab hujuſmodi cauſæ in ſolam cutem actione poteſt impendere. At de durabilitate mali nil poteſt reſponderi, niſi primus rubor fuerit exſtinctus, & maculæ limites inſpiciantur. Veruntamen hiſce tollendis vulgò remedium eſt, habitus vitæ contrarius, ſolis evitandi cura aſſidua, & aëris vaporibus & halitibus vegetantium perfuſi uſus habitualis. Sic enim gratia vultûs nitidioris redit, & cuti conciliatur, ſublato epidermide renovatoque illo, candor præfulgens, modò tamen non altè impreſſi fuerint inſolationis caracteres. Tunc enim difficile eſt, ne dicam impoſſibile, eos tollere. Aiunt tamen apud Turcas & hominum genus illud quibus fœmineus decor pro commercio eſt, methodum obtineri quâ etiam indico ſole peruſta cutis ad priſtinum candorem reducitur, quod inexpertus non negaverim, ſed res ſummè difficilis eſſe debet, ſine noxâ atque cicatricibus plus ipsâ nigredine vitandis. Verùm cùm in hâc noſtrâ ſuppoſitione omnia in interioribus illæſa ſint, curatio omnis ad exteriora vertitur.

Ubi ſol notam cuti inuſſit, vel recenti malo advocatur ad opem ferendam Medicus, videtque brevì an res ad eryſipelas uſquè deducta ſit, an rubor exſtet ſimplex & ſæpè profundior; tunc omnis methodus conſiſtit ut admoveantur cuti delinientia, refrigerantia, vi leniter adſtringente donata. Sic prodeſt aquâ frigidâ cutem fovere, aquæ huic aceti aliquid admiſcere, ſed parcâ doſi, ne cutim remordeat illud, ſimulque potentiùs refrigeret.

(*a*) Chem. tom. 1, de igne.

Hinc roſas ſæpè admiſcent rubras, myrtillos, ſummitates mille-folii, virgæ aureæ, ſigillum ſalomonis, imò & aromatica lenia, emollienti ſimul facultate donata, ut flores ſambuci, euphraſiæ, verbenæ, chamæmeli, meliloti, echii, &c. hujuſmodi plantarum virtutibus acetum imbuunt.

Poſteà verò, ubi deſerbuit æſtus, & jam nullus erethiſmi metus, ſed contrà omnia videntur concidere, tunc vires actuoſitati ipſorum cutis organorum adduntur, ſimulque, ſi quis impactus ſupereſſet humor, tollitur, addito in aceto ſaccharo ſaturni aut lithargyrio, aut plumbatis quibuſcumque medicamentis quæ cutem leviter ſtringunt, atque in ipsâ adſtrictione calorem retundunt. Hìc tuta eſt eorum virtus, hìc ſtringendo & vim tonicam addendo, reſolvunt. Verùm ſi maculæ illæ latæ ſint, & magnam artûum partem occupent, non omninò vacat crimine famoſa illa aqua vegeto-mineralis, quippe potentiùs quàm plantæ de quibus agebamus & quarum immeritam oblivionem in praxi induxit, ſtringit, perſpirationem impedit, imò & diutiùs ei applicata colorem etiam cutis mutat, nedùm priſtinum reſtituat. Verùm hæc pauca in recentioribus illis maculis ſufficient, ſi fuerint leviores, ſi textus reticularis mutationem non acceperit; ſed ſi his omnibus rebelle fuerit malum, tunc ſupereſt ut ad ſecundam curationis partem deveniamus de veteribus illis maculis per artem deſtruendis.

Maculas illas ſolares cum lentiginibus, de quibus poſteà, videntur veteres (*a*) confudiſſe, malè quidem, ut demonſtrabimus. Verùm ubi maculæ illæ invaluerant, una & eadem adhibebatur topica curatio, nec immeritò, cùm ſedes eadem, idemque affectus causâ tantùm differret. Curatio hæc tota in duobus conſiſtebat indicationibus adimplendis (*b*); ut ſcilicet vi leviter cauſticâ evelleretur pars peccans, detergentibus verò, atque delinientibus & pars ſuccreſcens & vicinæ protegerentur, ne ullum aut inflammationis, aut ſuppurationis appareret veſtigium.

Hinc eas leniter attollere & quaſi à ſubjectâ cute ope digitorum aut veriſimiliter forcipis levis ſeparare ſuadet Aëtius; verùm ut hoc artificium in parvulis maculis difficile eſt, ita in latis impoſſibile. Poſteà vult, aut illini coctam braſſicam cujus ſolventem in cutis maculis efficaciam extollit, aut ſuperimponi cataplaſmata facta ex farinâ ervi, erucæ, fabis lupinorum, in lixivio

(*a*) Paul Ægin. lib. 3, cap. 25: Aetius tetr. 2, ſerm. 4, cap. 11.
(*b*) Tetr. 1, ſerm. 1, &c.

per triduum maceratis, amygdalarum amararum, bulborum lilio-narciſſi in aceto incoctorum pulte, quibus vi reſolvente donatis, ſimul cum aliquo corrodente ſtimulo, addit radices cucumeris ſylveſtris, bryoniæ, ficûs arboris virgulta, hederæ folia contrita, ſaponem Gallicum, ſed myrobolanos præcipuè quorum virtuti confidere ſummè viſus eſt; poſteà verò etiam ſepiæ cineres, iridem illyricam, aliaque multa quæ variè pro re agendâ & efficaciæ requiſitæ gradu variè miſcet. Imò ad uſque cauſticam virtutem evehitur cùm bulbos quinque lilii, ſpumæ nitri, id eſt ſali alkali fortiſſimo miſcet, & melle excipit. Certè hæc omnia in hâc medendi methodo rectè congruunt. Sed dùm cutim irritant, nonne periculum eſt ne leviori malo ſanando gravius accerſant? Ne concitato erethiſmo perſpirationem impediant, dùm ſenſum cutis augent, & extollunt? Hâc methodo ſanati ad leviſſimum aëris attactum in diatheſim incident eryſipelatoſam. Veriſimiliter, quamvis de iis ſileat, poſt talia applicata fovebatur facies atque cutis, aut lacte, aut amygdalarum oleo. Verùm & in Aetii, Actuarii & Oribaſii formulis latet aliquid acre quod certè noſtratum fœminarum ad quas illa pertinet curatio cuti repugnaret omninò. Forſan ab iis orientalium mangonum ars præcepta accepit, quæ in ſceleratas convertit artes (*a*).

Simpliciùs praxis noſtra procedit. In adultioribus malum inſanabile pronuntiat; nam quæ forent & benè novit agenda, num conferri poſſunt cum deformitate cutis facile tolerandâ? In puellis ſpem non abjicit, ſed lenia tantùm reſolventia demulcentibus mixta ita admovet, ut cuti flexilitas ſumma concilietur & exeunti humori via pateat? Quid enim? Sic à centro vivente ſeparatur & ſejungitur atomus mortua, ſine ullo nixu, ſine criſi, ſub illâ & ad ejus latera qui redundat humor naturalis eam expellit. Vitamus ne vivacior & aridior aër, ne ſolis irruentis radii opus incœptum deſtruant. Sed vidimus multas virgines quæ poſt itinera longa, aut vitam negligentiùs actam totæ ephelidibus deturpabantur, poſt plures vitæ in aëre moderatiori tranſactæ menſes, iis carere omninò, modò ſimul & à mœrore, & à diætâ craſſâ aut acri immunes vixerint. Prodeſt ad hunc finem reſolventia adhibuiſſe lenia, lotiones repetitas ex aquâ tepidâ, infuſis ſimul floribus & foliis ſambuci, decoctis fabis, ſecali, hordeo, aquâ mellis ſtillatitiâ, quam magnoperè redamant mulieres Bri-

(*a*) Phil. Ludov. Bender de Coſmeticis. Argentor. 1764.

tannæ : his vultum, collum, brachia illinunt. Cavent præſertim mulieres ne ſtatim ab illinitione ſeſe aëri nudo exponant, qui rapidiori ſiccatione fibrarum cutanearum poſſet laxioris epidermidis vincula ſolvere, aſperitatemque quam effugiunt efficere. Nec etiam ſpernenda eſt momentanea illinitio magmatum illorum, quæ pomata vocant, ut potè quæ ſummoperè lubricent & emolliant, ſi recentes ſint, ſi diu in cute non remaneant, qualis eſt illa quæ apud gynecæa Turcarum dicitur celebrata & commendata. Fit illa ex balſami mechani guttis aliquot in adipe recenti capi exceptis. Laudatur pariter quæ ex amygdalis dulcibus in adipe ſuillo apud nos viget, aut ex ſeminibus cucumeris ſativi conficitur, aliiſque hujuſmodi, circà quæ inſiſtere pudet. Ex iis & cerufsâ fucum conficiunt. Porrò quantùmvis in hâc coſmeticâ medicinæ parte aliqui viri egregii operam perdiderint, turpe eſt viro gravi & ad meliora nato in nugis iſtis aliquam temporis partem exigere.

ARTICULUS V.

De actione frigoris in cutem.

Nihil magis, nihil directiùs oppoſitum eſt actioni & effectibus caloris, quàm frigoris actio, quæ ſupponit ignis abſentiam, adeòque à quâcumque demùm causâ pendere corporis humani calor ſupponatur, cùm calor & actionem vitalem auget, & auctam conſequitur, ſic frigus & eam imminuit, & imminutam ſequitur.

Verùm quantas & quanti momenti partes utraque hæc ſibi inſumat qualitas, ſive ſe ſubitò excipiant, adeòque & fibras diſtrahant, ſive longâ & quaſi perennante actione agant, noſtrum non eſt expendere. Hìc agitur de frigidorum ſpiculorum actione in cutem, & eâ quidem quæ cutis ſubſtantiam mechanicè poſſit immutare.

In quâ diſquiſitione duo ſunt expendenda ; hinc ſcilicet corporis excipientis conditio, illinc frigoris gradus. Diverſa eſt enim frigoris actio in corpus exercitatum, durum, cute craſsâ donatum, adipe ſuppoſito dives, atque in tenue, molle, gracile, macilentum. Quæ diverſitates in quibuſcumque partibus notandæ ad cutem etiam pertinent præcipuè, ut potè quæ facilè ab externis afficitur, facillimè habitum contrahit, & ad incurſantium corporum impetum ita induratur, ut vix poſteà illum ſentiat.

Quamvis igitur actio frigoris mechanica in cutem ab ejus gradu pendeat, ſenſatio tamen & ejus effectus ab irritabilitate potiùs corporis & inaſſuetudine computandi ſunt. Sic multi dantur qui, vel mediâ æſtate, ad leviſſimum frigus ita afficiuntur ut manûum pedumque cutis ſubitò liveſcat, albeſcat ad ſenſum, & ad thermometrum ita frigeat, ut quaſi emortua cutis videatur, integrâ alioquin ſanitate. Illi, hieme ſæpè, ita frigore penetrantur ut torpidi remaneant cum gravi incommodo. Illud incommodum ad ſummi gradûs moleſtiam evectum vidi in pluribus, ſed præcipuè in viro ſexagenario, alioquin rectè valente, qui à longis febribus intermittentibus convaluerat, illud tantùm remanſerat incommodi. Idem in ingenioſiſſimo viro obſervavi, cauſario illo & debili, ſed ſine ullo prægreſſo morbo. Quod habituale incommodum levarunt ſcintillæ electricæ, etiam ſine commotione electricâ, à tubo electriſato deductæ. In hiſce hominibus cutis tenuis eſt, & delicatiorem texturam, ob priſtinos, ut crediderim, ſudores, vel aliâ quâcumque de causâ adepta eſt. Undè nervis ſtupor ſtatim inducitur. Contractio enim ſumma ſenſum hebeſcere facit, dùm ſimul vaſis & textui cutaneo à levi causâ vehemens inditur contractio quæ in extremis circulationem facilè impediat.

Actio hæc frigoris ad ſubiti frigoris & inexpectati vividiorem impreſſionem ſolam pertinet. In ſenſum enim omninò agit & à ſenſilitate dirigi ſe ſinit. At res phyſicè & mechanicè ſpectanda eſt quo ſub aſpectu frigoris in cutem actio, vel ſubita eſt, vel longa & pertinax. Subita frigoris actio vix aliquam impreſſionem relinquit in adultorum cutem; in pueris tamen & præcipuè puellis quarum cutis tot vaſis pervia eſt, tot canalibus plena, in quâ nihil calloſum, aut durum eſt, illa ruborem intenſum, nigricantem acquirit, ſi tangas eorum cutim, evanidum, at recurrentem illicò, ita ut ſanguinem ſub cute accumulari credas, eumque reverà, ſi fortè per acum pungatur, liberaliùs illa fundit. Undè ipſis brachia, manus, pedes & extrema narium prærubra ad focum aſſidentibus colorem naturalem recipiunt, ſine ullo cutis vitio relicto. Si tamen ſæpiùs huic frigori exponantur, dilatantur cellulæ cutaneæ, finduntur que facilè, & ichorem ſanguineum fundunt, ſub *pernionum* nomine, tractandum alibi malum. Imò & ſæpè per repetitos & ſubitaneos hujus frigoriferæ puncturæ impetus fit cutis laxa & flaccida, ſemper humore aliquo mucoſo madens, qui laxatis, nec ſolutis tamen epidermidis vinculis, inter ejus ſquam-

mulas ſtagnat copioſiùs. Id ſæpiùs reperias in pueris qui nunc igni aſſident, nunc in nive volutantur, & ipsâ manus intingunt. Rubræ illæ ſunt, & rutilæ, humidæ tamen, & ſi incautiùs ad focum objiciantur, non ſine dolore ſinduntur, ſanguinemque fundunt. Id etiam in labiis etiam adultiorum frequenter occurrit.

Verùm hujus actionis ſubitaneæ, ſed toties repetitæ mechanici effectus, cum habituali aëris frigidioris actione conſunduntur, undè diſquiſitio mutationis phyſicæ ab habitu frigoris inductæ videtur ad priorem referri, & comprehendi ſub hâc quæſtione, quænam ſint differentiæ cutis inter hominem frigidioris regionis incolam & illum qui loca meliori ſole luſtrata habitat? Ad quam quidem quæſtionem reſponſum in promptu eſt, nullam dari regionem quæ ſit adeò frigida, ut vices non experiatur caloris atque frigoris, aut ſaltem frigus ſummâ foci accenſi vi non diſpellat. Undè vix ulla alia differentia ineſt hos inter atque felicioris cœli incolas, niſi quòd perſpiratione frequenter cohibitâ & exſiccatione per humidi redundantiam impeditâ, cutis humidior ſit, nitidior, adipe ſubjecto plenior, & ſi morboſè peccet, ut ſæpè ſit, in eo peccat quòd facilè inflentur cutis cellulæ, œdemata facilè concipiant, ſæpè metuendos habeant tumores in articulis, omnia mala quæ à ſuppreſsâ incautè perſpiratione pendent. Præthereà nares illis facilè implentur, & maximè obnoxii ſunt malis catharralibus. Uſquè adeò patet morbis humana machina, ut vel ipſe candor nitidus cutis inter vitia recenſendus ſit. Vix electricam actionem ſentiunt ſimiles cutis conſtitutiones. Vix ullum datur ſine phlyctœnis eryſipelas, & ſi variolis decumbant, lymphaticæ ſunt & cryſtallinæ illæ.

At ſcena omninò mutatur, ſi ad uſquè conglaciationis vividiſſimum gradum frigus cutis deferatur. Tunc enim ſubita frigoris actio corpore patenti excepta, & ſtrages, & morbos peſſimos inducit. At de iis hìc agendum non eſt. In cutem ipſam prima ejus actio circuitum intercipit, ſtuporemque nervis ingentem conciliians quam vividiſſimam producit inflammationem, ſub indolenti ſtupefactoque ſenſu diſſimulat. Priùs vident alii quàm ſentiunt miſeri partes nigreſcere & in gangrænam abire. Si autem hâc in conditione partes inflammatione gangrænosâ affectas vivido igni exponant, tunc ſtagnantia liquida in immenſum à minimâ mole rareſcunt. Lacerantur conſtricta ſolida, nervi ſoli hebetes remanent. A gangrænâ facilè ſanandâ ſit ſphacelus immedicabilis;

& aut vita perit, malè tractatâ gangrænâ, aut truncis vivendum eſt. Norunt omnes quâ methodo ars ipſi medeatur. Aqua frigidiſſima congelationi proxima ipſis applicatur, aut nix apponitur; cavetur ne ad flammas ignis accedant, lecto refocillantur & lenibus aromaticis ſensìm calor internus intenditur. Corpora autem illa aquâ immerſa cruſtâ tegi glaciali auctor eſt Hildanus (*a*), quod poſſibile eſſe experimentum circà conglaciata poma inſtitutum probat. Illa enim frigidiſſimæ aquæ immerſa cruſtâ glaciali pariter teguntur, quâ plures per immerſionis vices diſcuſsâ ad priſtinum nitorem redeunt (*b*). Sed hæc jam pluries ab aliis dicta ad gangrænam potiùs quàm ad morbos cutis pertinent: vide verò antè alios de hiſce morbis doctè loquentem J. Fabricium Hildanum.

Verùm cutis frigore mediocri longum per tempus ita tacta, ut quâdam quaſi leucophlegmatiâ laboret, vix alia recipit remedia quàm ea quæ dùm epidermidem unctuoſum & minùs aridum efficiunt, ſimul cutim roborant. Qualia ſunt aromatica oleoſis mollibus, mucilagineis remixta, talia in pharmacopæis multa proſtant pomata, linimenta quæ ex oleis olivarum, lini, amygdalarum dulcium, adipibus recentibus conſtant, ſi miſceantur ſalviæ, thymo, baccis lauri, ocymo, roſmarino, aliiſque multis ſimilibus, quibus robur nervis, laxitas epidermidi inducitur. Nocerent hìc olea eſſentialia ſiccantia, plumbatave omnia medicamenta, niſi jam adſint rhagades & fiſſuræ. Proderit validè & ad initium levis ſudoris, quotidie manè, jejunoque ventriculo, quo tempore plus excrementi è corpore exit, exerceri, poſteà verò, ut veterum mos fuit, inuncto corpore frictione validâ totum corpus ita reſolvere, ut impetus humoribus ad cutem ſtagnare incipientibus concilietur, ut ipſa roboretur cutis, & exhalet aucto calore vis ingens liquidi. Simul verò diæta ſiccior imperanda, ablegandus eſt nimiùm in pleriſque frigidis regionibus familiaris theæ, aut ſimilium liquorum abuſus, quibus ſe amant ingurgitare, ut ſaburra in ventriculum depluens malo conſilio diluatur & diluta tollatur, quæ tantummodò debuerat exercitiis levari. His jejunia præſertim & facilè toleranda & ſalutaria ſunt; his permittendæ vigiliæ & vitanda ſunt ſomni protractioris incommoda; ſi quibus aliquandò, his certè potus caffé profuit, nec ſuadenda omninò vini meracioris

(*a*) De Gangrænâ & Sphacelo, cap. 13.
(*b*) V. Van-Swieten Comm. tom. 1, de Gangrænâ.

abſtinentia. Sed præſertim ad eorum temperandam idioſyncraſiam plùs proſunt quàm cæteris populis in regiones calentiores ſuſcipienda itinera. Nihil enim habitui magis medetur quàm habitus contrarius.

ARTICULUS VI.

De cutis tenuitate & ſenſilitate morboſâ.

Cutim alteram alterâ tenuiorem eſſe demonſtrant evidenter quæ hinc fœmineum corpus exteriùs commendat mollis gratia, illinc virorum maſculus vigor, à ſe invicem adeò abludentes. Magnam enim differentiæ partem cutis diverſitas efficit. Illam, ſi microſcopio luſtraveris, invenies minimis pertuſam poris, textuque inſignem tenuiſſimo, undè fœminis ſudor rarior. Grandes pori pilis muniti patent in viris; at qui pili rariores in fœminis ſuccreſcunt in iis etiam tenuiores ſunt. Tenuitas verò illa ex ordine naturæ eſt. At dantur etiam in variis individuis diverſitates quæ ſummitate tenuitatis, intenſitate ſenſilitatis ad morboſam uſque conditionem evehuntur. Quarum unam, cùm mihi antè oculos à longo tempore obſervetur, licebit fuſiùs cum ejus incommodis deſcribere, ut alios ſi pares occurrant præmonitos habuerim.

Jam à primâ juventute fœmina meis commiſſa eſt curis quæ illibatæ alioquin ad omnes morbos ſanitatis, inter æquævas puellas nitido, pulchro & liliis candidiore cutis colore omnes admiratione rapiebat. Hodiè adultior inter juniores ab inſciis numeratur, nec diſparia vultui brachia, collum, cæteræque corporis partes, niſi quod in genis mixtus huic candori rubor ita adaptatus eſt ut per artem fucatam jurares. At tot, ipſi certè plurimùm arridentia, formæ ornamenta, mille redimuntur incommodis. Adeps cuti ſubjectus, cùm non facilè exhalet, facilè in tumores aſſurgit, ſæpè renitentes, & per uniûs aut alteriûs diei ſpatium remanentes, ſeu potiùs cutis ipſa minimam ob cauſam aſſurgit, & œdema calens & dolens colore cutis non mutato efficit. Nitet illa, imò pellucet marmorei inſtar alabaſtri. Si collare, ut mulieres gerunt, nimiùm adſtrinxerit, ſuſdeque nota dura imprimitur, & depreſſio margaritarum tumore ſimili ſuprà & infrà locato compenſatur. At ſtricto nimiùm loricis fœmineis corpore, mirum eſt quantùm mammarum utraque cum thoracis cute aſſurgat, & ultrà pulchritudini conceſſos terminos. Ipſi invenienda fuit alia cruralium

ſubligaculorum

ſubligaculorum forma, ne œdema illud in femora decumberet, & qui manè exiguus atque rotundulus pes exſtat, ſerò formam eò magis amiſit, quò inceſſerit magis. Sed quod ipſi magis incommodum eſt, ad minimam preſſionem cutis dolet, ita ut ſerò miſerrima ſit, manè verò, ubi mollibus recubuit ſtratis, multò ſe habeat meliùs. Intereà verò ſub minimo exploratu maculæ in cute oriuntur, leviter nigreſcentes, non ſine aliquâ ſuſpicione eryſipelatis. Depoſita fuerat in cutim eruca, collum totum, facies univerſa intumuit, & greſſus erucæ per mollem colli planitiem vehementiſſimo eryſipelate cum phlyctœnis ichorosis notabantur. Febris verò ſimul exorta violenta & per paucos dies perdurans ſine remiſſione. Nec tamen ſuppuratio potuit in denſo hoc textu concitari, ſed cruſtoſa materies cutim ſanam & ſine ullâ maculâ infecit. Urinæ huic vulgò turbulentæ, multæ, digeſtio inculpata. Verùm vix ullum diem à dolore vacat ſubcutaneo, ſeu temperies aëris mutetur, ſeu moles cruda atque indigeſta intra vaſa ſeſe accumulaverit; æſtate per calores maximos moveri vix potens volumine aucta videtur; cutis quidem arida eſt, & nullo perfuſa ſudore, ſed turget ad pelluciditatem uſque: hyeme frigidiſſimo dolores ſummos in nervis cutis perſentit, & nocturnus calor ab iis eam ſolus redimit: inconſtanti tempeſtate nunc dolet, nunc tumet; extrà cutem ſana, in cute verè miſeranda. Quid? quod ipſi mater fuit ſimili cute donata, quam tamen octogenariam catharrus è medio ſuſtulit, fraterque germanus non eumdem ad gradum, ſed aliquâ tamen parte, iiſdem ſubjacet incommodis, inter viros ridiculè albeſcens, & quanquam pluſquàm à viginti annis militarem vitam duxerit, gaudet juvenili decore ad veneris potiùs quàm ad martis certamina apto & delicatulâ formâ; valet tamen cum incommodis uterque præ ſe ſanitatis ſigna ferens malè laudata. Quid fecerim, quid alii Medici excogitaverint ad vitium illud tollendum inutile eſt dicere; cùm vitium à conſtitutione pendens nullâ ratione aut emendatum fuerit, aut emendari potuerit. Neuter variolas paſſus eſt; neuter hyemem ullam, ſine catharro, aut articulorum doloribus exegit, niſi eos redemerit ab hoc incommodo alvi fluxus autumnalis. At certè ambobus, cùm grandævi fient, arthritidem metuo. Notare tamen hìc paucis ſufficiet balnea, laxandæ alioquin cuti idonea, hìc dolores concitare, & ad motum impotentiam adaugere, cùm impetum ad illam cutim augeant quæ reſolutionem partis ad eam delatæ non patitur. Undè rubet incaſſum

cutis, & perſpiratio tamen nulla fit. Hunc porrò morbum exemplo potiùs dirimere malui, quàm ſtrictiori theoriâ, cùm ab illâ obſervatione ſatis ſe intelligi patiantur caſus qui minori ſub gradu eamdem cutis formam nacti fuerint. Tenuitas enim connata fibræ textûs univerſi denſitatem effecit, & mille illa incommoda, quæ tamen incommoda ad perſpirationis imminutionem, præſenteſque catharrorum minas, adeòque debilem atque delicatulam corporis conſtitutionem referuntur & in iis terminantur.

ARTICULUS VII.

De laxitate cutis pendulâ.

Vitium eſt etiam in conſtitutione cutim laxiorem habere & ſtructuræ adeò flacceſcentis, ut vix humores cohibeat, at ſemper noctu diuque humeſcat. Sub nomine laxitatis partium cutis non eam intelligi velim quæ à macritudine pendet & textûs cellularis vacuitate de quâ abundè dictum eſt, cùm de rugis ageretur quæ laxitatem efficiunt illam univerſalem.

Hìc verò agitur de laxitate conſtitutivâ partium cutim ipſam ſuo intertextu efficientium. Iſta laxitas in iis reperitur præſertim mulieribus quæ cutem prærubram habent & quaſi turgentem, ita ut niſi rubor adeſſet ille violaceus, pelluceret illa ; cellulæ enim hujus laxæ, notantque opifices, quæ pretioſis lanis tractandis incumbunt, mulierculas tali cutis vitio laborantes tincturam lanarum quas tractant vitiare. Ipſis enim cutis muco affluenti plena quaſi glutinoſa eſt, & ſcatet humore qui videtur tangentis digitis adhæreſcere.

Raro univerſale cutis vitium hoc in gradu reperitur, ſed multæ ſunt, è cachecticis præſertim, quæ vel ad minimum motum ſimili glutine diffluunt, plurimæ verò quibus manus & pedes indeſinenter eo afficiuntur. Notandum tamen eſt multò plus apud pauperioris ſortis fœminas hujus vitii occurrere, quàm apud divites & ſplendido luxu educatas, apud urbanas pauperculas, quàm apud ruſticas, apud juniores & minùs menſtruatas, quàm apud adultas. Certum eſt enim cutis illud vitium, in fæminis præſertim obſervatum, quanquam nec maribus incognitum, præcipuè in primâ juventute, à pravâ lymphæ nutritiæ craſi pendere, quæ & malè apponitur

& vix tenacitatis nativæ memor, cutem potiùs opplet, quàm roborat. Undè ipſis articuli debiles, gingivæ laxæ, reſpiratio difficilis idæam ſcorbuti adimplent, in quem ſæpè conſtitutio univerſalis illa cutim vitians it degener. Certè acria alcalino-volatilia, aut ſaltem ſic dicta, becabunga, cochlearia, naſturtium, raphanus, *heſperis allium redolens*, braſſica, cæpe, aliaque hujuſmodi, dùm humoribus efficaciam addunt, ſolidiſque ſtimulum, his medentur malis, ſive ſuccorum formâ exhibita, ſive vino cereviſiâque infuſa. Hùc faciunt verò præcipuè balnea apud Anglos decantata frigida, imò & glacialia, quæ potenter ſtringunt cutim, quam cùm Angli præ cæteris Europeæ populis nitidiſſimam obtineant, ita etiam hiſce malis omnibus obnoxiam. Facilè enim laxatur illa aëri humido aſſueta, quia pulcherrima quæque deteriùs deturpantur. Proderit omnia humida vitaſſe, lintea commutare frequentiſſimè, frictiones ſiccas inſtituiſſe manè & ſerò, ſed præcipuè thymiamata & ſuffumigia admoviſſe ex ſuccino & plantis aromaticis combuſtis, ac vincere aëris intemperiem igne rapido flammante, ad quem corpora exponere ſalutare eſt. Simul cum his omnibus diætam præcipies ſiccam, ſine magnâ ſorbillatione theæ, aut infuſorum quorumlibet calidorum; jubebis ut exulet à diætâ butyri abuſus, & farinoſorum fermentatorum quotidianus uſus, quibus omnibus glutinoſum ſpontaneum à Boerrhaavio adeò doctè deſcriptum & naſcitur, & natum intenditur. Undè etiam corpora juvenilia non veſtibus oneranda ſunt, ſed à foco ad apricum ſolem deducenda, ibique violentiùs exercenda. Nam ſi hiſce malis antiqui caruerint, aut ſaltem ſi ea in exortu correxerint, id eorum arti gymnaſticæ tribuerim, quâ juvenes exercebant, non verò puerulos, & quam etiam puellis ſuadebant, fœminei corporis debilitati accommodatam.

Appendix de Cornibus in variis corporis humani partibus naſcentibus.

Quamvis tractatio hæc ad miranda potiùs prodigiique inſtar ſpectanda pertineat, quàm ad univerſales corporis morbos, tamen vitioſa hæc producta aliquam mihi attentionem mereri extrà rerum à nobis ſuſceptarum ordinem viſa ſunt, quòd de hâc productione omni ævo ab omnibus agitatum ſit, & teſtentur omnes hiſtorici nullam penè eſſe gentem quæ non ſuis heroibus cornua

affinxerit, aut ea in diverſis hominibus nata non viderit. Alcidem, Bacchum, Jovem Ammonem veteres Græci pinxêre cum cornibus, & qui ſe pro Jovis filio voluit haberi, Alexander Magnus, cornua ſibi in nummis voluit aptari & apponi. Imò cornu ſemper pro roboris atque potentiæ ſymbolo habitum, ut ſcriptura teſtatur ſacra, quoties ſymbolicè & metaphoricè loquitur. Nec mirum: apud animalia, marium optimi & valentiſſimi præcellunt etiam hoc ornamento; carent verò, aut ſaltem tenuibus tantùm & debilibus ornantur qui caſtrationem ſubiêre. Cùm porrò ſemi-Dei illi atque heroës naturam humanam viderentur antecellere viribus & dominandi atque vincendi virtute, ipſis virium & roboris ſymbolum adſcribi viſum fuit non abſurdum. Imò crederetur aliquandò cornu pro fecunditate marium ſigno fuiſſe aſſumptum. An cornu pro tenſo & ad actionem prompto veretro habitum fuerit dubitare licet, ſive ob veterum idiomatum ignorantiam, ſive ob formæ ſimilitudinem, ut etiam σαυνίον, id eſt haſta, apud Pollucem in Onomaſtico (*a*) vocatur membrum virile.

At de cornutis hominibus, ſive de variis cornuum generibus, in diverſis corporis partibus enaſcentibus, parciùs locutos Græcos Medicos non miramur. Quo tempore præſertim mos fuit corpora, ſi quæ vitiata, aut monſtroſa in origine apparerent, non extollere, cùm præſertim ea ad Medicinam non pertinerent.

Primus inter Arabas Avenzoar (*b*) de homine mentionem fecit cui cornu in dorſo increverat. Hoc à craſſis, aut groſſis, ut ejus interpres loquitur, enatum humoribus ferrâ diſciſſum poſteà in ejus origine ſuppreſſit, purgando ſæpiùs hominem cum lapide lazuli; quodque magis mirere, loquitur auctor hìc tanquam de morbo non adeò incognito, cùm mentionem injiciat de magnete, tanquam de optimo ad cornua deſtruenda remedio. Sit penes auctorem fides. Avicennas (*c*) quidem de excreſcentiis quibuſdam loquitur quæ ad extrema articulorum naſcuntur. Hæ aliquandò curvæ & extra cutem naſcentes reſcindi debent, & locus eorum emolliri, ſed hæ eminentiæ videntur potiùs verrucarum naturam æmulari, aut meliùs tophorum, nec inter vera cornua numerari poſſunt. Idem dicendum eſt de gummi illis ſuccreſcentibus aliquandò in vulneribus articulorum quales Benedictus (*d*) vidit im-

(*a*) Polluc. Onomaſtic.
(*b*) Lib. 2, cap. 5.
(*c*) Canon. 4, fen. 7, tr. 3, cap. 14.
(*d*) Lib. 4.

menſum in volumen excreſcere, vulnerato genu, in inſulâ Cretâ. Loco calli qui reparare oſſis jacturam debuerat, excrevit tumor immenſo volumine protenſus, quem comparat cum cornu rupicapræ, mirando ſanè eventu, ſed quem ad cornua non benè conferas.

Illud magis attentione dignum quod narrat graviſſimus auctor Fallopius (*a*), ſcilicet cornu in integris oſſibus, non in fracturis nati, quod quidem cornu extra carnem & cutem excrevit. Quale ſe vidiſſe perhibet Patavii in femore cujuſdam nobilis ex cujus femore excrevit paxillus longus. Verùm hæc omnia protuberante oſſeo ſucco informia nata fuêre. Sed Ingraſſias (*b*) cum Jacobo à Sorii Chirurgo vidit Panormi virginem nobilem cui non ſubtus cute, ſed ſuper ipſam oborti erant tumores, quamplurimis tuberibus recurvos, ſimulque in ſummo exacutos, cornuum vitulinorum ad inſtar. Hi tumores ferè omnibus in artubus exorti erant, ſed præcipuè manus, cubiti, genua his ſcatebant. Frons etiam & caput iis ornabantur. Ita verò lamellatim formabantur, ut alia alteri laminæ ſuperimpoſita videretur, non ſecùs ac ſi avellanarum cortices alterum alteri ſuperimponas, minorem tamen majori, ut in acutum punctum pyramidiſque effigiem conjungerentur. Tacti autem ſummoperè dolebant, & firmiſſimè tenacitate inhærebant. Puellam à ſe ſanatam narrat, Chirurgo opem ferente, Ingraſſias; ſed quo artificio ſilet. En certè obſervationem quam viri cognita fides vetat ne in dubium revocemus, cui ſi obſervationes alias addamus, à Schenkio (*c*) collectas, hanc certè Dalechampii obſervatoris ſagaciſſimi non licebit omittere quâ vidit Dominæ de Fortine cornu digiti longitudine reſecari Monſpelii (*d*), quod certè cornu ex genere eorum fuit quæ tantùm cuti adhærent, nec in oſſibus, ut bovina, radicantur. Cornua hæc, ut verbis Scaligeri utar, ægritudo ſunt, non monſtrum (*e*). « De quâ » principi Aboali atque maximo viro Abumero narrantibus equi- » dem propter eorum auctoritatem adducebar ut crederem, donec » unum vidimus in dorſo remigis cujuſdam qui in Ligurum triremi » diù fuerat ».

Puellam pariter cornutam deſcripſit Hildanus (*f*), circàque

(*a*) Fallop. cap. 7. Epiſt. à Coiter.
(*b*) Ingraſſias, tom. 1, de Tum. præternat. pag. 336.
(*c*) Lib. 1, pag. 12.
(*d*) Annot. ad caput 37, lib. 11, Plinii.
(*e*) Scaliger annot. 199, nº. 5, ad Cardan. de Subtilitate.
(*f*) Fab. Hildanus Cent. 2, Obſ. 26.

hanc materiem multa, & ſibi obſervata, & aliis viſa congeſſit, quibus ſuperſedere animus eſſet, niſi nos aliqua memoranda in hiſce portentoſis morarentur.

Primum eſt exemplum (*a*) Franciſci Trovibuvii Galli qui ſeſe circà annum 1599 Pariſiis alibique videndum exhibuit; huic cornu arietinum in mediâ frontis parte ſuccrevit quem vidiſſe ſe perhibent Chr. Thuanus (*b*), Rhenodæus (*c*) & certè acutus in hiſce judex Bartholinus. Hunc depictum exhibuit Hildanus ab Aldovrando (*d*), qui etiam Aldovrandus (*e*) ſimilem hiſtoriam ſibi anno 1639 viſam profert. At frontes hominum cornutas non adeò raras omnes prolati auctores teſtantur, quorum alia ab oſſibus propullulant, & hæc pro monſtroſis habuerim, alia cuti ſoli inſixa ſunt, ut in hiſtoriâ quam narravit Schenkius, & hanc pro cutis ægritudine velim haberi.

At maximè notabile cornu adnaſcentis poſt morbum exemplum publicum fecit Zach. Mannagetta Moravienſis Medicus (*f*) in Præſide Conſilii & Parlamenti Divionenſis Domino de Laine. Is ſexagenario major conſtitutionis atrabilaris, longo tempore febre tertianâ continuâ exquiſitâ correptus, difficillimèque curatus incidit in affectum prorsùs ſingularem cornutum. Excreverat ei circà duarum ultimarum coſtarum ſpuriarum vertebras tumor quidam inæqualis, durus, ſensûs exquiſiti, ad magnitudinem caſtaneæ, qui per decennium, nec augeri, nec minui, neque ullis medicamentis adhibitis poterat curari: tandem à quinque annis notabiliter augeri, veramque cornu cervi junioris figuram æmulari videbatur, inque tantam altitudinem excrevit, ut niſi orbiculatìm amputatum fuiſſet, uſque ad certam aliquam diſtantiam (ad craſſitiem circiter digiti à cute) ubi ſenſus incipiebat exquiſitiſſimus, ipſum cornu altitudinem dimidii pedis excederet. Varia tentata remedia, omnia incaſſum; levibus enim non cedebat, fortioribus exaſperabatur.

Nec verò exemplum illud ſingulare eſſe pluribus jam vidimus, & ſimilia exempla afferuntur etiam in fœminis, ut in Hollandâ muliere annorum 30, cornu in fronte ſuccreviſſe auctor eſt Bar-

(*a*) Hildan. Obſ. 25.
(*b*) Hiſt. lib. 123.
(*c*) Lib. 3, Meth. Med. cap. 2.
(*d*) Cent. 1, Ep. 20.
(*e*) Aldovrand. de Monſtr. Hiſtoriâ.
(*f*) Miſcell. nat. curioſor. ann. 1, Decad. 1, Obſ. 30.

tholinus (*a*). Veſlingius enatam in Patavinâ virgine ad frontem corniculam exſcidit, eamque cornu vaccino æmulam exſcripſit vir oculatiſſimus. Equos cornutos, cornibus nunc deciduis, nunc renaſcentibus ex equili Regis Daniæ eduxit Ol. Wormius (*b*) & pinxit. Sed antè alios omnes videantur hiſtoriæ à Bartholino hunc in finem congeſtæ in tractatu erudito de unicornu (*c*). Hildanus ac Schenkius tanquam oculati teſtes advocentur ſimilium cornuum enatorum.

Nos verò dolet quòd illuſtres illi Medici, dùm rara nimio forſan ardore ſectantur, minùs diligentes fuerint in vitâ, moribus, viribuſque cornigerorum illorum deſcribendis; vix enim ex numeroſis obſervationibus id tantùm colligitur, omnes illos cornutos ex melancholicorum numero fuiſſe, quod an morbi triſtiſſimæ ſingularitati non ſit adſcribendum dubitaverim.

Tùm verò ex pluribus è quibus paucas excerpſi hiſtoriis id mihi apparuit, cornua primùm & præcipuè ad frontem naſci, poſteà ad dorſum, tùm verò etiam ad articulos. Præterea verò alia ex hiſce cornibus intrà cutem radices habere, alia oſſibus ipſis implantata taurinorum more accreſcere. Nec, licèt ulla unquam ſimilia cornua viderim, credere tamen non poſſum ex illis plura à veris cornubus non differre, ſed eſſe tophos, aut protenſas verrucas, aut demùm lamellas unguium more ſibi ſupercreſcentes, adnataſque alias aliis. Nam non raro videre eſt, præſertim in pedibus in quibus compreſſionis quotidianæ effectus ordinem nutritionis interrumpit, ungues ſolideſcere, in molem excreſcere quam ſine noxâ & ſine ſenſu abſcindas & abradas. Nec video tamen quare Bartholino, Veſlingio, Hildano non credam, veram cornu materiam in humanâ naturâ obſervantibus. Priora certè cum Scaligero ad ægritudines referam, ex eo quòd plus in mulieribus & melancholicis obſerventur, poſteriora verò in duas diviſerim claſſes; alia enim, ſi vel à nativitate etiam parvula exſtent, ſed increſcant, monſtroſa dicenda ſunt, ut etiam illa quæ illæſis functionibus ad pubertatis tempus incrementum caperent. Sed quæ, aut poſt morbos, aut inordinatè, ſive oſſibus, ſive cuti implantentur, exordia ſumunt, ea inter ægritudines numeranda, tophique ſunt inorganici, nec inter producta natu-

(*a*) Cent. 1, Hiſt. 78.
(*b*) Olaus Worm. Muſ. 3, cap. 25.
(*c*) Bartholin. Cent. 2, n°. 26.

ralia numeranda ſunt. Cornuum naturalium originem proſequi cùm tot & tanti viri circà eam egregios contulerint labores, vanum mihi prorsùs videtur, & ab inſtituto noſtro alienum. Nec enim ad cutim pertinent monſtroſa cornua, cùm legem in arte ſtatuere non poſſint ; vix ad eorum medelam aliud neceſſarium eſt præter exciſionem, & ſupra eorum oſſeam originem cicatrix adducenda, cute ſi fieri poteſt prolongatâ & protensâ. Verùm cùm non eadem ſit natura cornuum in animalibus, monentibus jampridem Ariſtotele & Plinio, non eadem etiam natura eſt monſtroſorum illorum productorum. Non ergo videnda tantùm ſunt, ſed maturè exploranda, ut conſtet de methodo curativâ quam poſtulant.

At ægritudines illæ quæ cornuum naturam primo intuitu referunt forſan & longitudinem, in eo à vulgarium cornuum caractere differunt, quòd inorganicæ ſint, quòd vel ex inconditâ ſimul aggeſtâ materiâ, tophorum in morem conflentur, vel laminis ſibi ſuperpoſitis ſenſimque accreſcentibus conſtent, in quibus laminas diſtinctas facit ſucceſſiva accretionis forma ; compreſſionis verò adventitiæ phœnomena deprehenduntur in moleculis malè aggregatis, annulorum inſtar, hinc indè ſeſe ſuperſcandentibus. Cornua certè quæ hoc mererentur nomen, nunquam vidi, ſed varias excreſcentias in corpore & cute humanâ innaſcentes & extrà cutem formâ ſingulari ſuccreſcentes quis non vidit ?

Eorum autem ſuperfluorum corporum extra cutem longè prominentium prima claſſis ab origine trahunt natalia. Hæc cum nævis maternis confundere licet. Alia partem ſuperfluam organicam conſtituunt, ut ſextus digitus, nunc in pede, nunc ad manum, etiam tranſversìm poſitus, oſſiculo conſtans & ungue, ſed nullo nec tendine, nec muſculo, ut vidi. Alia demùm partem inorganicam referunt ſuntque cutis vitia, ut tubera inſenſilia aliquandò penè cornea & cultro reſcindenda, & recreſcentia. Hæc vulgò ſuperficiem granulatam, mororum ad inſtar, referunt, interiùs lævia ; ſed aëri expoſita, hæc lævitas perit & brevì granulorum agglomerationem pariter referunt. In cute ſolâ hæc ultima naſcuntur & cum eâ mobilia ſunt. Corpora ſimilia equis ſecundùm naturæ ordinem in quatuor cruribus contingunt, calloſa ſunt, pendentque à concretione & compreſſione textûs reticularis illiûs malpighiani, unà cum terreâ epidermide quæ organiſationem & formam amiſit. Illa curatui difficilia ſunt, ſine cicatrice ; baſim enim

enim latiſſimam obtinent, nec niſi cute deſtructâ deſtrui poſſunt.

Verùm alia eſt forma ſecundæ claſſis earum excreſcentiarum quæ ſcilicet corpore adulto, & cute jam firmâ, ipſam deformant. Primæ, & quæ maximè communes, verrucoſæ ſunt, & ex verrucis ſuprà ſe invicem aggregatis & in cumulum enormem ſæpè ſibi mutuò inſidentibus naſcuntur. Hæ poſteà, prout à centro magis magiſque diſtant & ad aëra exponuntur magis, eò etiam plus indureſcunt, tenuanturque ac firmantur, ita ut cornu jam referant. Eorum involucrum ex lamellis conſtat. In medio vulgò cavitas non una, ſed plures exiguæ. Aliquandò propè cutem ſanguinem fundunt, &, ut verrucæ, ab involucris papillarum nervearum pendent induratis, imò aliquandò ſcirrhoſis. Sæpè evenit ut in illis reſecandis ad punctum unicum quaſi centrale perveniatur : ibi verò dolor exoritur atrociſſimus, nec facilè ſedandus. Aliquandò pro unâ reſectâ, ut in arborum ramis, mille repullulant ; fitque horrida cancri facies, cujus non unam præcipuè in vultu, labiis, ad oculos toties vidimus, depinxeruntque Chirurgici auctores Hildanus, Stalpart, Vanderwiel & antè alios M. Aurelius Severinus. Certè duritiem ſic prominentem pro corneâ haberi ſubſtantiâ non vetamus, modò ejus originis memores in eâ curandâ metum prudentem admittamus. Poteſt autem fieri ut plures eodem tempore in cutem variis in locis emineant, præcipuè iis in partibus in quibus compreſſio verrucis locum dat ; undè non mirum eſt quòd primi qui de cornibus extrà cutem prominentibus locuti ſunt, ut Avenzoar, ea pro melancholicis tumoribus habuerint, & lapide curandis lazuli. Spiſſior enim eſt in atrabilariis humorum craſis, præſertim tenuiorum, qui ut parci ſunt, ita ferè ſolidi. Ineſt etiam illis acidum quoddam, acrimoniam ſummam contrahens, ſi in motum per vim circulationis agatur, coagulans, ſi iners ſuperſit. Undè obſervatio vel conſtantiſſima demonſtrat melancholicos verrucis obnoxios eſſe ; ſed de verrucis alibi. Satis ſuperque ſentient Medici multò plus in hiſce cornubus ſanandis, poſt accuratam eorum reſciſionem, dandum eſſe balneis atque diluentium uſui pervicaci, quàm aut lapidi lazuli, aut veratro, aut aliis potentioribus medicamentis quorum vis in partem inorganicam nulla eſt.

Secunda horum cornuum ſpecies calloſa eſt. Nam etſi callus compreſſione natus & à plurimis epidermidis lamellis ſibi mutuò inſidentibus conflatus, vulgò potiùs aliquam extenſionem ſuperficiei

quàm molis prolongationem obtineat, exempla tamen dantur clavorum, ſeu callorum multùm prominentium. Horum in centro ſæpè ſtat maſſa prorsùs inorganica circà quam cæteræ cumulantur, tuncque quidni excreſcat immenſum in volumen callus? Si compreſſio in vicinis augeatur, in parte jam compreſsâ ceſſet. Certè ſumma eſſe debet indolentia in calloſo corpore. Verùm aliquandò & quo tempore præſertim tempeſtates immutantur, aut varietates in eâdem tempeſtate ſummæ exurgunt, dolere debent, imò & ab ipſo doloris augmento incrementum debent ſumere. Illa cornua ſi eo nomine increſcentias ſimiles donare decet, nullum dolorem in reſcindendo ad uſque baſim concitant, imò nullum aliud ſibi remedium expoſtulant præter balnea & cataplaſmata emollientia indeſinenter parti appoſita, eamque ita foventia ut extra feratur baſis calli, ſolutâ compreſſione. Undè certè omnium horumce cornuum ſpecies hæc minùs difformitatis affert & minùs ad exſcindendum periculi.

Tertia verò ſpecies ab oſſibus ut plurimùm profecta, cutim ſenſim diſtendens, eamque ſenſim dilatans, tandem ita perrumpit, ut in ſe reflexa & ad margines tophi videatur quaſi tumefacta. Id aliquandò non raro exemplo accidit ad articulos arthriticorum longis arthritidis doloribus confectorum, ita ut toti intorqueantur illorum articuli, nec digiti quos chiragra contudit formam priſtinorum digitorum retineant, ſed toti hinc indè protuberent, & calx illa oſſea ſine dolore aliquandò magnâ copiâ ex iis educatur, remanente loco vacuo quem brevì eadem explet materies. Similes inconditos & inordinatos tophos, materiem calcaream ſummâ doloris violentiâ emittentes ſæpè ſuis ab oſſibus extuberare mirantur ſiphilide veteri præſertìm languentes; & ſcrophuloſa, aut venerea ut plurimùm ſpina ventoſa, hiſce malis non caret, ita ut aliquandò cryſtalliſationem æmulentur tophi, aliquandò ſpinas, quidni & cornua? quæ ſi contorta, arietina videbuntur, ſi directa & nodoſa, taurina dicentur, imaginationis vi aliquandò veros ſupplente defectus. Certè ſpinas in oſſibus ſic naſci & indè cutem terebrare non adeò rarum; quæ ſi ſpinæ in cute & in textu cellulari naſcantur, quidni referant, raro & apud Anglos celebri exemplo, hyſtricis Africanæ formam, ut in illo viro quem ſub nomine *porcupineman* diaria Anglica deſcripſerunt. Poſſunt enim ſpinæ illæ mobiles eſſe, aut à ſubjectis muſculis, aut à ſtructurâ ſubmuſculari cutis non inauditâ, nec incognitâ.

Adſit enim, notante Cl. Ruſſel, verſus pubertatis tempora ingens muci plaſtici proventus, adſit in quâlibet ætate acidum in humoribus prædominans, cum terrâ oſſium in ſeleniticam naturam converſus, quidni ita ſelenites, aut ad ſuperficiem oſſium mollefactorum, aut etiam in textu cellulari depoſita exuberet? Tunc causæ inorganicæ & extra ejus actuoſitatis ſphæram poſitæ nullos creſcendi limites imponet natura. Aëre excepta ſuperficies exſiccabitur, in reſcindendo nullus exurget dolor. Si quamcumque artem velis experiri, ſalinis alcalicis cauſticis ad uſque excreſcentiæ baſim adactis velim curare, ut ſtructura ipſa deſtruatur. Tùm etiam interiores corporis humores ita velim immutari, ut omnis acidi intra ſanguinem extantis tollatur ſuſpicio. Undè ad hunc finem velim plures per annos aquis mineralibus alcalinis factitiis ita ægrum ingurgitari, ut tamen ab earum uſu nulla, aut ſtomacho concoquenti, aut ſanguinis moli labes inferatur. Diætam imperarem anti-acidam, roborantem, eamque tenuem, ne ingruens cacochymia novas morbo radices ſuppetat. Id ex conjecturâ tantùm, & veriſimilia proſequendo proferam. Nam ſi unquam aliquas hujuſmodi excreſcentiarum formas viderim, pendebant illæ ab evidenti veneno venereo in oſſeam partem depoſito. Præterea rara non ſunt artis, & de iis tantùm loqui utile credidi quòd juſtæ exprobrationi noluerim ſubjici, ſi aliquid quod ad cutem pertineat prætermiſerim, cùm tot præſertìm & adeò fide digni auctores ad haſce enarrandas ſibi viſas hiſtorias tempus inſumpſiſſe crediderint utile.

CAPUT II.

De Vitiis in ipsâ cute naſcentibus quæ formam cutis deturpant.

UT in ipsâ cutis ſubſtantiâ naſcuntur ſæpè vitia quæ fundo ipſiûs penitiori labem inferunt, ita alia eſt claſſis malorum quæ intimum ejus textum non attingunt, ſed ipſiûs ſuperficiem quaſi lambentia, gratiam & decorem ejus deturpant; eòque magis à nobis aliquam merentur attentionem, quòd cùm affligant in magnâ functionum integritate, plus curæ & ſollicitudinis dant, præſertim pulchro illi ſexui, cui decor & lepores pro magnâ felicitatis

parte habentur. Indè tot empyrica remedia, tot methodi metuendæ, quarum minimum ſcelus eſt, quòd ab earum uſu præpoſtero malum invaleſcat: etſi enim vitia de quibus nunc agimus, in ipsâ cute naſcantur, nec altiùs radices infixas habeant, ſi deſtruantur immaturè, non vacant tamen omni periculo. Poſſunt etiam vitia à cute incipientia & repelli, & altiùs propagari, cùm fieri poſſit, ut ipſa cutis conceptum fomitem partibus etiam internis inſinuet, hientque ſub epidermide tot abſorbentium vaſorum millia quæ venenum à causâ externâ in cute factum & educatum, reddant ſanguineo fluento. Quod ſi aliquâ probatione indigeret poſt erudita Abr. Kaw Opera, poſt Hippocratis & antiquorum ſancitas obſervatione leges, & inunctionum mercurialium efficacia, & luis varioloſæ methodus inoculatrix ſatis demonſtrarent. Verùm non omninò mirandum eſt, ſi tam pauci auctores de iis de quibus nunc agendum eſt morbis fusè tractandum cenſuerint. Cùm enim illibatâ cæteroquin ſanitate effloreſcant, fatendum eſt paucis omninò de corporis externâ decoratione agentibus, partes has ſuſceptas fuiſſe, gravitatemque medicam his nugis turpe duxerunt ſacrare, quæ tamen neglectæ nugæ ſeria poſſunt mala adducere, officere perſpirationi, coctiones peſſumdare, cachexiam invehere, & in corporis deformitate mentem afficere melancholiâ.

ARTICULUS PRIMUS.

De Stigmatibus, Exanthematibus, & Papulis à ſolo cutis vitio pendentibus.

Stigmata græcè στιγμα, macula, punctum quo quis inuritur à στίζω pungo, vulgò habentur pro notis per artem impreſſis, quæ notæ olim ſervis inurebantur non bonis & frugi, ſed illis qui ad fugam erant propenſi: barbari pariter hæc ſibi inurebant ſtigmata, apud quos illud pro ornamento erat. Hinc ſtigmatias dicebatur ſervus vilis & contemptu dignus (*a*). Undè etiam ſtigma apud Latinos metaphoricè dicebatur infamia (*b*). Sic etiam epigrammata & verſus maligni dicebantur ſtigmata infligere, ut apud nos dicuntur pungere *piquer*. In eorum manibus qui militiæ adſcripti erant ſtigmata notabantur (*c*). Idem & fabricenſibus fiebat, omnibuſque quos intererat latitantes agnoſci. Sed quo pacto

(*a*) Cicero lib. 2 offic. 25.
(*b*) Sueton. in Jul. Cæſ.
(*c*) Veget. de re militari, lib. 1, cap. 8.

inurerentur illi, an ſignis igneis, an tinctura è ſuccis plantarum? Certè ſi priori methodo inurebantur, deleri non poterant, ſi poſteriori, erant ſæpè renovandi, cùm per ſe delerentur. Hanc tamen poſteriorem methodum plus viguiſſe crediderim, nam Seneca de Philippo ait (*a*) mandaſſe illum Pauſaniæ, ut ingratiſſimo hoſpiti ſtigmata inſcriberet. Porrò indignatus Seneca exclamat: dignus certè fuit cui non inſcriberentur litteræ, ſed inſculperentur. Præterea Aëtius (*b*) remedia ſcripſit ad delenda ſtigmata, & Plinius ea ait ſimo columbino ſanari, quæ notat poſſe ſine cicatrice deleri.

Verùm apparet ex Aëtio methodum ſtigmata inſcribendi non unam fuiſſe. Nam & de ſtigmatibus ſimplicibus loquitur, & de iis quæ acûs punctura infligebantur, dein tinctura adhibebatur ex ſucco acaciæ Ægyptiacæ & atramento; eaque erant ſtigmata quæ militibus apponebantur ut honorifica, nec delenda. Videtur verò Aëtius etiam ſtigmata vocaſſe quod nos vibices appellamus, notaſque à verberibus frequentibus inflictas, in quibus poſt diſcuſſum dolorem remanet ſæpè nunc tumor, indurato ſub cute textu cellulari, nunc depreſſio, eodem contrà inanito & ſolidato. Verùm res apud nos raro occurrit, ſed videntur apud antiquos verberonum ſervorum humeri & ſtigmatibus & callis inſignes, quùm effræna herorum ſæpè ſervis pejorum licentia in eos ſæviret, nullo legum coercente freno. Quidquid verò ſit de iis chronicis verberum inſigniis, certè medicamenta quæ & Aëtius, Archigenes, & P. Ægineta (*c*) circà ſtigmata commendarunt, ea rubefacientia ſunt, & nata phlyctœnas in cute concitare, imò & latam atque ſuperficiariam ſuppurationem, qualis, ſi continuata horum fiat applicatio, à thymelæâ & cantharidibus excitatur. Nam medicamenta illa & calcem vivam & auripigmentum & natrum recipiunt, nec natrum ſimplex, ſed calcinatum &, ut aiunt veteres, exuſtum. Ait inſuper Aëtius idem medicamentum valere ad tollendas myrmecias, ſeu maculas cutis nigricantes. Certè de ſtigmatibus quæ apud nos non pœnæ, ſed ludi gratiâ multi ſibi inſculpi ſtudent, & quæ vulgò in brachiis, aut femoribus geſtantur, ut apud Melitenſes ſatis moris eſt, & equitibus illis junioribus qui Melitam navigarunt videtur ludicrum, præſcripta

(*a*) Lib. 4, de re benefic. 37.
(*b*) Tetr. 4, Serm. 4, cap. 12.
(*c*) Paul Ægin. de re Medicâ, lib. 4, cap. 12.

ab Aëtio medicamenta nunquam ad hæc ſigna delenda ſufficerent. Cutim ſcilicet pungunt leviter acu acutiſſimâ, ita ut è ſingulis punctis aliqua ſanguinis guttula exiliat. Levia hæc vulnera pulvere complent pyrio, illumque leviter inflammant, ita ut hepar ſulphuris inflictas plagas repleat. Tinctura fit altior totam cutem ita penetrans, ut ſine ejus ſubſtantiæ deſtructione nunquam poſſit tolli ſimilis macula ; adeòque certè græcum illud medicamentum vanum hìc foret prorsùs.

Verùm Tartari, ſeu potiùs Scythæ ſibi apponunt pigmenta coloris diverſi ex variis herbarum ſuccis conflata. Hæc forſan, ſi non ita altè penetrent, deleri poſſint, ſed quod ex tithymali, ficûs ſuccis, toxicodendro, aliorumque cauſticorum impreſſione cuti ſignum imprimitur, ſolo tollitur tempore ; ut quotannis videmus manus earum fæminarum quæ eruendis nucibus & ex primo cortice eximendis inſudant ; nigerrimas fieri ; at poſt paucos menſes detrita epidermis, mucoſuſque textus novum colorem accipiunt, quem ſi tamen citiùs tollere volueris, lixivio alcalino manus lavare pluries in die ſufficiet. Aliquandò ferro ignito ſolo ſtigmata inuruntur, ut moris eſt apud nos iis humeros comburi ſceleratis quos ad remos tribunalia damnant. Veſtigia ſuperſunt pauca, ſed combuſtâ & addenſatâ cute inſanabilia, niſi cicatricem novâ cicatrice velis detergere. Suppuret enim hoc in caſu cutis neceſſe eſt, & cellulæ ad ſe invicem adducantur. Quam tamen operationem aliqui ſubire maluêre, quàm triſtes præteriti ſceleris reliquias circumferre. Verùm hæc ad decorationem potiùs corporis quàm ad ejus ſanationem pertinent.

Non dicendum idem eſt de vibicibus quas flagra & verbera potiùs in textu cellulari quàm in cute relinquunt ; quæ omnia poſſunt ſtadia percurrere à leviſſimâ phlogoſi ad graviſſimam uſquè inflammationem, imò & gangrænam. Sed quædam hìc intercedit differentia inter cæteras inflammationes & illam de quâ conquerimur. Nam hìc ne erethiſmus gravis ſæviat, impedit ipſa vaſorum contuſio, undè ſtupor quidam oritur & vix ullus, niſi ad motum, dolor. Verùm ubi jam reſtitui incipiunt vaſa & reſolutio fieri, tunc enormes exoriuntur dolores & veri cruciatus, hinc nervis compreſſis, illinc diſtentis, & textu cellulari in immenſum creſcente. Fovenda certè cutis emollientibus primùm, poſteà tonicis reſolventibus, omniaque facienda tùm ad cruorem

reſolvendum, tùm ad vaſa reſarcienda, quæ plurimi tractatus de tumoribus docent. Ad nos verò materies illa non ſpectat. Si qui tamen ſuperſint à vibicibus inflictis tumores, ii etiam lentò reſolventium farinarum uſu tolluntur, at farinæ illæ vino incoquantur, aut decocto foliorum atque radicum reſolventium, ſigilli ſalomonis, thamni racemoſæ, bryoniæ, aliorumque ſimilium. Præterea verò addenda, interiore uſu, diluentia leviter tonica, qualia ſunt folia theæ, bugulæ, ſaniculæ, eupatorii, virgæ aureæ, aliorumque multorum.

Scire ſimul licet nulla hìc in cute læsâ & incaleſcente eſſe emplaſtica admovenda, quæ qualitate ranceſcente nocerent certiſſimè & ſuppurationem atque lacerationem partibus diſtentis inducerent. Quæ ſuppuratio in parte malè diſpoſitâ & ferè laceratâ non facilè in bonum pus adduceretur. Idem eſto judicium de ictibus à fuſtis, à baliſtis non penetrantibus, quæ omnia non aliâ ratione agunt quàm contuſionem inducendo vel peſſimam, vel levem. Hæc porrò accidentia apud Chirurgos auctores fusè deſcripta habentur. Satis ſit ſciviſſe in hiſce malis nil melius eſſe, nil plus conferre, quàm ſi recenti malo & inflammationi adhùc crudæ ſuccurratur, per opportunum venæ ſectionis repetitæ uſum; cùm experimentis Lewenhoeckianis primùm, dein etiam Hallerianis nil plus impactos in vaſorum extremis globulos revellat venæ ſectione. Undè etiam palleſcunt à venæ ſectione partes afflictæ. Tùm etiam prohibendum ne homo alioquin ſanus alimentis ſeſe ingurgitet, quibus cruda in vulnus aggererentur, & reſolutioni obices ponerentur vix ſuperandi.

Exanthemata verò, ſeu papulæ, in corpore cutis naſcentia, ſine ullo ab internis repetendo nixu depuratorio, rara ſunt, cùm cutis inter organa ad depurationem comparata & ſecretoria præcipuum ſit, ea autem exanthemata de quibus nunc agimus ad cutem tanquam corporis univerſale tegumentum pertineant, & à cauſis ipſi peculiaribus pendeant.

Cauſæ ergo illæ nec ab alimentis, nec ab animi affectibus, nec à ſomno petendæ ſunt, ſed tantùm aut ab acris ſuperincumbentis actione, aut à diverſis in cutem illabentibus. Ab hiſce quidem ſolis cauſis omnia exanthematum genera de quibus jam alibi fusè locuti ſumus poſſunt effingi, hydroa, maculæ, papulæ, ephelides, puſtulæ, puſtulæ ſuppurantes, phymata, *αμυχαὶ, φλυζαχιὰ, ἀμοχωδεα εξανθὶσματα* (Coacarum), & omne horum omnium

genus de quibus jam fusè, ut à causâ interiori pendentibus, egimus. Verùm rarum eſt hæc, ſi præſertim notabilia ſint, à cauſa exteriori concitari, ſine concurſu & conſortio interioris cauſæ. Quæ ut dignoſcantur, ſummoperè attendendum eſt ad diagnoſim cauſarum & ad diſcretionem ſymptomatum cuique cauſarum generi eſſentialium.

Frigoris actio cutim, criſpatione inductâ, & fluidis hærentibus, in granuloſos tumores elevat: gallinaceam cutim dicunt noſtrates; hi ad calorem foci levioris brevì concidunt & extinguuntur. Accedat ex altis penetralibus corporis accitum vitium, quidni phymata, furunculi, exanthemata naſcantur?

Caloris actio in cutem pariter illi tumores novos conciliare poteſt. Omnis humorum moles, omnis ſolidorum compages, ſenſilitas ipſa cutis ad furfures primùm, dein eryſipelata, phlegmonas demùm producendos concurrunt, mutatâque totiùs corporis diatheſi & in inflammatorium versâ vitium; quid mirum ſi vibices, anthraces & peſſima quæque mala in cutem eliciat calor externus?

Nulla enim eſt ad putredinem magis apta diſpoſitio. Nulla ergo ad ſuppurationem magis inclinata inflammatio, quàm quæ à calore pendet. Sed jam cutim quaſi malorum altricem incuſare non licet. Mulieribus gravidis ſæpè cutis ſic deturpatur, ut matronam nobiliſſimam in nigritam prorsùs converſam obſervaverim; ſed nigredo illa à graviditate & compreſſione partium orta, pigmentique nigri quod undiquè intra corporis organa reperitur deviatione, nihil cum cute commune habebat, niſi quòd illa vitium aliundè natum ſuſcepiſſet, & oculis videndum exhibuiſſet, ut qui ſæpè ab intenſo frigore in non aſſuetis naſcuntur icteri; hi à concretâ bile pendent, cutem tantummodò maculis contaminant.

Verùm directiùs agunt in cutem externa illabentia, ſive illa ex vegetabilium, ſive ex animalium genere ſint. Ea verò ex genere pungentium, aut contundentium, aut irritantium ſunt. De animalium puncturâ alibi agendum erit. Pungentia vegetantia, aut mechanicè agunt, aut vi irritante. Sic rubi, ſpinæ roſarum, milleque alia veprium genera, vulnus evidens inferunt: ab his ſanguis educitur, plagâ quidem ſimplici, quamvis inſtrumento vulgò circulari adeòque contundente inflicta ſit. Undè brevì cicatrix inducitur, ſed non ſine aliquâ inflammatione, quæ præ volumine corporis

corporis pungentis, non pus, ſed guttas aliquas levis ichoris fundit, niſi à corporis fundo, humorumque vitio hìc, veſicantium more, nova accerſantur ſymptomata. At duplex eſt adhùc forma pungendi in infixis vegetantium foliis atque ſtipitibus, ſpinis dicam, an corporibus ſimul tenuiſſimis rigidiſſimiſque, & inſtar ſpiculorum agentibus; tales ſunt urticæ ſpiculi, tales ſunt phaſeoli illiûs Americani quod vel leviùs illitum manui pruritum illicò excitat; tales ſunt aliæ multæ plantæ quæ ſub quovis cœlo reperiuntur. Infixæ illæ videntur urere ad ſenſum : adeò fortis eſt vehemensque quem concitant pruritus. Tùm verò cutis non rubet tantùm, ſed & in papulas elevatur; quæ ruberrimæ, & in medio apice perforatæ.

An verò ſolæ tenuitati rigiditatique hamatæ ſpiculorum illorum, an etiam liquori ab urticis exſilienti puncturæ atque uſtionis ſenſus debeatur ambigi poteſt. Verùm hæc omnia ſymptomata brevì ſolutione cùm ſanentur & furfure indè nato, ob epidermidis ſeparationem quæ, quoties tumor aliquis adfuit, neceſſariò ſequitur, cum oleo amygdalarum dulcium vel olivarum illito facilè curentur, imò & aceto mitigentur facilè, nullam videntur altam impreſſionem cuti infligere.

At alia eſt impreſſio pleniùs irritans & vi cauſticâ agens quæ etiam in cadaver calefactum aliquam impreſſionem excitat. Hæc videtur agere cellulas textûs mucoſi deſtruendo forteque eryſipelas inducendo. Talem vim in reſinis quibuſdam lacteſcentibus reperias, tythimali, toxicodendri, lacte flavo chelidonii majoris, lepidio qui ad tollendas λεπίδας, ſeu maculas nomen accepit. In lacte ficuum aliiſque multis pariter invenitur, ſed præcipuè in cortice thymeleæ ſuperat; hic enim vincula epidermidis criſpando rumpit aliquandò cum vix ullo doloris ſenſu; aliquandò ſæviùs, liquoris cauſtici inſtar, rubefacit primò, ſervatiſque omnibus eryſipelatis gradibus phlyctœnas attollit, & ſi diutiùs in cutem agat, aut, quod melius eſt, renovetur ejus actio, eſcharam inurit. Undè ſub eſcharâ inflammatio, irritatis naturæ viribus, exoritur, & vera ſub ipsâ eſcharâ ſuppuratio. Agunt enim cauſticæ hæ ſubſtantiæ in ſolida ea criſpando primùm, dein etiam lacerandò, & liquorum affluentium mutant texturam coguntque in liquidum irritans. In iis indè ſubſidium quærit ars medica quo artificioſam efficiat per cutanea vaſa depurationem.

Alibi locus ſeſe offeret de cantharidibus loquendi. Nunc

tractantibus de vitiis cutis à cauſis externis in illam impulſis, brevis ſaltem injicienda mentio de mutatione quam ipſi inferunt aquæ ſtygiæ venenatæ, aut ſimplices, aut metallis imbutæ : quid acidis illis contrarium alcali in cauſticam evectum calcis additæ ope efficaciam poſſit efficere, quid demùm calx viva aliaque ſic jure meritòque dicta cauſtica intentare poſſint perpendendum eſt.

Omnia hæc primùm ſpiculis acerrimis atque venenatis ſolida lacerant. Sed prætereà acida potentiſſima ſerum liquidum quaſi vorant & ſorbent, terramque animalem ex unione ſuâ præcipitem agunt. Alcalia & calx viva mucum deſtruunt animalem, terræque locum invadunt & occupant. Sciunt Chirurgi, quanta eveniant mala, ſi immoderatiùs hæc fuerint applicata. Tota deſtruitur organiſatio quâ cutim contigêre. Intereà partes metallicæ ſolæ ferè & ab acidis penè liberæ remanent, ita ut ſi tinctura metallica multâ aquâ mitificata vim amiſerit cauſticam violentam, jam eſcharam profundam non inuret, ſed maculam ſolam altè imprimit quæ ſuum referet metallum v. g. violaceum ab auro. Soli ſpiritui nitri id peculiare, ut quas attigerit partes flavo colore imbuat.

Senſim quidem detritâ epidermide & textu reticulari renovato maculæ illæ avolant, ſed his etiam leviùs appoſitis ſtatim ſtupor in parte affectâ exoritur, induratis evidenter epidermide & textu reticulari. Id verò probat ea omnia ſalium more agere, quòd niſi ſolvantur aquâ, aut ſaltem eâ tantiſper diluantur, actio eorum nulla eſt. Eorum etiam actio mechanica & ſalina per ea experimenta demonſtratur quibus conſtat cadaveri admota cauſtica, licèt calore & liquore vitali non fota ſint, tardiùs, ſed certè tamen eſcharam inurere (*a*) : quorum experimentorum ſeriem ſcire qui voluerit, adeat acta Acad. Regiæ Scientiarum. At in vivis quò tenerior cutis, eò profundior eſchara, quò durior & arida magis, eò efficaci cauſticorum actioni reſiſtit ampliùs. Hæc pauca ſufficerint de materie fuſiùs ab aliis tractatâ.

ARTICULUS II.

De Maculis indolentibus in cute naſcentibus.

Maculatam cutim uno & variis in locis ab humano, ſeu potiùs vulgari colore abludentem videre ita familiare eſt, ut vix niſi vitium notabile hæ maculæ afferant, ad eas attendatur.

(*a*) Acta Acad. Reg. Sc. 1732.

Verùm macularum illarum aliæ parvæ ſunt, aliæ grandes & totam cutim commaculant, paucis exceptis intervallis ; aliæ colorem naturali proximum ſervant, aliæ ruborem, nigredinem, violaceum colorem affectant. Quarum ut natura & cauſæ intelligantur, notandus eſt antè alia omnia ſtatus cutis nativus qui non colore ſolùm quem norunt omnes, ſed quâdam ſanitatis notâ viget, nitet, floret ; qui flos, quamvis ad juventutem præcipuè pertineat, in omnibus tamen ætatibus ita reperitur, ut potiùs amiſſus agnoſcatur, quàm præſens reperiatur. Hic eſt ille Græcorum (*a*) ανθος χρῶιας qui ubi in amicis extinctum videmus, ſollicitos quærere cogit, an valeant ? an quid illis diri contigerit ? Nam florem illum animi pathemata deſtruunt etiam. Eum in ſanis deſtructum videre ſi volueris, aſpice homines è carceribus aut mineris recens egreſſos ; his cutis flaveſcit, etiam per ſpatia, & ſæpè non in univerſo corpore : imò melancholici etiam ſine ullo alio vitio aliquandò etiam ſimilibus cutem habent deturpatam. Undè Plautus, *viden' corpus totum maculis fœdari luridis, atrabilis vexat hominem.*

Quin etiam ſæpè fit ut cutis, ubi nitorem perdiderit, rursùs dùm eum recuperat, per ſpatia pariter illum recipiat & in ſpatiis illis jam nitor & cutis color naturalis, in his priſtina fœditatis nota per magna intervalla remaneat. Imò per totam vitam vidi maculas ſimiles à primâ origine permanſiſſe. Hæc autem cùm in hominibus cæteroquin valentibus accidant, ſi inquiſieris à quânam pendeant origine, pronum erit reſponderi ab aliis, neſcire ſe, ab aliis morbum aliquem incuſari & languores toleratos. Verùm hæ maculæ ubi per aliquod tempus duraverunt, parum negotii faceſſunt Medicis ; cùm enim à causâ jam longè ſemotâ pendeant, vaſaque cutis & priſtinam figuram & tonum antiquum mutaverint, nil ſupereſt agendum.

Si autem cauſa præſens adſit cum effectu proportionem ſervans, hæc cùm ut plurimùm interna ſit, cùm ſibi propriam illa curationem vindicet, ſublata illa cutis pariter tollet marceſcentiam & delebit maculas. Accidit ut, licet cauſa vehemens emendetur, remaneant tamen in cute maculæ altiùs & extra centrum activitatis medicamentorum impreſſæ. Memini me vidiſſe hominem qui omnibus ſimiles cutis maculas oſtendebat, quas ſibi ab empyrico poſt hauſtum validum purgans aiebat inflictas

(*a*) Alexand. Trallian. lib. 12, cap. 4.

nullâ delendas arte. Alias nigricantes plurimas hùc & illùc diſperſas vidi in homine ſaniſſimo, cui imprudentiùs arcanum ex auro & mercurio porrectum fuerat.

Cauſa igitur illarum macularum in cutis concidentiâ repetenda eſt & ariditate ejuſdem, aut per vacuationes arte & ſpontè factas provocatâ, aut per longam diuturnamque ſpaſticam ſtricturam; vel demùm à vitiatis imò deſtructis quâcumque viâ quâcumque ratione coctionibus, pendet vitium illud maculoſum.

Diagnoſis evidens eſt. Cauſæ ex ſymptomatibus & notitiâ præteritorum aucupandæ. Prognoſis, niſi ad fœditatem, ſimplex: ſi quæ verò ſperari poteſt curatio, ea in diluentibus, balneis, uſu moderato alimentorum eupeptorum, euchymorum quærenda eſt, aëre ſubmiti, non ab æſtu inclementiùs vexato, ſed præſertim ſubhumido & frigidiuſculo, qualis eſt inſularum, præcipuè ſi à tali victu exulent fortiores animi affectus. Pariter ſtudia acriora, uno verbo, omnia quæ ex Sanctorii & Gorteri præſcriptis valent perſpirationem interturbare, vel ob ſubitam vaſorum concidentiam, vel propter ſpaſmum eorumdem habitualem fugienda ſunt.

Nec eſt tamen cur hìc diutiùs inſiſtamus circà monſtroſas quaſdam maculas quæ natura aliquandò, ſi fas eſt credere, produxit, ut ait Aulus Gellius Ptolemæum in triumpho Alexandrino produxiſſe hominem ex albo & nigro ita variè diſtinctum ut horrorem omnibus incutierit ſpectaculum illud. Nec ergo de colore nigritarum qui naturalis eſt, nec morboſus, injicienda quæſtio eſt. Omnes hæ colorum varietates quæ genus humanum diſtinguunt ad textum reticularem Malpighii pertinent, qui nunc pigmentum atrum recipit, nunc fuſcum & ſubflavum, nunc rubeſcentem. In eo tota differentia eſt repoſita, ita ut etiam poſſit in textu reticulari liquor alienus intromiſſus maculas efficere.

Verùm præter maculas illas univerſales aliæ ſunt adhùc contrà naturam perpendendæ, quæ non à formâ ſolùm, ſed à colore diverſitatem trahunt.

Primæ de quibus agendum eſt eæ ſunt quæ non perpetuæ, ſed aliquandò ſeſe occultantes, aliquandò contrà magnâ violentiâ cutem vitiantes eumdem tamen ſemper locum occupant. Hæ, ſi flavæ ſint, vulgò bilioſæ nuncupantur; ſi fuſcæ, ad atram bilem referuntur; ſi albidæ & pallidæ in cute benè coloratâ diſtinguantur, lymphaticæ & pituitoſæ dicuntur (*a*). Licèt enim maculas ad faciei

(*a*) V. Galen. de Simpl. Med. 7.

morbos videantur veteres ſub nomine (*a*) των λεπίδων exulare juſſiſſe, non tamen minùs in omnibus corporis partibus apparent. Præcipuè verò emicant in gravidis quarum jam dixi me unam vidiſſe totam nigredine perfundi, cujus in gratiam cùm plura ſimilia exempla conquirerem, ut mulieri afflictæ illud ſaltem afferrem ſolatii, ſæpè numero mihi contigit non unam videre quæ ſimilibus maculis hanc illamve partem deturpatam haberet.

Verùm, etſi illarum macularum exortus ſit in cute & illis præſertim contingat qui cutem, ut ait Hippocrates (*b*), ἁλμυρώδεα habent, *ſalſuginoſam*, tamen evidens eſt illas in humorum vitio depuratorio conſiſtere, perſpirationemque potiùs quàm cutem vitiari : undè & textui mucoſo reticulari labes delenda infligitur. Præterea verò antequam de naturâ macularum iſtarum pronuntietur, ſumma cura habenda eſt, præſertim in flaveſcentibus & albidis, ne pro maculis habeantur ſuperficiarii herpetes ; nàm ſæpè ſic larvati incipiunt illi. Herpetica aut lichenoſa eſt natura macularum illarum quæ ſæpè mentum genaſque mulierum etiam benè valentium, exaſperant, & colore mutato, vultum anteà candidiorem per partes commaculant ; larvam mulierculæ vocant ab iis miſerè reformidatam. Cæteroquin in noſtram opinionis partem veniunt antiquiores magiſtri qui maculis iſtis ingentem remediorum apparatum ſuadebant, ex illis quæ ad humores detrudendos atque corrigendos apta libros complent & methodos medicinales.

Aliæ maculæ eæque perpetuæ, licèt aliquandò fortiùs emicent, aliquandò ita debiles ſunt ut deliteſcere videantur ; eæ ſunt quas vernaculâ linguâ *taches de vin*, maculas vini appellant. Has vitium in ſubſtantiâ & efformatione cutis crediderim ; cùm eæ omnes à nativitate ortum trahant, nec ullas unquam viderim, niſi ab origine & nativitate connatas. Eas porrò, licèt maculas vocent, ad tumores potiùs ablegaverim. Turget in iis plexus vaſorum ruberrimorum, deeſt illis locis textus reticularis, adeſt epidermis tenuiſſima. Inter plexus illorum vaſorum adſunt ſæpè, acini in morem, tubercula tenuia, rotunda, pariter rubra. Nec in iis forma eadem : ſunt enim quæ rubent intensè & in motibus ingentibus tùm animi, tùm corporis videntur inflammari, ut gallorum gallinaceorum criſtæ. Aliis color fuſcus ad venarum cutanearum colorem accedit, & à plexibus venoſis videntur præcipuè conflari. Sunt quæ tumeant

(*a*) Euſt. Rudius, lib. 2, cap. 4.
(*b*) Lib. 6, aph. 12.

in motu, quæ ſub hyemem liveſcant : æſtivo tempore, ubi rareſcunt omnia, videantur pariter rareſcere & tumefieri, undè vulgaris fabula ea effloreſcere, cùm vitis flores concipit.

Vitium illud vix ullis phœnomenis diſtinguitur, nec variabile eſt : augeri volumine, ſeu potiùs ſpatio pro corporis magnitudine ſæpiùs videtur. Palleſcit in morbidis & languidulis ita ut in cadaveribus, ſaltem recens mortuis, vix niſi aſperitate notetur. In putreſcentibus reviviſcit nigredine notabili, ita ut vitium merè organicum videatur. Senſilitate nedum cæteras cutis partes antecellat pars maculata, contrà videtur eis minùs ſentire, licèt facilè laceretur & ſanguinem fundat, nec ſuppurationem tamen concipit. Juvenibus puellis, dùm menſtrua eruptionem minitantur, intenſius maculis illis color eſt, minùs eſt vividus menſtruis ritè exactis. In ſenioribus rugæ & epidermidis incraſſatio de colore demunt, ideòque minùs notabile eſt vitium, quòd minus nitoris à vetulorum cute poſtuletur.

Deforme verò & vel nativas Charites longè fugans vitium, ſeu ipſiùs formam, ſeu ſedem conſulas, quomodò curari poſſit hùc uſquè neglectum. Deeſt enim vera cutis ſubſtantia, & loco cutis alia pars ſubſtituta eſt. Undè ſi parvulum ſit & in facie non ſitum (ut novi univerſam gentem alioquin pulcherrimam quæ ſic in dorſo notata eſt) vix aliquid in hoc vitium facere aut ars, aut ratio ſuaſerit. Si verò vultum occupaverit & aliquid ſpatium invadat, an id tentabimus ſuppuratione eradicare. Obſtat cutis ſtructura cellularum apparatu carens, & in plexum vaſculoſum nec ſuppurationi aptum converſa. Si vitium deſtruxerimus, remanebit cicatrix efficienda. Verùm, cùm ad cicatricem requiratur ut à fundo & oris bona caro naſcatur, granulaque celluloſa exſurgant quæ cicatricem efficiant laudabilem, periculoſum eſt ne, deficientibus requiſitis ad hanc principiis, quæ ſuccreſcit cicatrix in vaſorum rubrorum prolongatione conſiſtens, aut non bona ſit, aut ſi è fundo ſuccreſcentis carnis, ut aiunt, luxuries reprimatur, profunda inuratur cicatrix, quæ niſi ab oſſium ambientium obſtaculis præpediatur, ſupererit cavum novo deformitatis genere infame. Utcumque hunc malorum finem exoptent miſeri, tamen, ut plurimis exemplis conſtitit, deerit hoc ipſis ſolatii. Renaſcitur enim loco vitiatæ cutis macula vitioſa. Adeò altè impreſſum germen naturæ mutavit ordinem.

ARTICULUS III.

De Lentiginibus.

Lentigines vulgò *taches de rouſſeur* apud Gallos dictæ, ſæpè cum ephelidibus confunduntur de quibus jam actum eſt. Sed ab iis tamen ſi naturam conſulueris, differunt 1°. quòd ephelides æſtate creſcentes, ſub aprico & aperto ſole vultum & manus puellarum fœdantes, poſt hyemis prima frigora vulgò corrigantur, & abeant quidem, niſi datâ occaſione non rediturae; 2°. quòd manus, vultum & partes denudatas tantùm occupet ephelis, lentigines verò, licèt in his partibus etiam ut plurimùm emicent, in totam tamen cutem decumbant, nec diſpareant, ſed fixæ perſtent; 3°. demùm quòd ephelides ad omnes æquè juniores pertineant, lentigines verò eos tantùm adoriantur qui pilis rufis, ſeu aureis donantur.

Et certè ex duobus gemellis, alter hoc colore rutilet, alter verè fuſcus ſit, eodemque nutrimento uſi fuerint & eâdem primâ elementorum communione, latet in primigenio ſemine, in formationis rudimentis aliquid quod rufo colore rutilantem ab alio diſtinguat, cutemque utriûſque diſcriminet, quod quoniam non in ſanitatis tantùm, ſed & in morborum differentiis aliquas inurit notas peculiares, obſervatione liceat proſequi.

Flavus color ferè omnibus infantibus naſcentibus, in raris ſparſiſque capillis communis eſt; aut ſaltem, etſi aliquot fuſci naſcantur, rarus eſt hic color præ flavorum numero. Imò multi ſunt jam grandiores quos rufus color & aureus comæ diſtinguit, quibus tamen ætate jam adultiori capilli, pili, barbaque nigreſcunt, & quò quiſque puer magis ætate invaleſcit, eò differentiæ etiam notabiliores evadunt. At quamvis ſine erroris metu poſſit pronuntiari diverſitatem pilorum pariter diverſitatem cutis notare, cùm notabilem in accidentibus diſcrepantiam non indicet hæc qualiſcumque differentia, noſtrum non eſt illi inhærere, melioribus forſan quondam obſervabuntur oculis.

At duo ſunt pilorum colores qui accidentia ſua ſibi habent, & in cutis morbis notandi ſunt, quòd cutim ſummè variare faciant. Colores illi ſunt rufi, ſeu rufo-aurei, & abſolutè nigri, id eſt, qui nigrum colorem ita referunt, ut etiam pigmentum aliquod cuti inferant, qui color rarus eſt & aliquibus proſapiis gentilitium

vidi, quæ quidem omnia ruforum incommoda patiebantur.

Rufis omnibus textus cutis ſubtilior eſt & tenuior, ſimul addenſati minoreſque pori. Undè cutis præter aliorum hominum morem albicans eſt atque nitens. Ad tactum textus cellularis ſub cute laxior & quaſi flaccidus magis. Cutis ipſa dura & etiam ſalſa, ἁλμυρώδεις. Oculi ut plurimùm rutilant & rubent, quamvis iris aut flava, aut cærulea ſit. Vox ut plurimùm gracilior. Sæpè etiam vel pro minimâ causâ pruritus, aut cum, aut ſine puſtulis facilè evaneſcentibus, ſi fricetur cutis apparentibus, in quiete jam nulla ſuî veſtigia relinquentibus.

Intercà verò corpus olidum, turpiterque fragrans, ſi præſertim incaluerit, & ad minimum motum pedes latè ſudorem ſpargunt vix definiendum, nauſeabundum, putrem & vix, niſi ſummâ fugandum munditie. Præ omnibus corporis partibus olent & immundum latè ſpiritum diffundunt axillæ, inguina, auricularum pars poſtica & tota cutis capillata : at nihil fetidius, nil putidius axillis in quibus, ut loqui amant poetæ, gravis hircus accubat.

Urinæ etiam fortiùs fragrant, & vel levi de causâ fiunt jumentorum ſimiles, magno indicio in iis perſpirationem peccare ; quod etiam indè fortiùs demonſtratur quòd ad vehementia exercitia, vini potum largiorem, lautiores epulas, omnes incaleſcentiæ cauſas odor ille expandatur & mirum in modum diffundatur. Væ illi cui fervente ſyrio, fortuna mala contigerit ut tali vicino in eccleſiis, aut rhedis publicis fruatur. Vidi fæminas eâ viciniâ in deliquium animi incidiſſe. In fæminis atque in maribus idem vitium iiſdem accidentibus ſtipatur ; niſi quod fæminis & mollior ſit & magis nauſeabundus odor, muliebre quid addens ; an quod à cute nitidâ meliora ſperans imaginatio turpiter hallucinetur ? an quòd res reverà ita ſe habeat ? viderint doctiores : certè circà menſtrua nihil eſt intolerabilius ad odoratûs ſenſum rufâ mulierculâ, ſi ſordes præſertìm acceſſerint.

Idem in viris & fæminis verè nigricantibus obſervare contigit, quibus iris nigricans, nec rutilans oculus, ut in rufis, at cutis ad uſque genarum mediam partem pigmento leviter atro intingitur, & odor qualis in rufis à partibus ſupra dictis exhalat, ſed minùs nauſeabundus, magis pungens. Utrique conſtitutionis ſpeciei capilli tenues quidem, ſed pinguiores & amurcâ obſiti, imò & ad radices ingens ſordium in illis albeſcentium, in his nigreſcentium,

nigreſcentium proventus. Nec in morbis plurimis indifferens eſt notaſſe quo quis colore capillorum donatus ſit. Verùm antè omnia notaſſe ſufficiat, quòd ut aliquis rufus dicatur non neceſſarium ſit ut omnes æquè capilli atque pili eodem donentur colore : ſcire debemus dari ſemi-rufos, ſemi-nigros, qui eadem incommoda, ſed minori periculo patiantur, ita ut multis capillorum rufus color fuſcâ barbâ redimatur. Parciùs ad eos noſtra pertingit theoria ; ſed adamuſsìm ad eos pertinet qui ſuperciliis, ciliis, barbâ & capillis piliſque cutaneis rufi ſunt. His odor undequâque peſſimus, & in morbis etiam anginoſis atque gulam occupantibus maximum eis periculum portenderunt Sydenhamus & ab illo Boerhaavius. Tùm verò periculoſiùs aliis viſi ſunt variolis confliċtari, & ſi quod exanthema, ſi quis abſceſſus effloruit, multò majora incommoda iis impendent, imò & multò difficilior eſt curatio. Etenim non pus verum & legitimum in iis expectandum eſt ; ſed pus illorum olet, & ſemper habet aliquid ichoroſi.

Certè patet differentias haſce quæ inter rufos & reliquum hominum genus intercedunt eſſe repetendas ab ipsâ cute quæ humorem ſeparat acerrimum in propriis glandulis atque loculis arctioribus ſpiritui illi rectori exhalando aptis, ut odor ille axillarum declarat.

Ex eâdem origine oriuntur lentigines illæ, quæ rotundæ ut plurimùm, ſed aliquandò ita denſæ atque confertæ naſcuntur, præſertim in vultu brachiiſque, ut color cutis indè à nitidiſſimo in flavum verſus ſit. In brachiis & dorſo vulgò nimìs confertæ apparent illæ, quamvis aliquandò per glomera cumulentur in unâ parte, dùm vicina iis caret. Junioribus & fæminis præcipuè, lentigines ex flavo albæ ſunt, ſenectus eas fuſcas reddit & ferruginei coloris, πήλιωματα Græcis dicta. Undè nihil fœdum magis quàm ruforum canities, quæ ut tardiùs apparet, ſic etiam ab oppoſitis deforme offert ſpectaculum.

Cæterùm in hoc malo diagnoſis evidens, prognoſis ſimplex : nam licèt poſſimus variis plumbatiſque præſertim tincturis colorem capillorum & mutare, & diſſimulare, lentiginum impoſſibilis eſt curatio, cùm pendeat ab ipsâ cutis ſubſtantiâ. Undè mulieres ſolent fuco & albis pigmentis cutem onerare. Diſſimulant quidem ſic præſentes maculas, ſed intereà vitium intendunt. Colorem enim è flavo in fuſcum immutant, ſicque demùm extinguuntur

omnes reliquiæ Charitum, ſenectuſque anticipata à fuco plumbato & adſtringente rugas juvenili adhùc faciei inurit, ſimul maculas fuſcas reddit & aſpectui horrendas, melaſmata Græci vocarunt (*a*).

Diffusè, aut ſaltem amplè de lentiginibus tollendis tractavêre auctores (*b*) qui de decoratione vultûs tractarunt, eaſque ut plurimùm cum ephelidibus confuderunt, ut patet ex uſu quem ſuadent lithargyrii & plumbatorum medicamentorum quæ lentiginibus nullâ ratione convenire poſſunt, ut jam dictum ; undè etiam ex iis quæ ad has tollendas ab auctoribus ſuadentur deterſoriis, bryoniâ, cucumere aſinino, aliiſque ſimilibus plantis, aro, chamœleonte, lepidio, nulla in hoc caſu mihi videtur convenire, cùm aliquam concitent inflammationem, & materiem contrà areſcere faciant, undè etiam in ephelidibus poſt ſimilia topica cutis rubet & macula latior exurgit. Quin & ipſæ cicatrices in rufis lentiginum colore fœdantur.

Mihi verò ſi quæ methodus aliquem ſucceſſum obtinere poteſt, ut & Galeno (*c*) atque Euſtachio Rudio (*d*), illa videretur aliis præferenda quæ conſtat ex emollientium appoſitione, ut eſt lactis vapor. Apponenda emulſa ex ſeminibus frigidis, ex cucurbitâ ſativâ iiſque conficienda pomata. Addidit his Avicennas ab interioribus rem eſſe adoriendam ; vultque regimine tenui, diætâ ut plurimùm lacteâ, aut ex alimentis tenuioris ſubſtantiæ curationem inſtitui, ut bilis ad cutem elata novas vias ingrediatur, nec jam feratur ad cutim. Verùm bilis illa ad lentigines efformandas nullas ſibi vindicat partes. Pendent illæ à muco acri, rufis particulari, in ipsâ cute indurato, quodque probat nihil hìc effici poſſe à diætâ quâcumque, illud eſt, quòd à morbis graviſſimis qui convaleſcunt rufi, nec plus, nec minùs lentiginum habeant, ſed cum ſummo pallore eaſdem ſervent, imò perſtent illæ in cadaveribus. Id tamen non ità velim intelligi, quaſi connatæ ſint ; certè cauſæ externæ, ut radiorum ſolis actio, acria quæcumque intrà ſanguinem introducta novas faciunt ſuccreſcere prioribus ſimiles lentigines, undè ad earum novum proventum prohibendum pluſquàm ad factorum & adultorum curationem faciunt & diæta humectans & topica diluentia atque edulcorantia.

(*a*) Μελάσματα aliter Pollux pro fuco nigro habet, lib. 2.

(*b*) Haly Abbas, lib. 9. Avicenn. Fen. 7, tr. 2. Aetius, lib. 1, ſerm. 4, cap. 11, lib. 4, cap. 13.

(*c*) Galen. 8, de ſimpl.

(*d*) Euſt. Rudius, cap. 5.

ARTICULUS IV.

De Varis, Verrucis, Tumoribus ficoſis & Sarcomate.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

De Varis.

Vari parvi ſunt & duri tumores in univerſam quidem cutim pariter naſcentes, ſed deformitate præſertim vultui & formæ mulierum infenſi (*a*). Ægritudinem vix conſtituunt illi, cùm poſſit homo cum iis rectè valere, & functiones quaſlibet fortiter exercere. Imò nulli ſunt ferè inter homines, ſub formâ etiam pulcherrimâ, qui hinc indè inſperſos varos, ſeu nævos reprehendendos non habeant. Imò multi ſunt auctores qui illos pro roboris ſigno habuerint, inter quos numerandus eſt ingenioſiſſimus Medicus Caſſius (*b*) *iatroſophiſta*, qui quærit cur vari in ipſo ætatis flore vigoreque naſcantur, putatque id indè pendere quòd plurimum alimentum illudque benè concoctum ad ultimas haſce partes confluat, ibique coaguletur atque concreſcat.

Græci auctores varum (*c*) ἄκνην ſeu ἴονθον nominarunt, idemque per hæc duo vocabula vult intelligi Aetius. Vari nomen totum latinum eſt, nec de varis ulla mentio videtur injicienda, niſi cùm multiplices ſunt. Hinc M. Tullius de Q. Servilio Iſaurico jocosè dicit: Miramur cur Servilius pater tuus, homo conſtantiſſimus te nobis tam varium reliquerit.

Vari alii à nativitate cutim dedecorant, alii variis in vitæ periodis innaſcuntur, præcipuè verò circà pubertatem: alii figurâ mutantur, alii etiam extinguuntur. Quarum omnium obſervationum, nullus eſt circà phœnomena vitæ attentus qui non poſſit exempla proferre.

Connati vulgò ad uſque vitæ terminum perſeverant, niſi quòd corrugantur, & flacidiores fiant. Multis variiſque formis diſtinguuntur: vulgò minores rotunduli ſunt, aliquandò agglomerantur, prominent aliquandò pyramidales, aliquandò ramis hinc indè protenduntur, quibus in variis figuris, varias animalium formas

(*a*) Paul. Ægin. lib. 3, cap. 25. Oribaſ. lib. 4, cap. 21. Aetius, tetr. 2, ſerm. 4, cap. 13.

(*b*) Caſſii Probl. probl. 33.

(*c*) Ακμην ſcribit H. Stephanus; ἄκνην Gorræus.

ſibi ludicra ſingit imaginatio. Myrmecias μυρμηκιας Celſus vocavit excreſcentias tenues, nigras, latiores, quibuſdam donatas radicibus & quæ compreſſæ dolorem movent; ἀκροθύμιον acrothymion quod ſuper corpus quaſi verrucula eminet, & in faſtigio ſubaſperum eſt; demùm ἀκροχορδον acrochordon quod ſub cute incipiens aſperius, infra ad cutem tenue, ſupra latius eſt. Notat verò Celſus (*a*) omnia hæc mala extremitatibus corporis præſertim innaſci, quem Paulus non ſecutus ubique indiſcriminatim ſupra cutem reperiri illa pronuntiat. Cujus in partes eò lubentiùs cum omnibus ierim, quòd nullus eſt, non dico ex Medicis, ſed ex hominibus qui non ſimilia in dorſo, in thorace, ad femora, aut brachia obſervarit.

Cùm verò ad naturam horumce tumorum parùm vulgò attendatur, imò obſtet nominum farrago quin quiſque horum tumorum ſuo nomine deſignetur, factum eſt ut *myrmecia* apud Arabas & Arabico-Græcos Medicos, *verruca ſeſſilis* appelletur, *acrochordon* verò, cùm ſæpè à baſi tenui propendeat, deſignetur ſub nomine *verrucæ penſilis*. Celſus verò naturæ in hiſce non ſegnis obſervator, diſtinctè edicit alios ſpontè decidere & per ſe ſanari, ſola verò thymia & myrmecia ſanatione indigere. Quæ diſtinctio cùm à ſolo viſu pendeat, adeòque juſtos non habeat limites, nec admitti, nec refelli poteſt. Certò id ſcio plures hujus generis in cute notas diſparuiſſe, plures contrà totam per vitam perduraſſe, maximèque mihi rebelles viſæ ſunt illæ cutis affectiones quæ altiùs intrà cutis ſubſtantiam intruderentur, & pro ſigno, præter tactum nunquam fallentem, habui, quòd illæ pilos copioſos durioreſque emitterent, quaſi bulbi piloſi in hoc fertili humo lætè vegetarent.

Symptomata his malis nulla. Diagnoſis à viſu pendet. Prognoſis indifferens. At cauſæ certè à muco inſpiſſato & concreto pendent, ſive ob originariam in textu cutis labem, ſive quòd induretur tenuiſſima vaſorum ultimorum fabrica, ibique, tenuiſſimis exhalantibus particulis, fiat induratio nulliùs momenti; undè color mutetur in textu non ſolùm reticulari & mucoſo Malpighiano, ſed etiam in ipſâ cute, & ſubter cutem; ſive demùm ob globulorum rubrorum deviationem & impulſionem fortem in loca aliena, undè regredi nefas. Is utut ſimpliciſſimus mechaniſmus pro myſterio eſt; quod tamen viderim narraſſe liceat. Vir quidam

(*a*) Lib. 5, cap. 28, 13, 14.

trigeſimum ætatis annum emenſus, cauſarius tamen & propter vitam minùs ad virtutis normam, quàm ad voluptatis illecebras accommodatam, venereæ luis ſuſpicionem ſecum trahens, à Chirurgis melancholicum ſine causâ videntibus mercurio addicitur; ad tertiam frictionem ſubitò, & quaſi fieret explosio, animo linquitur, convellitur. Tùm ad ſe rediens illicò puncturas indequâque in cute percipit, à quibus ſedatis remansêre illi undequâque ſparſi in univerſam cutem vari, indolentes, nigricantes, qui ad hunc uſque diem quâ quinquagenarius eſt integri ſubſiſtunt, ſine ullâ alteratione. Illud in his rebus videndum eſt an curare expediat varos qui nulla cùm concitent ſymptomata, nec metuendi ſunt, nec morbi nomen merentur? Ægritudo eſt, ſi nomen illud ipſis concedas, ad decorationem pertinens. Verùm ſi ita juſſerit formæ amor, nulla eſt de eorum indicatione inter auctores diſſentio. Cauſticis tentanda eſt cura, & cùm per ſe aliquandò dolentes ſint, cautè admodùm cum iis agendum eſt; nam ſæpè ſi cauſtico omnem ſimul ambitum non comprehenderis, materies vari non ſchirroſa quidem, ſed organiſmo tamen defraudata, nec orba liquidis alluentibus expandi poteſt in cancrum. Hinc dùm natri, calcis vivæ, ſpumæ argenti, ſeu argento cauſticis liquoribus ſoluto, auripigmento, æris viridi utebantur veteres (*a*), multò infeliciores nobis erant qui ſaniore chemiâ docti hos liquores cauſticos & erodentes ſic contemperare aquâ ſcimus, ut noxam jam nullam inferre poſſint, & exteriores tantùm lamellas tenui penicillo ita ſcimus attingere, ut nulla ulterior noxa poſſit inferri, undè è materiâ medicinali tot jure meritòque exulant medicamentorum cauſticorum genera, quæ actionem æqualem & tutam non poſſunt exercere.

Prætereà verò antequam cauſticum, cujuſcumque generis ſit, ſive ſpiritum nitri, ſive ſecundam, ut aiunt, aquam admoveris, ſeu leniora adhùc, de partis irritabilitate meritò inquirimus. Si enim ſumma ſit illa, papillaſque evidenter nerveas tumor tollendus contineat, tunc ab his ceſſare prudentia jubet. Pars enim affecta in cancrum abibit, partes verò vicinæ peſſimam inflammationem concipient, brevìque gangræna orietur. Id accidere vidi. Tantæ ne molis eſt formam ſervare, aut potiùs reſtituere; cùm alioquin cicatrici benè factæ & vix notabili ſuccreſcere, ſurculorum more in vegetantibus, multiplices minuti vari aliquandò

(*a*) V. Aetium, loc. cit. Celſ. loc. citat.

videantur. Undè auctor ſim omnibus quos vari præter rationis modulum divexant, ut fœditatem hanc tolerare diſcant.

PARAGRAPHUS II.

De Verrucis.

Verrucæ ὄχθος græcis (*a*), tumores ſunt tuberoſi, duri, aſperi, omni ſenſu carentes. Undè & myrmecias & achrocordonem, ut ſenſu gaudentes, ipſo Celſo teſte, ex numero verrucarum, diſſentiente Paulo, eximimus. Verrucarum ſpeciem unam tantummodò admittimus, licèt formâ variæ ſint, nec vulgarem obtineant rotundam atque aſperam formam in apice. Sed nullus ineſt iis ſenſus. Conſtant autem, ſi attentiùs examinentur, ex pluribus lamellis ad aſpectum albicantibus, quæ pellucent, ſi ſeorſim ſpectentur. Totâ quidem ſuâ prominentiâ indolentes ſunt illæ, & juxta baſim, ſi præſertim perpendiculariter tractentur, aut comprimantur, ſenſu exquiſito donantur, & ſæpè, ſi propiùs ad baſim ſecentur, guttulam ſanguinis unam profundunt.

Si phœnomena hæc perpendas, ſi ſtructuram propiùs examines, videbuntur illæ à papillis nervoſis induratis & protuberantibus oriri. Undè etiam fit ut caſu quidem raro, uti jam alibi dictum eſt, ſed non prætervifo, mirum in modum creſcant.

Nunquam connatæ ſunt verrucæ. Nec niſi in cute adultiori & firmiori erumpunt. Familiares verò ſunt illis artificibus quibus manus fortiter atteruntur, qui rudiora onera, aut leviora, ſed aſſiduò tractant, quibus ſordes aggeſtæ in vultu, in manibus, ad articulos non eluuntur. Compreſſio indè orta papillas indurat, & earum exhalantia oſcula obſtipat, pars obſtructa extrapellitur.

Quamvis autem fatendum ſit ab hâc ut plurimùm causâ verrucas oriri, imò etiam ut plurimùm ſolâ ſolvi, exareſcere, decidere patientiâ, & ſummâ munditiei culturâ, ſciendum tamen eſt, ea dari cutis genera quæ, præſertim circà pubertatis tempus, producendis verrucis aptiſſima ſint; ſive quòd eo tempore glandulis evolutis redundet undequâque mucus nerveus, ſibique ipſi viam exhalantem præcludat, ſive quòd plethora, hoc præſertim tempore, intrà corpus enata his malis anſam det & præbeat. Certè quæ ſic naſcuntur verrucæ poſt aliquod tempus omninò

(*a*) Paul. lib. 4, cap. 15.

evanuerunt, & de iis præcipuè verum eſt quod Celſus ait *ſpontè verrucas ſanari.* Poſſunt autem verrucæ hunc occupare locum in quo ſummè incommodæ ſint, ut ſi in labiis ſedem fixerint, quod non ita rarum eſt apud eos qui calidiora prægustant, aut ſila per os traducunt aſſiduò & dentibus mordent, quales ſunt ſartores, ſutores, aliique hujuſmodi opifices.

At multæ ſunt verrucæ quæ cancrorum occultorum in viciniâ naſcuntur & ipſæ cancroſæ dici poſſunt. Hæ non verrucæ ſimplices dicendæ ſunt, ſed oculti cancri, aut ſi ad formam tantùm attenderis, verrucæ malignæ jure nuncupantur. Hæ poſt aliquod tempus expanduntur, amiſsâque verrucæ formâ, peſſimum carcinoma exhibent. Dantur etiam & verrucæ venereæ quæ eas præſertim partes attingunt quæ frictu, aut intimiori attritu atque contactu venereo compreſſæ ſunt. Hæ verò ad propoſitum noſtrum cùm nullâ ratione pertineant, ad tractatus de morbis venereis ablegandæ ſunt.

Verrucarum diagnoſis ſimplex. Multùm tamen intereſt noſſe an ſimplices verrucæ ſint, an malignæ atque cancroſæ? Quod cùm per morbi ſequelam diſcernere facile ſit, ita in principiis vix poſſibile. In iis tamen quæ cancroſæ ſunt, ſtatìm ab initio baſis dura eſt, aſpera, protenſa magis, & cutis ad limbos rubet. Sæpè per longum tempus maligna verruca ſtat immobilis, creſcit tandem ſine ullo alio dolore, præter intolerabilem in vicinis pruritum, jamque malum radices egit altiùs, prorsùſque inſanabile evaſit, niſi reſcindere illud ars potuerit. Mox aderunt dolores acerrimi, ichor, ſanies & ulcus undequâque depaſcens. In verrucis ſimplicibus omnia mitia ſunt, indolentia, cutis in viciniâ ſana, & nullum ex ſignis feralibus. Undè ut prognoſis in unâ verrucarum ſpecie optima, ita in aliis funeſta eſt.

Curatio ex principiis iſtis inſtituenda. Licèt enim veteres (*a*) omnes, ſed præcipuè Oribaſius, & compreſſionem tollere, & cauſticis lenioribus, præſertim verò ſuccis reſinoſis ficuum, thytimali ſeu eſulæ, ari, verrucariæ ſæpiùs illitis, verrucas tolli aſſerant, tùm plantarum lixivia incineratarum, alumen, æris argentique ſquammas, aliaque cathæretica ſuadeant, imò & ſandaracham, ſeu auripigmentum, non videtur tamen res negligentiùs tractanda. Certè antè omnia diligens prudenſque primùm ſedulò perpendat, an non cum verrucis malignis, ſeu cancroſis rem tractandam

(*a*) Paulus Aetius loc. cit. Celſus loc. cit. Oribaſius, cap. 4, lib. 3.

habeat. In iis enim ſi malum ſimul, ſimul radices aut ferro, aut igne, aut potentibus cauſticis potueris omninò avellere, benè eſt. Malum confoditur, radix ejus reſcinditur. Quod in labrorum verrucâ cancrosâ probè ſuccedere vidi ſemel quidem, at bis, terve peſſimè ceſſiſſe. Sin verò pars tantùm ejus reſcinditur, relictâ vel levi particulâ, tunc in furias terribiles exaſperatur peſſima lues, undè juſto nomine veteres hoſce tumores titulo *noli me tangere* donaverunt, cùm melius multò ſit malum non attingere, ſuæque ſorti concredere, quàm ægrum certæ morti devovere. Id tamen in ſeduliore ſanandi cupidine ſæpiùs accidit.

At verrucis ſimplicibus antiqui cùm ſtatim adhibebant cauſtica fortia in eo mihi videntur nimiâ celeritate egiſſe, cùm niſi cauſticum potentius ſit, & totum adurat verrucam, periculum ſit ne induretur illa, aut in vicina, ſurculorum more, ſpargatur. Verùm quæ vulgò uſurpabantur vegetantia cathæreticam facultatem, ſed moderatam obtinent. Undè ſi aliquis uſus eorum ſuadendus eſt, præſtat ferro radere ſuperficiem verrucæ, quantùm fieri poteſt, & deindè, ubi jam ad baſim ſine dolore perventum eſt, tunc prodeſt cauſticum leve ita illinire, ut quotidie eadem repetatur applicatio, donec & verruca, & ejus radix in far & farinam verſa ſint. Si verò tota ſuperficies accuratè fuerit reſecta, ipſe chelidonii, aut thytimali ſuccus ſuffecerit. Sed multas per ſe ex conſilio Celſi curatas vidi, dùm tantummodò ſordes eluerentur, & manus, aut facies verrucoſa vapori lactis tepidi pluries exponerentur. Quantùm enim lacti inſit virtus ad membranacea mucoſa reſolvenda experti tantùm ſcient. Undè etiam memini me vidiſſe in diſpoſitione illâ faciei verrucosâ Medicum ſeniorem qui lac aſininum vernâ tempeſtate ſerò & manè ſuaderet. Obſtupui junior & tanti remedii apparatum floccifaciebam. Mirantem & ab hâc opinione alienum objurgavit pro meritorum & ætatis jure amiciſſimè, & ad ſucceſſum provocavit qui reverà ſecutus eſt methodum mihi tunc non ſatis intellectam, quamvis à veteribus, Avicennâ, & Euſtach. Rudio recentiori commendatam. A lactis aſinini uſu cutis candidior forſan evadit, ſed certè ſimul humidior atque mollior. Indè ſaltem patet quòd ſi in juvene, aut juvenculâ diſpoſitio ad verrucas ſine ullâ causâ comprimente enaſcitur, debet ipſis diæta tenuis imperitari, lactis ſuaderi uſus, debent à vino & ſpirituoſis arceri, quæ ad verrucas extollendas atque formandas non uno titulo metuenda ſunt; balneis frequentibus immergi,

aliiſque

aliiſque fomentis atque lenientibus applicationibus cutim & omnes ejus partes ita perfundere debemus, ut omnia humeſcant & ſero diffluant. Sed frictiones ſiccæ, exercitia dura & aſpera prohiberi debent, quandoquidem experientiæ eſt ab his naſci verrucas iis qui dura tractant aſſiduò corpora, quod eò magis vitandum eſt quòd interna diſpoſitio magis quadrat cum actionibus externis.

PARAGRAPHUS III.

De ficoſis Tumoribus.

Jam de ficoſis tumoribus dictum eſt ex Galeno, Aëtio (*a*) & Oribaſio; cùmque ad ſuppurationem illi vertantur, alibi de iis dicendum fuit. Verùm, notante Celſo (*b*), horum duæ ſunt ſpecies. Altera ulceris humidi & carnei, altera durus & calloſus tumor eſt, qui gluten paucum profundit. Hic & chronicus eſt, & ſæpè, cùm exareſcit, verrucam, thymium, varos repræſentat, à quibus differre ficum ait Aëtius in eo quòd liquorem aliquem fundat qui è varo nullâ ratione exit.

Ficoſi tumores aliquandò connati ſunt. Figurâ potiſſimùm variant. Quandoquè à morbis cutaneis diſtinguendi ſunt, cùm altè in textu cellulari radices obtineant; tuncque confundi merentur cum ἀθέρωματε atheromate, quod dicendum foret ἀθήρομα; nam derivatur à vocabulo ἀθηρα vel ἀθαρα, eò quòd tumor ille pulticulam quamdam contineat, diſtinguaturque tantùm craſſitudine contenti à meliceride & ſteatomate.

Quamvis autem tumores iſti ad tractatum de tumoribus pertineant, non ad morbos cutis, negari tamen nequit in ipsâ cute, nec ultrà hujus ſubſtantiam, ſed in folliculis ipſi propriis naſci tumores ſimilis naturæ qui punctulo nigro emineant, ob aëris influxum. Horum plurimi ad naſum apparent, nec colori candidæ cutis officiunt. Hos ſi compreſſeris, quod aliquandò ob tumefactos & à copiâ materiæ compreſſos parietes facile eſt, & ad obtinendam curationem neceſſarium, exit pulticula cujus apex niger, moles elongata albicans vermem ſatis aptè effingit. Poſſunt autem tumores illi atheromatodes, vel ſteatomatodes varias aſſumere formas, ita ut aliquandò conglobati pendeant, aliquandò

(*a*) Tetr. 2, ſerm. 4, cap. 14.
(*b*) Lib. 6, cap. 3.

pyramidales ſiant, & dent adhùc imaginationi circà quod ludat; poſſunt etiam hiantes gluten puri mixtum emittere & ulceris faciem exhibere. Deſtruuntur autem illi; dùm applicatis emollientibus unguentis volumen accepêre, tunc enim artificioſa manus compreſſionem efficit, & fit compreſſio quæ eò uſquè continuanda eſt, donec ſanguinis guttula exiliat. Hæc enim à vaſis laceratis prodit quæ per levem ſuppurationem parietes tumoris reſolvit, ita ut concidant. Per plures menſes, imò per annos aliquandò perdurant, inflammantur poſteà, ſuppurationem levem patiuntur, ſin minùs in vera atheromata, ſteatomata, meliceride degenerant, aut vertuntur in maſſam carneam informem quam ſarcoma vocaverim.

PARAGRAPHUS IV.

De Sarcomate.

Non ignarus ſum variam eſſe & prorsùs à noſtrâ diverſam ſarcomatis acceptionem. Sarcoma enim, ſi Paulo Æginetæ & Aëtio credatur, & antè illos, auctori de definitionibus medicis, eſt in naribus carnis præter naturam incrementum, ita ut à polypo differat ſarcoma, quod polypus per radices adhæreat, ſarcoma informe ſit mole & figurâ. Omnis polypus, inquit Ægineta, ſarcoma eſt, non omne ſarcoma polypus. Quæ cùm ita ſint, cur nos ſarcoma ad alias partes deflectimus? Quia eadem ejus natura eſt, & ducem ſequimur poſt Arabas, Guidonem de Cauliaco, imprimiſque Ambr. Paræum. Apud illos ſarcoma eſt cutis ipſiûs prominentia & quaſi plicatura quæ nihil aliud continet præter cutem & adipem induratum. Cutis in ſarcomate ſenſu aliquandò naturali donatur, aliquandò, ob defectum nervorum ibi protenſorum, ſenſu caret. Vidi connata ſarcomata, à nativitate ad uſquè provectam ætatem, communi quidem incremento augeri, ſed nil ſibi proprium habere. Alia naſci vidi, nec pariter ullam mutationem accipere. Alia verò videntur & grandeſcere & mirum in modum augeri. Aliquandò etiam cutis illa inflammationem concipit & ſuppurationem, quæ ſi ichoroſa, lenta, ſanioſa fuerit, ſarcoma mirum in modum increſcit. At ſæpè ſarcoma facilè pro variâ figurâ tollitur. Si enim à filo pendeat & tenuiſſimâ baſi, qualem morbum noſtrates vocabant *fil ſaint Fiacre*, tunc ejus baſis ſericeo filo benè cerato ita ligetur, ut omnis tumor

extrà ligaturam pendeat, poſteàque ruptâ inter corpus & tumorem communicatione, & ligatura, & tumor ſimul concident, baſiſque cicatrice firmior apparebit. At ſi non propendeat ſarcoma, tunc induſtria Chirurgi partes reſcindet inutiles, tunc baſim ſuccreſcendo aptam pluribus vicibus cauterio exuret, donec ſub eſcharâ profunda ſuppuratio & malum & radices ſimul exſolvat. Nam ſæpè hyperſarcoſis illa quæ à cellulis cutaneis intrà mucum, aut intrà ipſum adipem naſcitur, aut omninò, aut partim reſurget, niſi textus cellularis profundiùs ſuppurationem ſenſerit. In his porrò omnibus caſibus cutis ipſa patitur ut commune integumentum, & omnibus cauſis externis undequâque impetentibus patens. Licèt enim veteres tumores hoſce omnes ad bilem atque ad atram bilem retulerint, nihilominùs tamen verum eſt cauſas haſce è longinquo petitas minùs obſervationi reſpondere. Sunt contrà ſtructuræ naturalis degenerantis formæ diverſæ. Id eò meliùs demonſtratur, quòd in atheromate cutaneo, pilos ſeſe craſſiſſimo humori implicitos inveniſſe Leonidas prodidit (*a*), Philoxenus verò narrat reperta à ſe culicibus aut exiguis muſcis ſimilia. Priori ut credamus obſervationi id facit quòd multæ ſimiles obſervationes apud neotericos & in actis Acad. Reg. Scientiarum reperiantur, imò ſæpè ex iis pili confertim exire videantur. Poſteriori diffidimus magis, cùm facilis ſit error in imaginatione à ſimilitudine formæ percuſsâ.

ARTICULUS V.

De Nævis ab imaginatione materna pendentibus.

Quid imaginatio matris in fœtum agat ? An ab illâ naſcantur tot nœvi, tot abſurdè formata corpora quæ cum partubus naſcuntur, & eos aliquandò efficiunt verè monſtroſos ? An demùm deleri illi poſſint ?

Prioris quæſtionum harumce inquiſitio potiùs ad Metaphyſicen quàm ad Phyſicen ſpectat : id tantùm certò ſcimus fœtum atque matrem diſtinctam omninò vitam vivere. Suum cuique cor ; ſui ſunt nervi : præcipuè verò ſcimus partem illam quæ in matre ſentit & movetur à mentis impetu, à debilibus infantis organis, ita diſtinctam eſſe, ut vanum ſit fingere embryonem irâ, metu, ter-

(*a*) Gorræi Definit. Med.

rore cum matre percelli. Vegetantium more intrà alvum maternam contentus fœtus à nullis circumſtantibus idæas captare poteſt.

At, inquies cum illuſtriſſimo Malebranchio, motus qui in maternis nervis excitantur paribus & fortioribus concuſſibus nervos pariter infantis afficiunt. Sed ſola præſentium objectorum idæa nervos afficit. In infantibus alvo concluſis idæa ſimilis nulla: expectant vitam illam ab animâ pendentem, non agunt; & nulla inter eos & matrem, niſi per humores, datur communicatio. Præterea videmus quotidie matres toto geſtationis tempore miſerè convelli, jactationes artuum undequâque pati, vomitus enormes experiri, imò & furioſa deliria. Nihil omninò autem in fœtibus quos à preſſione aqua defendit mutati invenitur. Quid ergò? Si dùm crucifragium ſpectat in turbâ deprenſa & ad inviſum compulſa ſpectaculum mater, horrebit tota, convelletur & ob diras convulſiones animo linquetur. Nil ſimile ſub involucro convulſo videns infans & cum nervis atque terrore matris nihil commune habens, ſi cruribus atque brachiis fractis in lucem edatur, id ab accidente habet, ſed ab accidente qui cum viſo ſupplicio commune aliquid habere non poſſit.

Verùm, inquiunt, ut ſæpè ab aſpectu tuſſientium in tuſſim concitamur, ut oſcitatio oſcitationem provocat, ut difficile eſt vomentem videre quin oriatur nauſea, quidni pathema matris in infantem ab artubus matris ad artus infantis correlativos feratur? Imò multi ſunt adeò delicati, adeò ſenſu exquiſito præditi homines ut objectorum aut terrificorum, aut horrendorum injecta mentio ipſos in convulſiones aut animi deliquia adigat. Quæ omnia, ut ab omnibus viſa & communi uſu deprehenſa, non negamus, modò fateantur omnes hæc omnia ab idæis in mente priùs fortiter formatis & impreſſis pendere, ſed alteriùs idæam nullatenùs in nos agere. Hic caſus eſt fœtûs in utero latentis qui, licèt communibus cum matre involucris tectus, nullum tamen ſenſum, nullam idæam ab eâ mutuatur.

Hinc quamvis Jacobus, Rex Angliæ, diſtricti ferri aciem ferre non poſſet antè oculos, aliundè fortiſſimus, id nativæ timiditati aut præjudicatæ opinioni acceptum debere crediderim, non verò indè repetendum quod Maria Stuarta ejus mater, dùm gravida ipſum utero gereret, confodi gladiis antè oculos ſuum viderit amaſium. Forſan in pueritiâ multoties repetita atrox hiſtoria pueri mentem perculerat, & indè odium in gladios natum. Multa

enim caſu, atque mentis, aut corporis vitio accidunt quæ poſteà referuntur ad cauſas quæ nulliûs ponderis ſunt : ita ut in hiſtoriis ejuſmodi multa ficta ſint, multa ſimplicia, ſed aut metu, aut præjudicatâ opinione aucta ; multa etiam primis pueritiæ annis imbuta, à nativitate accepta creduntur. Verùm, inquiet vulgus, fallaciſſimam experientiam inclamitans, ea quæ cupidè mater exoptat, in corpore fœtûs pingi & ad verum effingi qui negaverit, omni omnium ætatum conſenſui repugnabit & graviſſimorum auctorum auctoritati. Nam duplex macularum à matre pendentium genus admittitur ; alterum ab odio & execratione, aut timore repetendum eſt, alterum contrà ab amore & cupiditate potiundi. Cui ita fidem adhibent mulieres, ut iis quid exoptaverint denegare piaculum apud multos habeatur ; qui mos ab humanitate, & nunquam ſpernendâ urbanitate profectus in legem verſus eſt ; monentque matres cupidas nurus ne, manu ad vultum actâ, faciem futuri infantis deturpent. Aiunt enim ibi maculam infligi quò ſe manus verterit. Sed anilibus illis fabulis ne credamus quâvis de ratione multa faciunt.

1°. Quòd, etſi fatendum ſit multa nos de naturæ agendi viis & de iis quas occulto tramite ſequitur ſemitis ignorare, plurimaque ſacro ejus involucro tecta nunquam nobis reſeranda fore, tamen facile eſt pronuntiare ſapientiſſimam Creatoris legem nunquam per abſurda incedere, nec ullam poſſe eſſe in infante phantaſiæ, aut cupiditatis quam non novit impreſſionem. 2°. Quòd etſi undequâque circumferantur ſimilium notarum cuti impreſſarum hiſtoriæ, nunquam ullam viderim quæ non ad aliquam ex memoratis maculis ſpeciem referatur. Maximè communis eſt cutis ille defectus quem à vino repetendum arbitrantur. At illud eſt vitium in cutis conformatione quod, ubi emicuit, difficile eſt quin mulier abſtemia per novem menſium ſpatium, aut vinum non fugerit cum nauſeâ, aut contrà vini cupida illud cum cupiditate non expetierit ; & eò quidem magis quòd gravidæ mulieres, ſaltem ut plurimæ, ſibi prætermodùm ex præconceptâ opinione indulgeant, omnia ſibi permiſſa in fœtûs gratiam credentes.

Enimverò rem ita accipi non velim quaſi dixerim non omnes omninò notas à matre impreſſas eſſe prorsùs rejiciendas, ſed eas tantùm eſſe floccifaciendas quæ aliquam ferant cum objectis concupitis analogiam. Mulierum ſucci digeſtivi graviditatis tempore ſæpiùs peccant. Undè ipſis ſæpè ſupervenit pica. Ab abſur-

dorum alimentorum ingurgitatione naſcitur ſuccorum nutritiorum depravatio, undè & ſua etiam in cutem tenerrimam labes infligi poteſt, tumoreſque in eâ naſci variæ & figuræ & conditionis. Quod eò magis crediderim quòd infantes maculati iis præcipuè contingant matribus quæ non ſatis cum ratione agunt, & ſequuntur potiùs vim imaginationis, quàm ſacras omni in tempore rationis leges. Cùm porrò prima infantum vita, prima nutritio matribus commiſſa ſit, ipſarum etiam peccata ferunt infantes.

Nec verò pariter negare voluerim gentilitios iſtos nævos qui ſæpè à patre & matre ad uſquè ſeram progeniem communicantur, quippè qui pendent ab organicâ corporis progenerantis ſtructurâ, ut ſunt ſex digitarii, monorchides, aliique hujus generis quorum vitium etiam ab avis & atavis, unâ demptâ generatione, propagantur, & quorum exempla reperire eſt multiplicata in variis Academiarum actis & circà quæ meretur qui legatur Beccherus in libro ſecundo de Phyſicâ ſubterraneâ. Certè ſi in re cognitâ & conceſsâ, nec tamen magis enodatâ quàm reliquæ obſervationes phyſicæ quæ ad generationem ſpectant, aliquid addere liceat, novi ducem fortiſſimum, cui bombarda è ſclopeto claviculam contudit ita ut locus ſuperſit vacuus. Oſſis reliquiæ utrimque primæ coſtæ adhærent. Is poſt hunc caſum extulit puellam quam ſimili defectu laborare vidi, licèt talem deformitatem ipſi addicta uxor benè diſſimulatam ignoraverit. Sed id non magis mirum offert ſpectaculum quàm deducta in pueros à parentibus ſimilitudo faciei. Ineſt enim vis plaſtica circà quam ratiocinari atque argumenta cumulare, ut otioſis Phyſicis jucundum eſt, ita Medicis inutile prorsùs.

At ut poſteriori quæſtioni faciamus ſatis, imaginationis maternæ in fœtum eò periculoſa magis opinio, quòd teneat eas maculas nunquam ullâ arte poſſe deleri. Quod ut falſum eſt, ita etiam nulla eſt ex hiſce maculis quæ non ad aliquod genus deſcriptarum macularum referatur. Vini maculæ, laridi extruſio pilis onerati, mori, ficus, racemi, lumbrici terreſtres, cancri cocti figura, præconceptâ opinione fugatâ atque derelictâ, adaptantur ad thymia, acrothymia, verrucas, myrmecia & alia hujuſmodi quæ, ſi tollantur maturè, parvam relinquunt cicatricem, quòd ſcilicet vulgò totam cutem & intimam ejus ſubſtantiam adoriantur, nec verò ſuperficie tenùs effloreſcant. Hinc ad ſua quæque capita cùm de iis actum ſit, non videmus cur ampliùs circà ea exſpatiemur,

cùm præcipuè illorum nævorum atque pravarum conformationum exortus ad hanc de quâ tractamus materiam precariò tantùm videatur pertinere.

CAPUT III.

De Variâ venenorum in cutem ſolam actione.

INTER ea quæ proximè cutem attingunt vegetantia, & ea quæ commercii atque propinquitatis jure cum hominibus vivunt animalia minimè nociva ſunt illa quæ tantummodò in corporis ſuperficiem cutemque ſolam vindictam exerunt venenatam, nec ultrà penetrabile virus infundunt. Verùm tot & tam variæ ſunt venenorum à vegetantibus, tot ab animalibus deſumptorum ſpecies, tot formæ nocendi dantur, ut herclè vanam non luſiſſet operam qui hanc hiſtoriæ naturalis partem à fabulis omninò expurgatam exſequi aggreſſus eſſet, & in ſæviſſimas perturbationes animalium functionum, imò & in ipſam contagii hiſtoriam, non minimam afferret nec ſpernendam lucem.

Pleni ſunt tùm veterum (*a*) tùm recentiorum libri de effectibus vaporum è plantis exhalantium, de morsûs animalium nocivâ efficaciâ, de ſucci plantarum, atque animalium aut decocti, aut crudi venenato ad cibum uſu. At omnia hæc ab aliis refelluntur ; imò & quæ de phalangio appulo ſeu tarantulâ & Baglivi & Ric. Mead ſcripſerunt ita hodie accuratis obſervationibus eviluêre (*b*), ut ſtupendos illos muſices effectus nemo non falſi redarguat, aut ſaltem non habeat pro deluſæ imaginationis deliramento.

Jam verò morſus illos venenatos, imò etiam hominis irati morſum, ut & aliorum quorumque animalium ita Medici Arabes exſecuti ſunt (*c*), & variis proſecuti ſunt medicamentis, ut iis nec credere incautis liceat, nec inexpertis refellere.

Id tamen omninò ſcimus venena omnia quæ ex animalibus deſumuntur, utpotè actionem circuitûs & caloris perpetuò vivacis

(*a*) Aëtius, Tetr. 4, ſerm. 1, cap. 30, 40, 50. Paul. Æginet. lib. 5. Celſ. lib. 6. Am. Parè, liv. 20.

(*b*) V. Laurenti diſſ. de tarantulâ, & Forſter Journey to Italy.

(*c*) Avicenn. Fen. 6, tr. 4, lib. 4.

experta, ut etiam omnes partes aromaticas quæ ab iis deſumuntur, mirâ gaudere ſubtilitate, attenuatione, volatilitate, ad quam non attinguunt partes quæ ex vegetantibus deſumuntur. Scimus etiam quòd cùm animalium organa à tot externarum cauſarum mutentur impulſibus, & ſummam ab iis mutuentur varietatem, nullum poſſe dici animal in certo caſu non venenatum alteri ejuſdem aut vicinæ ſpeciei animali, quod infeliciter probat miſerrima peſtium & contagiorum hiſtoria. Tot intùs effervefcunt ſub corpore miaſmata quæ depurationis titulo functiones omnes perturbant, & ſæpiùs cutim ipſam invadunt & adoriuntur! Imò quædam ſunt quæ intùs comeſta depurationem, ſeu potiùs effervefcentiam ad cutim illicò certis anni temporibus & certâ corporum diſpoſitione procreant (*a*), qualis eſt mytulorum marinorum eſus. Idem, ſed non ſemel, vidi ſuperveniſſe innocuo uſui cochleariæ, naſturtii hortenſis, imò & oculorum cancrorum fluviatilium, undè forſan his ultimis precaria, ut Cl. Tralles demonſtravit, afficta eſt potentia ſanguinem depurandi. Verùm licèt hæc omnia ad morbos cutis non pertineant, cùm acutum in morem tantummodò cutis afficiatur, & ut ſentina habeatur, liceat tamen ex illuſtriſſimo de Sauvages (*b*) qui non inter infima Medicinæ Gallicæ lumina jure olim recenſebitur, obſervationem referre effectûs in cutim veneni quod ſanguini infuderat comeſtum largiùs hepar piſcis qui dicitur Salviano *Catulus minor*, Linnæo *Squalus Catulus*, Gallis verò *Chat marin*. Nondùm elapsâ horâ à cœnâ ſemiſſe, pater ſutor, mater & liberi in profundum delabuntur ſomnum, quem toto proflant pectore. Tertio tantùm die ad ſe redeunt, vultu intensè rubro, oculis flammeis, capite attonito. Dùm corpus ipſis ſuperpoſitis veſtibus terunt, ut ſolentur pruritum enormem quo vexabatur tota familia ejuſdem culpæ rea, mirantur epidermidem ex omni habitu in laminas papyraceas latiſſimas ſecedere, cum pruritûs levamine. Tres dies exegit uxor in auferendâ ſibi cuticulâ. Fortiùs adhærebat quæ manûs interiora & plantam pedis obtegit. Squammatim decidebat epidermis capitis, nec alopeciam invehebat. Sex tantùm dies perduraverat in muliere ægritudo; at vocatus poſt vigeſimum diem de Sauvages, in ſutore epidermidem pedum adhùc leviter adhærentem invenit, quam tamen bonus vir à pedibus integram detraxit, ut eam ipſi

(*a*) Behrens Diſſert. de Mytulorum venenato eſu, & ejus effectibus.
(*b*) De Sauvages, de venenatis Gall. animalib. pag. 6.

dono

dono daret. Miram herclè actionem venenatæ luis quæ poſt levem, nec tamen non metuendam in corpore mutationem, ita vincula epidermidis ſolvit à ſubjecto rete malpighiano, ut neutrum remaneret integrum. Uſquè adeò acrimoniarum hiſtoria remanet ad hunc uſquè diem imperfecta!

Cùm verò effectus eorum omnium venenorum quæ intùs inſumuntur & illorum actio non niſi per fortiſſimam depurationem poſſit in cutem agere, de iis nobis tractandum non incumbit. Sed quæ cutim vexant vegetantia & animalia ea aut morſu, aut halitu nocent, vel in eâ adhærent, in eam poſuêre cubilia, & quaſi indigena cutis facta ſunt. Hæc differentia duos hujuſce tractationis articulos principes comprehendit. Tùm verò id notandum incumbit eorum etiam quæ venenato ſpiritu agunt alia nocere viva, alia etiam mortua vi mechanicâ cutim perfodere. Eorum verò quæ cutem pro ſede natali, aut acquiſitâ elegêre alia in ſuperficiem habitant, ut nos terram incolimus, alia ſub illâ ſibi ſedes ſtruxêre, & ad ipſum uſque aliquandò adipem penetrant. Quæ diviſiones ut admittendæ ſunt, ita neceſſum erit de unâquâque nocendi ſpecie articulis totidem agere, ita ut primus comprehendat ea quæ impreſſione mechanicâ, ſeu per halitum, ſeu per appoſitionem cutem lædunt; alter morſum animalium, ſeu veneno imbutum, ſeu ſimplici contuſione agentem tractabit. Tertiò exequemur læſiones ab iis pendentes animalibus quæ cutim incolunt. Quartò demùm ea proſequemur quæ ſub cute, ut talpæ ſub humo, ſibi ſtruunt habitacula.

ARTICULUS PRIMUS.

De actione in cutim veneni quod ipſi apponitur.

Ut de remediis quæ ex animalium partibus deſumuntur multæ circumferuntur fabulæ, ita etiam de eorum habitu, aut applicatione venenatâ plurima falſa obtruduntur. Verùm, ut à generalibus ad ſpecialia ordine quodam certò deferamur, evidens eſt quæcumque acre ſpirant volatile halituoſum animalia, poſſe oculis atque cuti inurere acrimoniæ notam, pruritum, atque papulas, imò & eryſipelata phlyctœnodea excitare. Ita formicarum officinam olentem & ſummè volatilem ſpectanti, ſæpè etiam, ſine ullâ animalium invaſione, facies univerſa rubore affecta eſt, & pruritu.

Imò aliquandò in tenerrimis puellarum cuticulæ papillis inceſsûs ſui formica reliquit veſtigia ; & diſtingui vult Avicennas (*a*) impreſſiones à formicâ volante factas ab illis formicarum quæ deſtituuntur alis ; illas enim magis eſſe his venenatas. Penes ſit auctorem fides.

Formicæ ſcilicet acidum volatile fortiter ſpirant, & illud aliquandò adeò evolutum, ut nares ſternutatione afficiat, adeòque earum multiplicatione concentrata pars acerrima cutim afficere poteſt. Sed affectio hæc levis eſt, quæ affuſione aquæ frigidæ & præcipuè poſcæ, ſeu aquæ cum aceto intinctæ tollitur, paucarum horarum intervallo.

Non difficile eſt omnium animalium quæ ſic putridos, aut acres, aut acidos emittunt effluxus catalogum inſtituere, cùm ipſe eorum naturam ſenſus ſatis declaret. Si quis in canum conglomeratorum hoſpitium intrat, oculos ſibi feriri ſentit halitu prorsùs putrido. Sic & in ovilibus acidum ſpiratur quod fortius poſſit cutim laceſſere. Sic dùm urticam marinam, *meduſam* Linnæi, accuratiùs contemplabatur ill. de Sauvages, ejuſque motum conſtrictionis & dilatationis obſervabat, ſenſit exhalare vaporem ſubtiliſſimum oculos cæpe inſtar inflammantem ; ſi contigerat manus antequam lotæ fuiſſent, oculis admovere, vividior multò excitabatur calor atque pruritus. Quam ob rem credit ill. auctor in urticâ marinâ latere aliquid halituoſi venenoſi.

Plurima nobis ſimilia exempla ſuppeditant animalia ; nam ex plantis, licèt multæ virus ſpirent fortiſſimum, nullam novi quæ aliter in cutim agat halitu, quàm per interna fortiſſima ſymptomata. Quæ quidem differentia petenda eſt à differentiâ ſubtilitatis quæ ſumma in animalibus, minor eſt in vegetantibus ; nam quod de formicis vivis dicimus, id etiam de mortuis norunt pharmacopolæ, quod & de apibus, veſpis, lumbricis terreſtribus aliiſque hujus generis inſectis verum eſt, quæ omnia etiam mortua fundunt copioſum acidum volatile oleo ſubtiliſſimo conjunctum, oculis feriendis aptum, & cutis ultimos pungens penicillos, quorum impreſſio ſolâ poſcâ adhibitâ maturiùs ſanatur.

At ad plantas æquè atque animalia pertinet impreſſio ex applicatis & appoſitis cuti eorum partibus, cujus exemplum præbet urticarum appoſitio, etiam non violenta. Undè etiam in medicinâ ad exſuſcitandam languentem cutis actionem ejuſque nervos ex-

(*a*) Lib. 4, fen. 6, tr. 4.

ſtimulandos artificialis urticatio prædicata. Nec mechanicâ tantùm ſpiculorum vi agere videntur urticæ, ſed ſi credendum Hookio, in micrographiâ curiosâ, habent folia urticæ & ſpicula quibus ſeſe inſinuent, & ſpicula illa cavum quod liquorem venenatum contineat; ſed an eadem ſit ratio in aliis plantis, quarum numerum hìc proſequi foret inutile, dubitandum videtur, cùm plurima ſint, ut benè norunt pharmacopolæ, tùm inter vegetantia, tùm inter mineralia arſenicalia, tùm verò etiam potiſſimùm ex animalibus, quæ, tenui ſolùm polline emiſſo, non oculos tantùm, ſed etiam cutem pruritu afficiant. Ita norunt jocosè admiſſo intrà manus & fricato leviter phaſeolo Americano, pruritu levi, ſed brevì evaneſcente, cutim incendere. Dùm erucas tractabat Cl. Reaumurus earumque & chryſalides & bombycinas ſericas telas evolveret, mirum ipſi viſum fuit oculorum & narium ardore laborare, fortemque ſternutationem elici, dùm præſentes fæminæ collum, ut moris eſt, denudatum papulis plenum haberent.

Certè hæc omnia agunt vi mechanicâ & leviter cauſticâ, quæ per præſentem ſemper in cute mucorem in actionem acta, cuneorum more, ſeſe inſinuat, & non altiùs pungit, quia in ipsâ cute perit ejus pungens efficacia, à ſolidiſſimâ ſimul & tenuiſſimâ mole repetenda.

Famoſa erat apud antiquos nocendi vi eruca pini quam *pythiocampam* vocabant & inter venena lege prohibita habebant (*a*). Jonſtonuſque pythiocampæ impreſſionem æquat puncturæ urticarum. Ita piſcatores obſervant raiam (*b*), ſpinoſam illam quæ *aquila marina* Geſneri, *raia corpore glabro, aculeo longo in caudâ pinnatâ* Artedii, quamvis mortuam, maximè eſſe reformidandam, quia aculeus ille caudæ à Cl. de Sauvages accuratè luſtratus ita hamatus inventus eſt, ut regredi nequeat, abſque horrendis doloribus, lacerato per hamulos partium textu. De ſcolopendrâ marinâ quam ubi primùm quis tetigerit, pruritu mordetur atque urticatione, qualem naſci ab urticâ terreſtri notum eſt, teſte Æliano (*c*), non omninò apud auctores conſtat, teſte Cl. de Sauvages, *loc. cit.*

Patet indè in plantis, ſeu animalibus venenatâ actione cutim attingentibus, duplicem agendi normam eſſe diſtinguendam. Agunt enim alia pugionis, ſeu acûs more, alia liquoris cauſtici titulo &

(*a*) Digeſt. lib. 48, ad legem Corneliam de ſicariis & veneficis, lege 3, §. 3.
(*b*) De Sauvages, loc. cit. pag. 107.
(*c*) Lib. 7, cap. 35.

ſalium inſtar penetrantis, quæ licèt ultima actio poſſit ad priorem revocari, tamen in eo differt quòd dilutione egeat, ut agat, ita ut impunè corpus idem ſolidum in manu geſtes, quod ſi liquefactum fuerit, cutem profundè in eſcharam inurat, ut norunt omnes de lapide infernali, ſublimato corroſivo, mercurio, lapide ad cauteria Chirurgorum. Hoc prorsùs pacto agunt ſucci plantarum venenati acres, ut thytimali, toxicodendri, chelidonii, ranunculorum plurimorum, bryoniæ, & innumerorum vegetabilium quorum ſucci in cutem illapſi & ob innatam mucoſitatem ipſi adhærentes, pruritum & papulas in ipſam concitant, imò & ſæpè tincturam illi conciliant, citiùs ocyùs delendam. Si fuerint ſicci & in extractum reſinoſum converſi, jam impunè tractantur, & nullam actuoſitatem exercent. Ut autem non deleantur maculæ ab his impreſſæ, ſolent Scythæ atque Caraïbæ per vulnuſcula cuti inflicta illam altiùs intingere. Sed in hâc ultimâ ſuccos plantarum inſerendi formulâ, ſummè cavent & jure meritò quidem, ne quæ tincturam præbent plantæ, acres ſimul & cauſticæ ſint. Tunc enim earum partes intrà liquores reſorptæ veneni efficacioris actionem ſibi arriperent, poſſentque, ſtimulo propiùs admoto, potentiùs agere. Ita oleo tabaci ſagittas mortiferas intingunt Americani; & Plinio teſte, ſucco hellebori nigri tela inficiebant Galli veteres.

Verùm præter plantas has urentes atque cauſticas, quarum utplurimæ reſinâ pungente & linguæ epithelium acri morſu vellicante donantur, aliæ forſan multæ ſunt quæ morſu lentiori, at certo, conſtantiùs appoſitæ cutim in phlyctœnas attollunt & eryſipelate levi afficiunt, ulceribuſque confodiunt ſuperficiariis. Ad hunc uſum noſtrates mendici ut ulcera mentiantur & miſericordiam atque ſtipem ſibi concilient, clematitide, quæ ob hanc rationem *herbe aux gueux* vocatur, abutuntur; hæc ſanat ſola plantæ abſentia. Illa verò ſæpiùs uſurpata, larga atque levia eryſipelata concitat, phlyctœnaſque ulceroſas quæ à miſeris oſtentantur. Mitiùs, incertiùs, ſed meliùs ad ſcopum medicinalem ars uſurpat thymeleæ corticem, qui ſucco acri & pungente, præſertim humectatus, tandem cutem erodit, & partem debilitando in eam fluxum humorum concitat, undè cauterii vice fungitur. At ubi nullus in locum ulceratum humor confluit, norunt pariter omnes difficiliùs ulcera illa ſervari aperta, quàm claudi, ita ut nullum ejus actionis appareat veſtigium, & facta ab hoc cortice apertura

nullâ egeat tractatione. Nulla igitur acrimonia venenata latet in illo cortice. Et eadem videtur eſſe ratio aliorum ſimili ratione agentium corticum atque lignorum, aut herbarum, ut ſunt anagallis, cærefolium ſylveſtre, aliaque multa ſimilia vegetabilia quæ vulgò virtute cathæreticâ donata dicuntur, & quorum ſeriem materiæ omnes medicinales continent. Cùm enim lentè tantummodò agant, nec niſi calore humano fota atque enutrita, videtur illorum ſuccus per ſe acris novum calorem à corpore ſuppoſito vivente concipere novamque pati attenuationem; undè acrior jam papillas nerveas vellicat, nec ultrà ejus actio progreditur, nullam etiam apertâ in cute acrimoniam ut plurimùm inſinuans. Sic innoxiè intrà cauterium languens introducitur iris noſtras, non tamen acri virtute deſtituta, cùm fortiter purget, & ſemel tantùm ab eâ in cauterium introductâ febrem & alvi fluxum proritari, ſublatâ tolli, vidi. Vidit etiam alter è collegis meis à globulo aloës intrà cauterium immiſſo eumdem effectum pluries, & pro lubitu, repetitum. Nec fiderem hellebori fruſtulo. Metum enim facerent purgans benè cognita virtus, & exemplum cantharidum quæ tùm externè, tùm internè æqualiter veſicam afficiunt.

Multò fortiùs & vividiùs & penetranti magis virtute donantur appoſita & applicata cuti quædam animalia, inter quæ principem locum obtinent cantharides, quæ non eryſipelas ſolùm in cute excitant, ſed tanquam ignis exurens, veſiculam ingentem in parte quam attollunt, concitant, intùſque, ruptis epidermidis vinculis, irritationeque continuatâ diluviem ſeri lymphatici atque mucoſi magnâ ſuî parte concreſcibilis important. Imò aliquandò, pro conſtitutione interiori corporis, gelatinoſo humore veſicula hæc repletur, & in ſummè inflammatoriâ diſpoſitione loco veſiculæ fit eſchara, alba, lymphatica, laridi inſtar, & ſimilis cruſtæ quam in morbis inflammatoriis ſanguinis emiſſi ſuperficies obtinet, niſi quòd papillæ & granula celluloſa cutis in eâ notentur apertiſſimè. Si verò imprudentiùs in nudam epidermidem, vivamque cutem applicentur veſicantia è cantharidibus, naſcitur cum dolore & inflammatione ſummis ſimilis eſchara quæ poſteà, non niſi poſt ſubſequentem ſuppurationem, ſolvitur. Undè ex his patet effectibus quòd, etſi eryſipelas ſolùm provocetur à veſicantibus, illa tamen ejus eſt vehementia quæ facilè in phlegmonem vertatur. Nec certè inauditum eſt in ſenioribus, aut ita diſpoſitis,

à cantharidum applicatione éſcharas merè gangrænoſas fuiſſe concitatas.

Verùm præcipua nocumenta quæ à cantharidibus timentur non cutem ſolam exercent, ſed ut purgantia aliquandò cuti appoſita alvum movent, ſic cantharides in veſicam & urinæ vias agunt eaſque inflammant, imò & muci copiam magnam eliciunt, indèque pus, imò & tabum gangrænoſum; ſed ex his quæ ad præſentem tractatum non pertinent id tantùm deducere velim, partes acres ſubtiliſſimas & ſummè phlogiſticas ab iis inhalari quæ, cùm caput atque thoracem intacta ſinant, in membranas veſicæ analogiâ quâdam ſalinâ agant; illud indè etiam magis concludimus quòd camphora partibus ſubtiliſſimis ad oleum accedentibus prædita hiſce doloribus antidotum ſit.

Nec certè dubitandi locus relinquetur quin alia etiam inſecta eâdem pungendi cutim atque partes tenuiſſimas altiùs penetrantes emittendi virtute donentur, cùm non rarum ſit pharmacopœis & hiſtoriæ naturalis amatoribus, formicas tractantibus, & cutim videre in papulas converſam, & irritatione veſicæ laborare. Imò & licèt actio cantharidum lenta ſit, atque aliquid temporis poſtulet, ut veſicas attollat, plurimi tamen ſunt qui vel cantharidas tractando, puſtulas in cute vident elevari, non illæsâ veſicâ; hæc verò omnia, remotâ causâ, per ſe ſanantur, nullâ adhibitâ methodo niſi ea quæ ſimpliciſſimis vulneribus competit, cum hâc tamen cautelâ, ut quæ virtuti neutræ aliquid refrigerii adjungunt unguenta cæteris præferantur.

Verùm multa, ſi credere auctoribus fas eſt, propriam enim hìc afferre experientiam non datur, alia animalia ſolâ veneni applicatione, aut attactûs vehementiâ nocent. An electrico tactu noceat torpedo, ſive noſtri oceani, ſive ſinûum & fluviorum Cayennæ, an concuſſione violentâ, ut Cl. Reaumurus credidit, noſtrum hìc non eſt ulteriùs perpendere, cùm cuti vix noceat? At ſæpè urina felium, imprudentiùs cuti applicata, urina etiam humana, cochlearia, lepidium, plantæque omnes quæ per calorem immaniter & celeriter putreſcunt, papulas cuti attulêre. Sed ex his plantis omnibus ea quæ vividiſſimâ actione commendatur, eſt ſinapi ſemen quod, præſertim ex aceto coctum, ſi alicui parti applicetur, violentum eryſipelas concitat, imò & phlyctœnas enormes, agens veſicantium more; nec rubor, aut dolor adeò

placidè excutiuntur, licèt ſanentur etiam paucorum dierum intervallo. Pili erucæ in cutem accepti, præcipuè vero eruca pinûs ab Aëtio (*a*) reformidata tùm acredine, tùm duritie atque rigiditate ſpiculorum agunt. Imò &, notante Cl. de Sauvages, fruſta ciborum à muribus demorſa, & poſteà imprudentiùs ab hominibus manducata, partes venenoſas videntur ſervaſſe, cùm conſtet ipſi, per obſervationes repetitas ea & labia, & os inflammaſſe; quæ inflammatio plures per dies perdurabat. An emiſsâ urinâ venenatâ & liquore ad id ſervato noceat, dùm vividiſſimam cuti inflammationem infert, Bufo noſtras, licèt id pro accepto & demonſtrato habeant ruſtici, nullâ ſatis certâ obſervatione conſtitit, donec multis circà hoc animal obſervationibus dives Cl. Demours quæ ipſe ſedulò obſervavit publici juris faciat; verùm contrarias opinioni huic præjudicatæ obſervationes refert Cl. de Sauvages. Quamvis multa congeſſerit obſervata circà horumce animalium naturam in Americâ ſub ardentiori cœlo Cl. Hans Sloane (*b*), nulla tamen obſervata quæ rem confirment protulit. Certè acre illud, ſi exſtet, effluvium cuti nocere poteſt, præſertim tenerrimæ puellarum, quod ſufficit ut multiplicibus anſa detur fabulis. Verùm his inſiſtere prorsùs inutile eſt, quum magis curioſa quàm utilia, aut referantur ad cauſtica, aut ad ea quæ vi mechanicâ agunt. Cauſticorum autem, ut & ignis ipſiûs, actionem in cutem altiùs inquirere inutile eſt; quæ quidem cutim laceſſunt, ſed actione cognitâ. Nec pro morbo haberi poteſt actio evidens, aut ignis, aut aquarum ſtygiarum, aut ſolutionum quarumvis metallicarum quæ evidentiſſimâ actione cutim deſtruunt, undè aut eſcharam, aut phlyctœnas, atque eryſipelata inducunt; ſed raró phlegmonem accerſere poſſunt, niſi naturâ ſub eſcharis laborem novum auſpicante. Quippè phlegmo, etſi cutim perfodiat, non ad ipſam pertinet, ſed ad ſubjectum textum cellularem.

ARTICULUS II.

De actione in cutim veneni, tùm ex vegetantibus, tùm ex animalibus quæ cutim pungunt.

Plurimas eſſe plantas, plura eſſe animalia quæ donentur, illæ ſpinis & aculeis, hæc autem dentibus atque ſtimulis, nemo eſt

(*a*) Tetr. 4, ſerm. 1.
(*b*) Hans Sloane, nat. hiſt. of. Jamaic, tom. 2, lib. 2.

qui expertus neſciat. Hæ autem ſubſtantiæ omnes, ſi idæam veneni altiùs penetrantis abſtuleris, agunt ut corpora pungentia, aliquandò etiam ſimul contundentia. Hinc animalium grandiorum morſus dentibus impreſſi inciſivis, acutis quidem primò, mox in cuneum abeuntibus & rotundis, licèt ultrà cutim non penetrent, aliquandò tamen inflammationes concitant notabiles, & eryſipelas cuti nativum cum laceratione & contuſione natum. Aliquandò in phlegmonem vertitur morsûs impreſſio, præſertim cùm morſus non ex aperturâ ſimplici conſtet, ſed preſſione magnâ opus ſit duplici in puncto, antequam lacerentur partes cutis, undè rariſſimum eſſe debet textum cellularem & partes ſubjectas non in communionem mali rapi. Imò & quamvis Plinio & Charas non aſſentiar credentibus animalia quæ mordent maximam veneni partem ab irâ inſumere, imò licèt multi ſint auctores qui de morſu hominis irati tanquam de venenato ſcripſerint, tamen id habent ira & furor quòd morſus profundiores infligantur. Et latet forſan aliquid acris ex bile per ſpaſmum refluâ in morſu hominis irati, undè orta contuſio irritatur, & phlegmonem longâ & tardâ, ut in contuſis omnibus, ſuppuratione ſanandum concitare poteſt.

At nihil paris timendum eſt à puncturâ quam inferunt vegetantium ſpinæ, quæ proprio acumine agunt, ſine ullo impetu externo: ſed aliud datur metuendum incommodum, ſcilicet baſi ſuæ parùm vulgò adhærent illæ. Hinc in puncturâ quam inflixêre inhærent, corporiſque extranei vice funguntur, ut ſunt etiam à lignis deraſæ partes ſolidæ, ſcobes ferri, aliaque extranea quæ indè peſſimas phlegmones excitant, nec niſi ſuppuratione factâ deraduntur. Quæ ſi ſuppuratio concitari non poſſit, aut exire, ut in extremo digitorum apice ſæpiùs accidit, tunc peſſimum oritur reduviarum, aut paronychiarum genus, benè notum Chirurgis, ſed de quo hìc loqui non noſtrum eſt.

Ea autem incommoda eò graviora ſunt, quò partes infixæ longiores ſunt, adeòque altiùs penetrant, quò apice acutiori baſis latior eſt, tùm verò ſi, ut in urticâ, exit per tubulum ſpinæ infixum liquor aliquis acer & veneni vice pungens atque cathæreticum, poterunt naſci ulcera mali moris, ad quæ ſola referuntur omnia mala quæ in cute à morſu inflicto naſci poſſunt, niſi laceratæ ſimul atque divulſæ partes fuerint, ut ab aprorum, urſarum, tigridumque morſu fit, quos ad morbos cutis referre eſſet piaculum, cùm

cùm ſubjectæ partes ſimul abripiantur, ut muſculi, tendines; imò & ipſa oſſa divellantur atque frangantur.

At alii ſunt morſus animalium formâ minorum, quæ vel irâ percita pungunt cutem in propriam defenſionem, vel ſanguine delectantur humano.

Priorem explent claſſem apes, veſpæ, fuci, ſcorpii, tarantulæ, imò & viperæ. De viperarum dentibus inciſivis & veneno indè ſtillante, de variis viperarum Africanarum & Aſiaticarum ſpeciebus à Lucano olim deſcriptis, ab Aëtio, Avicennâ, Averrhoe, Rhaſe fusè expoſitis ſilere melius eſt, tùm quòd hæ materies ampliſſimè à viris eruditis tractatæ ſint, tùm quòd illorum animantium venenum levi tantùm puncturâ in cutim agat, cætera verò ſymptomata ad omnes corporis nervos æquè pertineant, nec plus ad hunc tractatum referantur, quàm canis rabioſi morſus.

Poſteriorem claſſem complent hirudinum & veſpertilionum quædam ſpecies, culices, cimices, pediculi, pulices, acari, aliaque vel minora animalcula quæ, licèt morſu ſatis uniformi pleraque agant, tamen cùm differentias aliquas demonſtrent in effectibus, levem ſaltem conſiderationem merentur. Alia enim plus agunt pruritu, alia plus papularum excitant, alia verò eryſipelas, alia maculas inferunt.

Muſcæ primùm noſtrates ſub finem autumni acriter pungunt, & leviſſimo aculeo, ita ut ne nota quidem remaneat. Ita incommodè agitant, ut plus equi quàm homines ſtare loco neſciant, & furorem concipiant, imò & in ſudores conjiciantur. Quarum etſi ſpecies multiplices numerentur, nocumentum in eo conſtat, quòd proboſcide humores exſugant cutaneos, pruritumque intolerabilem concitent. Sua forſan cuique animalium generi muſca inhæret. Hinc œſtrus boum dorſo inſidens ipſa animalium vaſtiſſimorum fortiſſima terga impetit, ut continuò ipſum longâ everrere caudâ neceſſarium ſit animalibus, imò ſi anum, vulvam, nares attigerit, in furorem aguntur illa. Undè & equi & aſini & boves ſeſe terræ volutare & inſudare cogantur; aſylum Romani dixerant quem aſperum acerba ſonantem adeò forti penicillo expreſſit Virgilius. Tabanus equis præcipuè infeſtus, tipulæ, aliaque hujus generis inſecta, morſu levi infeſta forent, ſi non ſimul atque receſſerunt tolleretur pruritus, ita ut nullum morsûs adeò infeſti remaneat veſtigium.

Nec video ullis aliis in regionibus, ubi præprimis copioſæ volitant muſcæ, ut in borealibus illis regionibus in quibus dies ferè perpetui noctem ferè continuam excipiunt, aut intrà tropicos, aliud à ſimplicibus muſcis incommodum metui, quod tamen tantum eſt, ut non ob aliam cauſam familiare fuerit harumce regionum incolis ſylveſtribus quibus artes ignotæ erant, ut corpora pigmento, & quidem olidiſſimo, quo fugarentur inſecta, intingerent & imbuerent. Cùm verò nos mitiore cœlo gaudentes & ornatioris climatis accolæ, veſtibus probè muniti incedimus, raro nos ita vexat hujus generis peſtis. At norunt omnes quàm facilè tibialia leviora penetrent, qualia ſuadet aliundè tempeſtatis calor. Nam de muſcis quæ divinitùs immiſſæ ſceleratos ad uſque mortem vexaverunt, ut de Adolpho, Comite Bergenſi & Juliacenſi referunt (*a*), & de muſcis Ægyptiacis quas ſacræ teſtantur paginæ, hìc nullus eſt dicendi locus, niſi crediderimus, aut poſſe pruritu enormi convulſiones violentas accerſiri, hominemque ſic de medio tolli, aut, ut aiunt de Wladiſlao, Bohemiæ Comite, muſcâ intrà fauces introductâ viam ſpiritûs præcludi. Id ut non impoſſibile, ita rariſſimum eſſe fateamur neceſſe eſt: verùm ſi cuticula deraſa fuerit atque detrita, poterunt muſcæ ſub ipsâ epidermide ova deponere, ibique vermiculos ingenerare qui poſteà in ulceroſos affectus difficiles ſanatui degeneres ire valebunt, & alia mala poterunt inducere.

At importuna alia, potiùs quàm metuenda cuti, inſecta innumera dantur, quorum aliis circumdamur, ſtrepitu quorumdam nos monente; alia nos tacitè circumſtant, & plagas inferunt. Aliorum natura eſt ut alis per aëra rapiantur membranaceis; alia contrà tantummodò pedibus multiplicibus donantur, præter numeroſum illud genus quod nobiſcum habitare amat, & corpus noſtrum pro patriâ ſeligit, de quibus poſteà dicendum erit.

Inſecta prioris generis quæ nos circumvolitant genere & ſpecie diverſa ex hymenopterorum claſſe Linnæi deſumuntur. Alia vindictam ſpirant, alia ſanguine & tenuiori humore paſcuntur. Inter illa quæ in ſuî defenſionem & tutelam armat vindicta, primam & maximam claſſem conſtituunt apes, fuci, veſpæ, quæ donantur ad anum aculeo tenuiſſimo illo & hamo multiplici recurvo lacerante; indè avelli vix poteſt ſine tenuiſſimarum partium divulſione infixus aculeus. Hinc etiam apes neutræ atque

(*a*) Zaller Miſcell. pag. 403.

fæminæ, quæ ſolæ illo armantur, eum in vulnere relinquunt. Præterea verò ad radicem aculei viderunt Hookius, Swammerdamius aliique naturæ obſervatores veſiculam liquore oleoſo plenam, quæ intrà cutem inſinuata veneni titulo agit. Undè etiam illuſtris Reaumurus (*a*) notavit ex veſpæ puncturis, nam veſpæ aculeos fortiores habent, nec illos relinquunt, ut notavit Aëtius (*b*), in vulnere, primam eſſe ſummè dolorificam, tertiam verò vix ſentiendam, donec novas vires animal reſumpſerit, reparaveritque liquoris venenati jacturam. Quod verò de veſpis obſervavit Reaumurus doctiſſimus, de araneis ſcriptor Liſter obſervaverat.

Multùm autem differt an ab unicâ ape iratâ vulnus acceperis, an incautus & imprudens alvearia diſturbans totam in te pubem exardere feceris. Nam tunc, licèt eadem vis, idem aculei venenum, multiplicatis tamen ictibus & impreſſionum numero ejus augente violentiam, dirum ſæpè eryſipelas in facie, manibus, partibuſque denudatis accenditur. Febris ardet violenta, phlyctœnæ oriuntur, non ſine gangrænæ metu, præſertim ſi in malè moratos humores malum inciderit. Pauca tamen hìc remedia conveniunt, cùm enim ſymptomata tantummodò refrigerium poſtulent, & diluentia indicent, ſufficit ſimul poſcâ, ſeu aceto & aquâ partes læſas fovere, quibus antiqui omnes addebant ſtercus, ſeu fimum bovinum, tanquam eximiâ & quaſi ſubitâ reſolvendi virtute donatum, in quibus id mirari ſubit quod cùm aculeus intrà vulnus reſtitet, tamen ut quæ in ligneis fruſtulis intrà cutem ſuſceptis neceſſaria eſt, nulla hìc extractio tentanda ſit, ſive vi naturæ cum humore inſenſibili extrudatur ille, ſive putreſcat latenter adeò parvula moles.

Famoſæ erant apud antiquos (*c*) vi pungente & venenatâ apes Calchoides, ſive Cretenſes, quæ ſi turmatim aggrederentur & boves ipſos poſſent proſternere. Nec certè deeſſe debet vis major urendi apibus in calido aëre & præfervido climate degentibus. Neque tamen alia medicina eſt. Aſſerit verò Aëtius venerandum crucis ſignum ex ferro plagæ impreſſum omnia iſta vulnera ſanare, quod etſi empyricum remedium, non ideò volui celare cùm indicet quouſquè doctiores in aliquâ parte, in aliâ ſe imbecilles præſtent.

(*a*) Hiſt. des Inſectes, tom. 5, Mém. 7.
(*b*) Tetr. 4, ſerm. 1, cap. 12.
(*c*) Ælian. lib. 17, de Animal. cap. 25.

Vindictam pariter & cibum ſibi quærunt phalangia, ſeu araneæ, inſectorum genus multipes, ſed alis omninò deſtitutum. Quod ingentem famam veneni ſibi vindicaviſſe, ideò credo, quòd hirſutum animal, tetri coloris ut plurimùm, formâ fœdiori, ſilentio incesſûs, timorem pueris incutiat, tùm quòd non ſolùm carnivorum ſit, & ex inſectis vivat, ſed etiam propriæ ſpeciei & paribus non parcat, quod homini forſan ſoli & ſcorpiis atque phalangiis proprium eſt. Undè apud auctores duplex eſt in araneis nocendi modus. Hauſtam in vino, vel aquâ araneam ut venenum aliqui deſcripsêre, inter quos & Avicennas & Paulus Ægineta, fortiſſimaque ſymptomatibus validiſſimis antidota cum vomitoriis rutam ſylveſtrem, allium, ſemina ſpondylii, calaminthan, daucum præbebant. Nam & anxietates & febres & urinæ emittendæ difficultatem inter hæc ſymptomata numerabant. Rem de noſtris phalangiis negat illuſtriſſimus de Sauvages, licèt aliter ſenſiſſe videatur Cl. Liſter. Materia hæc de morbis cutis tractantes non tangit. Probè tamen ſcio nequiſſimam fæminam, quæ è vivis tollendo marito laboraverat inſcitè, faſſam fuiſſe, ſe octo araneas ex horridis illis & nigricantibus ex vino propinandas viro alioquin moroſo dediſſe, innocuè quidem, homini qui, ſi rem ſciviſſet, forſan convulſus ex horrore fuiſſet.

Morſus verò aranearum ad nos pertinet. His aculeus recurvus utrimque duplex. Liquor à proboſcide intermediâ venenatus exit, demonſtrantibus Clar. Mead & Liſtero. Morſus vix ullum dolorem concitat, at terrorem incutit ingentem. Veriſimile eſt inſectis quibus veſcuntur illas venenatas eſſe, eorumque liquorem reſiſtentes adhùc perimere. At hominibus nullam, ſaltem apud nos, noxam infligunt, nec videntur aliquam mereri attentionem. Nec ipſa plaga à phalangio appulo tarantula dicto inflicta ulla externa medicamenta poſtulat, aut morſus araneæ illiûs Americanæ, quam Fr. Hernandez (*a*) ſub nomine *hoitzocalt* deſcripſit & quæ tarantulæ, ut ait, & corpore, & nocendi efficaciâ ſimilis eſt, nullum remediorum apparatum requirit, externorum ſaltem; ſi quæ tam à longo tempore de eâ relata ſunt, ſtatim, & ſub novorum obſervatorum inquiſitionibus ut falſa non habenda ſint.

Liceat ergo cum recentibus de fabuloſis aranearum nocumentis ſentire. Nec tamen diffitebor mihi ſcrupulum injici à doctiſſimi

(*a*) Hiſt. Animal nov. Hiſp, tr. 4, cap. 5.

Aetii (*a*) ſcriptis. Ecquid enim? Si, ut ſaltem apud Gallos verum videtur, ſpernendi ſint aranearum morſus, cur doctiſſimus auctor ſex earum ſpecies ita aptè diſtinguit, ſymptomatibuſque diſcriminat vir alioquin in obſervandâ naturâ magni ponderis, ut de venâ Medinenſi tractantibus poſteà apparebit. An in Aſiâ quam præcipuè vir illuſtris incoluit res aliter ſe habet quàm apud nos? An aliqua in obſervando ſegnities nos facit in illis ignaros? Certè quoad ea quæ ad cutim attinent, nec araneæ, nec ipſiûs ſcorpii morſus aliquid notabile à nobis exigunt, ſi fides habeatur Cl. de Sauvages & Mead. Quocircà operam luderemus inutilem, ſi circà illos ampliorem tractationem inſtitueremus, cùm præſertim ſatis jam de illis viri clariſſimi ſcripſerint.

At numeroſiſſima eſt illorum inſectorum cuti nocivorum claſſis quæ etiam non laceſſita, ſanguine aut liquoribus humanis aut cibantur, aut delectantur. Primam claſſem tenet inter alis deſtituta animalia, ſuâ in claſſe ſingularis, hirudo, cui ſi ad vitam neceſſaria foret ſanguinis humani uſura, jam certè dudum tota periiſſet ſpecies, cùm paucis admodùm eveniat ut talium epularum contingat opportunitas. Ejus in cutem actio ea eſt, ut triplici ſtimulo vulnus ſatis profundè inferat, ut indè ſanguis copiosè profluat, quem poſteà aliquo inſtrumento linguæ in morem facto ſugit, & advocat ad cutim, ita ut fortiter cuti appreſſa hirudo eam, niſi plena cruoris, non dimittat. De ejus anatome quam in actis Academiæ Regiæ Scientiarum inſtituit Morandus hìc altiùs agere inutile eſt. Sufficiat ſcire hìc, non omnes æquali ſugendi poteſtate donatas iri, eas verò quæ fortiores ſunt & quas hirudines equinas vocant, eâ vi eſſe præditas quâ fortiſſimum animal poſſint plures ſimul admotæ ſolâ ſanguinis effuſione trucidare. Nec minùs notabimus antiquos de hirudine voratâ tanquam de graviſſimo malo locutos (*b*), at huic veneno ſolam aquam ſalſam oppoſuiſſe. Nec mirum, cùm etiam vulneribus in cutem inflictis, perſtantibus adhùc animalibus, ſal pro certiſſimâ medicinâ ſit; quippè & eas fugat, imò & enecat, atque ab iis inflicta ſanat vulnera. At credunt aliqui magnum debere adhiberi in animalibus illis ad uſus medicos ſeligendis delectum, quippè aiunt eas quæ nigræ ſunt morſu venenato infames, quod experientia falſum demonſtravit. Certè quæcumque hirudo ſanguinem ſuxerit, plagam levem, vix prurientem relinquit, quæ

(*a*) Tetr. 4, ſerm. 1, cap. 18.
(*b*) Aetius, Tetr. 4, ſerm. 1, cap. 51.

cum muriâ deterſa & benè lota, nulla ſuî poſt paucorum intervallum dierum relinquit veſtigia.

An res ita ſe habeat cum genere illo veſpertilionum quæ, referente Flacourt, apud Madagaſcarii inſulam clam ſeſe hominum dormientium intrà cubicula inſinuant, nulloque quo expergeſcat dolore facto, ipſos ſanguine exhauriunt, hùc uſquè ſcire non datum. Timido animali vulgò ad illud fugandum terror ſufficit; aliundè ſanguine ſatura hæc animalia vulgò tanquam ſtupida concidunt, antequam funeſta labes inflicta ſit. At de ejus morſu leviſſimo, ſiquidem ne dolorem quidem concitat, nihil certi hùc uſque mihi conſtitit.

Non iras, aut furorem concipit, ſed aut pabula, aut delicias quærit importuna illa turba, quam æſtas in locis humidioribus & calentibus parturit culicum, moſchitarum, moſticarum, tùm etiam alia circumvolitantia inſecta ephemera, quæ incautos circà ripas aquis aut ſtagnantibus, aut tranquillo curſu defluentibus irriguas, tam ſævè pungunt aculeo, ſuguntque proboſcide. Species comprehendunt quas Linnæus vocat *culices*, *empyes*, *conopes*, *hypoboſca*, *aſylos*, animalibus etiam & hominibus æquè infeſtas.

Quò regio aliqua luto atque cœno ſqualet magis, calore perfuſa humido, eò etiam & pluribus & valentioribus infeſtatur culicibus, quorum ſpecies hìc numerare extra operis metam foret. Hinc America, præſertim verò inſulæ & magnorum illorum fluminum quibus tota perluitur littora, eorum genere multiplici ita ſcatet undiquè, ut inter ejus munimina jure meritòque illa inſecta habeantur. Inter quos culices eminent illi quos Portugalli, ſeu Luſitani *moſchitos* olim nominavêre, Britanni verò atque Galli *muſtiques* appellant, de quorum ſpeciebus qui plura certa atque obſervata videre voluerit, adeat Ill. Hans Sloane Hiſtoriam Jamaïcæ.

His omnibus commune eſt ut cutim telo acutiſſimo perfodiant, liquoriſque acris & verè ignei guttulam infundant; undè non ſolùm dolor pro perfoſſionis momento vividiſſimus & intolerandus exoritur, non er ſipelas leve, ſed circà vulneris oras cutis tumet intenſiſſimè, jungitur dolori punctorio pruritus intolerabilis, & ſi incautè his te expoſueris, & plures, aut manus, aut pedes percutierint, artus omnis undequâque inflatur, tumet textus cellularis, dolores undiquè circumfunduntur. Adeſt ſævior

inflammatio, febris eodem gradu, eâdemque vehementiâ quâ tumor cutis decreſcit, aut increſcit. Si tamen locum puncturæ luſtraveris, omnia ſimpliciter eryſipelatoſa videbuntur, & manu appoſitâ rubor evaneſcit, excepto loco quo aculeus infixus fuit, ita ut nulla alia ſit diagnoſtica nota morsûs inſecti, niſi in illo punctulo.

Dormientes æquè aggrediuntur, atque vigilantibus infeſti ſunt. Veſtes ipſas, ſi non arctè colligatæ fuerint, ſuperant. Et ſæpè ab eorum morſibus palpebræ mirum in modum intumuêre, donec calore aucto & febre vel in toto corpore, vel in ſolâ parte concitatâ coquatur, ut cæteri humores morbifici, & expellatur venenum. Raro tamen ultrà cutem ejus efficacia extenditur, ita ut ſemper prognoſis fauſta inſtitui poſſit, niſi tamen ſcateat interiùs aliquo vitio animalis œconomia, tunc enim delatis hùc tanquam à veſicante omnibus humoribus, poteſt & inflammatio phlegmonodes & ipſa gangræna naſci. Imò non rarum eſt in tenerioris conſtitutionis pueris glandulas in puncturæ viciniâ affici, undè pro re natâ poterunt illæ ſuppurationem concipere.

At verò tota curatio interior in diluentibus, antiphlogiſticis liquoribus conſiſtit, ne creſcat inflammatio & peſſima evadat, ne febris in ardentem vertatur. Exteriùs verò nunquam hìc admittenda unguenta, aut olea rancore cutim inficientia. Poſcâ tenui, ſaturninâ identidem, vulnus fovere convenit, aut plantis refrigerantibus, & levi adſtrictione donatis quæ ad hunc uſum tanquam ſpecificæ laudantur. Tales ſunt plantaginis, betæ, ſedorum variorum folia, quibus præ omnibus excellere videntur guttulæ aliquot ſpiritûs alcali volatilis, qui potenti vi reſolvente donatur, præcipuè verò ad cutim appoſitus ſubitâ eam refrigeratione afficit.

Ad hæcce remedia referuntur omnia illa arcana venditata ad morſus culicum. Quibus ad præcautionem antè morſum inflictum addenda ſunt olea odorata, fœtida, quibus corpus amant intingere Caraïbæ, imò & ab iis remotiſſimi Laplandi, quos tamen frigidiſſimo ſub cœlo vexant culices mirum in modum, cùm lacûum ſeptentrionalium ripas incolant illi, & poſt octonos hyemis menſes æſtas, apud eos imbribus & inundationibus infamis, ardore ingenti ſæviat, cùm per longiſſimos dies vix ſol exurens noverit occaſum.

Forma nocendi in omnibus ferè eadem eſt. Sunt tamen differentiæ aliquot. v. g. datur in Jamaïcâ, teſte Hans Sloane, culex

minor niger cujus punċturam non ſentias. Cutem tamen ſanguineis maculis inficit. Alia ſpecies quam *maringuoins* vocant, ſtrepitu terret, priuſquam morſu dolorem acrem incitet, fumoque ſugatur. Aliud eſt inſeċtum, *mapyeri* vocant (*a*) Guianenſes, quod cutem ita ſphacelo inficit, ut igne inurere partem pro unico remedio ſit. Alia forſan ſunt ſimilia multa quæ, ſub viatorum fide, referre longum foret & inutile. Saltem ex poſitis hìc principiis nemo non agendi rationem ſimilibus in caſibus reperiet, modò non ova in inflićto vulnere deponant inſećta, quod multis animalculis commune eſſe ſuadet analogia, quâ, teſte Cl. Reaumuro, demonſtratur non aliam ob cauſam ab ichneumonibus perfodi pulices, niſi ut in vulnere depoſitis ovis ſub ipſorum viſceribus creſcat vermiculus, qui in chryſalidem primò, dein in ichneumonem faceſſat. Si tale quid hominibus acciderit, certè abſque aliquâ ſuppuratione tolli ovula hæc impoſſibile : ſin minùs intrà cutem adoleſcent ; de his infrà dicendum erit.

Præstereà notandum eſt non eumdem eſſe effećtum inſećtorum cutem pungentium in eorum cutem qui iis aſſueverunt & pluries demorſi ſunt, quaſi faſtidioſum & prægustatum cibum ſpernerent helluones illi : multò minorem in indigenas quàm in advenas, in viros & ſenes quàm in pueros ferociam exercent.

Importunitate volitantium horumce animalium pejor eſt adhùc illa quæ pendet à beſtiolis illis quæ, etſi alis deſtitutæ, ex noſtrâ ſubſtantiâ pabulum quærunt, ut ſunt cimices noſtrates horrendo putori punćturam dolorificam jungentes, & importuno inceſſu pruritum in cute, imò & anxietatem univerſalem ita producentes, ut ſomnos avertant toto illo tempore quo æſtas perdurat ; imò & hyeme reſurgentes ad morſum, ſi cubicula ita diſpoſita ſint, ut nunquam aëre frigidiori perflentur. An idem ſunt atque culices rotundi de quibus in anthologiâ : certè alia acarorum rubicundorum ſpecies versùs pratenſia domicilia noſcitur quæ ſanguine pariter vivant. In eâdem claſſe continentur pulices, nullo quidem odore diſtinćti, ſed acerrimum infligentes morſum. Hi quidem ab uno animali in aliud feruntur. Nec uni ſpeciei addićti ſunt, à canibus, bobus, felibus, in hominem tranſlati. Pediculi verò ſeu *pedes* dićti Plauto, qui ſquallorem & ſpurcitiem ſequuntur, & de quibus poſteà articulo peculiari dicendum erit, inter ea inſećta meritò numerantur quæ nidum in noſtris ponunt corpo-

(*a*) Tom. 2, lib. 2.

ribus

ribus & ex noſtrâ ſubſtantiâ non ſolùm vivunt, ſed propagari viderentur.

At cimices, pulices, acari, blattæ, aliaque minùs cognita, forſan etiam alia incognita inſecta videntur primò cutem perfodere, tùm poſteà evidenter ſanguinem exſugunt, ita ut qui flaveſcens & pellucidus erat antè paſtum cimex, dùm cuti adhæret, rubeſcat, & brevì tumeat omninò. A pulicibus non tam pruritûs importunitas metuitur, quàm punctura acutiſſima. At remanent utriuſque poſt morſum maculæ ſanguineæ rotundæ, ob æqualitatem ſuctionis, ſed nullus, aut in demorsâ parte, aut in viciniâ dolor. Hinc ergo importunitas ſumma, periculum nullum. Talem avertere peſtem, hìc labor eſt. Nam ſanare inflicta vulnera nulliûs eſt pretii. Certè ſulphure necantur, & dùm torpent hyeme, circà eorum ova, ne excludantur, ſummâ munditie allaborandum: ſervorum cura ſit, nec foramina relinquere abdita, nec ſtragula aut crepidines lectorum negligentiùs tractare, vernice & pigmento maſtychino omnia obturare. Hæc enim omnia dùm perpetuum cimicibus bellum inferunt, eos tandem omninò deſtruunt.

Sed non ad omnes æquè poteſt hæc cura pertingere; pauperiores, & pueros ſortis tenuioris in collegiis congregatos ſæpè inſectis hiſce perfoſſos videas. His ſæpè jure apponuntur cubantibus herbæ, quas cimices dùm plus ſanguine humano appetunt, eorum derelinquunt corpora. Hâc virtute pollere dicuntur phaſeoli, atriplices, braſſicæ, aliæque hujuſmodi plantæ, quas experiri quid vetat? Multi ſunt in hiſce rei medicamentariæ ſcriptores. Res mihi de foliis phaſeoli certa viſa eſt.

Quod de cimicibus dicitur, non ita de pulicibus ſaltantibus illis verum eſt. Sed ſummè interdicenda cum catellis communicatio, aut animalibus domeſticis quæ hiſce inſectis undiquè conquiſitis per æſtatem ſcatent. Unica ſit in hiſce vitandis regula, munditiem ſervare exquiſitam.

Acarus minutiſſimum ex viſibilibus animal cuti pariter inſidet, in quâ oculos fugit, pruritum tamen incitat, & morſum infligit non adeò ſpernendum quin ſentiatur. Sed vix unquam aliquam meretur attentionem, ut & blattæ, plus veſtibus quàm cuti incommodæ; quæ tamen omnia inſecta aſſiduâ frictione, balneo, & ſi pejora ſint, ſulphure fugantur illito. Nam, ut alibi dictum fuit, ad omnia inſectorum genera cutim obſidentia nil meliùs confert illinitionibus ſulphureis. Sunt tamen etiam hujus generis inſecta

peſſimè ſordida quæ inguina præſertim, & partes genitales fædant, atque pruritu vexant, epidermidem etiam divellentia. Hæc unguento mercuriali tantummodò tacta occumbunt, quod quidem procul dubio alia pariter necaret cutanea inſecta, ſi tutò, & ſine incommodo poſſet illud totam in cutem adhiberi. Imò, ut jam alibi diximus, à morbis cutaneis rebellibus ad luem veneream detortum fuit unguentum mercuriale, & ſcabies vera & legitima ab inſectorum incognitorum morſu pendere viſa eſt. Quod tamen non ita accipi velim ut videantur omnes cutanei morbi ab inſectorum morſu pendere, ut plures, nec ignobiles Medici, etiam temporibus nuperrimis, contendêre, cui cum favore excipiendæ opinioni obſtant & rerum natura, & depuratoria plerorumque indoles, imò etiam ſimpliciſſima plerorumque non depuratoriorum curatio.

ARTICULUS III.

De Animalibus quæ in cutem inſiliunt, ſub ipsâ vivunt, & nidum ponunt.

Ex hominum conditione eſt, ſi ſani eſſe velint, ut cutem ſervent & mundam, & ita apertam ut non ſolùm exhalationi apta ſit, ſed inhalationi etiam, quandòquidem ea libera habenda ſit, quippè quæ, licèt minùs cognita, non tamen minùs ad ſanitatem & vitam conferat, quàm ipſa exhalatio. Præter latentia mala quæ neglectam cutis curam, accumulataſque cutaneas ſordes ſequuntur, timenda ſemper eſt, imò quaſi neceſſariò ſupervenit animalculorum plurium, per varias regiones diverſorum excluſio. Omnibus terris communis eſt pediculorum proventus. Nam ut ſuus cuique ſpeciei animalium eſt pediculus, ſic etiam homini peculiaris eſt à microſcopicis auctoribus ſatis fuſè & accuratè deſcriptus. Verùm homini non una ſpecies incumbit, nocent ipſiûs cuti etiam aliorum animalium pediculi, ſic pediculus vulturis effectus in hominem atroces gignit, teſte qui eum deſcripſit Avicennâ. Sic alius deſcriptus eſt ab Hans Sloane, obſervatore præſtantiſſimo, quem Americanum ferocem vocavit. Præterea verò dantur etiam alia inſecta incognita quibus, ut videtur, cutis non proprium nidum præbet, ſed quæ datâ occaſione in ipſam invaleſcunt, atque commorantur. Uniûs ego exemplum vidi in puero

qui pertuſus ad collum per varias retrogradas & mirum ad modum ſub epidermide delineatas rubellas vias ſine pruritu, ſine ullo incommodo ad pedem uſque pervenerat. Ibi repens per cuniculum, nullo alio ſymptomate, præter claudicationem levem, rursùs ſibi novum iter cudebat animalculum puſillum rubrum quod ego è blattarum genere putabam. Integrum aſpicere non datum fuit, nam ut incognitam peſtem averterem, ſuaſi propinquis ut decocto tabaci recentis cutem foverent, quo & animal peremptum, & paucos poſt dies veſtigia morsûs ſublata ſunt. An illud quod *pedicellum* Piceni, *ſacrum* Taurini, *burgantem* Vaſcones vocant, nullâ formâ expreſsâ, prӕterquàm globi: ait eum Scaliger (*a*) extractum acu & in ungue poſitum ſeſe movere.

Datur & in meridionalibus oris Galliæ noſtræ inſectulum à vindemiarum quo ſævit tempore nomen accipiens, pediculus levis & rubens, qui ſæpè ſub ipsâ cute fodit cubilia, imò & altiùs penetrans phlegmonem concitat, & cum ſuppuratione exit de corpore; hanc prævertit Chirurgus, ſi forfice levi, aut aciculâ radens inſectum ſuſtulerit.

Sed quò propiùs ad humidiores atque exæſtuantes Americæ oras pervenimus, præſertim verò ad inſulas atque locos illos in quibus ſylvæ æternæ atque vix pertuſæ nidum omni animalium generi præbent, dùm ſimul plantis hederaceis atque repentibus ſolum omne ſternitur, ſimul à denſiſſimâ arborum procerarum congerie ſol arcetur, eò magis propullulant mille inſectorum genera; hìc reptatu cutem attingit pediculus ferox Americanus Cl. Sloane (*b*) quem *chegos* vocat, *chique* noſtrates appellant. Adeſt ſenſus incommodus, dolor levis, tumor inflammatorius, ſed mollior. Experti ab Afris nigritis Chirurgi aperiunt cutem aciculâ paulò ſupra tumorem, accuratè illum à cute ſanâ ſeparant, & cavitatem quam tumor ablatus relinquit tabaci cineribus explent. Addunt continendis cineribus emplaſtrum. Poſt paucos dies ſanata reperiuntur omnia.

Ad omnes quidem pertinet inſectum illud, ſed nigritas & illos qui pedibus nudis incedunt adoritur præſertim. Undè plus digitos pedum invadit, quàm aliam quamcumque corporis partem. Tumor piſo æqualis in duplicem ab incolis ſpeciem diſtinguitur, alteram venenatam, alteram veneno carentem. Utroque

(*a*) De Subtilitate contra Cardanum.
(*b*) Lib. 3, cap. 2, pag. 2. Introduct. pag. 124.

in tumore vivacia reperiuntur inſecta, per fibras ſugendo, ut crediderim, aptas corpori adhærent; venenato ineſt punctulum nigricans; ſed Cl. Sloane arbitratur negligentiam curæ diſſimilitudinem hanc parere. Præterea tumor hic continet magnam ovulorum copiam quæ ex albo ſquallida, ſi terantur, ſtrepitum edunt. Creditque illuſtriſſimus auctor ova eſſe inſecti pedicularis quod vitam communem agit in locis cœnoſis & ex detritu vegetantium ſquallentibus. Inſinuantur vulgò ova ſub pedum ungulis quæ, ſi ſinantur, multiplicant ſeſe, in verminoſum ulcus faceſſunt, lædunt oſſa, imò & gangrænam arceſſunt. Refert Pater Labat Capucinum, cujus is erat ardor ut in Europam horumce inſectorum coloniam adduceret, ſibi inſecta illa ſpontè pedibus appoſuiſſe, ſperans maturum ſatis in Galliâ reditum ut peſtem hanc viderent Medici Galli, ita ſpe ſuâ excidiſſe, ut fuerit neceſſarium ei crus amputaſſe antequam terras contingeret. Quâ in hiſtoriâ ſocordiam certè ægri, ſed Chirurgorum imperitiam redarguendi, locus eſt.

Sed quid addamus de verme illo intrà cutim excluſo & ibi intrà ipſum adipem degente quem *macate* dicunt. Qui cùm ſuibus in Americam aſpoitatis communis ſit, ipſos tamen etiam homines invadit, tres lineas craſſus, ubi jam adolevit, quatuor longus, albus, annullaris, roſtro utrinque adunco & forficibus acutiſſimis donatus, qualem extraxit & extractum ex parte adiposâ clunis fæmineæ ſpiritu vini ſervatum mihi demonſtravit vir omnibus fortunæ donis dignus, tùm ob artis eximiam peritiam, tùm ob ſuavitatem morum puriſſimam D. Chambon olim Cayennæ Coloniæ Gallicæ, nunc noſocomii militaris cohortium Prætorianarum Chirurgus. Certè non ita integer ſeſe intrà cutem inſinuavit, ſed ovuli formâ latuit ſub epidermide. Quandiù ibi latet & phlegmonem atrociſſimum & ſuppurationem inſeparabilem, nec exhauriendam, inducit, altè ſeſe ſemper defodiens. Hoc abſtracto, in quâ certe abſtractione faciendâ per forſices, cum arctè adhæreat, arte & patientiâ opus eſt, omnia mala brevì evaneſcunt.

In genere verò fatendum eſt nunquam adeò tacitè inſecta ſubtus cutem irrepere, quin facile ſit ipſis mederi, ubi ſemel eorum invaſio cognita fuerit. Imò ſolitarium inſectum raró ingens machinæ nocumentum inferre poteſt. Verùm ſi, ut in miſerrimâ omnium rerum egeſtate, ſi, ut in ſquallore carcerum, multiplicentur ærumnæ, munditiesavertatur, creſcat ſpurcities, in humido ca-

lore, nonne poteſt ita arrodi cutis, ita humores depravari, ita aceſcens mucus redundare, ut muſcæ illæ quæ animalium mortuorum carnes circumvolitant, & faceſſunt in vermes ſquallentes atque rotundos exedentes cadavera, poſſint etiam vivam carnem, ſed languore emortuam, ſed ſquallore rancidam, ſed putrefactioni proximam adoriri, ita ut dentur homines σκωληκοβρωτοι qui vivi roduntur à vermibus, ut de Antiocho apud Machabæos, de Herode in Actis Apoſtolorum legitur?

Certè in ulceribus cacoetheis & phagædenicis vermes videre in mendicis non ita rarum, ut & in diro illo pedis ſphaceliſmo melancholico atque ſenili. At minùs frequens eſt, ſaltem noſtris in oris, videre ulcera à vermibus orta, undè illa fuit plurimorum opinio, quod de vermibus in ſacro textu dictum eſt de phthiriaſi intelligi debere. At illuſtriſſimus Boerrhaavius dùm agit de aquâ & imbribus, narrat dari ex alto deciduos imbres qui quam veſtium tetigerint partem putrefaciunt, imò vermiculis excludendis anſam præbent, ut natæ indè phlyctœnæ ſcateant vermiculis. Id putat apud Æthiopas ſe vidiſſe Ludolfus. Certè & Africa & Aſiæ illa pars quæ tropicum inter & lineam æquinoctialem ſubjacet, omni genere inſectorum terrifica eſt: nec hucuſquè circà hanc partem Hiſtoria Naturalis abſoluta. Verùm his corroſa vermiculis corpora ſiccitatem ſummoperè quærere debent, diſcutere decoctis plantarum acrium & aromaticarum admiſſa & nondùm ulcus conſtituentia inſecta. Quo in genere proſunt nicotiana, ſtaphiſagria, abſynthia, amara, odorata quæcumque, tùm balſamica, reſinæ odoratæ quæ inſecta fugant & enecant. Ipſe quoque mercurius iis enecandis aptiſſimus eſt, ſed non ſine aliquo periculo, uti jam dictum. Verùm hiſce omnibus præſtat ſedula mundities, balnea, quæ vel ipſa imperat Aſiaticis & Africanis religio, linteorum mutatio quotidiana, capillorumque ac pilorum, imò & unguium cura, ne mucoſæ ſordes ipſo uſu vitæ detritæ & accumulatæ ranceſcant, & nidos excipiant horumce inſectorum. Etenim diſpoſitio cutis ab intimâ humorum diſpoſitione pendet, quæ poteſt in hujuſmodi cachexiam converti quæ ingeneret inſecta, ut modò videre fas erit, dùm ſingulatim famoſos cutaneos expendemus morbos qui, ut frequentiùs viſi, ita fuſiùs ab auctoribus deſcripti ſunt, phthiriaſim ſcilicet, ſeu pedicularem morbum, crinones, ſeu comedones qui infantilia corpora vexant, & demùm venam medinenſem, ſeu vermem illum ab auctoribus

Aſiaticis olim deſcriptum quem nunquam Europa genuit. Nam ſi quæ ſint alia inſecta aut nobis, quod poſſibile non negamus, aut aliis quibuſvis auctoribus prætervisſa, facilè ex inductione ex cognitis deducendâ tractabuntur & curabuntur.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

De Phthiriaſi.

Phthiriaſis, φθειρίασις morbus pedicularis, ita à Græcis dictus quòd perdat atque corrumpat cutem, ἀπό τȣ̃ φθείρειν, morbus eſt ab omni antiquitate cognitus, & ab omnibus ferè auctoribus deſcriptus, ſi ſolum forſan exceperis Hippocratem. Celſus (*a*) de phthiriaſi loquens eam pro morbo palpebrarum proprio habet, additque eam excipi ingenti fluxu ſeri acris erodentis, ſed de eâ tanquam de morbo locali loquitur. At Galenus (*b*) morbum in phthiriaſi pedicularem, ut univerſalem agnoſcit, cui cæteri auctores Græci aſſentiunt.

Diviſio tamen inter Arabes & Græco-Arabes legitimè admittitur, ut morbus alter pedicularis univerſalis ſit, alter verò particularis, qui & pediculorum genere differt. Ità ſecundùm ipſos, naturæ ad normam & inſtitutum, alii ſunt pediculi barbarum hirſutarum & capillorum denſorum, quos rotundos & tenuiſſimos *lendes* vocant, vermiculique ſunt, potiùs quàm pediculi; quamvis eos multi pro ovis pediculorum habeant: alii rotundi etiam & tenues, multipedes, inguinibus ſolis hærent, *morpions* dicti, qui mercurio in unguentum adhibito perfectè ſanantur. Ad pediculos etiam referunt eos qui inter unguium juncturas & manûum articulos adhærent, cirones ſeu χείρωνες dicti, quos ex hoc numero eximimus, nec inter pediculos numerandos credimus; quibus additur vera pediculorum cognitorum familia ubique in corpore habitans, ſed præcipuè denſiſſimas pilorum ſylvas incolens.

Verùm de hujus morbi generatione, ſeu potiùs diverſis ſpeciebus, inter auctores ingens diſſentio. Ariſtoteles (*c*) enim pronuntiat pediculos ex carne gigni, quibus futuris emergunt puſtulæ

(*a*) Lib. 6, cap. 6, nº. 15.
(*b*) Lib. de Theriac. ad Piſonem.
(*c*) De Hiſt. Anim. 5, 31.

quædam ſine pure exiguæ, quas ſi pungas, pediculi exeunt. Et quidem aliquos eâ fœditate obiiſſe proditum eſt (*a*), ut Alcmannum Poetam, Pherecidem Syrum Tragædorum auctorem, Acaſtum Peliæ. Imò quidam ſunt auctores qui Olynthium Calliſthenem, dùm in vinculis juſſu Alexandri Magni ſervaretur, hoc morbo putant interemptum, quamvis aliter Arrhianus (*b*) & Q. Curtius cenſuerint : Mutium præterea juriſconſultum, imò & Platonem philoſophum, dignum æternâ gloriâ virum, inter teterrimi mali victimas numerant. Quòd ſi illos quoque allegare operæ pretium eſt qui, nullâ quidem virtute celebres, nomen tamen aliquod conquiſiêre, fama eſt eum qui bellum ſervile movit in Siciliâ, Eunum nomine, fugitivum, poſtquam attractus Romam captivus eſt, morbo pediculari conſumptum.

Sed & Diodorus Siculus (*c*) refert parùm ab Æthiopibus diſtare *acridophagos*, & ne cum Salmazio (*d*) ſentire videatur, qui ακρίδας pro ſummitate plantarum intelligit, locuſtarum fugandi eaſque occidendi rationem edocet. Cùm autem ego cum Salmazio ſentirem, nec ſatis ex analogiâ chemicâ intelligerem quomodò veſci poſſint homines inſectis attenuatiſſimis & ad cantharidas accedentibus, teſtis autopta Cl. Chambon jam cum laude advocatus, qui orientales locuſtas curiosè ſecuit, nil ſibi mirum videri in iis epulis admonuit, cum iſtis magnitudine prodigioſis promineat mirum in modum abdomen membranaceum, in quo ingens undiquè referta reperitur è vegetantibus minutim conciſis paſta viridis, quæ colorem, odorem & mucaginem vegetabilem ſervet. Dicit verò Diodorus Æthiopas illos eſſe corpore levi & pedibus celerrimis, ſed vitâ admodùm brevi, cum longæviſſimi apud eos XL annos non ſuperent. Mirabilis etiam vitæ exitus eſt, omniumque miſerrimus. Ingruente enim ſenio pediculi corporibus ipſorum alati innaſcuntur, non ſolùm genere diverſi, ſed etiam ſpecie horridi & inſigniter deformes. Peſtis hæc à ventre & præcordiis exorſa perexiguo tempore totum corpus exedit. Morbo hoc afflictus, primùm velut ſcabiei prurigine irritatus, leni titillatione mordicatur, oblectamento ſcilicet cum dolore permixto. Verùm poſteaquàm beſtiolæ intercutes ſubindè magis ad ſuperficiem enituntur, magna tenuis ſaniei vis

(*a*) Sever. Samnon.
(*b*) Arrhian. lib. 1°.
(*c*) Diodor. Sicul. Hiſt. lib. 3, Ed. Rhodom. pag. 162.
(*d*) Præfat. in Homonyma materiæ med.

cum intolerabili doloris acerbitate ſimul erumpit, idcircò violentiore unguium fodicatione ſeſe lacerans ægrotus, gemitus miſerabiles effundit. In maximâ verò exulceratione tanta vis vermium expullulat ut aliis poſt alios, tanquam è multifariam perforato dolio, erumpentibus & ſcaturientibus, omnis ablegentium opera ludatur. Hi ergo per hujuſmodi corporis reſolutionem infelici exitu vitam claudunt; an à naturâ cibi, an à temperie aëris eventus iſte proficiſcatur, ambiguum eſt. Hæc Diodorus. In fœdis impuriſque ulceribus pediculi naſcuntur, inquit Plinius (*a*). Nec negarim caſum hunc mihi nunquam viſum aliis occurriſſe. Cùm præſertim Hyeronim. Mercurialis vir doctiſſimus & inter viatores obſervator præſtantiſſimus, eaſdem obſervationes à Diodoro jam factas Agatharchidi tribuat. Prætereà rem obſervaverat Foreſtus (*b*) in pictore inſigni Boeklandio, aliique auctores multi, quos & in Ephemeridibus naturæ curioſorum & alibi paſſim reperies, ita ut autoritate res non indigeat.

Verùm alia eſt phthiriaſeos, ſeu morbi pedicularis forma quam & Ennio Poetæ aiunt contigiſſe, & Dictatori Syllæ (*c*), cujus corpus in pediculos totum verſum, ut cùm multi noctu & interdiù tollerent eos, nullâ parte potuerit tamen quod rejiciebatur æquare illud quod ſuccedebat: verùm omnes veſtes, balneum, pollubrum, cibus illis repleretur. Ideò ſæpiùs die ingrediebatur balneum, abluens & abſtergens corpus, cæterùm nihil proficiebatur. Vincebat enim celeritate converſio, ſuperabatque copia omnem purgationem. Vidit Amatus Luſitanus (*d*) Olyſſipone hominem cui nomen *Tabora* non ignobile, qui hoc morbo miſerè obiit. Ita enim pediculi per ejus corpus ſcatebant & abundabant, ut duo ejus ſervi Æthiopes nihil aliud curæ haberent quàm ex ejus corpore cophinos plenos pediculorum ad mare quod civitatem hanc alluit deferre. Sed fidem derogat amplificatio.

Certè hiſtorici plerique declarant Philippum ſecundum Hiſpaniarum Regem, morbo pediculari obiiſſe, & cum ulceribus quidem. Sed an pediculi ab ulceribus naſcerentur non ſatis conſtat? Quamvis ergo, apud nos præſertim, rarus ſit exquiſitus ille morbus pedicularis homines chronicè perimens, ſatis ex numeroſis obſervationibus omni fide dignis conſtat, eum eſſe admittendum;

(*a*) Lib. 27.
(*b*) Foreſt. lib. 8, ſchol. obſ. 15.
(*c*) Plutarch. in Syllâ.
(*d*) Amat. Luſitanus, cent. 3, curat. 58.

cùm

cùm præſertim nullus ſit apud Medicos qui non aliquandò, etiam in ſummâ munditie, curiſque aſſiduis pueros & puellas præſertim ſubitò pediculis affici viderit, quos non ſine ſummâ curâ, ſed tutò tamen ars evellit. Pediculi verò iſti iis quos ſordities ſibi proprios vindicat perfectè ſimiles ſunt, & à contagio crederentur oriri, ſeu potiùs contactu ſordium quas in urbibus populoſis devitare impoſſibile eſt. Sed contactus ille unum aut alterum poſſet ingenerare, non turmam illam quæ opportunum nidum nacta, tam facilè, tam celeriter evolvitur. Nec ulla datur obſervatio pediculos illos rotundos, aut alios nobis minùs cognitos quos *platiſſas*, Arabes *alguardam aſſoab* vocaverunt, aut morpiones, aut ſyrones qui ab homine in hominem communicantur, unquam morbum proprium produxiſſe, de quibus vide Joubertum (*a*). Nil ſimile narratur de iis qui ricini Scaligero dicti, poſt Varronem & Plinium, non homini proprii ſunt, ſed ab ovibus & canibus, teſte Plinio, in nos traducuntur, & dicuntur *iraii* in canibus, aut cynoraïſtes; apud Arabas verò ſub nomine *kervæ* deſcribuntur.

At pedicularis morbus verus eſt proventus multiplicatus pediculorum majorum homini familiarium. Illos autem præcipuè aggreditur qui ad pubertatem nondùm pervenêre, ex puellari ut plurimùm ſexu, flaventes illos & comis benè nutritis conſpicuos. Illis quos morbus iſte in remiſſiori gradu, qualem mihi contigit obſervaſſe, adoritur, ſubinvenitur cachectici aliquid. Manus & pedes ut plurimùm humiditate frigeſcente perfuſi ſunt, & ineſt cuti glabrities quædam œdematoſa, epidermiſque facilè in lamellas ſecedit. Tùm oculorum acies obtunditur, facilè catharroſam rancedinem contrahunt & nares levi de causâ obſtruuntur, aut diarrhæa ſubit. Urinæ copioſæ ſunt & facilè turbantur ac fœtent. Cùm appetitu careant ad picam facilè deducuntur atque malaciam. Fœditatem hanc à mutatione aquarum contrahi auctor eſt Ariſtoteles (*b*), quod ita intelligendum eſt ut aquæ meliores in pejores mutentur.

Ego verò nullam aliam cauſam proegumenam crediderim efficaciorem, quàm quæ pendet ab alimentorum craſſorum & uberiorum pravâ concoctione; ita ut ſordes accumulentur ad cutem, ob excrementi mucoſi copiam, undè fit ut in animi

(*a*) De Cutis Affectibus, cap. 6.
(*b*) De Hiſt. Anim. 5, 31.

anguſtiis, poſt ærumnas graves & ingentes luctus, pediculi ſuccreſcant. Indè Medici omnes Græci & Arabes melancholici aliquid ſubeſſe credidêre, & à craſſamento & excremento melancholico horumce animalium generationem pendere aſſeveraverunt. Datur certè cachexia pedicularis, ut eſt cachexia verminoſa, quæ climate, uſu alimentorum, moribus, communicatione vires ſumit. Certè licèt plures viderim hoc infortunio leviter laborantes pueros, nullum unquam indè occumbere vidiſſe contigit, quantumvis pro lethali & certam ad mortem deducente ab omnibus æqualiter auctoribus morbus ille habitus fuerit.

De cauſis quidem remotis atque proximis hujus morbi id ſcimus, morbum quidem pedicularem hos præſertim invadere qui ad cachexiam proni antè pubertatem eâ conflictantur, tùm verò etiam eos qui jam in decrepitam ſenectutem vergunt, præcipuè verò melancholicos, ſordidos, & ſi quandò reges atque divites adoritur, illud præcipuè indè pendet, quòd dùm vita luxu diffluit atque divitiis, alimenta plena ſucci aggregantur, agglomerantur etiam concoctionis nimiæ excrementa. Verùm non ſatis diſtinctè de causâ proximâ pronuntiaſſe videtur Galenus (*a*), licèt ei ſubſcribat Avicennas (*b*) dùm ait pediculos gigni ab excrementis calidis tertiæ coctionis, non tamen acribus, aut pravis, quia ex acri & virulentâ materiâ nullum animal gignitur. Proventum illum etiam ſub cute fieri poſſe, nec ſolùm ad cutem naſci contendunt, aiuntque pediculos ſub cute natos minori ſemper mole donari, ut potè incluſos, nec ſpatii compotes majoreſque qui ad cutem & in aere libero naſcuntur; quod an obſervatione compertum ſit neſcire me fatebor?

Verùm, licèt in hâc conſideratione cauſæ morbum efficientis aliqua vera ſint, problema non ſolvitur. Id certum, ineſſe poſſe limphæ & muco nutritio aliquam rancedinis ſpeciem quæ hæc animalia præcipuè foveat atque delectet, undè ova in eo deponunt, quæ plurimis de cauſis poſteà intruſa, aut vi etiam vermiculorum animata, poſſunt profundiùs penetrare, & inſeri, donec calore loci adoleſcant, & in perfecta inſecta mutentur. Naſci indè poſſunt, circumroſâ omni viciniâ, ulcera plus minuſve profunda, tabo ſimul atque inſectis diffluentia. Verùm ulcera illa ſemper ſuperficiaria erunt, nec niſi naturâ ad cicatricem & regenera-

(*a*) Lib. 1°. Methodi Med. cap. 7.
(*b*) Avicenn. lib. 4, fen. 7, tr. 3, cap. 26.

tionem fruſtra tendente poſſunt illa excavari & adoleſcere. Sed quodnam ſit ranciditatis illud lymphaticæ genus & quonam oppugnandum ſit ſpecifico latet, cauſas enim proximas hariolari datur, non introſpicere.

Diagnoſis quidem morbi, ut plerorumque cutaneorum morborum, ſimplex & facilis. Prognoſis ut certò habeatur, varii morbi gradus ſtatuendi ſunt. Vulgò enim pediculorum proventus inexpectatus ille, & ſine ullâ prophaſi evidenti irrumpens facilè fugatur. Difficilior eſt prognoſis ulcerum pediculoſorum quæ nunquam vidiſſe mihi contigit. Certò lethalis eſt phthiriaſis ad inſignem evecta gradum, qualem deſcribunt omnes auctores veteres, & ex quâ tot viri celebres occubuêre.

Curatio etiam phthiriaſeos pro vario gradu diverſa eſt : & quidem in topicis commendandis plurimi ſunt auctores, tùm etiam in victûs regimine. Sic Paulus (*a*) pediculos putat à ficûum uſu frequentiori generari. Idem etiam aſſeverat Aëtius (*b*) aliique ex antiquioribus Medicis ferè omnes. Contrà verò regimen ſiccum & ſalſum, vinique mediocrem uſum horum excluſioni eſſe infeſtum, adeòque curandæ phthiriaſi aptum putant. Certè ſi, ut mihi videtur res, ita & aliis demonſtrata eſt, infantes pediculis laborantes ferè omnes eſſe cachecticos ; ſi etiam fovet & alit pediculos ſenilis & immedicabilis cachexia, proderit certè & corpus antè omnia corroboraſſe & affluentem cachecticorum humorum copiam per purgantia eliminaſſe, quandoquidem ſudoriferis nulla fides adhibenda. Quibus quidem in medicamentis id etiam curæ habendum eſt, ne aut vires debilitent, aut inteſtinorum tonum infringant, ita ut aliquid indè coctio patiatur novi mali, ſed contrà robur inſpirandum & alacritas reſarcienda, ita ut & coctio benè peragatur, & ut veterum more loquar, excrementum illud tertiæ coctionis, perſpiratio, inſtauretur.

Undè in ſimilibus caſibus, mercurialibus, reſinoſis, aut aliis lymphaticæ tenacitatis ſolventibus nullâ ratione fidendum eſt : cùm qualitas potiùs lymphæ pro causâ mali habenda ſit, quàm ipſiûs viſcoſitas, quæ cum inſectorum generatione commune nihil habet. At interioribus ſic in ſecuro poſitis, & adhibitis propriis ad cachexiam medicamentis, ſi illa notabilior ſubſit, quæ ex amaris tonicis atque martialibus conflantur, tunc ad topica curam

(*a*) Lib. 1, de Re medicâ, cap. 81.
(*b*) Tetr. 1, ſerm. 1.

vertere convenit, eaque maximam curæ partem complent, cùm non ſolùm vermiculos ſimul atque pediculos enecent, ſed etiam texturam cutis ejuſque laxitatem ſanent, tonum addant, defendantque ab inſultu ovulorum, aut eorum excluſioni obſtent.

In hâc quidem parte, certè plus in materiâ medicâ divitiarum nobis ſuppetere quàm quæ olim à veteribus obtinebantur potis eſt aſſerere. Ea enim quæ Oribaſius accumulat ex iis facta ſunt medicamentis quæ inſectis necandis, etiam iis quæ veſtibus inhærent blattis commendantur. Cedria, reſinæ, gummi hederæ, cæteraque balſama odorata, ſandaracha, nitrum, veratrum, ſtaphiſagria, muria, aqua marina, quæ omnia vermiculos omnes enecant: verùm inter alia omnia topica eminet tùm famâ, tùm virtute *delphinium ſtaphiſagria* dictum, ſeu pedicularia dicta antiquis, quæ exteriùs illita phthiriaſi potiſſimùm medetur, ita ut Paulus (*a*) pronuntiet, ſe pediculariam ex aceto oleoque tritam inunxiſſe, nec unquam vacaſſe ſucceſſu. Quod quidem jam remedium olim à Galeno (*b*) commendatum fuerat, additis ſandarachâ & nitro.

Verùm omnes æquè auctores antiqui conſentiunt ad laudanda balnea & illinitiones ex veratro factas, quod eò magis crediderim, quòd ſummè acris planta cutim roborare atque detergere potenter poſſit, mucumque ſolvere, &, ut antiqui aiebant, inter cutis purgantia rectè habebatur, dùm ſimul inſecta necare valet. Quod etiam de aloë, de colocynthide intelligendum. Mihi verò ad hunc uſum in morbo, levi quidem, ſed pertinaci egregiè ſucceſſit nicotianæ decoctum; hoc certè brevì perimuntur inſecta. Sed citò morbus recurret, niſi diù in topicis verſemur, & malo etiam jam à longo tempore fugato iis inſiſtamus. Id tamen mirum videtur quòd omnes æqualiter auctores radicis oxylapathi exteriùs uſum ſummè prædicent, & æquent veratro, quæ certè vegetabilia, tùm acredine, tùm facultatibus à ſe invicem differunt. Apud nos vulgò laudatur unguentum mercuriale, quod ex tertiâ, vel quartâ parte mercurii cum adipe mixti conſtet; quod cum ad ricinos & platiſſas ſpecificum dici poſſit, non video cur non in phthiriaſeos metu adhibeatur. At antè illiùs uſum certè maxima de ſtatu humorum inquiſitio agenda eſt. Nam ſive tenuior ſit lympha quæ phthiriacos conſtituit, ſive aliam ob cauſam, peſ-

(*a*) Lib. 3, cap. 3.
(*b*) Lib. 2, de Comp. ſec. loca.

ſimo vidi inſtitutam ſucceſſu mercurii inunctionem in lepidâ puellâ, quæ cum pediculis laboraret, intereàque propter imminentes nuptias ſummâ celeritate ſanari volebat, inunctionem adhibuit validam. De pediculis mentio nulla poſteà, ſed ipſa amauroſi correpta ſubito impetu fuit, quæ uſque ad hodiernam diem perdurans miſeram & connubio, & vivendi facultatibus orbavit. Alius ſalivatione ingenti ad primum mercurii aditum correptus dentes amiſit. Nobiliſſima mulier quæ pulcherrimam comam alebat, funeſto eventu in diverſorium impurum lecto minùs cognito credita pediculos contraxit, inungit mercuriali unguento capillos, pediculi perempti ſunt, ipſa phthiſim contraxit. Verùm corpore benè præparato, & humorum craſi reſtitutâ, certè inter præſtantiſſima phthiriaſeos remedia mercurius recenſendus eſt, ſi tamen datur aliqua ſpes in phthiriaſi ad aliquem gradum evectâ & ulceroſâ.

PARAGRAPHUS II.

De Crinonibus & Comedonibus.

Crinones, ſive ut Paræus (*a*) ſcripſit, cridones, ſeu comedones inter morbos cutis jure locum obtinent, ſive vermes ſint, ſive à pilis extrà ſedem natis horrenda naſcantur tormenta. Nam morbum hunc nunquam me vidiſſe profiteor, & ab auctorum monumentis loquar. Jo. Schenkius (*b*) pilos puerorum corpora infeſtantes deſcribit, dein vermiculos intercutaneos, additque à quibuſdam affectum pilarem vocari, ſeu τριχίασιν, quamvis ab omnibus ferè auctoribus τριχίασις pro palpebrarum morbo habeatur jure meritòque; porrò ſervandorum nominum utilitas ab omnibus agnoſcitur.

Crinones etiam noſtros cum dracunculis alii, inter quos eminet Sennertus (*c*) confuderunt. An quòd neutros viderint? Quod mihi contigit. Schenkius verò adducit autoritatem Hieronymi Reuſneri qui cridones cum varis vult confundi & utroſque eodem nomine Germanico proſequitur. At Samuel Haffenrefferus (*d*) qui tractatum expreſsè de morbis cutis ſcripſit, ſimpliciter

(*a*) Lib. 7, cap. 21.

(*b*) Schenkii, lib. 5, obſ. 7. Georg. Hieronym. Welſchius, Diſſertatio de Crinon. & Comedon. Petr. Borell. Obſerv. cent. 1, obſ. 6.

(*c*) Sennert. ſent. 2, cap. 24.

(*d*) De Morb. cutis, cap. 11.

pro morbo pilari habuit, carpitque Ariſtotelem qui morbum hunc pro affectu à vermiculis exorto habet. Contrà Georg. Hieronymus Velſchius, propriâ edoctus experientiâ, eos vocat vermes infantum capillares, tenues & exiguos, pilis craſſioribus quodammodò ſimiles, ſub cute, in artubus & præcipuè dorſo innaſcentes. De formâ eorum nil ſibi proprii vindicat Sennertus, cinericios & nigricantes pronuntiat Magirus, & Schenkius vermiculis ſimiles qui in caſeis naſcuntur. At Winceſlas Raphanus, Medicus Oppavienſis, (*a*) eos fuſiùs deſcripſit. Humeros, inquit, & brachia inungebamus farinâ aceto permixtâ; vix peractâ unctione & ablutâ, ſtatim eminebant è cute diverſis locis tubercula quædam puſilla, ut papaverum ſemina, coloris cinericii. Ea ſtatim cultello abradebantur. Quod niſi ocyùs fieret, recondebantur iterùm, & intrà cutem ſe recipiebant. Hi quoque vermiculi, ſive quovis alio nomine vocentur, primò multi ſe proferebant, poſteà pauciores, poſtremâ unctione prorsùs nulli.

De crinonum igitur & comedonum naturâ nondum ſatis conſtat. Certè latet eorum ſtructura non plenè obſervata, nec plus de eorum origine ſcitur. Dari tamen in Americâ & Africâ vermes ſubcutaneos in ulceribus plerumquè naſcentes teſtis erit Cl. Hans Sloane (*b*), & pluries vidit atque ſanavit ſub humidiori Guyennæ Gallicæ cœlo dilectus mihi Cl. Chambon. Hi in muſcas excluſi avolant, dato tempore. Sed nec phaſes metamorphoſeos, nec inſectorum natura, nec ovulorum forma ſatis nota ſunt.

Obſervatio eſt plurium auctorum, vermes albos cum ſanguine è venis exiiſſe, aliis negantibus, & credentibus adipis fruſtulum pro verme habitum fuiſſe (*c*). Vermem quemdam pariter è venâ umbilicali, ſæpè etiam & ex umbilico in recens natis infantibus reperiri plurimi auctores memorant, qui & umbilicum rodat & de nutrimento detrahat, maciemque inducat. Quin & Hiſtorici varii narrant Imperatorem Henricum Quartum hoc ipſo vermiculorum capillarium morbo extinctum fuiſſe, aliis negantibus. Sed dari ovula quæ poſſint ex aëre externo in cutem excipi, ut de pediculis notavimus, indèque calore humano, præſertim morboſo fota excludi non admodùm impoſſibile eſt. Quod vitium apud ſordidas impexaſque hominum gentes frequentiùs occurrere

(*a*) Scholz. Epiſt. 27.
(*b*) Hiſt. Jamaïc. Introduct.
(*c*) Jo. Rudolph. Camerar. Memor. Medicinæ, cent. 12.

debet, rariùs apud nos videre eſt, apud quos vel tenuioris ſortis homines aliquam munditiei idæam ſemper ſervant.

Verùm quocumque modo ſeſe res habeat, ſive crinones & comedones vivi vermes ſint, quod minùs probabile, ſiquidem agitata illa corpora nullis tamen ulceribus procreandis apta ſunt, ſive pendeat morbus is à difficili excretione pilorum, & bulborum vitio dolorem & pruritum afferente, non tamen minùs verum eſt morbum hunc inter affectus cutis eſſe recenſendum, ſuaque ſymptomata habere de quibus auctores, potiſſimùm Germani qui de morbis infantum ſcripſerunt, ſæpiùs mentionem injecêre, conſiſtere verò in externâ punctorum nigricantium ſummè pungentium eruptione, quæ plus minùſve aliquandò eminent, ſive ea exteriùs vis vitæ nunc impellat, nunc retrahat, ſive vita ipſis & organiſmus competant.

Symptomata ſunt (*a*), pruritus enormis noctu præſertim & calore lecti exaſperatus, undè inquietudo ingens, vigiliæ, atrox ſeſe continendi impotentia, ſed aſſidua hùc & illùc jactitatio, atque volutatio. Tùm, licèt ſecundùm aliquos auctores fame premantur aſſiduâ, & bellè comedant ægri, nam alii proſterni appetitum aiunt, tamen eorum corpora macie conficiuntur, conſtipatâ tamen alvo; imò & notavit Haffenrefferus (*b*) cordis palpitationem inter crinonum ſymptomata, & Hieronymus Montuus (*c*) lethalem epilepſiam ab iis oriri ſibi perſuadet. An non potiùs tremendam, & certæ mortis prænuntiam ab emaciatione convulſionem. Nam certum eſt omnes qui à crinonibus moriuntur infantes tabe abſumi. Quippè, ubi jam longis confecti fuêre cruciatibus miſeri, jam non ſuus remanet tenor & craſis legitima ſucco nutritio, undè reparari ablatis crinonibus materia nutritia poſſit.

Hi verò an etiam aliquandò in tumores aſſurgant & ſuppuratione deleantur inter auctores controverſia eſt? Nec certè mirum, cùm de nominibus non conveniat, & ſæpè pro crinonibus apud Joelium imò & Schenkium vena medinenſis habita ſit. Tota ergo crinonum diagnoſis in prædictorum ſymptomatum accumulatione conſiſtit, cum externâ apparentiâ punctulorum nigrorum, nunc ſeſe manifeſtiùs oſtentantium, nunc plus minuſve deliteſcentium; pro-

(*a*) V. J. H. Welſchium loc. cit.
(*b*) Haffenreffer. loc. cit.
(*c*) De Morb. Infantum.

gnoſtica verò ſigna in magnitudine & duratione prædictorum ſymptomatum tota comprehenduntur. Nam ſi multa & permagna ſint illa, vix tremendis effectibus reſiſtere poſſit infantilis machina quin convulſa pereat, & jam à longo tempore perdurans macies eò uſquè produci debet, ut nullâ arte reſarciatur, adeòque conſumptis & exſiccatis viſceribus pereundum eſt. Narrantur tamen & apud Mangetum (*a*) & apud Schenkium exempla plurium infantum ex hoc morbo ſanatorum, quæ quidem quomodò peracta ſit curatio ab iis repetendum nobis ſupereſt, cùm ipſi nunquam & ſimiles morbos, aut curationem parem viderimus, quamvis olim apud Narbonenſes frequens fuerit, teſtibus Borello, Jouberto, Meyſſonerio, Schyrone, malum quod forſan diligentiùs exculta mundities perſanavit, aut deſtruxit.

Curatio verò partim ſymptomata, partim vermes ipſos, ceu cauſam morbi attingit; ultima verò indicatio illa quæ ab his illata ſuperſunt incommoda tollere ſatagit. Vigiliis atque cruciatibus præſentibus opem ferre, ut neceſſarium eſt, ita diætam diluentem atque refrigerantem imperare neceſſe eſt. Tùm etiam, fugienda alioquin in infantilibus corporibus, narcotica admovenda ſunt & adhibenda, doſi quidem refractâ, inter quæ optimè in uſum vocantur leviter hypnotica ex papavere noſtrate conflata, ſyrupus de diacodio, ſive de papavere albo, papaveris decoctum, extractum papaverinum noſtras, in emulſis doſi ſuſpensâ, horâ ſomni oblata.

Dein verò Schenkius (*b*) methodum ad cauſam morbi tollendam chirurgicam ſic deſcribit; mulieres ad hypocauſta & ſudatoria infantes deducunt, muſculoſas affectas partes blandè primùm inductâ manu perfricant, poſt etiam melle perungunt. Hâc arte, ubi prolecti plurimùm fuerint vermiculi, tunc Chirurgo imperant ut novaculâ exſertorum capitula abradat & dimetat.

Verùm objiciunt multi (*c*) hanc methodum non carere periculo, cùm capitibus tantùm exſectis periculum ſit ne reſidua ſub cute corpuſcula putreſcant. Imò vermes illi ut plurimùm naturam polyporum aquatilium ſervant, ita ut, ſi non omninò abraſi fuerint, ex ſuis funeribus reviviſcant; undè auctor eſt (*d*)

(*a*) Bibl. Med. Pract. lib. 3.
(*b*) Loc. cit.
(*c*) Winzius, Append. de Morb. Infant.
(*d*) Loc. cit.

Paræus

Paræus ut volſellis comprehenſi omninò abripiantur. Hanc etiam ſuaſit curationem Borellus (*a*) expertus in germano ſuo fratre. At, evulſis illis, ne ſuperſint ovula quæ malum ingeminare poſſint magnâ curâ invigilandum. Indè varia epithemata à variis auctoribus commendantur, inter quæ eminet illud quod ſtercus ovillum (*b*) cum oleo & melle inunctum recipit, ſimilitudine à Græcis Medicis deductâ, qui ſtercus bovillum pro medicinâ adversùs apum morſum commendabant.

Certè olea quævis ad inſecta necanda jure meritòque admoventur, inter quæ certè præſtant olea illa quæ ex plantis amaris atque fetidis eliciuntur, eſſentialia præſertim, ut abſynthii, chamæmeli, tanaceti, quæ eximiâ penetranti videntur virtute donari, niſi tamen dolor ab operatione ſuperſtes ea præferri juſſerit quæ, cum virtute penetrante, etiam narcoticâ donantur facultate.

At ſi cutis durior fuerit, nidumque vermiculorum conſumi interſit, addantur parvâ doſi quæ virtute cathæreticâ & epuloticâ mediocri donantur, ut ſunt cineres lixiviales, ſeu ſalia alcalia, auripigmentum (*c*), aut meliùs adhùc famoſa alio titulo, ſed pro voluntate mitiganda, ſolutio mercurii ſublimati corroſivi. Ineſt enim mercurio vis cognita vermes necandi, & ſi reverà à pilorum extra ordinem naſcentium exortu devio malum pendeat, nihil meliùs pôteſt huic malo opitulari quàm cathæreticorum actio. Superſunt poſteà tollenda illa mala quæ harum cauſarum violentia intulit, ut ſunt macies, febricula, &c. quæ varia poſtulant pro vario gradu præſidia. Vires enim anteà attentiùs inſpiciendæ ſunt, iiſque conſulendum, undè exulare juſſis omnibus craſſi ſucci alimentis, iiſque quæ poſſint ventriculum opprimere, danda mitia, multâ aquâ diluta farinoſa, ita per diem diſtributa, ut nunquam acquiſitæ acrimoniæ deſit mitigans pabulum. Verùm cùm pleriſque infantibus nondùm ablactatis labes iſta contingat, vix alio medicamento opus eſt, præter lac maternum quod mitius & lenius efficiemus, ſi ita nutriatur ipſa nutrix, ut nullam conſequatur acrimoniam, adeòque emulſis utatur levibus, decoctiſque hordei & graminis pro potu, abſtineat à vino, ſale, braſſicis, aliiſque acribus, aut ſi jam ablactato infanti malum accidat, poſthabitis omnibus, præparatâ debitè alvo, & expulſis, ſi quæ ſuper-

(*a*) Cent. 1, obſ. 8.
(*b*) Mich. Savonarola, tr. de Vermibus, cap. 4.
(*c*) Barth. Timæus, lib. 5, cap. 23.

ſint, à bile præſertim depravatâ, quiſquiliis, nihil meliùs proderit quàm uſurpaſſe uſum quotidianum atque diuturnum caprilli lactis quod pro univerſali nutrimento adhiberi poteſt, quandiù ferre poterit natura.

PARAGRAPHUS III.

De Dracunculis Græcorum, Venâ medinenſi Arabum.

Affectum conſtituunt in Africâ & aliis calidioribus regionibus familiarem dracunculi. Ab Africâ malum illud à nigritis in Americam importatum fuiſſe veroſimillimum eſt, ſi quidem antè alios Americanos colonos dracunculis objiciuntur nigritæ. Verùm iis ita patent illorum corpora, ut eos nullus non obſervaverit, & inter alios Cl. Hans Sloane (*a*) qui eos lumbricis terreſtribus formâ & colore confert. At frequentiùs illos viderat apud inſulam Ormuz & Perſidem totam Kempfærus (*b*), qui quantumvis obſervator ſedulitate ſuâ fuerit ſatis cognitus, non omnia tamen nota circà illorum originem reliquit (*c*).

Galeno (*d*) quidem olim ſub nomine dracunculi τȣ̃ δρακοντίȣ cognitum fuit malum illud. Sed fatetur vir candidiſſimus ſeſe tantùm de eo malo narrationes audiiſſe, eſſe ſcilicet vermes nervoſos naturâ, colore, craſſitudineque lumbricis ſimiles, qui in quodam Arabiæ loco nati, tibiis hominum inſiderent; ſed ſe, cùm illos nunquam viderit, neque de eorum ortu, neque de eorum eſſentiâ quidquam pronuntiare poſſe. Paulus verò Ægineta (*e*) & Aetius (*f*) à Leonidâ acceptam deſcriptionem fuſiùs protulêre.

Æthiopicis, Indis, & Ægyptiis familiarem morbum pronuntiant, pueris præcipuè infeſtum; quamvis & Kempfærus & Hans Sloane eum etiam in viris obſervaverint. Lumbricis ſimiles deſcripſit Aetius, eorumque ſpeciem duplicem diſtinguit, aliorum magnorum, aliorum verò parvulorum; quam etiam diſtinctionem poſteà Albucaſis (*g*) admiſit atque ſacravit, dùm duo ſeorſim capita de

(*a*) Pag. 126, appendix ad introduct.
(*b*) Amæn. Exotic. Faſcicul. 3, obſ. 4.
(*c*) S. Hyer. Velſchius, diſſ. de venâ medin.
(*d*) Galen. lib. 6, de Locis affectis.
(*e*) Paul, lib. 4, cap. 59.
(*f*) Aetius tetr. 4, ſerm. 2, cap. 85. Freind. Hiſt. Med. art. Aetius, pag. 118.
(*g*) Cap. 2, 91 & 92.

iis conſcripſit. Verùm, referente Paulo, de eorum naturâ non idem eſt apud omnes conſenſus. Nam Soranus dracunculos ex animalium numero exemit, vultque dracunculum haberi pro tumore nervoſo. Hanc in ſententiam abiêre poſteà Arabes (*a*) Rhaſes & Avicennas (*b*) qui malum hoc, non venam medinenſem, ſed nervum medinenſem, ut demonſtravit Kempfærus, vocaverant. Sed illos erraſſe, & reverà dracunculos eſſe inter animalia numerandos adſunt teſtes autoptæ, & ii quidem graviſſimi, in Americâ Hans Sloane, & viatores plurimi à Guineâ advecti, & in Guineâ O-Dapper. Imò & Rupellæ in Batavo quodam eos obſervavit Chirurgus Guenotius, referente Welſchio (*c*), ut & Ulyſſipone vidiſſe ſe perhibet Amatus Luſitanus (*d*). Sed antè alios omnes facem nobis præferet Kempfærus (*e*) qui teſtis autopta pluries à ſe viſa enarravit & jure meritòque carpſit Sennertum qui dracunculos cùm crinonibus confuderat, Velſchiumque qui, magno Arabum amore motus, morbum ſibi incognitum ad mentem Avicennæ enodare ſuſceperat. Nam Rhaſes ab Avicennâ in hoc diſcrepans aliquid animalis in venâ medinenſi latere tandem crediderat.

At Kempfærus vermem omninò eſſe pronuntiat. Ipſi enim bis contigit vivum, quod rarò evenit, è cavo ſcroti extraxiſſe, unum Afro, alterum Perſæ. Uterque in lucem editus *ſpontalem* motum, vitamque prodebat, atque oſtendebat clariſſimè ſpectatoribus ab eo in rei fidem advocatis, quibus duo intererant juvenes Chirurgi. In aquam calidam injectus actutùm marcidus & immobilis flacceſcebat; in aquam verò frigidam immiſſus valdè hùc illùc ſeſe recurvabat, algidi humoris impatiens. Caput ultrà aquæ ſuperficiem ſubindè exerebat; motu profectò doloris indice, fateturque vir candidiſſimus ſe hucuſquè Avicennæ credulum non potuiſſe non ab ejus ſententiâ divelli.

Habemus certè hìc accuratam ejus deſcriptionem undè circà illiûs naturam ultrà poſſimus inquirere. Addit enim : « Lumbricus » ille coloris eſt ex pallido albicantis, longitudinis incertæ, » pedalis, cubitalis, & ampliùs, tener & teres, chordæ in » cytharâ craſſioris tenuitatem referens. Roſtello inſtruitur quod

(*a*) Tr. 2, cap. 21 & 22.
(*b*) Lib. 4, fen. 3.
(*c*) Cent. 7.
(*d*) Cur. 64.
(*e*) Kempfær. loc. cit. §. 4.

» Perſæ barbam vocant. Per microſcopium inſpectus pilos obti-
» nere dicitur, qui tenuiſſimi & tenerrimi ſpontè fatiſcentes, dùm
» in lucem editur vermis, oculos Chirurgorum effugiunt. Ad
» radicem barbæ punctum atricolor, inermi etiam oculo, depre-
» henditur. Ibidem oris veſtigium quoddam, in caudæ verò extre-
» mitate foraminis quoque punctum, velut ani nota, conſpicitur.
» Duplici conſtat tunicâ, utrâque albidâ, interiori, paulò tene-
» riori, cujus cavum liquore albo, pingui nonnunquàm & ſeroſo
» referta eſt, nullâ omninò ſanguinis comparente guttulâ ».

Venam medinenſem ſub nomine *gordii totiûs pallidi* Cl. Linnæus (*a*) deſignavit. Inter vermes recenſet, & ad claſſem illorum animalium quæ vocantur ab ipſo inteſtina, ſive animalia ſimplicia, abſque artubus, nuda, libera refert vir clariſſimus. Ad naturam gordiorum qui argillam habitant referendi videntur dracunculi. At ovula, generationis modum nemo aut vidit, aut vidiſſe potuit, nec quâ ratione intrà muſculos tantâ longitudine creſcant, nam eos penetraſſe tantâ corporis magnitudine abſurdum eſt. Putat Kempfærus quem ſequimur, ovula exquiſitæ tenuitatis ad uſque patentium pororum oſcula in fervidiſſimis climatibus potuiſſe vi & impetu circuitûs ferri. Quod indè imprimis arguit quòd non ſemper ad exteram cutem caput exerat animalculum, ſed aliquandò per mediam corporis partem erumpat, capite illinc, hinc dorſo intrà intimam cutem remanentibus, & extremitatibus abditis (*b*). Verùm quibus de cauſis remotis illis & procatharticis generentur vel ejus ovula, vel ejus larva inquirere, hoc opus, hic labor eſt.

Veriſimilia tamen ſectatus Cl. auctor, idæam Linnæi videtur probabiliorem reddere. Nam cùm hìc finitima dracunculo animalcula gordios in argillâ reperiat, fidem addit Kempfæro qui credit natalia dracunculorum deberi uſui contaminato aquarum ſtagnantium atque paluſtrium, præcipuè verò ad eorum excluſionem conferre aquas pluvias in ſubterraneis fornicibus collectas, ut in ferventioribus & aridioribus oris eas ſervare neceſſarium eſt, ne quandoquè omninò aqua deficiat. Hinc pauperioris ſortis homines qui aquas quaſvis indiſcriminatim potant huic malo plus ſubjacent. Notavit etiam illuſtriſſimus auctor quòd illi homines qui loca fontibus irrigua & aquâ decurrente fertilia

(*a*) Syſt. Naturæ ed. X. 1758, pag. 647.
(*b*) §. 4.

habitant, nunquam dracunculis laborare, ſed contrà his maximè obnoxios eſſe qui virus ex imbribus hauſerint. Quod quidem argillaceam præcipuè vermium horumce naturam probat, cùm retinendis aquis pluvialibus argilla plurimùm præſtet, nec tamen non ipſi aliqua ſolubilia principia communicet. At fatetur clariſſimus auctor conceptionem horumce ovulorum aëris inclementiâ & præpoſtero nutrimentorum craſſiorum uſu foveri atque determinari.

Cauſis (*a*) ab hiſce oritur vermis ille, at nulla omninò natus, fotus, educatus, interiùs concitat ſymptomata, donec tandem ſeſe prodat exteriùs. Ejus verò in lucem mox prodituri nuntia plerumquè eſt febricula, ut plurimùm ephemera, aliquandò in tertium uſque diem protracta. Pars verme fœta levi rubedine & tumore afficitur; à quo poſtridiè exſurgit puſtula piſi magnitudine, tenera, aquoſa, pellucida, aliquandò atrum colorem referens. Quâ poſt unum, aut alterum diem ſpontè ruptâ, vel acu apertâ, proſilit lumbrici ſummus apex, ſive roſtrum ibidem hactenùs abſconditum, quod pedetentim reliquum corpus ſequitur blandâ titillatione ſollicitatum. Sæpè etiam non niſi prævio partis dolore, & duritie vix ſenſibili naſcitur, rupto ibidem quo viam ſibi parat ulcuſculo, ſine epidermidis puſtulâ. Excretio pro lumbrici magnitudine & maturitate citiori, tùm ſitu & loco generationis vario, promptior eſt, aut brevior. Raro ſtatim & vivus, ſæpiùs ſenſim, dierum circiter decem intervallo, educitur. Omnium feliciſſimè egreditur qui ſcrotum ſibi pro ſede elegit, nam hunc barbâ exertâ vivum illicò eduxit Kempfærus, quem in hiſce exſcribimus, ſine dolore & purulenti ulceris incommodo. In crure, aut brachio, vel non multùm diſperſus latens, vel in gyrum volutus, non admodùm moleſtè, imò uno nixu extrahitur. Ex femore & ulnis pariter non difficilè exit; ſitu vago ligamenta pedis involvens magno labore eruitur, morâ videlicet viginti, vel ampliùs dierum excluditur, cum tabo quotidiè copioſo, magnoque ægri dolore. Id etiam evenit, ſi importunâ manu attractus rumpatur. Rumpi autem & recedere contingit, ſi ligamentis valdè implicetur, ſi ſubjectis partibus adhæreat fortiter, ſi longiùs diſtet extenſo volumine ab exitûs puncto. Ita ut tria hæc ipſiûs exitum morentur, implicatio, adhæſio, magnitudo & porrectio vermis quæ aliquandò adeò longa, ut geminæ

(*a*) §. 4.

orgyæ, ſeu ulnæ Hollandicæ longitudinem ſuperaverit. Accidiſſe vidit illud Kempfærus juveni helluoni. Hinc ad ejus generationem plurimùm conferre credit victûs ingluviem; ita ut & vermis longior ſit, & partus ejuſdem difficilior corporibus cacochymicis. Videtur autem ex obſervationibus auctoris noſtri dracunculus polypi naturam obtinere. Nam rupto verme illo, ulcus quidem vulgò cum ingenti putredine prodit, ac dolore inſigni, donec cum tabo fetido vix aliquod dracunculi veſtigium deprehendatur, niſi quod ex albis tabi ſtriis colligas. Imò & ab eo imprudentiùs rupto contumaces aliquandò oriuntur fiſtulæ.

Verùm aliquandò ruptus retrocedit, &, interpoſitis diebus aliquot, alio in loco prodit, nec tamen videtur alius fuiſſe vermis, cùm cæteroquìn de vermium numero non conſtet. Contingit enim eodem decubitu plures edi vermes. Uni juveni helluoni Europæo eduxit Kempfærus per unam æſtatem dracunculos ad minimum decem; aliquotiès uno menſe tres ex eodem crure, vel quatuor ſuſceperat. Nonnunquam ex eodem ulcere geminos eodem partu eduxit. At illud ſummè ſtupendum quod idem auctor obſervavit. Accidit ſcilicet interdùm ut dracunculus à tumore nativitatis prodromo, in annum poſterum ſine patientis incommodo ſopiatur, videlicet ab aëre, victuque mutato. Sanctè aſſerit tractaviſſe ſe Armenos, Perſas, & Batavos, qui itinere per Ormuzienſe littus facto, vermifero ſemine inquinati, ſequenti anno, nil talium conſcii, dracunculos peperêre, alieno cœlo. Noverat virum (*a*) qui veſtigium lumbrici quod Gamrono aſportaverat gemino anno Iſpahani ſervaret, non priùs excluſum quàm tertio anno, ubi redux in viâ non procul Gamrono adeſſet.

In genere multò majori labore dracunculos parturit qui virus in aliam regionem tranſtulit, quàm qui eos in cœlo excludit vernaculo. Aëris enim genius partum ac ſanationem accelerat; & toto hoc tempore non aliud æger percipit incommodum quàm ex parte affectâ, cætera ſanus. Hæc Kempfærus: in quibus notaſſe ſatis fuerit quot varia & diverſa in excludendo hoc dracunculo phœnomena pro locorum differentiis aër afferat, cùm dracunculi, ut anteà dictum eſt, & Rupellæ & Ulyſſiponi (*b*) viſi fuerint, nec tamen ullibi terrarum generentur præter Africam atque Aſiam.

(*a*) §. 4.
(*b*) Schenkii Obſ. lib. 5. obſerv. 6.

Crediderìm tamen apud Ægyptios rariùs reperiri, cùm de iis altum tenuerit ſilentium obſervator ſedulus Proſper Alpinus. Certè diagnoſis mali apud Indos facilis, apud nos nil talè cogitantes difficillima eſſet, ſi occurreret, & non niſi ab itinerum & vitæ anteactæ hiſtoriâ repetenda foret. At prognoſis moleſtiſſimi mali eſt; imò & rupto verme aliquod periculum eſt, ne ſuppuratio ingens accedat, ne fiſtuloſum ulcus fiat, ne tabo corrupto infame pus exedat omnia, quod raro evenire debere ipſa ratio indicat.

Curationis verò forma ſimpliciſſima eſt, & ipsâ experientiâ duce comprobata. Paulus quidem cum emplaſtro è baccis laurinis atque aliis aromaticis contendit tolli vermem, & in ipſo ſuo nidulo enecari; at Aëtius poſt Leonidam, ut videtur, teſtem autopten, methodum adhucdùm hodiè receptam deſcripſit; & certè nulla erat eam immutandi ratio, cùm teſte Kempfæro (*a*), induſtriè deducta, nunquam ſucceſſu excidat.

Maturanda quidem primò eſt, antè omnia, durities vermis prænuntia. Id emplaſtro, aliove medicamento emollienti peragitur; ſuppuratione enim protruditur dracunculus, & pars ejus textui cellulari adhærens, & cum eo quaſi confuſa ſolvitur. Deprehenſo ſemel verme, ejus extans portio quæ lenem attractionem ſequitur circà ligulam pollicaris longitudinis circumrotatur, & epithemate retinetur, ne in ulcus recedat vermis. In dies geminâ deligatione à pure ſuo liberatur, iteratâ ſemper attractione & aliquo totalis eductionis tentamine. Cavendum eſt ne fiat attractio fortis, aut ſubitanea. Illa inanis eſt, & dolorem excitat, quòd vermis parti alicui circumvolutus, vel agglutinatus fruſtrà ſollicitatur, priuſquam maturando abſceſſerit. Hæc verò periculoſa eſt, quia vermis plerumquè introrecedit, tùm nova diraque ſymptomata concitat, donec obortâ largiori ſuppuratione, vel eodem illo, vel novo ulcere reliquiæ mali erumpant. Ex ſcroto tamen ſubitaneâ eductione vermem vivum eduxerat Kempfærus. Si contingat aliquâ ſuî parte retineri intrà corpus dracunculum, doloreſque tenſione parere, & fruſtrà ad exitum cieri, quòd tendinoſæ parti implicetur & adhæreat, tunc experientiâ ſuâ fretus Kempfærus pronuntiat ſatiùs eſſe finem dimittere, ut introrecedat, & negotium liberum naturæ committere, minori enim cum dolore, vel novo ulcere extrahetur, vel tabo diffluet.

(*a*) §. 6.

Cùm novam portionem extraxeris, proderit antiquam & jam eductam reſecare, ne volumine ſuo noceat; ſufficit particulam retineri ligulæ circumvolutam. Verme verò penitùs egeſto, ulcus quovis vel ſimpliciſſimo remedio facillimè ſanatur. Vulgus pauper ſolâ ceparum ſub cineribus toſtarum appoſitione totum & eductionis, & maturationis, & cicatricis negotium perficit; quod remedium jam pridem commendaverat Aetius. Hæc quidem Kempfærus, qui curationi illi topicæ addit, duo eſſe in hâc curatione annotanda, primùm quidem quòd cùm corporibus quibus morbus hic incidit cacochymia jam à longo tempore inſit, eſſe illa diætâ regulari atque temperantibus præparanda; ſecundò verò in locis calidis illis eſſe pinguibus, quæ rancedinem conciperent, & inducerent putredinem, præferenda cataplaſmata molliora, ad educendam materiem, tùm ſicciora emplaſtra ad apparatum in ſitu conſervandum.

Quid jam hìc addamus de aliis vermibus intercutaneis quos à dracunculis diverſos deſcripsêre Alſahararius & Albucaſis (*a*) quos quidem non ita pinxêre, nec expreſsêre ſymptomatibus ut agnoſci poſſint? Hos aiunt ſub cute ambulare & ſenſim illâ ſublatâ progredi, talparum more, donec unum cutis locum perforent: paſſionem appellant bovinam. Simile quid olim viderim ſublatâ ſolâ epidermide & notis rubris in cute tractis atque tabulæ ad inſtar geographicæ deſcriptis jam protuli, ſed cùm nulla vel de animalculis Arabicis illis, vel de curatione innoteſcant, ſatius eſt hìc laboribus finem imponere.

(*a*) V. Franc. Rhedi tract. de viventibus in viventibus.

Finis Sectionis primæ Partis ſecundæ.

SECTIO

SECTIO SECUNDA.

De Morbis partibus quibuſdam cutis propriis.

QUI in aliquâ tantùm cutis parte eminent morbi, ſeu potiùs affectus vitiatæ cutis, à cauſis univerſalibus morborum cutaneorum pendent; hos in hanc, vel illam partem, aut aliqua ipſiûs organi debilitas determinat, aut ita advocat ipſa intima ſtructura ut alias in partes decumbere, hâc ſolâ exceptâ, non poſſint. Cùm ergo à principiis anteà poſitis pendeant, eaſdemque ad curationem indicationes offerant, nil mirum, ſi in eis exponendis breviores ſimus, ne videamus actum agere. Ipſa verò operis diviſio à partibus ad quas morbus pertinet repetenda erit, cùm cæteroquin eædem diviſiones atque diſtinctiones, ſatis alibi expoſitæ, hìc ſint admittendæ. Imò multi ſunt morbi ad cutem organorum determinatorum pertinentes, quos ſingulariter tractare à noſtro inſtituto alienum eſt, cùm ab auctoribus ad alios tractatus jure referantur. Talia ſunt ſymptomata quæ à causâ ſingulari in palpebras, penem, anum, muliebria oriuntur. Secùs enim tractatus de morbis cutaneis in immenſum volumen excreſceret. Sectabimur ergo morborum differentias in cute capillatâ & facie, in corpore, & artubus. Quæ cuti ut diſcrepantias aliquas ſtructuræ imprimunt, ita & diverſos ab hâc differentiâ affectus in ipſam impellunt, quibus excipiendis alia quævis cutis pars minùs apta eſt.

CAPUT PRIMUM.

De Pilorum & cutis capillatæ affectibus.

IN pertractandis pilorum & cutis capillatæ morbis, primam quidem poſtulant attentionem & ipſa cutis pilorum feracis ab aliis cutis partibus diverſitas, & pilorum ipſorum ingens certè inter ſe diſcrepantia.

Cutis enim piloſa, præcipuè verò capillata, & poris ingentibus hiat, & folliculis ferè ſemper apertis, atque à rore perſpiratorio moras hìc reperiente perpetuò humentibus. Umbraculum enim præbent capilli, quo fit ut partes minùs conſtringantur: adeòque hìc & ſordes accumulantur craſſiores, lemoſæ, mucilagineæ, alendis animalibus maximè opportunæ. Porrò ſordes illæ facillimèranceſcunt, atque corrumpuntur. Undè impexis & negligentibus odor intolerandus, pruritus, favi, achores, aliaque tumorum ſtillantium acrem humorem genera, de quibus ad alios titulos agendum fuit, quòd ad univerſalium affectûum claſſem potiùs quàm ad ſingularem ordinem pertinerent.

Nec minùs verò ſtagnat intrà patentes folliculos humor lubricandis partibus habilis, & in capillos aliquandò reſperſus, undè luceant illi, atque pingues unctuoſique videantur. Molem humor ille, ſedulâ curâ non excuſſus, acquirit ſiccitatemque, undè diſtendi neceſſe eſt parietes folliculorum, excreſcereque tumores cyſticos, qui ſub nomine *myrmecii* primùm, poſteà *talpæ*, aliorumque à ſimilitudine rerum cognitarum deſumptâ vocabulorum, capitis convexitatem deturpant, quibus fuſiùs pertractandis non incubuimus, ex eo quòd plerique hi tumores ad tractatus de tumoribus pertineant.

Verùm hæc ſtructura cutis, malorum maximè ferax, principium & originem præbet pleriſque capillorum morbis qui ab ipsâ, imò aliquandò altiùs ſub ipsâ, & principium formationis, & præcipua nutritionis fundamenta reperiunt. Morbi enim capillorum per ſe, ſi nomine illo uti fas eſt, numerandi ſunt inter affectus partium quibus facillimè carere poſſit homo ſine ullo, vel leviſſimo functionum detrimento, adeòque tantùm aliquam merentur attentionem quòd præbeant ſignum & ſymptoma laborantis cutis capillatæ, ipſi verò per ſe nihil patiuntur.

Pilorum verò quorum ſub genere capilli ſpeciem conſtituunt, non una eſt pariter differentia, nec ſedes una. Imò non tantùm differunt inter ſe in individuis & diſtinctis partibus, ſed etiam eadem ſedes non ejuſdem ſemper ſpeciei capillos, aut pilos progenerat: in quibus quidem varietatibus non ſolùm fundi è quo naſcuntur habenda ratio, ſed etiam actio athmoſphæræ, veſtimentorum quibus celantur nunc textura atque natura, nunc etiam tinctura ſcrutanda eſt. Nigritis, Aſiaticis & Europæis, atque, apud Europæos, meridionalium regionum incolis, aut borealibus

diſpar eſt capillorum forma, color, prolixitas. Infantibus rarò niger color connatus eſt. Sed qui priùs albicantes fuêre, poſteà fuſci evadunt. At nullus fixior color quàm qui ruber & rutilans à diverſitate cutis & bulborum pendet. Aiunt mulieres abraſos ſæpiùs atque tonſos capillos & fortiores redire & validiores, contrà verò frictu & evulſione calvitiem accerſiri; ſæpiùs etiam unctuoſo liquore irrigati quaſi craſſeſcunt capilli, & imbibuntur, meliùſque nutriti apparent. Sed hæc omnia, ut ad hiſtoriam pilorum naturalem ſpectant potiùs quàm ad cutis morbos, fuſiùs deſcribendo enodare inutile eſt, cùm jam pluriès à diverſis auctoribus tractata ſint, inter quos eminet ingenioſiſſima tractatio Cl. Bourru, Medici Pariſienſis, *an pili plantæ*, in quâ multa circà hanc materiem phyſica congeſſit tentamina ad naturæ normam benè comparata.

Verùm in vitiorum cutis meditatione tria pilorum genera notanda ſunt. Tenuiſſimi ſunt primi quos vix cum aliquo dolore avellas, quales ſunt illi qui infantum naſcentium & lactentium corpora ſæpè obvolvunt, quaſi flocculenti, vix ulliûs coloris participes. Præcipuè in pueris flavo colore donatis abundant illi. Vix unquam animadvertuntur in rufis, aut in illis & ſolidiores ſunt & hiſpidi ac duri, ſed rariores. Hi pili, decreſcente cutis mollitie, ſolo frictu, ſolâ vitæ actione deteruntur, & in cute unctuoſis medicamentis longum per tempus coopertâ renaſcuntur, ut fit in partibus quas unguentis cogimur protegere. Hi ſine bulbo ab epidermidis radicibus naſci videntur, & Gallis nomine *poil ſollet*, ab aliis diſtinguuntur. Altera ſpecies pilorum illorum eſt, qui, rari quidem, & à ſe invicem ſemoti, non ſine ſummo dolore avelluntur, ſed criſpi illi ſunt & ſemper aridi, quales ſunt illi qui utriûſque ſexûs genitalia obſident, qui axillas pariter occupant, denſiores in viris quàm in feminis, imò & thoracem virorum, præſertim denſis capillis denſâque at nigrâ barbâ donatorum, obtegunt. Hi per ſpinam dorſi protenſi ad anum uſque extenduntur, liberis intereà ſcapulis atque lumbis, dein femora, crura, brachia pariter protegunt, in iis præſertim partibus deficientes ad quas motus atque frictus pertingit; nec differentiam ullam anatome reperit inter cutem quæ pilos non habet, atque illam quæ piloſa eſt, iiſque referta denſiſſimis.

Tertiam habemus pilorum ſpeciem in capillis atque barbâ virorum. Hi omnes ex bulbis turmatim exeunt, & ſæpè, ſtirpium

ad inſtar, ex unico bulbo plures pili emergunt, aut à radice diviſi, aut à diverſis radicibus. Capilli longiores & nutriti magis in feminis, imò & copioſiores. Prolixitas capillorum quæ adoleſcentiam condecorat in adultis maribus deficit, ita ut in regionibus calentioribus & aridis, vix ultrà trigeſimum annum comæ viris non diſpereant ; areſcunt ſcilicet, ſinduntur, & crines ultrà cutis altrix non educat. Quod etiam etſi curæ coſmeticæ retardent, vix tamen poſſunt prorsùs præpedire. Mulieribus verò, præſertim iis quas non vexat labor, res tardiùs evenit, prolixamque comam tardiùs conſervare queunt, cùm præcipuè maxima earum cura in comæ decorem impenditur. At annoſis atque rugoſis deficiunt tandem capilli, quanquàm Hippocrates pronuntiaverit nec mulieribus, nec eunuchis calvitiem eſſe metuendam. Certè ſi rei non univerſim obſervatæ credendum eſt, notare mihi contigit mulieres illas quæ multos angores, multaque incommoda tùm mentis, tùm corporis pertulerant, ſatis citò calveſcere.

Id demùm vitium eſt tùm barbæ, tùm capillis ut in ſenectute caneſcant ; quodque mirum videri poteſt in re ſubtiliſſimæ indaginis, nec ſatis intellectâ, videmus aliquandò, vel in viris, cæſariem bellè nutritam totam albam, attamen produci & ſervari. Verùm cùm varietates illæ capillorum ad coſmeticen potiùs quàm ad Medicinam referantur, de iis non loquemur, niſi quatenùs ad morbos cutis referuntur. Undè tractatio noſtra ad calvitiem & capillorum, aut pilorum præternaturalem extruſionem, ad alopeciam & ophiaſim referetur., quæ præcipua ſunt vitia mutatam cutis capillatæ conditionem indicantia.

ARTICULUS PRIMUS.

De Calvitie & Canitie.

Calvities, φαλάκρωσις Græcorum, à neceſſitate ætatis ingruens, quaſi naturalis haberi poteſt. Ariditatem ſenilem, quæ ſuperfluis excrementis ingenerandis per ſe jam inhabilis eſt, apud omnes auctores pro causâ invenit, ſi ſolùm exceperis Fr. Valleſium (*a*) qui credidit calvitiem indè oriri, quòd cerebrum decreſcens ab oſſibus diſcedat, adeòque & oſſa, & ſuperpoſitas partes relin-

(*a*) Philoſ. Sacra, pag. 66.

quat aridiores & liquido alluente minùs irriguas. Hæc quidem ſententia viri alioquin doctiſſimi quantùm anatome repugnet norunt omnes.

Verùm de calvitie contrà naturam agentibus, id eſt, de eâ quæ morbosè ingruit, de calvitie naturali tantùm in hoc propoſito agendum eſt, ut ſcrutemur cauſas quæ vitium illud poſſint inducere. Adeòque notaſſe ſufficiet in genere :

1°. Senibus vel calvitiem, vel canitiem ex ordine naturæ obtingere, & ſæpè utramque ſimul concurrere ; imò raro viris qui caneſcunt eamdem quæ fuerat anteà obtingere confertam capillorum denſitatem.

2°. Verò viros antè feminas & calveſcere & caneſcere, quamvis & his utrumque hoc contingat incommodum, ſed tardiùs & in ætate magis decrepitâ, quamvis feminas non calveſcere cenſuerint & Hippocrates in Aphoriſmis & Ariſtoteles.

3°. Illos antè omnes alios calveſcere qui ſoli nudum caput objecerint, & temporis injurias perferre didicerint. Quod apud ruſticos experientia, ſeu potiùs obſervatio conſtans edocet.

4°. Eos qui ſæpiùs raduntur tardiùs fieri calvos, notante id Herodoto de Ægyptiis.

5°. In genere & nimiam comarum curam quâ tortæ trahuntur, & variè cincinnantur, & earum impexam ſorditiem æquè ad inducendam calvitiem concurrere. Quippè utroque in caſu divelluntur bulbi, ac variè vexantur. Cutis ipſa pruriginem facillimè contrahit ; & à pruritu illo ſæpè tumores & varia inflammatoria mala in ipsâ cute excitantur.

6°. Demùm, & id præcipuè notandum eſt, illi & canitiem induunt, & calvitiem præprimis patiuntur, qui curis, anxiis, mœroribus, longis indefeſſiſque laboribus ætatem confecerunt. Quantumvis enim res non univerſalis ſit, illis præcipuè præmatura incumbit calvities, quos aliquid improviſum è ſanitatis ſtatu ita deturbavit, ut caput & mens hoſpita maximam morbi partem ſenſerint & ſuſceperint ; undè à doloribus atque curis præmaturum ſenium oriatur. Et ab hâc quidem præprimis parte, calvities atque canities naturalis præternaturalem de quâ jam agendum eſt attingunt.

Præternaturalis enim calvities ea eſt quæ antè tempora à naturâ inſtituta juvenilem ætatem affligit. Eaque ſæpè verè morboſa eſt,

Diſtinguitur à capillorum defluvio, ut effectus à causâ; nam calvities nulla, ſine prævio capillorum defluvio, intelligi poteſt. Ita ut, licèt aliter ſenſerit Cl. Fort. Voſpicus Plempius (*a*) in doctiſſimo ſimul & elegantiſſimo de hâc materie tractatu, non video cur affectus uterque inter ſe diſtinguatur. Capillorum defluvium ſemper à vitiatâ materie nutritiâ ejuſve inopiâ pendet. Porrò nulla alia cauſa calvitiei aſſignari poteſt; adeòque de utroque ſimul agendum, niſi tamen pro capillorum defluvio, univerſalem illam haberi velimus pilorum defraudationem, quâ fit ut qui modò videbantur hirſuti, mutentur in glabros, quæ ſpecies eſt quædam calvitiei univerſalis.

Ut autem res ritè tractetur, nec quid prætermiſſum doleamus, ſcrutabimur obſervatione cauſas primùm defluvii generalis pilorum, ut & mutationis in eorum colore notabilis; indè ab univerſalibus ad peculiaria deducti defluvium capillorum in capite & barbâ ſectabimur, ita ut indè poſteà ſequentes articuli, alopecia & ophiaſis, intelligantur & deducantur facillimè.

Defluvium capillorum & pilorum quorumcumque videtur indè potiſſimùm pendere, quòd locus cui implantantur aptum eis jam non ſufficiat nutrimentum, ita ut radicibus alentibus jam privatus pilus elangueat. Scilicet, deſtructis radicibus pilorum, cicatrix nulla pilos profert, & ſæpè præ copiâ variolarum bulbo conſumpto, imberbes evadunt qui priùs barbâ rigidi erant, nec aliundè, niſi à cute, ut ſtirpes ab humo, cibum accipere poſſunt atque nutrimentum parvuli atque renaſcentes pili. Prolixos enim atque diffluentes multa inhalare probabile non tantùm, ſed & probatum eſt. Nutrimentum verò præcipuum & à corde vivente impelli, & partes ſubtiliſſimas ſimulque actuoſas continere, non minùs evidens eſt à facilitate quâ pili animalium electricitatem admittunt, quâ odorem fetentem & olidum concipiunt; indè facile eſt deducere quòd, vigente vi actuosâ vitæ interiori, debeat etiam omni efficaciâ gaudere capillorum & pilorum nutritio.

Imò & obſervatio edocet aliquam etiam poteſtatem ineſſe excremento ſeminali redundanti ad capillorum in viris extruſionem, cùm barba in iis tantùm appareat quibus teſtes liquorem ſeminalem ſecernunt ſorbendum veſiculis ſeminalibus; canities verò atque calvities in iis præcipuè & antè alios notetur, qui

(*a*) De Affect. Capillor.

ingentem vim ſeminis profundunt. Quamvis autem idem, aut de mulieribus, aut de eunuchis dici non poſſit, qui tamen capillos confertos habent, nec calveſcunt, notare tamen licebit eos aliundè toto corpore glabros eſſe, omnemque nutritionis piloſæ proluviem in capillos concentrari; adeòque ſtare etiam regulam noſtram eò magis indè confirmatam, quòd naſcenti infanti pili pauciſſimi, leves, vixque adhærentes extent, in adultis denſi, conferti, fortiter adhærentes.

Nec eſt quòd objiciatur cum Solenandro nihil nutritioni pilorum cum vi ſanguinis actuosâ commune eſſe, ex eo quòd pili pellium ex animalibus deſumptarum per ſe non decidant ex pelle ſemotâ à corpore; nam ubi ſemel humor bulborum in ſolidam molem abiit, jam fixi remanere debent pili. Hoc verò ſemel poſito, cauſæ calvitiei per ſe intelliguntur.

Quidquid enim & pilos & corpus juſto defraudat nutrimento, quidquid bulborum humorem corrumpit, abducit, aut non ſufficit, inter calvitiei cauſas numerari debet, ſive cauſa in omni corpore lateat, ſive in parte tantùm ſingulari reſideat. Hinc alia calvities ad morbos univerſales referri debet, cùm ſymptoma tantùm ſit humoralis morbi, alia ad morbos particulares pertinet. Sic in phthiſi, cùm capilli defluunt, peremptæ atque peſſumdatæ materiæ nutritiæ ſignum eſt, undè in omni maraſmi cujuſcumque ſpecie, cùm omnes corporis partes æqualiter diſpereant, pereunt & capilli, & femineus decor evaneſcit. Quotieſcumque etiam longâ infirmitate laborant homines, ſive mares, ſive feminæ & caput aut impexum, aut pomatis atque pulvere cyprio infarctum tectum tenere coguntur, capilli, ob rancedinem humoris qui bulbos attingit, decidunt. Decidunt & poſt puerperium ob aciditatem lactis qui undequâque regurgitat.

Verùm affectus omnes pruriginoſi atque cutanei capitis idem efficiunt, & poteſt eadem cauſa quæ achores atque favos producit, ſi gravior eſt, capillorum radices exedere & bulbos ipſos aut exſiccare, aut perimere. Quod ſi ſemel factum fuerit, adeſt immedicabilis calvities.

At enim, licèt hæc univerſalis cauſa poſſit æquè in barbam atque capillos agere, peculiaris una eſt quæ in barbam & pilos totiùs corporis agit, & non attingit, aut ſaltem vix afficere videtur capillos: illa autem eſt eunuchiſmus qui poteſt multiplici de causâ etiam adultos invadere. Quo in caſu barbam illi perdunt,

eâ præciſè ratione quâ cornutis animalibus, eâdem de causâ, aut decidunt cornua, aut ſaltem mollitiem aliquam illa nanciſcuntur. At utriuſque phœnomeni cauſam ita intelligere, ut nulla ſuperſit dubitatio, non facile eſt, cùm nec anatome, nec phyſica cognitio poſſint enodare quænam ſint ſympatheiæ vincula inter barbam cæteroſque corporis pilos atque genitalia, cur contrà ex deperditione horumce capilli videantur proficere, cùm ex Hippocrate eunuchi non calveſcant. Nec magis intelligitur ſententia illa Hippocratica : *Qui calvi ſunt, iis varices magni non fiunt; quibus verò, dùm calvi ſunt, varices ſuperveniunt, iis capilli renaſcuntur :* quod certè ſi fiat, ſupponendum eſt bulbum deſtructum non fuiſſe. Verùm de re non intellectâ & de causâ calvitiei quam nunquam viderim plura proloqui impoſſibile eſt.

At inter cauſas capiti proprias & peculiares repetendæ ſunt omnes illæ quæ prætermodùm cutim capillis reſiccant, ita ut bulborum feracitatem extinguere videantur; ita inter homines ii præcipuè calveſcunt qui capite nudo ad ſolem ſtant diutiſſimè, ut moris eſt quibuſdam ruſticis.

Verùm una è calvitiei cauſis frequentior in viris ea eſt quæ ab immodicâ & frequenti ac præter corporis vires exercitâ ſcortorum inſectatione repetenda eſt. Nam ſive actus ille aliquid ab humore cutim alluente deducat, ac detrahat, ſive nervos capitis reſiccet, certè mirum quantùm capillorum nutritioni officiat ſcortatio frequenter ad uſque virium deliquium deducta, ne loquar hìc de ſymptomate illo venereo famoſo & multoties æquè in feminis ac in maribus obſervato quod gallicè *la pelade* vocant, quo omnes pili æquè atque capilli decidunt ; de quo videantur Aſtruc, aliique auctores de lue vencreâ à Boerrhaavio collecti.

Præterea verò ingentes omnes animi agitationes atque ſuccuſſus, ſtudia immoderata, curæ, anxietates inter cauſas calvitiei capiti proprias recenſendæ ſunt. Hìc verò non ſpernendam, ſed merè mechanicam cauſam ſufficiunt variæ & formæ & materies diverſorum capitis integumentorum ; lanea enim cucullorum materies capillorum radices exedit, præcipuè ſi ita formati ſint, ut frictum ſupra caput exerceant. Quod non in capillis tantùm locum habet, ſed etiam in calvitie & denudatione pilorum in variis membris peculiari.

Non adeò facilis eſt indagatio cauſarum quæ canitiem accerſunt,

ſunt; nam quamvis canities calvitiei ſit prodroma & ſæpè comes, tamen ſine illâ extare poteſt, & reverà ſæpè extitit. Certè cur color in capillis, barbâ, atque pilis ſeneſcentium mutetur nemo hucuſquè intelligere potuit. Subtiliſſimæ indaginis eſt colorum generatio, nec ſatis comprehendimus cur in oris nivalibus & rigeſcentibus arcto frigore, aves & quadrupedia pleraque plumas & pelles aliis in regionibus verſicolores, penitùs albeſcentes induant, quæ æſtate colorantur? Cur albidis animalibus oculi rubeſcant? Quod an iis acciderit quos hiſtoria memorat canos natos eſſe, ut de Numâ & Tarquinio referunt Romani, aut illis Scythiæ populis qui, teſte Solino (*a*), ſe à Jaſone oriundos jactabant, & canitiem ab infantiâ proferebant, neſcire me fatebor, qui hominem natum cum canitie non viderim. Ait Hippocrates (*b*) quòd quibus cani inſunt capilli cuticula etiam albidior ad radicem pilorum ſit; hoc me nunquam obſervaſſe, rem ob tantam auctoritatem inquirens, profitebor: quamvis & eis ſicciorem, magiſque glabram cutem inveniſſe non diffitear, & in genere qui cani ſunt capilli minùs denſi ſint, minùs olidi & minùs excrementorum ingenerantes. At vidit ſummus vir J. H. Mercurialis (*c*) ſecerni ad capillos humorem è ſanguine albidum, quod in nullâ aliâ œconomiæ animalis parte cùm ulla ſui relinquat veſtigia, vix videtur quâ ratione poſſit dici in hoc præciſè loco, in ſenioque novum incognitum generare excrementum. Id igitur ſolum ſcimus, quòd cùm cauſa canitiei proxima ignoretur, tres tamen perfectè noſcamus cauſas ei concitandæ aptas & fermè perpetuas. Quarum prima naturalis eſt & non evitabilis, ſenectus ſcilicet, quâ ex corvis mutamur in cycnos, flavique capilli videntur aliis citiùs albeſcere. Hæc canities cum aliquâ calvitie ſemper jungitur, hinc olim capitis cani prædicabatur reverentia. Alteræ verò cauſæ præter naturam ſunt, nec ſanantur meliùs. Scilicet præter naturæ normam caneſcimus, aut propter morbum, aut propter anxias atque mordaces animi curas. Cujus utriuſque cauſæ innumera, vel in civili vitâ, proſtant exempla.

Morbi quidem illi canitiem accerſunt, & quidem promptiſſimam, qui dolore mordaci œconomiam conturbant. Inter quos eminent dolores capitis vehementiſſimi & ſomnum arcentes.

(*a*) Poly Hiſtor.
(*b*) De Naturà Pueri.
(*c*) Mercurialis de Morbis Cutaneis, lib. 1, cap. 4.

Vidi, & omnes ſimilia viderunt, juvenculam feminam, mentientem aniles capillos, ob vehementiſſimos perpeſſos capitis dolores. Arthritis vehemens etiam canitiem accelerat, & qui, aut cruciatus, aut ſupplicia non lethalia, ſed dolorifica paſſi ſunt, cani ut plurimùm evadunt. A frequenti dentium dolore canities, & eâ quidem præcipuè parte quâ dentes doluêre. Verùm cùm hìc obſervatione deprehenſum ſit à doloribus corporis canitiem accerſi, an ob aliquem nervi fluidi influxum? An non res indè probatur quòd in vehementibus corporis doloribus anima præter modum & morem indoleat? Nam id inter probatiſſima naturæ obſervata referendum eſt nullam aliam cauſam adeò ad inferendam canitiem conferre, quàm curæ animi triſtes & anxiæ ſollicitudines, quas pro tertiâ canitiei cauſâ habuimus.

Pleni ſunt auctorum libri exemplorum canitiei præ timore intrà breve ſpatium accerſitæ. Famoſa eſt hiſtoria illa ab Hadriano Junio recenſita nobilis Hiſpani Didaci, qui cùm ob furtivos amores illicitos fractaque clauſtri Regii jura, capitali ſupplicio plectendus eſſet, ita canitiem undequâque contraxit ut Fernandus rex miſericordiâ motus ipſi caput remiſerit. Simile habet exemplum Julius Scaliger; & in noſtrâ hiſtoriâ viro nobili *de S. Vallier* cujus in gratiam Diana Pictavis ejus filia regios concubitus paſſa eſt, eadem improviſa canities adventaſſe legitur. At nil memorandum magis quàm quod aulicis narrabat æternæ memoriæ Rex noſter Henricus IV, ſe ſcilicet mœrore & metu confectum, in barbam ſimul atque capillos manu incubuiſſe per 24 horas, lanienæ illiûs Bartholomæanæ tempore, eoque exacto, hanc & barbæ & capillorum partem fuiſſe in canitiem converſam, quam oſtentabat. A mœroribus atque curis idem obſervaſſe me ſi dixerim, rem omnibus cognitam & obſervatam retulerim. Felices ter & ampliùs quibus nihil majoris mali mœror & metus attulêre.

Symptomata tùm calvitiei, tùm canitiei exponere, ut inutile eſt, cùm oculos feriant, ſic gradus notare non abſurdum. Vulgò mares triginta annis exactis calveſcere ad ſummam capitis partem & frontem incipiunt, tardiùs ad aures & occiput, tempora etiam diutiùs capillos ſervant. Tempus autem quo varii homines calveſcunt definire impoſſibile eſt; hariolari è ſupradictarum cauſarum examine non tutum, cùm mirum in modum differant inter ſe homines ratione tùm canitiei, tùm calvitiei, niſi quod veriſimile ſit eos potiùs caneſcere & propiùs juventutis tempus,

qui laboribus exhauriuntur, & conficiuntur curis. Verùm hæc omnia cùm ex naturæ ordine ſiant, eaque etiam æquè neceſſariò contingant atque ſenectus ipſa, nihil eſt quare Medici allaborent ad hæc tollenda, ſi eo nomine digna ſunt, vitia. Imò præmaturam canitiem atque calvitiem remediis tentare omninò ſupervacaneum. Primò quòd levioribus ingeniis leviora iſta linquenda ſint. 2°. Quòd ex remediis ingenti numero ad hunc ſcopum apud Arabas, Græco-Arabas, imò & recentiores jactatis, nullum videam cui vel levior ſides adhiberi poſſit. 3°. Quòd ex iis quæ falſum capillis colorem adſcribunt & ad hunc ſcopum à mulierculis venditantur, nullum ferè, niſi inefficax prædicari poſſit, aut falſum quod non aliquod ſecum importet periculum. Undè ſeriò monendi ſunt qui præ falsâ vanitate ſenectutem diſſimulare ſatagunt, ut ab illis caveant. Sic oleum & tinctura quæ ab exteriori nucum cortice quæruntur non agunt tantummodò ſtypticâ & adſtrictoriâ virtute, quod jam per ſe nocivum foret, ſed cauſticâ etiam & cutem adurente. Idem de alumine dicendum, idem de plumbeis, ſeu ſaturninis illis pharmacis quæ maximam formularum partem explent. Quod verò ſpeciatim calvitiem ſpectat, multa circumferuntur undiquè pomata & unguenta, quæ puellis admodùm commendantur. Sic pomatum quod ſit ex urſino adipe indè potiſſimùm videtur virtutes recipere quòd urſus piloſiſſimum ſit animal, undè ad pilos producendos ipſi aliqua ſupponitur virtus. Idem de glirium adipe dicendum, quod ideò prædicatur quòd iſtis per hyemem plures pili ſuccreſcant. His certè, ſi aliqua virtus inſit, indè repetenda videtur, quòd ariditas calvitiei ut plurimùm & cauſa & comes ſit; adeòque cùm illa perpetuo uſu cutem humectare nata ſint, eamque tepiditate quâdam foveant, bulborum textum poſſunt etiam humidiorem facere, & quaſi irrorare.

Undè ut cognitum eſt iis minùs promptè calvitiem incidere qui humidiora climata incolunt, eos contrà calveſcere citiùs qui aridiores locos habitant, nullum eſt dubium quin humectantia & diluentia moderatè extùs adhibita, capitis aſſidua coopertio calvitiem poſſint tardare, ejuſque progreſſus cohibere. Hominis enim qui jam calvus capillos reſumpſerit, nullum vidi exemplum. Multa quidem proferuntur apud obſervatores exempla virorum ferè centenariorum quibus ab ipsâ naturâ, nullo artis adjumento, capilli & dentes antè vitæ finem renaſcerentur. Imò rem ratiociniis

tentant adſtruere. Sit penès auctores fides : nihil unquàm ſimile vidi ; indè ſit ut exempla ad rem noſtram nullâ ratione ſpectantia nec enodare, nec refellere, nec admittere poſſim.

ARTICULUS II.

De Alopeciâ, Areis & Ophiaſi.

Areæ, alopecia, ophiaſis nomine differunt, nequaquàm verò naturâ. Figura arearum quæ non ad capillos tantùm, ſed ad pilos omnes pertinent, qui anteà exſtabant, nunc verò abſunt, incondita eſt. Si illùc inveniantur pili, hùc verò deficiant non in uno loco, ſed in pluribus corporis partibus, eò quòd ſæpè vulpes, æſtatis præcipuè tempore, hoc incommodo laborantes inveniantur, alopecia dicitur. Si per longos & ſerpentinos tractus vitium propagetur, ophiaſim habes. De quibus hìc ſeorſim dicendum exiſtimavimus, quòd poſt Celſum (*a*) auctores graviſſimi affectus illos diſtinxerint inter ſe. Diſcriminantur verò à pilorum defluvio atque calvitie, quòd & pilorum defluvium & calvities in dies increſcant, areæ verò ut plurimùm in eodem ſtatu perſtent ; tùm etiam quòd illæ in locis appareant plerumquè ad quos non pertingit calvities. Incipiunt enim ſæpiùs ponè aures & ad occiput, per quæ loca vix unquam calvities incipit, quæ vulgò à ſincipite ad occiput decurrit. Ut verò calvitiem ab humorum inopiâ deducunt auctores iſti ; ita areas à vitio & corruptelâ humorum, cujus corruptelæ indolem non diſcernunt. Celſus verò capillos, antequàm decidant, extenuari pronuntiat, quod effatum ego per ſiccitatem iis inductam intelligi velim. Quamvis verò alopecia, areæ, ophiaſis, ut de iis auctores ſcribunt, rariſſimos per ſe affectus conſtituant, non inauditum tamen eſt eos tanquam aliorum morborum ſymptoma reperire : hos ego nunquam vidi quin cutis ipſa capitis vitiata foret, & morbum aliquem ex ſuprà deſcriptis referret. In hoc enim affectu tùm, capillis defluentibus, ſimul aliqua epidermidis portio avellebatur, & capillos defluentes ſequi videbatur, tùm remanebat area humidior, imò aliquandò tabo vicina deturpans, & brevì in lichenes mutanda, quibus

(*a*) Lib. 6, cap. 4. Aetius tetr. 2, ſerm. 2. Piſo, de cogn. & cur. morbis, cap. 1, lib. 1°. Oribaſ. de loc. affect. cur. lib. 4, cap. 42. Paul. lib. 3, cap. 1. Serapion, lib. 1, cap. 1. Mercurialis, lib. 1, cap. 4.

excuſſis area remanebat nitida & depilata. In alio caſu bulbi ſimul cum pruritu exibant : alteri herpetes evidentes aderant, & mentagrâ veterum barba horrebat. Quique morbus ad ſuum genus referendus erat. In quam quidem ſententiæ noſtræ partem abit Celſus, dùm ait icto loco ſanguinem exire liquidum, & malè fetentem; pejus eſſe malum quod denſam cutim & ſubpinguem & glabram fecit.

Alopecia ergo pro ſymptomate habenda. Memini tamen me à ſervulo quodam olim de curâ veræ alopeciæ, ſeu potiùs ophiaſios requiſitum, nullam ſimilem cauſam aſſignare potuiſſe. Nitebat enim depilata cutis, & quod in calvitie commune eſt, glabrâ & quaſi obſtructis poris imperſpirabilis foret, lævis & nitens apparebat. At paucos poſt dies furfuribus plena fuit & verè porriginoſa. Undè porrigine ritè tractatâ, arearum in locum capilli ſuccreſcebant, lætuſque ac curatus diſceſſit.

Ex his, ut opinor, non diſſentientibus veteribus, patet aream & ophiaſim, ut & alopeciam inter ſymptomatum claſſem eſſe numerandas, non verò referendas ad morbos, adeòque formam pro diverſitate cauſæ admodùm variare. Nec ergo adeò ſtrictè accipiendam alopeciæ primò, tùm etiam ophiaſios deſcriptionem, quam nobis Celſus reliquit. Utramque enim licèt aliquis forſan ſemel obſervaverit, certè bis eâdem formâ donatam non reperiet. Ait enim Celſus (*a*) areas & alopeciam ſub quâlibet figurâ graſſari, & ophiaſim incipere ab occipitio, duorum digitorum latitudinem non excedere, ad aures duobus capitibus ſerpere; quibuſdam etiam ad frontem, donec duo capita ſe in priorem partem committant : illud vitium in quâlibet ætate eſſe, hoc verò ferè in infantibus : illud vix unquam ſine curatione, hoc per ſe ſæpè finiri. Verùm evidens eſt quòd areæ in infantibus faciliùs ſuccreſcant ob humoris pituitoſi facilem & copioſam corruptionem, malaque cutis illis familiaria; in iis verò morbos illos eò faciliùs curationem recipere, quò cauſa volatilis magis, nec fixa, nec altas radices agens, & vix ad bulbos uſquè pertingens. Quamquam, ubi cicatrices latæ per profundiora hæc mala factæ ſunt, reperiantur etiam qui viri areas etiam ab infantili cicatrice in barbâ contraxerint, nunquam delendas. At ubi jam adolevit ætas, ſi morbus bulbos deſtruxerit atque extruſerit, nunquam renaſcentur pili. Secùs rursùs repullulant, imò ob impeditam

(*a*) Lib. 6, cap. 4.

atque concentratam eruptionem denſiores atque fortiores, ita ut qui areis pueri deturpati fuerint, ſæpè poſteà denſiſſimâ comâ honeſtentur.

Hinc patet curationem vitiorum horumce altiùs & ab expoſitis principiis eſſe repetendam atque inſtituendam, topicam verò poſſe tantùm ad reparationem capillorum conferre, circà quod vel maximè celebres Medici videntur plus empyriſmi quàm rationis in medium protuliſſe. Undè tot ad hoc adhibitæ formulæ, quarum baſim vel apud doctiſſimum Piſonem conſtituunt pili urſini calcinati & illiti, plantæque omnes quæ capillorum formam referunt, ut ſunt adianthum, trichomanes, capillus veneris, verbena, &c. Pejori inſtituto adhùc ſphæritidis, ſeu cupreſſi folia commendantur ab Aetio, quippè quæ cùm valdè ſtringant, vetant quidem ne vitioſus humor in affectam partem deponatur, ſed ſimul meatus bulborum claudunt, ne exeat è bulbo pilus. Undè licèt duplicem alopeciam, ſeu *Tyriam* diſtinguant Avenzoar & Avicennas, quarum altera bilioſa ſit, altera phlegmatica, non video quomodò topica ex arſenico, ſi tamen arſenicum interpretum non ſit *Darſini* Arabum, ſeu cinnamomum, conferre valeant, aut auri ſquamma, aut demùm, quod pejus eſt, alumen aliquid efficiant. Meliori certè inſtituto aromatica unctuoſa ſuadentur, oleum de kervâ, ſeu de keiri, oleum laurinum, naſturtium, ſinapiſmi, & ut Aetius & Oribaſius ſuaſerunt, fricationes ex aſperis foliis ficûs, poſteàque illinitiones ex oleo unctuoſo ſimul & aromatico; modò tamen potentioribus medicamentis & victu euchymo atque bellè pro viribus diſtribuendo, materies ſufficienter præparata ſit. Undè patet quòd, ſi ſepoſueris empyriſmum, methodus curatoria in univerſum commendata illa fuerit quâ actio vitæ atque fervor, in unam partem, capillatam ſcilicet, fuerit invigorata atque inſtaurata per irritantium medicamentorum actionem. Quod certè propoſitum ſcopum attingere non valeret, ſi humor, rectè pro causâ mali habitus, fugatus non eſſet. Undè Mercurialis (*a*) qui de hoc morbo fusè ſcripſit, antè ullam topicorum applicationem vult corpus fortibus repurgari medicamentis, ut hierâ diacolocynthidos, quam inter topica Arabes numerant, forſan ex interpretum errore. Verùm his adimplendis indicationibus omninò præluceat Celſus (*b*), qui breviter nihil meliùs

(*a*) De Morb. Cutan. lib. 1, cap. 4.
(*b*) Lib. 6, cap. 4.

eſſe pronuntiat quàm novaculâ quotidie partem affectam radere, quia cùm paulatìm ſumma pellicula exciſa eſt, adaperiuntur pilorum radiculæ. Neque antè oportet deſiſtere quàm frequentem pilum naſci apparuerit. Nec tamen in eâdem ſtare poſſim cum vetere hoc auctore ſententiâ, dùm ſuadet quod ſubindè raditur illini atramento ſutorio, ſeu vitriolo ; cùm nec ratio, nec experientia ſuadeànt adſtringentia hìc alicujus utilitatis eſſe poſſe; contrà verò prætollenda ſint unctuoſa aromatica, ut Piſo atque Mercurialis ſuaſerunt, præcipuè verò thapſiæ pulvis.

Multa alia vitia in capillis recenſuêre auctores qui de decoratione corporis ſcripſerunt, præſertìm Serapion, Avenzoar, Avicennas. Talis eſt ſciſſura capillorum quâ bifurcantur, & quam inuncto oleo lini ſanat Avenzoar. Talis eſt criſpatura capillis inducenda quam adſtringentibus & cauſticis inducit Avicennas ; tinctura capillorum Græco-Arabibus & Arabibus etiam ſummæ fuit curæ ; ſed hæc omnia ſalutarem artem nullâ ratione ſpectare poſſunt, undè de iis prorsùs ſilere melius eſt. Vana enim coſmeticorum ars ſanitati potiùs officit, quàm prodeſt. Aliundè verò virum probum atque ad majora & meliora natum dedecet nugis iſtis excutiendis tempus conſumere. Suffecerit, ſi ex chemiâ atque phyſice corporis humani didicerimus quæ perſpirationem ſufflaminando poſſunt nocumenta afferre, ut iis omni ope atque operâ contraſtemus ; ea verò cum indulgentiâ atque contemptu patiamur quæ nequimus impedire, ſi nocere non poſſunt.

ARTICULUS III.

De Tricis & Plicâ Polonicâ.

Durum eſt de iis ſcribendum habere quæ ipſe non videris, aut ſaltem quæ apud auctores deſcripta nullam aliundè ſervant cum cognitis analogiam. Quod quidem de morbo ad quem nos rerum ordo devehit dicere poſſum, cùm hunc, aut ei finitimas affectiones obſervatione deprehenderim nunquam, de eoque dicendum incumbat ex alienâ obſervatione, quæ in pleriſque ſcriptoribus ſuperſtitioni remixta, fidem ſibi derogat, ita ut auctores graviſſimi morbi hujus exiſtentiam negent ; aliis ejus phœnomenorum veritatem acriter defendentibus. Saltem de eâ apud anti-

quos, aut Arabes mentio nulla. Solis Germanis Medicis hujus morbi debetur deſcriptio, nec iis notæ ſuperioris, ſi Sennertum ſolum virum doctum & diligentem, ſed credulum exceperis. Eum Schenkius (*a*), Joannes Georgius, Joannis obſervatoris filius, ſub nomine *tricæ incuborum* deſcribit, ſibi in pluſquam triginta concivibus viſum. Erat is reipublicæ Hagenoenſis comitiſque Hanoenſis Medicus. Cæteri ferè omnes hunc ſub nomine plicæ obſervarunt, & quamvis Sennertus (*b*) illum apud Helvetios, Alſatos, Briſgoios & Belgas qui Rhenum incolunt familiarem pronuntiet, vulgò tamen Polonis atque Ruſſo-Polonis habetur endemius, undè plica Polonica nuncupatur.

Morbus hic qualem adultum, aut maturum deſcribunt (*c*), conſtat ex mirâ coadunatione, concretione, & intricatione capillorum, qui in cirros propendentes formati, aliquandò ita elongantur, ut ad uſque dorſi, imò ultrà, infima propendeant. Pili barbæ eumdem in modum vitiantur, ita ut cirrus ille ad uſquè pedes provolvatur. Imò Joannes Paterſon Hain (*d*) vidit apud Palatinum Sandomirienſem ex nobili Oſſolinskorum gente feminam Gallo ſervo nuptam, quam plica divexabat non in capite ſolo, ſed etiam pudendorum pili plicâ affecti in tantam excreverant longitudinem ut ſeſqui alteram ulnam excederent, & ſi ſibi permiſſi fuerint, terram attigiſſent, undè femori circumductam atque ligatam ipſe oculis uſurpavit. Sit penes auctorem fides.

Verùm plicæ illiûs forma non una eſt; femineam unam, maſculam alteram vocant. (*e*) Non quòd illa feminas ſolas, hæc mares ſolos adoriatur, ſed quòd in femineâ plicâ univerſum caput, aut univerſa barba in cirros breves repexa ſit & implicata, in maſculâ verò unus, duo, vel tres cirri à capite longè in artus propendeant, ita ut vix diſſimulari poſſit, aut pileis atque veſtimentis occultari. Ita ſentiunt omnes Medici Poloni, quamvis aliter putet Hercules Saxonia (*f*) qui femineam mulieribus, marem viris adſcribit; in quò à Cl. Paterſoni obſervatione refellitur. Tertiam etiam addit Hercules Saxonia quam filiam

(*a*) Lib. 1, de Capillis, obſ. 1.
(*b*) Lib. 5, Pr. Med. part. 3, ſect. 1, cap. 9.
(*c*) Joachim Piſtorius. Florus Polonic. lib. 2, cap. 14.
(*d*) Manget Bibl. Medico-Pract. tom. 2, pag. 301.
(*e*) V. Miſcellan. nat. curioſor. ann. 2, obſerv. 52, à Bernardo de Bernitz.
(*f*) Lib. 10, Pantheon Med. Prax. cap. 1, de Plicâ.

vocat,

vocat, in quâ ungues tandiù dolore & contorſione vexantur, quandiù incœperit capillorum implicatio. Verùm ſatis ex his apparet formam tantùm plicæ diverſam eſſe, naturam eamdem.

Omne quidem hominum genus adoritur morbus ille, referente Hercule Saxoniâ, nobiles, infimæ ſortis plebem, ſenes, mulieres, pueros etiam recens ablactatos, volumine quidem diverſis cirris. Et refert apud Plempium de pilis Theodorus Skummovius, Epiſcopus Gratianopolitanus, ſe pluſquam ſexaginta plicas immenſas, latitudinem caudæ caſtorinæ ſuperantes, imò & uſquè ad coccygem propendentes reſecuiſſe. Imò refert Sennertus, loco citato, vidiſſe ſe equum plicâ evidenter laborantem qui ex Hungariâ ad Alſatiam uſquè ſine ullo ſymptomate pervenerat.

Epidemicum fuiſſe morbum qui poſteà, non ultrà Poloniæ fines propogatus, in endemium verſus ſit auctor eſt Joach. Piſtorius qui hujus originem versùs annum Chriſti 1260 conſtituit; cui quidem viro diligenti monumentorum Polonorum ſcrutatori nulla eſt ratio cur non credamus, nulla cur non adſtipulemur. Laurentius verò Starnigellius, Academiæ Zamoſcenſis Rector, in Litteris anno 1599 ad Academiam Patavinam de plicâ ſcriptis, de eo tanquam de morbo recenti loquitur. Vide Herc. Saxoniam, (lib. 10, cap. 1;) vide & eumdem auctorem ad annum 1564 originem labis referentem, ex auctoritate Sadleri. Huic adſtipulatur Cl. Thuanus (*a*), qui cirragram vocari vult, & ejus deſcriptionem elegantem, ſed minùs accuratam loco citato tradit.

Verùm morbus ille non ſimplex, aut in capite natus, ſed in toto corpore educatus videtur ad capillos deferri, ibique criſim quamdam facere. Undè ad hujus ſymptomatum pleniorem elucidationem tria morbi ſtadia diſtinguemus ex auctoribus Polonis (*b*), Simone Schulzio, Fonſecâ, Forti, Skummovio, Helwigio, & Medicis Patavinis quibus præerat Hercules Saxonia.

Incipit autem morbus nullo capillorum dolore, aut ſymptomate inſignis, ab horripilationibus, rigoribus, ventriculi angore atque doloribus ad articulos pungentibus, atque vehementibus. Oſſa frangi & convolvi videntur. Caput anxiè & perpetuò dolet; ingentes fluxiones in oculos incidunt, imò & cæcitas tenebras illis affundit, cum defluxu humoris acris mordentis & vicina

(*a*) Hiſt. lib. 26, pag. 123.
(*b*) Ephemer. Nat. curioſor. ann. 6, n°. 138. Fonſeca, Conſil. Conſult. 1. Raym. Jo. Fortis, conſult. tom. 2, centur. 1.

inflammantis. Imò non abſunt, in imprudenti præſertim medicatione, artûum torſiones & convulſivi motus ; quinetiam gibbi naſcuntur, corpus incurvatur ; & cum vehementiſſimâ partium internarum inflammatione mors aliquandò accidit, teſte apud Mangetum Helwigio. Febricula tamen, ſi quæ accidit, non inflammatoria eſt, ſed ex lentarum genere. Hùc uſquè & in hoc ſtadio integro nihil omninò ad capillos videtur pertinere.

Verùm in aliis celeriùs & poſt paucos dies, lentiùs in aliis & poſt plures menſes, ſine alio notabili malo, plica naſcitur. Id eſt, agglutinantur, contorquentur & convolvuntur in cirros impexos illos & hiſpidos capilli, ſive omnes, ſive pars tantùm, aut barba, aut pili pudendorum. Nec implicantur ſolùm, ſed & elongantur (*a*) prætermodùm, decreſcente interiori malo eâdem ratione & gradu eodem quo capilli creſcunt, & creſcendo implicantur. Tùm fetiditas ingens & capitis & capillorum protenſorum, nec deſunt pruritus & dolor. Aiunt aliqui frequentes & ferè inſuperabiles naſci in plicâ pediculos, cùm contrà alii, appoſitos plicæ veræ & legitimæ pediculos interire (*b*). Vermiculos alii naſci in capite aiunt, quod non video quomodò fieri poſſit, cùm conſentiant auctores omnes, nullum in capite patere ulcus, nullum adeòque hiſce inſectis opportunum nidum adeſſe ; in ipſo tamen plicæ exortu, ſquammulas furfureas adeſſe conſentiunt omnes, undè etiam Sennertus & Schenkius plicam ad morphæam & porriginem referendam volunt, dùm alii analogam ſtomachace & ſcorbuto conſtituunt, alii etiam luis venereæ conſanguineam autumant, licèt forſan vetuſtior ſit origine quàm lues venerea, & per contagium, omnibus conſentientibus, non communicetur.

Hæc ſunt univerſalia ſymptomata, ſed quædam ſunt unicuique individuo propria & quibus hi infeſtantur, aliis ne ipſorum quidem umbram perpetientibus. Scilicet aſſerebat D[a]. de Bernitz Comitiſſa de Donhof. ill. Pomeraniæ Palatini Ignatii Boukowskii conjux, ungues præſertim pedum ſcabros, longos, nigros & inſtar cornu hircini evaſiſſe. Quibuſdam planè decidunt & poſt explicationem plicæ renaſcuntur. Multi ſimilia experti ſunt, quibuſdam nihil ſimile contingit.

Verùm aliud eſt plicæ ſymptoma circa quod nullâ ratione conſentiunt auctores, ſcilicet ſanguinis effuſio quam plures ad-

(*a*) Vide figuram in Tranſact. Phil. ann. 1732, n°. 525.
(*b*) Bernitz, loc. cit.

mittunt, ubi reſecantur capilli implicati ad aliquam à capite diſtantiam, aliis mirum ſymptoma obſtinatè negantibus. Verùm inter alios Helwigius (*a*) hæmorragiam indè natam anno 1653 vidit, ad mortem uſquè, poſt virium prolapſum in juvene Polono cui incautè in variolis reſecti fuerant capilli plicâ affecti. Cum ſymptomatibus iſtis miſcetur ſuperſtitio, ſeu potiùs opinio præjudicata, quòd ſi reſecentur cirri plicati, illicò omnia denuò ingruant ſymptomata quæ plicam nondùm explicatam præceſſerant, tremor, oculorum fluxio, cæcitas, donec recreverint ad priſtinam longitudinem reſecti capilli; quod quidem ampliſſimè refutavit Skummovius pronuntians ſe plus quàm triginta plicas ſine ullâ noxâ reſecuiſſe, quod tamen non auſus erat, nec ſinerent Poloni, niſi morbo priùs per appropriata medicamenta debellato: Starnigellius tamen, in Litteris ad Academiam Patavinam, inter plurima ſymptomata illud etiam recenſet.

Verùm in tertio morbi ſtadio, plicis jam fusè explicatis & propendentibus, ſymptomata omnia conticeſcunt, & ex omnium auctorum conſenſu, multos videre eſt Polonos, imò & vitulos, qui plicam innoxiè ferunt, imò & eam habent pro præſervativo adversùs omnes ingruentes aliis de cauſis morbos. Non tamen omnibus innoxiè circumfertur; nam aliquibus phthiriaſis ingruit, aliquibus cirris decidentibus, etiam ſpontè, & nullâ per artem factâ avulſione, ſymptomata recrudeſcunt omnia, aliquibus demùm maraſmus & phthiſis malis finem imponit.

Dantur tamen, poſt longa morbi, ſeu affectûs fetidi & impexi faſtidia, ægroti quibus ſpontè cirri decidunt, & plica planè ſanatur, nullo priſtinæ labis relicto veſtigio. Videbimus etiam infrà multos artis ope non ſublevari tantùm, ſed & omninò perſanari. Undè patet ultimum hujus morbi ſtadium & lenius & fœditate ſolâ miſerabile videri, modò imprudenti medicatione non irritetur, & in pejus convertatur malum.

Diagnoſis morbi ſemel conſtituti facilis eſt, & celata omni artificio plica non minùs tamen oculos ferit aut odoratum. Sed jam exiſtentis, necdùm explicatæ difficilior prænotio, multa enim habet cum ſcorbuto communia, multa cum lue vencreâ: cum illo ſcilicet artûum gravitatem, inceſſum difficilem, anhelitum, capitis dolores & defluxiones in oculos; cum hâc oſſium dolores, diſtorſiones, gibboſitates. Verùm nec utriûſque mali pro-

(*a*) Apud Mangetum, Bibl. Medicâ.

greſſus idem, nec ſors eadem; quippè, licèt aliquandò retardetur, plerumquè acutum in morem incedit plica, torſioneſque vehementiſſimæ, ſine ullâ aliâ functionum lædentis cauſæ præſentiâ, morbum hunc pronuntiant. Quid, ſi ungues & indurentur, & in cornu abeant & elongentur? Adde & omnium communi methodo adhibitorum medicamentorum vanitatem.

Verùm dubitantibus de plicæ exiſtentiâ Poloni aliam dignoſcendi methodum obtrudunt, vanam quidem forſan & ſuperſtitioſam, ſed referendam tamen. Ceram virgineam, ſeu albam oculis applicant, cum tali prognoſtico, quòd ſi poſt aliquot horas in cerâ crines apparuerint, illud certiſſimum ſignum plicæ mox erupturæ fore; ſi verò cera crinibus caruerit, alia eſt morbi natura. Hæc quidem omnia fusè auctores Poloni, & fuſiùs adhùc Hercules Saxonia qui cum pluribus Medicis Patavinis ſummæ quidem famæ & uſquè adhùc vivacis, longam conſultationem, ſeu potiùs librum integrum de plicâ ſcripſit, diagnoſim, cauſas & morbi & ſymptomatum, imò & ipſam curationem perſecutus. Venenum ſcilicet reputans peculiare in capillos defluens pro causâ morbi quærendum eſſe.

Hæc quidem omnia ab omnibus æquè auctoribus admiſſa fuerant, nulluſque morbi exiſtentiam negare auſus erat, quantumvis inter ſe illi in ſymptomatum enarratione differrent admodùm, & omnes qui morbum obſervandi occaſionem nacti non erant, ſubodorabantur quid ſuperſtitioſi cum veris obſervationibus mixtum eſſe, cùm vir emunctæ naris Guillelmus Daviſſon (*a*) nobilis Scotus, Chriſtianiſſimi Regis Medicus, & horti Regii plantarum Pariſienſis olim cuſtos, poſteà autem Regis Poloniarum Archiater, plicæ exiſtentiam negavit omninò, riſitque quaſi anile commentum quod nimiùm patienter à plebe Medici nimìs creduli exceperant. Id ſub nomine Theophraſti veridici Scoti in libello quem plicomaſtyx vocari voluit, & in commentariis ad Petri Severini Dani idæam Medicinæ Philoſophicæ (*b*), poſt ſeptem annorum in Poloniâ commorationem, adſtruxit. Adversùs illum pariter omnes uno ore Poloni inſurrexerunt, nobiles, mulieres, Medici, ſed præcipuè Skummovius (*c*), Epiſcopus Gratianopolitanus & per albam Ruſſiam Suffraganeus. Nam cùm dixiſſet Daviſſon plicam eſſe voluntarium morbum, quo caret quicumque

(*a*) Theophraſti Veridici Scoti plicomaſtyx, primùm Abredonii, poſteà Dantiſci, 1668.
(*b*) Pag 450.
(*c*) Apud Plempium.

voluerit, & ab impexâ ſorditie ortum, quem capitis cura & comptus bellè perſanent, demptâ omni ſuperſtitione; ſcripſit ille non in impexos solùm atque ſordidos plicam incidere, ſed in maximè capillorum curioſos, in viros vertice raſo, ut magnatum apud Polonos mos eſt; gaudentes, in comptas mulieres. Negat tamen idem auctor implexos crines atque convolutos pecti non poſſe, ſed arguit à pectine rursùs convolvi, capitaque rectè pectine ornata atque lota nihilominùs tamen plicâ laborare.

Præterea ſæpè à causâ accidentali in caput, quod neutiquam ad eam diſpoſitum erat, plica ingruit; ut eſt illa quam J. Michael Ferhr retulit, quæ vulneri capiti inflicto, poſt gravia & varia accidentia, in mulierem Polonam ſupervenit.

Verùm quantumvis viri graviſſimi, Academiæ integræ de plicæ exiſtentiâ conſenſerint, & inſurrexerint in negantem, fatendum eſt ex recentioribus vix ullum Medicum eſſe Phyſices atque naturæ ſtudioſum qui de eâ loquatur : tres tamen exceperis. Vidit & tractavit plicam Cl. de Sauvages (*a*); de eâ fusè & eleganter ſcripſit Chriſt. Henr. Erndtel (*b*) : J. Theodor. Klein (*c*) urbi Dantiſcanæ à ſecretis, plicam à ſe viſam in ſervâ Polonâ Principis de Raziwill icone expreſſit. Imò ſi Polonos omnes qui, aut ſanitatis, aut doctrinæ gratiâ apud nos itinera ſuſcipiunt conſulueris, vix ullum videris qui de morbo olim famoſo, aut aliquid per ſe intellexerit, aut fictitium non crediderit. Ruſticos ſcilicet longa manent præjudicia, quæ partim aucta, partim obſervationibus aliquibus fundata ab imaginatione augmentum mirum accepêre. Ita apud Sarmatas agreſtes, & vitam ſervilem ducentes, pervulgata ad noſtrum uſquè ævum fuerat Vampyrorum fabula, quam tandem floccifecit ætas phyſices principiis meliùs exculta. Dubitare tamen licet, cùm circà ejus admittendam exiſtentiam tot nos premant auctoritates, negantemque tam acriter refellendum crediderint Medici plures, an non morbus ille primò epidemico more invaſerit, poſteà verò, deferveſcente priore furore, remanſerit endemicus; donec tandem, ſævitie ejus ſenſim imminutâ, rarò tantùm emicuerit, brevì tempore deſtruendus omninò, & ex oculis hominum eripiendus? Quod plurimis morbis eveniſſe nos hiſtoria edocet. Tale exemplum ſufficiunt elephantiaſis, morbus ille quem Schenkius

(*a*) Noſologiâ claſſ. 10, ord. 7, n°. 35.
(*b*) Chriſt. Henr. Erndtel, Warſaviâ phyſicè illuſtratâ, cap. 5 & 6.
(*c*) Tranſact. Philoſoph. 1732, n°. 525.

ſub nomine *der Waren* epidemicum in Galliis, dein Germaniæ quibuſdam locis endemium deſcripſit. Quod etiam de lue venereâ, ſi doctiſſimo Sanchez credimus, aliquandò pronuntiandum erit, cujus cum labentibus annis furor retundatur, ſperare licet fore ut aliquandò ex hominum oculis evaneſcat.

Certè, licèt omnes uno ore auctores nullum in plicâ contagium admittant, imò & rem ſummâ diligentiâ diſcuſſerit Hercules Saxonia, venenum tamen peculiare quod definiri non poteſt pro causâ hujus morbi admittit. Et certè, ſi unquam extitit morbus ille, inter criticos numerandus fuit, ſeu potiùs depuratorios, cùm cirri illi aut barbæ, aut capillorum implicati, cauterii vice fungerentur. Undè etiam, ut jam diximus, Schenkius illum ad morphæam & porriginem referebat, cujus humor, quaſi ſiphone facto, per capillos diffluerèt; undè plica noſtra differt ab hiſpido in pluribus obſervato capillorum, aut etiam pilorum aſpectu, qualis erat ille quem obſervavit Drelincurtius (*a*) in muliere Auguſtanâ in quâ è variis corporis partibus pili hiſpidi & promiſſi propendebant, ferinum in morem, undè ſibi uberrimum quæſtum parabat. Nihil enim depuratorii habuit vitium illud adventitium, à nimio pilorum nutricatu, ut cum veteribus loquar, ortum.

Quæ cùm ita ſint, facilè intelligitur quid putandum ſit de obſervatione Herculis Saxoniæ qui aliorum relatu, ut & Sennertus, ait in eorum ſanguine qui plicâ intereunt ingentem pilorum numerum reperiri. Quod non magis verum videtur quàm præconcepta olim, etiam apud nos, opinio ſubitam in lactantibus mammarum inflammationem à pilo ibi hærente oriri, undè etiam morbus *le poil* nomen retinuit.

In cauſarum morbi illiûs nobis incogniti indagatione cæcutimus: certè enim quicumque ſit morbus ille, à veneno peculiari pendet & vitio lymphæ quæ ſine ullâ externâ exulceratione per capillos defluit, eos acredine urenti contorquet, & per nativas rimas perpluit, cujus quidem mechaniſmi exempla aliqua reperire eſt ad baſim capillorum in tineâ. Quæ poſteà lympha, quaſi per cauterium excuſſa, hanc viam affectat, forſan & illa quæ jam exiit, cantharidum more, dùm vicina inficit, fluxum promovet. Sed, ſi res ita ſe habeat, demenda ſunt ex plicæ hiſtoriâ omnia illa ſuperſtitioſa obſervata de periculo reſciſionis capillorum, de fluore ſanguinis, aliorumque de quibus mentio jam facta. At hiſce cognitis non minùs tamen ignari erimus circà cauſas morbi

(*a*) Epiſt. ad Barbeyrac apud Manget. Theat. Pratic. tom. 2, pag. 302.

remotas ; nec intelligemus cur morbus iſte Sarmatas, aliis populis excluſis, attingat? Nam etſi & impexi, & ſordibus oppleti ſint miſerrimi hominum Poloni agreſtes, vix in hoc à reliquis pauperrimis & ruſticis aliarum gentium differunt. Aliundè verò aiunt auctores quòd, licèt ad omnes æquè pertineat morbus, mulieres tamen magis attingat quæ curam capillorum præ viris gerunt, nec nobilibus parcit quibus certè nulla exprobranda incuria, & qui apud veteres Polonos capite raſo diſtinguebantur. Vitium in aëre aliundè ſaluberrimo quærere vanum eſt ; cùm enim dicant eſſe illud aquis, quæ ex Hungariâ, terrâ mineris, & quidem multis arſenicalibus infectâ, in Poloniam defluunt adſcribendum, cauſam perennem allegant, cùm morbus ipſe nec ſemper extiterit, & vix adhucdùm exſtet. Ingens cauſarum diſparitas eſt inter eos qui ſcelus in aquis quærunt, dùm adſcribunt aquis endemiam Alexandrinis elephantiaſim, ſubalpinis etiam bronchocelem. Res enim à primis incolis ad hæc uſquè tempora tranſlata eſt, undè vulgatum illud à Juvenale, *quis tumidum guttur miratur in alpibus.* Quod de plicâ allegari non poteſt cujus natalia deſcripsêre auctores.

Cùm porrò cauſæ illæ nihil de morbi naturâ enuclearent, ſimplicius viſum eſt ejus originem à ſupernaturalibus cauſis eruere, quod & ipſe fecit Fonſeca. Joach. Piſtorius ait in Tartaricâ expeditione fontes cordibus hoſtium peremptorum verbiſque non innoxiis fuiſſe infectos, undè derivata mali labes. Alii alia commenti ſunt, ſed ſemper diabolicas fraudes ad morbi hujuſce natalia enodanda adhibuêre. Quod quidem juſtam ſuſpicionem de mali ſuperſtitione cordatis & intulit, & inferet. Certè à popelli præjudicatâ opinione non avellas ſtrigas & incantatrices huic morbo tollendo præ omnibus Medicis præſtare ; quod ſi verum ſit, certè morbus pro imaginario haberi poteſt. Si contrà ad tineam referendum ſit, ut aliqui autumant, forti medicatione eget ; circà quam variam inière viam & Medici Poloni, & qui, ab iis conſultus, celeberrimos Medicos Patavinos ſibi comites adſciverat Hercules Saxonia.

Receptum enim eſt apud omnes Medicos Polonos venæ ſectionem plus obeſſe quàm auxiliari. Ait Bern. de Bernitz, illuſtriſſimam Matronam Polonam plicâ laborantem, cui vena ſecta fuerat, confeſtim in eo brachio dolores ſæviſſimos cum œdemate perpeſſam fuiſſe. Obſervaverat, venâ in pedibus apertâ, dolores acerbiſſimos in utroque crure ad malleolos concitatos Hercules

Saxonia, qui tamen à venæ ſectione omnimodè temperandum non eſſe arbitratur. Verùm ut ex auctorum illorum farragine aliquid certioris eruamus, ut in morbo tria ſtadia diſtinximus, ita in morbi prorsùs depuratorii curatione duo admodùm diſtinguenda ſunt, quorum primum in præparatione ad morbum nondùm explicatum & evolutum referetur, alterum plicâ jam factâ & conſiſtente viamque ſibi naturalem affectante adhibendum erit.

Certè ubi jam plica ſui indicia interna dedit, incognitoque veneno agit in oſſa, nervos, oculos, ejus eruptionem præpedire impoſſibile eſt; tutius eſſet præcepta ad præcautionem ſcribere quàm turpiſſimo malo medicinam adhibendam habere. Sed antequàm ſymptomata ingruant, hujus à longè petita indicia nulla ſunt, nec hæreditario jure à parentibus in liberos defluit, nec communicatur commercio aut contubernio cum ægris. Supereſt ergo ad mali cautelam, ut omne corpus mundum atque terſum teneatur, victus ex optimis inſtituatur alimentis, aër ut plurimùm ſeligatur purus. Sed malo jam facto omni ope atque operâ exitus plicæ promovendus eſt, quæ una ſalutis atque levaminis via eſt. Et ob id, veneno per univerſum corpus graſſante, vires conſervandæ ſunt ſartæ & integræ, omnis acrimonia retundenda, & cùm ſæpè ſub pondere morbi vires fatiſcant, cautè cum venæ ſectione incedendum eſt. Cùm maximè interſit ægrorum ut primæ illæ viæ quarum prava conditio omnibus ferè morbis complicationem affert, ſanæ ſerventur, proderit in primo hoc ſtadio alvum lenibus eccoproticis ſubluere; ſed cum omnibus Medicis Polonis conſentiemus, draſticam & efficacem purgantium vim damnantibus; quippè ſi plica exiſtit, ſi explicatio plicæ criſis eſt & depuratio morbi atque malorum atroci ferociâ ſævientium, viget ad illam axioma illud Hippocraticum, quò natura vergit, eò ducendum eſt per loca convenientia. Ergo in hoc ſolo cum Hercule Saxoniâ conſentientibus, omnis verſabitur baſis primi hujus ſtadii, ut plantis ſaponaceis, demulcentibus, ſimulque leviter emollientibus ſanguinis compages ſana & ſalubris teneatur, atque omnia excernicula libera ſerventur, undè & minuatur moles movendorum, & pars aliqua veneni, ſi fieri poſſit, extrà excludatur. Nec in regimine vitæ ullus admittatur error; methodus enim iſta, ſive admittatur plicæ exiſtentia, ſive negetur, in omnibus morbis incognitis vera eſt & neceſſariò admittenda. Secùs enim ars ſine arte inſtitueretur, quæ plura

ageret,

ageret, quàm quod ipſi exequi poſſibile eſt, & naturæ contradiceret.

Verùm patet univerſim plethoricis venæ ſectionem interdicendam non eſſe, ſaburrâ turgentibus neceſſariam eſſe purgationem ; imò & Simo Schulzius ſæpè à vomitoriis curam incipit. At plicâ jam explicatâ ſymptomata omnia conticeſcunt. Undè prima indicatio eſt ut æger tot fractus ſymptomatibus atque laboribus refocilletur, & ad ſanitatis firmitatem, per optima, euchyma, moderatè ſumpta alimenta deducatur. Tùm verò ad medicamenta plicæ venenum deſtruendo apta ſeſe accingunt Poloni. Primò quidem caput fovent atque eluunt decocto foliorum brancæ urſinæ quæ ipſis inter ſpecifica ad hunc morbum deſtruendum numeratur. Addunt etiam ſuccum ſedi majoris, ſeu ſempervivi. Quibuſdam etiam pro ſpecifico habentur radices lupuli. Hìc verò addunt, quod credat Judæus Apella, plantas illas quæ extùs adhibitæ adeò proſunt, nocent internè ; quod quouſquè rationi repugnet nullus eſt qui non videat.

Verùm ſi capillis nihilominùs complicatis, interna tamen ſymptomata exſtent, qualem unam matronam citat Bern. de Bernitz, quæ interna patiebatur ſymptomata, adhibenda ſunt, ut vir ille, alexipharmaca, ſudoribus promovendis apta. Colonellam refert quæ hauſtu vini Hungarici dolores illos omninò compeſceret. At efficaciſſimum adversùs plicam & verè ſpecificum remedium quo tolluntur, & evolvuntur, aut decidunt plicæ, omnium Medicorum conſenſu, eſt *muſcus terreſtris repens* Mathioli qui ubique apud Sarmatiæ lucos luxuriat, ſub nomine *muſci terreſtris clavati* C. B., & quem in Poloniâ plicariam & cingulariam vocant. Creſcit ubique in Sarmatiâ, ſed præcipuè in campis petroſis Ukraïnæ, & aliquandò eum longitudine ſeptem, octo, imò & decem ulnas excedere comperit Bernitz. Menſe Julio gignit julos, ſeu ſpicas ſulphurei coloris, quæ autumnali tempore digiti percuſſu, ſulphur vegetabile profundunt.

Accipiunt porrò hanc plantam, ſeu muſcum & folia brancæ urſinæ ad partes æquales, coquuntque in aquæ fluviatilis ſufficienti quantitate, donec decoctum ſaturatè flavum ſit ; decocto priùs colato admiſcent aliquid fermenti, vel fermentum ad id paratum ex decocto brancæ urſinæ, pane biſcocto & fermento vulgari. Reponunt illud ad fornacem per aliquot dies, donec ſaporem acidiuſculum contraxerit, tuncque pro uſu ſervant, &

Iiii

in eo incoquunt quæ vulgò parantur fercula, gallinas, capones, vitulinas carnes. Aliquandò tamen decoctum paratur, abſque plicariâ, ſeu muſco terreſtri; aliquibus enim vomitum conciliare deprehenditur. Tùm etiam ad lotiones capitis decocto illo utuntur, ſed ſecundâ vice muſcum incoquunt, ut fortior evadat. Aliis experientiâ comprobatum eſt unguentum quod ex eodem muſco terreſtri, radicibus bryoniæ & adipe erinaceo confectum eſt.

Si certum ſit ſpecificum illud quod è muſco terreſtri conflatur, nulla jam datur ratio cur de plicâ conquerantur Poloni? verùm ne lateat aliquid ſuperſtitioſi in hoc uſu metus eſt, cùm herba ſit complexa atque ramulis complicata, undè ſuſpicer ne à ſignaturis, ut aiebant veteres, de quibus ſcripsêre Crollius & Volfangus Wedelius virtutes ejus repetantur. Nam, ne deſit ſuſpicioni locus, credunt Medici Poloni omnes quæ ſcandunt plantas, & tùm aliis, tùm inter ſe complicantur atque innectuntur, pariter ad debellandam plicam valere. Cui quidem aſſerto fidem non denegat Bern. de Bernitz qui nos de incognitis tractantes quaſi manu regit. Penes auctorem ſit fides. Certè ſi plica aliud eſt præter fluentem capitis herpetem, & ad morbos cutis cognitos non refertur, rarò malum ſimile apud nos occurrit. Imò & apud Germanos hodie ferè incognita eſt plica, & apud Sarmatas in loco indigene cùm hodie apparet, quod ex auctorum ſilentio vix crediderim, pro rariore morbo habenda eſt.

ARTICULUS IV.

De Trichiaſi & Madaroſi, ſeu Milphoſi.

Trichiaſis τριχίασις Græcorum, eſt propriè oculorum à pilis offenſio. Aëtius & Actuarius eam τρίχωσιν vocavêre, & Galenus (*a*) τριχιῶντες vocat illos quibus innaſcuntur in palpebris pili puncturâ conjunctivam lædentes; idem etiam notavit Ariſtoteles qui præternaturalem hanc pilorum extruſionem τριχία vocavit: alio etiam ſenſu apud auctores verbum illud uſurpatur. Nam hoc etiam nomine deſignari voluit Galenus ſymptoma renum ex quibus cum urinâ capilli prodeunt, ſi quandò tamen prodierint, quod negare abſurdum non eſt, cum & ipſe Galenus (*b*) fateatur ſibi rem nunquam viſam.

(*a*) Lib. 2, de Loc. affect.
(*b*) In Aph. lib. 4, nº. 76.

Hoc etiam nomine apud Græcos recentiores deſignatur pilare mammarum malum, ſeu potiùs illarum inflammatio, olim à pilo per ductus lacteos introducto pendere credita; verùm hæc ad nos non attinent.

Trichiaſis qualem Actuarius, ſed præcipuè Aëtius (*a*) deſcripsêre, à duplici causâ pendere dicitur Aëtio. Vel enim in palpebris ſub pilis naturalibus & naturæ ordinem ſervantibus alii naſcuntur divergentes, adeòque pupillæ lædendæ apti, hæc affectio διςριχίασις dicitur; vel laxantur palpebræ, laxatarumque limbi intrò vertuntur, undè pili jam non ampliùs ad viſum apparent, ſed lædunt aſperitate oculi globum.

Cauſa prioris mali à poſterioris causâ prorsùs differt. Quippè in primo caſu aderat pilorum redundantia, ut ait Aëtius, repetenda à nimiâ fertilitate terræ in quâ nutriuntur, ſive ab uberiori proventu in bulbis pilorum feracibus: altera verò indè repetenda eſt quòd laxentur nimioperè palpebræ ob muſculorum inertiam, & ſemiparalyſin quæ à Græcis φαλαγγῶσις vocatur. Utriuſque diagnoſis evidens eſt, & prognoſis prioris acerba non eſt; ſed aliquandò phalangoſis immedicabilis eſſe poteſt, niſi chirurgica ars in auxilium advocetur. In priore, ſeu diſtrichiaſi evellendi ſunt antè omnia pili volſellâ, cum eâ ſummâ curâ ut evellantur integri. Nam ſi ſecentur tantummodò ad baſin, brevì aſperiores renaſcuntur, cum majori incommodo, iterandaque erit operatio, quæ ubi legitimè facta fuerit, coercendus erit exitus pilorum, atque bulbi leniter adſtringendi. Myrrham cum melle & aceto commendat Aëtius per tres dies integros ſupra palpebras ſervandam; dein cum melle fovendæ ſunt illæ. Reliqua cura oculum læſum ſpectat (*b*). At in phalangoſi remedia multa proponit, eaque tonica, ſtimulantia & ſtyptica; ſcilicet, lixivia, ſandaracham, erinacei fel, quod ſummoperè laudabat Archigenes; ſed præcipuè demulcentibus mixtum atramentum ſutorium, ſeu vitriolum viride, quod eo nomine intelligebant antiqui. Omnibus hiſce inutilibus, tùm devenire jubebat ad ſuturam palpebrarum quæ infrà ſupercilia & ſuper oculi globum inſtituitur. Hanc fusè, ut & illam quæ fit deorsùm, deſcripſit (*c*); de eâ autem operatione reformatâ videantur auctores Chirurgici. Hæc ſatis ſint de morbo

(*a*) Aetius tetr. 2, ſerm. 3, cap. 76.
(*b*) Cap. 67.
(*c*) Cap. 69.

qui vix ad cutis & pilorum morbos pertinet, quandò quidem nihil hic contrà naturam eſt, præter inverſum pili naturalis ſitum & accidentia ab hoc poſitu deducenda.

Contrarium imò, & prorsùs oppoſitum eſt malum madaroſis quæ Græcis μαδαρότης, μαδάρωσις, ἢ μάδησις dicitur. Diffluunt ſcilicet pili è ciliis, & palpebræ remanent glabræ, non ſine oculorum & visûs offenſione. Si aliquid inflammatorii adſit, & rubedinem contrahant palpebrarum limbi, μιλφαι ἢ μιλφωσις dicitur Paulo Æginetæ (*a*) ; quamvis alii auctores promiſcuè milphoſin & madaroſin idem malum vocent. Verùm aiunt Paulus & Aëtius τοὺς ταρσοὺς fieri in milphoſi ερυθροὺς, ἐοικότας μιλτω τη χροία rubricæ ſimiles. Imò increſcente malo, & inflammatione etiam in oculo conſtitutâ, fit ptiloſis, defluvium pilorum ex palpebris induratis atque tumentibus, imò & calloſis. Undè Aëtius ſcribit ptiloſin eſſe affectum compoſitum ex madaroſi & ſclerophtalmiâ, quæ ptiloſis lipporum ſenum eſt affectus proprius, nunc acutum in morem ſæviens, nunc chronicus. Aliquandò etiam non omninò caret pilis ptiloſis, quamvis Galenus (*b*) ſimpliciter πτίλους vocaverit illos quibus careat pilis palpebra. Sed ſæpè alii molliores ſubnaſcuntur (*c*), quales renaſcuntur avicularum pullis deplumatis qui idcircò apud Græcos πτίλοι vocabantur. Verùm omnes hi morbi, tùm gradu, tùm compoſitione diverſi, ad madaroſin tamen referuntur, quæ eſt φαλακρωσις, ſeu calvities palpebrarum.

Avicennas & Arabes de eodem morbo egerunt ſub nomine *ſilac*, ſed præter nomen nihil græcæ curationi addiderunt, aut mutaverunt. Ea autem palpebrarum calvities pendet ab omnibus cauſis quæ aliis in locis defluvium aut barbæ, aut capillorum inferre poſſunt, præſertim verò ab acredine erodente, aut inflammante herpeticâ, undè ſignis ab horum morborum diagnoſi petitis, interior humorum conditio ex iiſdem indicationibus curatur. Prætereà ſæpè à variolis, aut eruptione accidentali bulbos inficiente deſtruuntur illi, tarſique ferè denudati relinquuntur, undè ſit madaroſis immedicabilis. Verùm niſi calvities univerſalis adſit & pilorum defluvium, rarò madaroſis ſimplex obſervatur, ſed potiùs milphoſis.

Certè omnes madaroſeos ſpecies malum potiùs incommodum

(*a*) Paul. lib. 3, cap 22. Galenus de Comp. ſec. loca, lib. 4, cap. 5.
(*b*) Galen. cap. 15, lib. 14, Meth. Med.
(*c*) Actuar. lib. 2, cap. 7.

conſtituunt, quàm acerbum, aut metuendum, poſſunt tamen oculorum globo atque viſioni labem inferre, cùm ſæpè ab earum peſſimis ſpeciebus acris humor deſtillet. Percellit vividiùs à pilis illis non fractum jubar, demùm à madaroſi pendet ſymptoma à veteribus ſub nomine corybantiaſmi deſignatum. Oculis patentibus, inquit Plinius (*a*), dormiunt lepores, multique hominum, quod κορυβαντιᾶν Græci dicunt. Connivent oculis, & album oculorum oſtendunt, quod pro peſſimo ſigno in morbis acutis habet Hippocrates, additque, niſi ita dormire conſueverint. Undè corybantiaſmus Plinii idem eſt atque lagophtalmus. Certè ſomni indè turbantur, leves ſunt; corpus macilentum fit, aliaque plurima mala accerſuntur. Nec minora vigilantibus mala impendent. Ad ſolem enim nictitare coguntur, & radios luminis vividioris fugere, undè nec librorum lectioni, nec ſcriptitationi vacare poſſunt, morboſque oculorum pati coguntur. Sed pruritus ingens, ſcabieſque palpebrarum ptiloſi jungitur, imò in graviſſimis ptiloſeos ſpeciebus ulcera concurrunt, cutanea quidem, ſed difficilè admodùm curabilia, quia fundus deeſt vaſis opulentus, cartilaginea tarſorum ſuppoſitorum natura cicatrici officit, imò etiam eam impedit: quinetiam, ſi veteribus fides adhibenda, pediculi atque vermiculi naſcuntur in palpebris, de quibus fusè egit Aëtius in libro & ſermone ſuprà citatis, de quibus etiam meminit Galenus, & obſervationem nobis ſufficit Joannes-Nic. Pechlinus in Obſervationibus Medico-practicis.

Ex his porrò ſatis intelligitur quàm variâ methodo madaroſis tractanda ſit, ita ut aliquandò ingentem medicamentorum, etiam internorum apparatum poſtulet, interdùm verò pauca omninò & tantummodò ea quæ ad alopeciam, cujus unam ſpeciem conſtituit, conferant. Interdùm etiam, ut in lippis ſenibus, inſanabilis eſt, cùm ſcilicet à laxitate cutis palpebrarum & ectropio inferioris palpebræ pendens, lemas viſcoſas, glutinoſas, imò, ob phlogoſim, purulentas perpetuò eliciat. Undè etiam, licèt madaroſis per ſe ea quæ trichiaſin efficiunt ad ſui curationem poſtulet, ſcilicet humectantia, diluentia, eaque quæ palpebrarum ſolum fertile efficere poſſunt, tamen Aëtius, Actuarius, Avicennas aliique qui de eo morbo ſcripſerunt, ſiccantia contrà & abſorbentia commendant, cadmiam, ſquammam æris, & præcipuè fuliginem. Fit enim ſæpè antè madaroſin, ob inverſionem pupillæ,

(*a*) Plin. lib. 2, cap. 37.

trichiaſis, undè oppoſita per ſe mala conſentiunt. Optimum in hiſce caſibus remedium commendat Montanus (*a*) ad trichiaſin ſimul atque madaroſin ulceratam lac caninum, ut eminenter ſimul exſiccans & demulcens. Sit penès auctorem fides; nam & inexpertus ipſe inexpertos tantùm novi.

Sed multæ ſunt madaroſes ulceratæ, lenes quidem, quæ ut perverſo vitæ regimine, præcipuèque vini abuſu generantur, ita etiam potu aquæ, & demulcente diætâ tolluntur: vidêre multi madaroſin nimiâ oculorum contentione, per lectionem aſſiduam minutiſſimorum caracterum contractam, ſolâ partium harumce quiete ſanari. Generatim verò quodcumque acre retentum palpebris nocet, ſi demulceatur, malum tollit; modò recens fuerit, nec inveteraſcendo jus civitatis obtinuerit. Fit enim in hiſce habitus mali, qui poſteà difficilè remediis tolletur.

Appendix de cutaneis Palpebrarum Affectibus.

Quamvis morbi palpebrarum (*b*) affectus ſint organi peculiaris, & ad oculum & viſionem referendi videantur quæcumque in eas incidunt vitia, quum tamen illæ, cute præſertim, atque textu cellulari conflentur, muſculoſamque tantùm ſimul admiſceant fabricam, illarum cutis variè in ſe reflexa, ſæpè quatenus cutis eſt peccat; quin etiam inſignes accipiunt varietates à nitore juvenili cutis, & à ſenili ejus ariditate. Ita pueri atque juniores corybantiſmo præſertim afficiuntur, ob nimiam cutis ſtricturam, muſculorumque agentium irritabilitatem; ſenes contrà immodicæ earum laxitati plurima mala accepta debent, qualia ſunt œdema. Quod malum, per ſe in palpebris frequens, ſæpè cauſæ fugaci acceptum debetur, ut acrium particularum intrà oculum admiſſioni, frigori, aëri nebuloſo perſpirationem ſupprimenti; ſæpè cauſarum graviorum ſignum eſt, & anaſarcam incipientem minatur. Undè multis manè palpebræ turgent, quibus pedes veſperè intumeſcunt. Curatio igitur œdematis palpebrarum cauſæ ablatio eſt, quæ in malo fugaci facilè aufertur, in graviori difficiliùs. At ſi ipſa palpebrarum debilitas œdema induxerit, aut vaſorum laxitas ob ætatem conquiſita, ſola methodus curativa in eo conſiſtet, ut tonicis & reſolventibus, qualia præſtant aromata in ſpiritu vini ſoluta, foveantur bis vel ter in die palpebræ, & ſi ſpes

(*a*) Fort Plempius de Ocul. Morbis.
(*b*) Aëtius, tetr. 6, ſerm. 3.

curationis affulgeat, iis admiſceantur leviter adſtringentia, qualia præſtant roſæ, plantaginis folia, bugula, aſtrantia, cæteraque medicamenta ejuſmodi quibus ſcatent omnes materiæ medicæ. Alterum ſenile vitium prio i concors origine, eique jam quaſi ſanato ſuperveniens, eorum eſt laxitas pendula quâ jam ad objecta aſpicienda neceſſe eſt caput attolli, quia non attolluntur palpebræ; undè brevì trahentibus tarſis, fit ectropium, id eſt palpebræ inverſio, ruborque fœdus; liquorem ibi ſecretum aſſiduo ſtillant palpebræ, & cùm nocturnâ quiete inſpiſſetur ille, fiunt habitu perpetuo lippitudo & ophtalmia malum augens atque humorum ingentem vim ibi accerſens. Quod ſenile malum non ſemper laxitati debetur, ſed tumori palpebrarum, nunc ab herpetibus pendenti, nunc etiam, ſed fœdiſſimo ſpectaculo, & atroci humanæ faciei mutatione, à veneno venereo, elephantiaco & cæteris hujuſmodi humoribus. Hæc quidem venena, de quibus hìc fuſiùs proloqui extrà operis metas foret, ingentem remediorum apparatum poſtulant.

At, quandò hæc mala à ſolâ palpebrarum laxitate fuerunt accerſita, Aëtius & Actuarius eadem remedia indicant, atque ea quæ in œdemate prædicata ſunt, ſtyptica ſcilicet, & tonica prudenter admota. Quæ ſi minori ſucceſſu commendata fuerint, tunc ad ſuturam, vel ſursùm, vel deorsùm, quam fusè deſcripſerunt, deveniendum; quæ operatio meritò ab omnibus recentioribus exploſa, locum cedit levibus ſcarificationibus vel ſupremæ, vel infimæ partis palpebrarum, quæ ad angulos inſtitutæ cicatricem poſteà tenuem efformant, accurtandæ cuti ſufficientem.

Sed antequam ea tentanda ſit operatio, omni ope atque operâ contendendum eſt, ut ſciamus an non laxitas illa à paralyſi partis muſculoſæ pendeat? Sic obſervavit Spigellius (*a*) ex levi vulnere ramuſculi tertiæ nervorum cerebri conjugationis, qui per foramen oſſis frontis ſupra orbitam exſculptum in cutem & muſculos frontis deſinit, prolapſam fuiſſe palpebram, paralytico ſcilicet facto muſculo ciliari.

A cauſis oppoſitis naſcitur palpebrarum calloſitas. Quæ ubi perfecta eſt, inſanabilis jure habetur, & occluſioni palpebrarum nocet; ſi incipiat, laxantibus & vaporibus lacteis atque emollientibus cedit. Morbum hunc ſub nomine lippitudinis duræ & ſiccæ deſcripſit Aetius, cùm rarum ſit ſimul humorem gluti-

(*a*) Biblioth. Pract. Mangeti tom. 3, pag. 551.

noſum oculis irrorandis hìc natum ad calloſas partes non hærere, aut non accumulari, atque tumores ulceroſos efficere.

Ab humoribus acribus, ſive ob perſpirationem, ſuppreſſam & fluxione, ut aiebant veteres, in palpebras delatam, ſive ob reliquias humorum herpeticorum, aut aliorum hujuſmodi, etiam ſanatorum, remanent in cute harumce partium vitia quibus. fit ut lævitas atque mobilitas iſtiûs organi lædatur, nullo quidem ægrorum periculo, ſed magno eorum incommodo. Hinc fit Græcorum *trachôma* quod ſemper, & ex rei neceſſitate, rubedinem & pruritum ſecum affert, imò ſæpè puſtulas excitat, ad puſtularum genera à nobis deſcripta facilè referendas : nunc grandiores *ficoſin* vocant, & palpebras appellant ficoſas; nunc minores & milii granum referentes, miliares vocantur. Tùm demùm continuo motu vexatæ palpebræ, irritatæque aſſiduo nec intermittendo exercitio ulcerantur, fitque malum veteribus accuratè deſcriptum ſub nomine abſceſsûs palpebrarum. De quo vide Demoſthenem apud Aëtium (*a*) : qui morbus potiùs ulceris nomine dignus foret, ſeu potiùs palpebræ vocandæ forent ùlceroſæ; cùm hìc de ſimplici non agatur ulcere, ſed eroſa & perpetuo motu detrita vaſculorum rudimenta per annos integros pus, humori ceruminoſo palpebrarum remixtum, & aquâ hìc ſtillante vitiatum effundant, donec ad tarſorum cartilagineam naturam pervenerint quæ jam cicatrici nulla ſufficit fundamenta, undè ulcuſcula ſemper hiantia ſervantur, non inaudito exemplo exfoliatos fuiſſe ipſos tarſos.

Inter ulcera cacoëthea jure numerantur ulcera modò memorata palpebrarum, quæ & pulveribus abſorbentibus, ſiccantibus & deterſivis potentioribus opus habeant. Ad hæc inventa collyria ex ære, vitriolo, aloë, imò & veterum ſandarachâ efficta, quæ poſſint ſimul & vaſa exſiccare, & carnium ſemper recreſcentium retundere luxuriem; cum quibus tamen ita cautè incedendum ut nunc illa, nunc leniora ex ovo & melli apponantur, ſemper tamen fugiendo laxantia & ea quæ nimìs humectant, quippè quæ, laxatione inductâ, poſſent hiatus ulceris augere, & curationem tardare.

Ad ulcera illa referendæ videntur varices illæ palpebrarum de quibus ſedulò monet Aëtius, ne illas curare velimus, cùm ſummum obtineant malignitatis gradum; rectè enim ſuſpicatur mutatum eſſe ulcus in carcinoma, varices carcinomati illi accreſcere,

(*a*) Aëtius, loc. cit. cap. 79.

quæ

quæ non tangendæ ſint, in quo quidem cum ſummo auctore omnes conſentient.

Ulceribus illis, ſi præſertim acrimonia de quâ alibi locuti ſumus hìc concurrat, aliquandò vermiculi innaſcuntur de quibus Aëtius & Avicennas locuti ſunt, ſed frequentiùs pediculi, undè apud aliquos auctores, uti jam dictum eſt, phthiriaſis pro palpebrarum morbo habita; quod certè vitium, præter intolerabilem pruritum, viſioni non parùm officit, & remediis alibi deſcriptis ſanatur.

Verùm hæc in peſſimis ulceribus accidunt, feliciùs remanent poſt illorum ſanationem, imò ſæpè poſt unicam puſtulam extantia tubercula, quæ antiquis hordeolum, ſeu præputiolum dicebantur. Hæc quidem forinſecùs, juxta pilos naſcuntur, longoque tempore manent, non innoxia ſolùm, ſed etiam vix advertenda. Ubi aliquod volumen nacta fuerunt, tunc compreſſione & irritatione vicinorum fit brevì ſuppuratio, quæ dùm tuberculi limbos erodit, exit citò cum pure materies cretacea, dura, friabilis, ex merâ lymphâ concretâ conſtans. Malum illud vix aliam curationem poſtulat, quàm quæ ex unguentis tenuiſſimis ſuppurantibus conſtat. At, licèt promiſcuè ſæpè ſumantur, diſtingui voluit ab hordeolo grandinem Aëtius. Scilicet grandine affici ait palpebras, cùm, everſis ipſis, rotundæ quædam eminentiæ pellucidæ grandini ſimiles apparent; quibus diſſectis vacuatur humor ſimilis albumini. Curatur grando, everſis palpebris, aperturâ per ſcalprum factâ; exit à tunicâ humor, flacceſcit tumor, & paucis abſtergentibus linteo appoſitis brevì curatio perficitur. Cæterùm cùm cutis palpebrarum per ſe laxa ſit & excipiendis apta humoribus, nil mirum ſi, magno ægrotantum incommodo, in ipſis naſcantur atheromata, ſteatomata, melicerides, & omne tumorum genus, quibus cutis patet, ſed quæ nullâ ratione peculiarem ſibi tractationem merentur, cùm ad cognita jamdudùm referantur, nec alias ſibi expoſcant cautelas, præter eas quas ſubjecti oculi uſus, dignitas, & delicatior ſtructura poſtulant.

ARTICULUS V.

De Tumoribus cyſticis in cute capillatâ naſcentibus.

Si cauſas univerſales in cutem agentes ſpectemus, nulla eſt certè portio cutis quæ illas tam facilè accipiat atque cutis capillata. Undè tot in illam impendent morbi proprii qui cùm à

Kkkk

cauſis aliundè repetendis pendeant, alibi tractati ſunt; porrigo, tinea, phthiriaſis, achores, ſavi, meliceria, aliaque hujuſmodi mala tùm infantilem ætatem adorientia, tùm etiam, mutatâ formâ, in ſenio rediviva.

Enimverò nulla cutis portio adeò perſpirationi favet, cùm à frigore defendatur per copioſam cæſariem, quæ ſi deſit, ubi à calvitie munimentum jam illud deſtructum eſt, norunt monachi, quibus ficta & artificioſa cæſaries intèrdicta eſt, quot catharris atque defluxionibus vivant obnoxii. Verùm cùm capilli ut plurimùm perſpirationi favent, illam iſti excipiunt, & aquoſa pars hujus humoris avolat quidem facillimè; at remanet extùs & intrà capillos pars illiûs denſior atque ſolidior agglomerata quæ in lemas & ſordes pungentes, vellicantes, pruritum intolerabilem excitantes concreſcit atque coaleſcit. Intolerabilis fœtor oritur. Undè malorum plurimorum origo quæ cuti capillatæ propria ſunt. Mundities capitis non ſolùm ad decorationem atque ornatum inſtituta, ſed & ad ſanitatem cutis prorsùs neceſſaria eſt. Nam à ſordibus iſtis pendent, nata hinc irritatio, indè verò folliculorum atque bulborum obſtructio. Obſtructio bulborum pilis ipſis nocet quos & macilentos reddit, imò & deciduos. Undè qui munditiem ſectantur, apud antiquos comam nutrire dicebantur. Folliculorum verò in cute capillatâ evidenter hiantium infarctus tumores cyſticos producit qui nullâ in aliâ parte quàm in cute capillatâ frequentiores varia ſibi nomina arrogarunt. At omnes ad meliceridem, ſteatoma, atheroma referuntur. Quorum quidem tumorum naturam hìc fuſiùs exponere, ut & eorum curationem, tùm medicam, tùm chirurgicam proſequi, extrà operis metas foret, cùm de iis abundè illi locuti ſint auctores qui de tumoribus tractavêre. Suffecerit hìc annotaſſe, nullâ aliâ in parte corporis adeò frequentes occurrere, atque maximè negligi, cùm ipſis capillis tegantur, atque occultentur, prætereàque in cute per ſe maximè tensâ non adeò grandeſcere poſſint aut deformitatem aliquam inferre.

Verùm cutis illa, ob ſuam innatam tenſionem non adeò facilè dilatanda, rumpitur ſæpè cum inflammatione, & anſam dat ſuppurationi incertæ illi, nec legitimæ, ſed quæ ſacco ut plurimùm tenui deſtructo, tumorem tollit, quo ſublato, facilè cicatrix inducitur. Sola horumce tumorum inter ſe differentia à volumine tumoris, ejus colore, atque materiæ contentæ ſpiſſitudine dedu-

citur. Verùm ita inter ſe conſentiunt illi, ut ſæpè idem caput in parte ſui capillatâ non uniùs formæ tumores contineat, ſed alter jam durior ſit & indolens, alter quaſi intumeſcente intùs contento tumore leviter inflammetur, alter veteraſcente & ſicciori decreſcat, poſtremus demùm nondùm juſtum ſui volumen acquiſierit.

Illud in hiſce tumoribus accuratè perpendendum eſt, an à causâ locali pendeant, quæ vel ad ſorditiem, vel ad compreſſionem à capitis integumentis inductam referantur, an non potiùs à causâ generali repetendæ ſint & à depuratione humorum in hæc loca deponendâ? Vidi enim, præſertim apud mulieres, magna & habitu vexantia capitis mala, ab hiſce tumoribus enatis ceſſare & prorsùs deſinere, ſuppuratione verò peractâ, & abſolutâ cicatrice, recrudeſcére denuò. Imò extirpata imprudentiùs in capitis cute meliceris mox phrenitidem intulit. Crediderim ſemel obſervatum, nec tamen id pro demonſtrato habuerim, melancholiam ferè maniacam, deindè phthiſim nerveam ab horum tumorum deſtructione inductam, ſaltem ejus ſequacem fuiſſe. Verùm antequam ad curationem accingamur perpendenda eſt vivendi atque patiendi norma ægrorum, ſcienda eſt malorum quibus obnoxii vixerunt hiſtoria, detegendumque eſt an aliqua evidens cauſa tumores illos produxerit? Nam fatendum eſt hos tumores rariùs exſurgere, & promptiùs ſanari mala hæc in iis hominibus qui caput raſum gerunt. Piaculum foret leve malum grandibus medicamentis attingere, quod graviora incommoda exciperent. Aliundè plica Polonica id ſaltem, quæcumque ſit, demonſtrat poſſe criſes atque depurationes per cutem capillatam fieri.

Præterea verò ſummâ curâ annotandum eſt, hodierno noſtratum præſertim luxu, ita variis adipibus aromatibuſque ſimul mixtis cutem capillatam imbui, ita poſteà pulvere illo cyprio qui mucilagine ſcatet & aceſcit facillimè, onerari, ut qui caput maximè ornatum gerunt, ſi pectendi atque hæc ornamenta renovandi curam amiſerint, ut ſit in morbis ex improviſo ſupervenientibus, neceſſariò cutim obſtructam atque obſtipatam habeant, undè tumoribus localibus, & ſine univerſali corporis concurſu naſcentibus, occaſio datur.

Id præſertim fit in cute infantum humidâ & ad hoſce affectus maximè proclivi, cùm luxus ita invaluerit ut ſæpè matres atque cuſtodes illæ quibus cura infantum concreditur plus ornamento frivolo & levi tribuant, quàm veræ & ſemper inquirendæ mun-

ditiei. Norunt id præcipuè puerperæ quas partûs dolores incautas opprimunt. Etenim poſt peracta partûs tempora, ubi primùm caput à vinculis ſolvunt, quod fuerat & pomatis aromaticis, & inſigni pulveris cyprii mole onuſtum, odor indè exhalat acidus, capilli adeò dilecti diffluunt, & ſæpè cum ingenti pruritu oriuntur puſtulæ quas ideò lacteas appellant, quòd humores lacte imbuti ſuppurationem tantummodò lacteam concipere poſſint. At, licèt hiſce in caſibus res evidentior appareat, tamen in omnibus etiam viris, imò cute duriori donatis, à neglectâ capillorum curâ naſcuntur puſtulæ, cruſtæ duriores, pruritus varii generis, imò forſan & locales tantummodò herpetes. Hæc mala rariùs certè iis accidunt qui caput vel ex inſtituto raſum atque nudum gerunt, vel iis qui fictitias comas gerunt, quibus licet eas renovare, nec veterem perſpirationem novæ ſuperponere. Nulla ſcilicet in toto corpore cutis abundantiùs perſpirat, imò & momentoſum magis excrementum exhalat. Periculum illud etiam ſummè notandum eſt in uſu topicorum adſtringentium & ſiccantium quæ ut in causâ locali urgente adhiberentur quivis facillimè induceretur. Nam perſpirationem cutis capillatæ nimiùm præpedire piaculum foret; ſi tamen cauſa localis demonſtrata ſit, proderit caput raſum in pruritu & puſtulis ſervare mundiſſimum, tùm ſecundùm antiquorum præcepta aceto detergere, cui non ſine fructu recentiores ſpiritum vini mitificatum ſubſtituunt, poſteà loca ulceroſa, aut prurientia abſorbentibus tegere, ut cicatrix inducatur.

Sed ſimul cautè incedendum, ne nos diagnoſis fallat. Adeòque & partes aurium poſteriores ſæpiùs inſpiciendæ ac luſtrandæ, an non à repulſo humore intumeſcant, an non indè humor aliquis exhalet, an non ſurditas ingruat? Nam quamvis nulla ſit exhalandi ab interioribus ad exteriora via, tamen mirum eſt quantùm partes internæ capitis cum exterioribus conſentiant, & alternas humorum hùc, aut illùc delatorum vices accipiant. Undè etiam in interioribus capitis affectibus toties profuit externa veſicantibus irritare. Hinc etiam irritatis illis exterioribus capitis integumentis, toties parotides, aut glandulæ lymphaticæ occipitales inflantur. Quæ quidem in pueris glandularum tumefactio eruptiones mox affuturas denuntiat, ſolvunturque glandulæ quæ maximè inveteratæ videbantur per largam atque affluentem puſtularum eruptionem. Illa porrò vel leviſſima glandularum inflatio,

ſi vel pruritus, vel puſtulas in capite conſpicuas, quâcumque in corporis conditione, præceſſerit, certè nunquam incautè topicis fidendum eſt; ſed illi curationi recurrendum eſt quæ univerſale humorum vitium corrigat, de quâ quidem, cùm huicce noſtro tractatui baſim præbeat, de eâque toties locuti fuerimus, hìc longiùs diſſerere ſupervacuum eſt.

CAPUT II.

De Affectibus propriis cutis faciei.

MULTI ſunt affectus cutanei qui videntur ad faciem ſolam pertinere, multi qui, licèt univerſæ cuti communes ſint, proprium tamen & ſpecialem caracterem in facie induunt. Ita ut quamvis de iis abundè alibi tractatum videatur, ſuperſit tamen aliquid novi animadvertendum, quod partìm à ſtructurâ ſingulari in cute faciei pendet, partìm etiam ex eo quòd aëris impreſſionibus neceſſariò noctu diuque obvia ſit.

Cutis quidem faciei ſenſu exquiſito gaudet, vaſaque majora & conferta, magis proxima epidermidi habet; textus ibi cutis ſimul tenuior, cellulæque hujus tenuiores & confertæ magis expanſionibus nervoſis albidioribus ſcatent, bulbique ac folliculi, præſertim circà nares, patent undiquè, & unctuoſum quid ſtillant defendendæ atque lubricandæ cuti ita deſtinatum, ut aliquandò, juniorum præſertim, cutis eo lubrica atque nitens atque oleoſa appareat, vetulorum verò tota contrà areoſa atque rugoſa ſordes terreo-oleoſas contineat.

Cùm verò lubricus ille humor aëri exponatur, & in ipſo folliculorum orificio exſiccetur, nil mirum ſi tam levi de causâ vertantur folliculi in phymata, pſydracia, panos, qui non ſolùm pro tempore cutim dehoneſtant atque vitiant, ſed etiam cicatrices profundas atque depreſſas relinquunt, iique affectus juvenes potiſſimùm invadant in quibus vis vitæ inflammationes leviſſimas ſuppuratione tollit plurimùm. Nec mirum magis, ſi mala quæ toti corpori communia ſunt proprium in cute faciei caracterem induant, ut variolarum puſtulæ quæ vulgò in facie magis confertæ, ibi & plurimùm puris & cicatricum majorem fœditatem

relinquunt ; ſi demùm propria ſint quædam cuti faciei mala : quæ quidem duobus articulis comprehendemus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Morbis cutis qui particularem in facie caracterem induunt.

Non tantùm lineamentorum varietate, oſſium formâ, atque muſculorum poſiturâ differunt inter ſe hominum facies, ſed etiam ipsâ cutis tenuitate, atque variis in ipsâ nâtis accidentibus. Tenuitas ſtructuræ cutis atque tùm cellularum, tùm membranarum cellulas cutaneas efformantium diſcrimen ingenerat illud ſummum quod intercedit inter femineæ cuticulæ gratiam & marium, præſertim ruſticorum aſperitatem vultuoſam, inter infantilem nitorem & ſenum rugas. Raritatem cutis, δέρμα ἀραιόν, maſculis adſcribit Hippocrates (*a*) jure meritòque, non quòd aut oſſium fabrica, aut ſuppoſiti textûs cellularis vacuitas, aut muſculorum exercitatio atque durities multùm hìc non conferant; verùm ipſa cutis ſtructura in feminis ferè pellucida, lymphâque molli imbuta atque vaſis flexilibus & facilè per nervorum ſenſilitatem mobilibus donata lilia atque roſas illas illecebroſas producit, in maribus ariditatem, imò & ſordes ex ipſo cutis textu perpetuò renaſcentes. Quin ſordes illas verè terreas in marceſcentibus atque decrepitis, partim ex detritâ epidermide, partim ex perſpiratione mucosâ naſcentes vix deteri poſſe experientia declarat.

Tenuitas illa in ipsâ cutis ſubſtantiâ enaſcens, licèt connexionis modum nondùm edocuerit Phyſice, major eſt in flavo gaudentibus atque argenteo capillorum colore, minor in iis qui nigricantem comam atque nigra ſupercilia habent. Quæ quidem tenuitatis differentia nunquam in morboſam diatheſin transformari poteſt, cùm à naturâ ſit, & ab hujus conſtitutione pendeat, ſed certè quæ tenuior eſt cutis & delicata magis, morboſis affectibus maximè patet, cùm magis ob ipſam ſuam debilitatem iis exponatur. Undè quò magis eſt ſpectanda tenuitate cutis, eò magis lentigines inſolationeſque accipit, eò etiam magis maculas concipit, cùm textus ille reticularis Malpighii exſiccetur faciliùs, & obſtruatur : undè in aliquâ parte pereuns nitor, æquabilitatem atque lævitatem totiûs conturbat; undè nævi, vari, rubores, gutta roſea. Hìnc maſ-

(*a*) Aph. ſect. 5, 69.

cula militum facies, & arida fuſcaque vultûs tinctura nec ſolis irruente jubare, nec ventorum flatu mordaci commoventur, ſpernuntque & rident urbanæ debilitatis exquiſitas cautelas; ipſa vel leviſſima aëris mutatio delicatas mulierum facies & mordet, & pungit, & acriter vellicat. Sic ſæpè ab aëris inſolati impreſſione in partes faciei malè defenſas, oriuntur tumores roſei & eryſipelatoſi, ſine ullo alio accidente, præter levem coloris mutationem, furfuriſque fugacis eruptionem, qui indè oritur quòd vincula epidermidis leviter tenacis ſoluta fuerint.

Accidentia etiam diverſa cutem faciei deturpant. De iis ſequenti articulo. At à cauſis fugacibus & vultum impetentibus naſcuntur inflammationes, tumoreſque partim ſuppurantes, partim diuturni, de quibus jam actum eſt, ſed quæ ita ſingulariter ad faciem pertinent, ut de iis peculiariter Aëtius, Actuarius, Oribaſius, tanquam de morbis faciei propriis agendum crediderint. Talis eſt, & antè alios vultui maximè familiaris morbus, eryſipelas, qui aliquandò acutum in morem incipiens ſtadia ſua velociter & cum ingenti periculo percurrit. Tunc quidem morbus eſt totiûs corporis à causâ univerſali pendens, qui facilè retropellitur, imò & vix in externa ſe continens, ſæpè ſuâ magnitudine non extimas tantùm faciei partes occupat, ſed & internas etiam delirio vexat phrenitidi ſimillimo, febremque acutiſſimam concitat. Sæpè epidemico more deſævit, phlyctœnas gangrænoſas etiam evolvit, & tumore enormi faciei ad uſque palati velum, uvulam, tonſillas deſcendente, anginæ imò & peripneumoniæ in morem ſuffocat miſeros; vel dilato quidem, ſed non minori periculo interiora cerebri occupans, febres pernicioſas atque malignas in ægri perniciem ſibi adſciſcit: de eo hìc loqui noſtrum non eſt; quamvis eryſipelas, ut jam abundè dictum, ſit morbus cuti proprius, normaque quâ cutis afficitur. Verùm aëris inclementia, perſpiratione faciei ſubitò ſuppreſsâ, animi pathemata in faciem involantia, nixus demùm quicumque concitant, imò & inurunt rubores permanentes, qui nunc naſum, nunc aures, nunc genas occupant. Varios quidem illi gradus affectant, ſed omnes eryſipelatoſos. Porrò in omnibus variarum harumce cauſarum effectibus duo ſemper notanda ſunt, ut de pervicaciâ & gradu cauſæ judicemus. Hinc ſcilicet cauſarum agentium vehementia; illinc cutis excipientis tenerrima debilitas. Ruborum illorum præternaturalium leviſſimi vel univerſam faciem occupant, vel

partes tantùm; qui univerſales ſunt, vulgò dolorem vix ullum concitant, imò vel vix percipiendum tumorem, & ſæpè faciliùs diſſlantur. Memini vidiſſe me puellulam delicatâ diſtinctam cute, quæ inter violentos ad alvum deponendam nixus, ſubito rubore totiûs faciei fuerat correpta, ut omnia faciei vaſcula ſubtiliſſimâ injectione repleta dixiſſes. Plures dies perſtitit malum, aliquot tamen dierum ſpatio evaneſcens, non ſine furfuraceâ epidermidis ſeparatione; herpeticam juraſſes. Idem à ſole factum in fronte vidi, non tamen ſine pruritu, qui omnibus hiſce malis plùs minùs communis eſt. Nunc rubores illi, nunc dolores, nunc variè pungentes atque lancinantes maculæ, imò omnes eryſipelatis gradus naſcuntur, qui ceſſante cauſæ concitantis efficaciâ, conticeſcunt ſeriùs ocyùs, & vulgò ſine periculo ullo periodum brevem decurrunt. Sæpè fit tamen ut, in acriori præſertim inſolatione, phlyctœnæ exoriantur majores quàm expectare fas eſſet ab iſto eryſipelatis gradu. Hæ pendent à violenter exſiccante radiorum ſolarium efficaciâ. Norunt hoc accidens urbanæ illæ virgunculæ quas vel caſus, vel imprudentia æſtivo ſoli objecit, quibus ſæpè & phlyctœnæ, & rubores ab actione ſolari concitantur. Quibus diſcuſſis, remanent ſæpè lentigines & maculæ illæ à ſole de quibus alibi actum eſt, cùm ad ſolam faciem pertinere non dicendæ ſint.

Actio earumdem cauſarum, ſed alio modo determinata, rubores peculiares in naſo, auribus poteſt inducere. Imò & frigus ad gangrænam uſque intendi poteſt, præſertim in ſeptentrionalibus, boreâ flante, regionibus; quæ omnia ſymptomata, cùm ad cutim ſolam non referenda ſint, ab auctoribus ad alios tractatus jure meritò referuntur.

Sed in genere illud ex naturæ legibus, ſimul atque obſervatione conſtat, rubores illos qui in facie naſcuntur, ſi unam tantùm partem occupant, & pervicaciores eſſe, & magis puncturæ atque prurituum concitare, quàm ſi in univerſam partem decumbant, concentratis ſcilicet ſpiculis, & tumore magis ſublato, ob vim vitæ violentiorem, quod quotidiana experientia comprobat in illis partibus quas perniones occupant.

Omnibus hiſce ruboribus, imò ad eryſipelatis uſque gradum aſcendentibus, curàtio eadem competit. Primùm enim antè omnia attentè conſiderandum eſt quota pars ſit vitii interioris in illorum ruborum productione; quæ ſi nulla ſit, non ideò tamen

tamen, cum veteribus ferè omnibus ſtatim ad adſtringentia confugiendum eſt; ſed ad mollia primùm quæ laxent, & diluant, lacticinia, decocta altheæ, florum ſambuci, meliloti, chamœmeli, nympheæ deveniendum eſt, poſt quorum actionem & laxiora facta vaſa poſcâ utemur, oxycrato, decoctis plantaginis, myrtillorum, roſarum, polygonati, cæteriſque ſimilibus. Quibus omnibus feliciter peragitur curatio, & corroborantur vaſa.

Verùm ſi aliquas ad ſe partes in promovendum malum ſuſceperit intùs enata acrimonia, aut perſpiratorii humoris vitium, tùm jam interior medicatio neceſſaria evadit, quæ pro varietate cauſæ varia jam alibi à nobis fùsè pertractata eſt.

At verò non ſemper adeò ſimplicia ſunt ruborum atque faciei flammeæ vitiorum natalia. Qui ſine ullo alio morbo antiquis ἐξέρυθροι dicebantur, latentis ſub præcordiis mali ſuſpicionem injiciebant. Undè etiam apud Hippocratem ἐρύθημα diſtinguitur ab eryſipelate, & ἐρυθροπελας apud Pollucem pro leviori eryſipelate habitum, tamen aliquam diſtinctionem præferebat. Illud quidem malum non tam ex præconceptâ opinione, quàm inductione ſumptâ à colore ſub rubore flammeo latente, qui ſemper aliquas flavedinis notas præfert, à bile pendere credebatur, & hepatis diſpoſitionem præfervidam indicare dicebatur, quod & Ballonius longâ diſquiſitione dignum credidit. Undè etiam apud Hippocratem ἐρυθρόχλωροι *flavo-rubri* annotati ſunt. Quæ tamen flavedo, pace majorum noſtrorum dixerim, nihil aliud indicat præter leviorem mali gradum & infarctarum partium tenuitatem.

Sua ſunt ſcilicet cuique ætati latentium in viſceribus affectionum quaſi inſcripta in facie ſigna. Juvenes, ut & puellæ, pubertatis ſtadium emenſi, ſi caſtè vixerint, prætereàque ſi præſertim ardore innato ignotas ſuſceperint flammas, vimque vitæ nacti fuerint actuoſam, vulgò varis, phymatibus, imò & aliquandò therminthis in facie laborant; ita ut juvenilis illorum facies, non rubore inflammetur ſolùm, ſed etiam multiformibus deturpetur tuberculis. Raro pruritum tumores illi concitant, ſed puncturas & tenſiones in cute, imò & dolores lancinantes. Uno deſtructo, alter tumor ſuccedit, & ſæpè per plures annos ſimiles puſtulæ caput deturpant & occupant. Vere præſertim & æſtate effloreſcunt, hyeme conticeſcunt ſæpiùs, aut minuuntur ſaltem. Si per vitæ ſtadium illud in quo ſimiles puſtulæ emicant, morbis aliquibus tentantur juvenes, de illis nulla illicò in frontem, naſum

aut genas emergit ; undè ſit ut plures pro causâ morbi habeant ſimilium puſtularum ceſſationem , quod ut non ſemper verum eſt , ita nunquam tamen negligendum. Nam convaleſcentibus & infirmis viribus illæ rursùs non apparent, non ſinunt ſe videri, niſi cùm vires & plenius vitæ regimen ſuperfluum in corpore rursùs ingenerarunt & produxerunt. Scilicet in eo vitæ tempore, evolutis omnibus organis, & glandulis effloreſcentibus, ſuperabundat illis humor coctus, & omnium organorum actionem expertus, olidus, & excrementi cocti nomine expellendus. Qui ſi vias à naturâ apertas non inierit, undequâque fluctuat, & in faciem præſertim deponitur, ob imminutam reſiſtentiam, forſan & ob analogiam humoris ibi ſecreti, tùm etiam quòd refluus humor fruſtrà viſcerum fortiorum tentet affectare organiſmum benè reſiſtentem. Undè plus viris quàm fœminis affectus ille competit ; viriſque multa & indigeſto ordine comedentibus quàm ſobriis. Mulieres quæ fluxum menſtrualem patiuntur minùs iis tumoribus obnoxias eſſe debere quàm mares evidens eſt, pluſque mali ſimilis iis expectandum eſſe quæ malè & inconditè menſtrua experiuntur.

Peractâ pubertate & jam integris viribus ſæpè ob animi affectus triſtes , labores indefeſſos, & præcipuè anxios , facies iiſdem malis afficitur, latentis in bile & ejus ſecretione vitii indicium, & languentium indè coctionum atque extremæ illiûs perſpirationis quæ ſine earum perfectione perfecta eſſe non poteſt. Præfervida horum eſſe viſcera aiebant veteres, & ſimilem vultui hepatis ſubſtantiam volebat Ballonius in illis quos vocabat ἐξερύθρȣς *rubeſcentes.*

Verùm res mihi accuratè perpenſa diſſimilem omninò theoriam indicavit. Cùm enim in illis non modò rubor ſimplex inſit, ſed mixta puſtulis ſuppurantibus , aut mucoſum humorem fundentibus adſit baſeos rubedo, ſæpè etiam lividior, huic faciei affectui anſam dare viſæ ſunt perverſæ, ob ventriculi inertiam, concoctiones, quæ bili etiam vitium communicant, undè non ſemel vidi cum chloroſeos initio malum illud conjungi , & rubores illos in flavedinem abire atque icterum. Hæc autem iis accidunt, quæcumque ſit ſympathiæ illiûs cauſa, qui ſtudiis impalleſcunt, aut meditationibus immorantur, vel demùm triſtibus animi affectibus afflicti vitam degunt moroſiorem. Sæpè etiam vitium illud iis ingruit qui melius vitæ inſtitutum affectantes vino quod me-

diocriter bibebant, ſeſe illicò interdicunt. Et memini hoc affectu turpiter laborantem monachum cui facies tota puſtulis & phymatibus confertis ſcatebat eò triſtiùs, quòd veſtibus albidis indutus incederet, vinoſumque crederent omnes, ſolo vini uſu conceſſo ſanatum fuiſſe, ut alibi jam dictum, ſimul de theologicis ſtudiis operam remittendo. Verùm deformitas hæc, potiùs quàm morbus, non aliter ſanatur quàm ſi, aut erumpant hæmorroides, aut aſſurgant ad crura varices, aut ſaltem laxetur alvus, ſive per artem, ſive auxilio naturæ. Æmulatur autem ars naturam, non per ſtimulantia, ſed per ſeri lactis uſum copioſiorem mixtum cum ſaponaceis fructûum laxantium ſuccis, quales præſtant pruna, tamarindi, imò & parciùs adhibita ſenna caſſiave. Verùm potentiùs alvo liberæ ſervandæ conferunt verni temporis fœtus atque renovantis ſeſe naturæ propago, molliores herbarum ſucci, ſpinacia, lactucæ, ſonchi, betæ, parietaria, mercurialis, aliæque plantæ ejuſmodi, quas potentiores reddunt additi ſales è vegetantium familiâ, vel neutri, vel oleoſo-acidi ſaponacei, aut pro re natâ oleoſo-alcalini, quales Tachenius efformabat. Sed de his ſatis alibi dictum. Cùm materies jam amplè pertractata ſit, ſatis fuerit hìc addidiſſe temporariè tantùm hos affectus ſævire, & ingruente ætate ceſſare, ceſſare etiam ſi qui caſtè vitam egerunt veneri licitæ, ut potè moderatæ, & ad rationis normam directæ indulgeant ; tùm porrò evidens eſt hìc topica, nulliûs prorsùs usûs eſſe, quæ nullam actionem in hujuſmodi tumores exerceant, aut ſi aliquam exercuerint, erumpit è viciniâ tumor ſimilis proſapiæ ; aut, quod pejus eſt, parotides, occipitales glandulæ, vel quæ ad axillas, imò & inguina ſedent, intumeſcunt & indurantur. At raró nocent prætermodùm topica illa, licèt imprudens ſit eorum applicatio, niſi lateat intùs humor herpeticus cum illis confuſus. Nocent magis in omnibus eryſipelatoſis tumoribus quos intùs repellere ex ipſo Hippocrate piaculum eſt. Cum ſæpiùs, ut jam alibi dictum, eryſipelas ſit ex depuratoriorum tumorum genere.

Viris igitur & maturioribus feminis quarum maturitas quoad faciem multò anterior eſt ætati maturæ virorum, vultus vulgò nitet, nec adeò obnoxius eſt phymatibus, aut tumoribus ſuppurantibus atque facies juvencularum. At inclinante ætate facies jam nitorem hunc amittit, flacceſcunt vaſa, cellulæ jam non turgent ampliùs, rugæ apparent, & ſemper ingraveſcente ætate

augeſcunt atque intenduntur, ita ut in ſilicerniis illis quæ vulgare vivendi tempus exſuperant millenis atque millenis rugis inter ſe diſtinguantur cellulæ cutim efformantes. Loco ergo nitoris terrea ſit cutis, atque ſemper renaſcente muco exſiccato, horrida. Hæc materies terrea tota abit, mox paucarum horarum ſpatio renaſcitur. Sed præcipuè vaſis exſuccis atque exſiccatis novum genus deformitatum exurgit, maculæ ſcilicet, verrucæ, & vari.

Maculæ illæ quæ corpus inclinans in ætatem, ſed præcipuè vultum occupant, aut fugaces ſunt, & ſenſim obliterantur, aut altiùs impreſſæ & fixæ remanent totumque per vitæ ſpatium perdurant. Priores quæ incompoſitè prodeunt vulgò ab aurigine & icteri variis ſpeciebus in eo tantùm differunt, quòd partes tantùm quaſdam occupent, aliis intactis; at cauſa eadem, & ſub icteri nomine deſignari poſſunt. Bilis ſcilicet ſecretio impedita eas accerſit, quâ reſtitutâ, ſenſim pallidiores evadunt, & demùm omnimodè extinguuntur.

At non eadem ratio eſt earum quæ fixiores perſtant. Quæ ſi minores ſint & orbiculatæ, ad lentiginum naturam referuntur; ſi latiores, incertæ figuræ, & inordinatè apparentes, macularum ſimpliciter nomine deſignantur. Lentiginum quidem naturam, ut potè quæ ad corpus univerſum pertineant, expoſuimus, macularum natura eadem eſt.

Scilicet in corpore Malpighii reticulato, ſub epidermide, fit exſiccatio, & natura muci ibi perpetuò delati ſolidata, colorem mutat & conſiſtentiam, undè novus ille mucus eodem vitio corripitur, ſicque perpetua fit macula, aſſiduò renovata, aut ſi omninò ſolidus mucus evaſerit, ſtat per ſe; & incorrupta remanet. Id autem fieri poſſe à ſolis nimiùm atque aſſiduò incumbentis impreſſione quotidianâ ruſticorum obſervatione demonſtratur. Nam iis familiare eſt vultum maculis ſimilibus horridum geſtare. Sed nec minùs obvium eſt idem contingere ſoliûs ætatis vitio, cùm ætas, neceſſariò omnibus hominibus ingruens, exſiccet omnia. Quod quidem primò fit per partes, mox verò à viciniâ ſerpit ad viciniam, ita ut centenarii illi, ſi quandò occurrunt, non rugosâ tantùm facie inſignes ſint, ſed luridâ etiam & flavo-fuſcâ. Cur autem deformitas illa in aliis hominibus citiùs, in aliis tardiùs occurrat, cauſa eſt quòd ætatis ſenilis incommoda omnes non eodem tempore afficiant; undè etiam in iis qui antè

ætatem marceſcunt & maraſmo arido conficiuntur, idem etiam macularum affectus occurrit. Feminis quidem etiam lepidiſſimis familiare eſt, præſertim poſt partus repetitos, ut ſimilibus maculis genæ horreant & mentum deturpetur. Scilicet perverſa muci conditio, poſt ſudores & nixus, efficit ut, ubi aëris liber influxus patet, ibi plaſticus & caſeoſus humor induretur, nitorem cuti detrahat, & epidermidis vincula ſolvat. Rudem menti & genarum attactum queruntur illæ; flavumque deteſtantur colorem, bilem incuſant, alvum ſolvunt catharticis, ſed remanet immotus humor, & quæ pura priùs erant corrumpuntur & alterantur.

Quamvis autem macularum illarum diagnoſis evidens ſit, & prognoſis per ſe periculi omnem abigat idæam, non ideò tamen curatio ſemper facilis, imò ſæpiùs, niſi ſublatâ causâ, impoſſibilis eſt. Certè quæ ab ætatis diſpendio illo ineluctabili pendent curationem nullam admittunt, imò & illas fruſtrà fucis diſſimulant cautæ mulierculæ, cùm & minùs ſupra ſiccatas illas partes fuci hæreant, imò & colorem etiam extraneum accipiant. At quæ à cauſis externis pendent curari ſæpè poſſe, niſi antiquiores jus ſibi civitatis conſciverint, non adeò impoſſibile eſt; ſufficit ut liquor ille ferè in ſolidum corpus coalitus rursùs eum nanciſci queat fluorem quo poſſit perexigua tranare vaſcula, & tenuitate eximias ſuperare cellulas. Vita puellarum umbratilis, & cautelæ ne ſol faciem exurat, ut intactas ſervet, ita, ſi fuerint ſemel malo occupatæ, affectas jam liberare poteſt. Hùc etiam efficaciam addunt vapores tenuiſſimi, oleoſo unguine pollentes, ut ſerum lactis, emulſa tenuia applicata & appoſita, lac, carnis vitulinæ recentis fruſtula noctù adhibita, imò & quocumque modo ſervata in partem & quodammodò repercuſſa perſpiratio, ut norunt mulierculæ per faſciolas atque lineamenta uncta efficere. Malo conſilio plerique libri coſmetici ſaturninis ſcatent acetis, aut præparatis diverſis. Nam omnia hæc exſiccant, & maculas quidem colore immutant, ſed mutatus color in nigrum maculas facit aſpectui horridiores. Peſſimum verò eſt cauſtica adhibere quæ cicatricem poſt inflammatorios inſultus atque ſuppurationis tædia efficerent. Nec meliùs conducunt cathæretica quæ vi cauſticâ leniori & quaſi cicuratâ agunt. Si enim maculis delendis paria effecta fuerint illa, ruborem tamen in facie relinquunt: deſtruetur enim reticularis textus, cujus loco turgent ſanguine vaſa ſanguinea ſuppoſita, nec unquam redit epidermidi firmitas quæ

nitorem illiûs facit, undè loco maculæ, partem neceſſariò rubor & lichenes occupant.

Verrucarum quæ in faciem incidunt, eamque variè deturpant, eadem natura eſt, idem medendi modus atque verrucarum quæ in alia corporis loca decumbunt. Figura varia; undè nominum differentiæ quæ apud auctores referuntur, & de quibus jam alibi ſatis egimus. At illæ, aut per accidens faciei accidunt, ut iis quibus frons galeâ atteritur, quibus ſordes illotæ in vultu accumulantur, & illæ vulgò, ceſſante causâ, decidunt, aut ſaltem levibus remediis detergentibus & leviter cauſticis illitæ conſumuntur, & flaccefcunt. At aliæ quaſi ex proprio fundo naſcuntur, & ſæpè denſiſſimæ faciem occupant vulgò ab antiquis ad atram bilem relatæ. Eæ ſummam reſiccationem corporis & humorum immixibilium ferè cum aquâ reſinoſam diatheſin indicant. Et in hoc caſu verrucæ mali interiùs latentis ſymptoma dici poſſunt, quod cùm melancholicis, præſertim verò hypocondriacis accidat, pro melancholiæ ſigno habitum fuit. Naſcuntur etiam ſæpè verrucæ poſt ingentes toleratos ardores, in furnis præſertim metallicis, & minerarum, aut ſacchari coctoribus, aut ferri fabricatoribus. In hoc porrò caſu ad ſanandas illas verrucarum variarum formas, cauſtica adhibere piaculum foret, cum contrà, tùm interiùs, tùm exteriùs emollientia ſint potiùs admovenda. Verrucas tales ſublatas auctores viderunt, cùm interiùs lac aſininum adhibitum, totam chyli, ſanguinis, & humorum molem temperaret atque refrigeraret, tùm etiam vultui, noctu præſertim, in quâ omnia relaxata meliùs admota imbibuntur, imponi jubebant offas ex aſinino lacte & micâ panis paratas, quarum in locum alii ficus exſiccatas, & pinguium nomine in officinis proſtantes apponunt, additâ ſuperſtitione eſſe has ficus à facie exeuntes cautè removendas, & certæ committendas putrefactioni. Id antè omnia certum eſt quaſcumque emollientium ſpecies in hunc uſum poſſe indiſcriminatim adhiberi.

De varis faciei quos propriè ἀκνὴ Græci (*a*) vocaverunt & qui idem ſunt atque ἴονθος in reliquis corporis partibus, indè ἀκνὴ dicti, ut vult Galenus, quòd non pruriant, nihil ampliùs addendum habemus jam alibi prolatis, cùm eadem ſit medendi methodus. Si mediocres ſint, & de inflammatoriâ origine ſtatim remiſerint, mutantur in novam naturam, nævorum nomen & colorem fuſco-

(*a*) Aëtius, lib. 4, tetrab. 2, cap. 13.

nigricantem ſibi comparant, ob vaſorum exſiccationem deletamque organiſationem. Eos ſæpè mulierculæ diligunt quòd opponantur albido vultûs colori, qui ab eorum præſentiâ nitidior exurgit. Aliquandò tamen, ſi maximè multiplicentur, deformitatem accerſunt, ut de Q. Servilio ridet Tullius. Verùm turpiſſimum fuit & Aëtii (*a*) attentione dignum ſi à ſimilibus minutiſſimis tumoribus ſcabrities quædam cuti faciei inducatur, undè facies horridula & quaſi monſtroſa appareat. Quamvis enim rarò illud à causâ externâ vitium pendeat, & videatur non unâ ratione ad guttam roſeam referendum, poteſt tamen aliquandò naſci à frigore, à cauſis illabentibus, à foci urentis aſſiduâ actione. Tunc omnes & univerſi cutis folliculi ſimul indurantur, atque conſtringuntur, ita ut omnis perſpiratorius humor ſimul hìc perſtet, actione durabili, ſed ſimili illi quam obſervamus quotidiè in frigore quo cutis tota riget & horreſcit, cutis inſtar gallinaceæ. Sed Aetii pace dixerim, non mihi videtur temerè adhibenda methodus quam vir clariſſimus præſcribit, ut illinatur cutis alumine cum melle contrito. Quippè huic malo producendo vis illa ſtyptica quam eminenter in alumine obſervamus, omnia ſtringendò apta eſt. Balnea contrà, unctiones lenes atque laxantes cum oleis molliſſimis, nullam rancedinem admittentibus, aut cum emollientibus quibuſcumque, præſtare videntur. Quibus ratio ſuadet addenda molliora reſolventium genera, qualia præſtant ſambuci, meliloti, chamœmeli flores, verbenæ, euphraſiæ, fœniculi, apii, agrimoniæ, aliorumque ſimilium folia, farinæ fabarum, lupinorum, cicerum rubrorum, ſecalis, hordei, &c. patienter & longo tempore, ſine ſaturninis, aut adſtringentibus remediis uſurpanda.

ARTICULUS II.

De Morbis cuti vultûs & faciei propriis.

Cùm morbi illi pendeant à vitioſâ partium proprio & peculiari organiſmo donatarum diatheſi, ad has tantùm pertinent, & nullibi alibi reperiuntur; licèt naturâ ſuâ atque indole ad alios benè cognitos, & ſatis abundè deſcriptos affectus referantur. Hos autem morbos ad quatuor præſertim ſpecies referemus, guttam roſeam, deformitates naſi ab inconditis excreſcentiis

(*a*) Tetr. 2, ſerm. 2, cap. 49.

pendentes, labiorum intumeſcentiam, in pueris notabilem aliquandò, & aurium immodicum fœtorem atque fluxum non ulceroſum. Hæc mala his partibus omninò propria ſunt, nec ullibi alibi reperiri poſſunt, hinc totidem articulis exequenda. Nam varia vitiorum genera, quæ congeſſit coſmeticorum ars frivola, nullam merentur tractationem.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

De Guttâ roſeâ.

Gutta roſea, gallicè *la couperoſe*, à variis quidem, imò & pluribus auctoribus amplè pertractata fuit, ſed ſi definitionem morbi quæſieris quæ ad ejus intelligendam naturam ſuffecerit, deficiunt plerique, cùm ferè omnes ſub nomine guttæ roſeæ intelligant illum faciei ruborem qui ſine pruritu vultum deformat, & ſub eo nomine comprehendunt omnes confertim exurgentes puſtulas, de quibus jam egimus. Hinc Nicolaus Florentinus (*a*) hujus tres gradus diſtinguit, quorum primus gutta roſea ſit ſimpliciter, & tota conſiſtat in ſimplici rubore ; alter gradus ſit puſtuloſæ guttæ roſeæ : ultimo demùm in gradu gutta roſea ulceroſa ſit. Undè videtur virum alioquin diligentem, nullam habuiſſe diſtinctam idæam guttæ roſeæ, ſaltem illiûs qualem deſcribendam habemus. Similiter guttam roſeam definit Paræus (*b*), licèt ſimpliciter illam cum & ſine puſtulis diſtinguat : quod quidem verum eſt ; ſed ruboris naturam non ſatis ab eryſipelate, aut rubore ſimplici diſtinxit.

Meliùs eam Aſtrucius (*c*) intellexit qui eam vult totam in cutis rubore denſo, inæquali, ſcabro comprehendi, ejuſque tres diſtinguit ſpecies, quarum prima in definitione mox prolatâ tota continetur, alteram dilatatis vaſis conſtantem varicoſam vocat, tertia demùm acredini alicui juncta ſquammas ab epidermide avellit, & ſquammoſa dici poteſt. Nam ſi per accidens ulcera concipiat, ſi demùm illud ſit ægri infortunium, ut cancer ibi naſcatur, abſurdum foret guttæ roſeæ nomine peſſimum carcinoma deſignare.

(*a*) Serm. 7, tr. 6, ſumm. 2, cap. 15.
(*b*) Liv. 26, ch. 45.
(*c*) Tr. des Tumeurs, liv. 2, chap. 8.

Cùm

Cùm autem gutta roſea facilè confundi poſſit cum aliis multis morbis cutaneis, operæ pretium eſt eam accuratiùs deſcribere, cùm in hâc deſcriptione tota conſtet diagnoſis.

Mulieribus cute præſertim nitente donatis, ſi menſtrua, aut defecerint, aut vitientur, viris hæmorroides paſſis, jam fluxu illo quâcumque de causâ coercito, edonibus præſertim atque bibaculis; illis etiam qui in utroque ſexu affectus animi duros atque triſtes diù experti, in iis longâ meditatione commorantur, gutta roſea accidit; ad haſce cauſas referendæ ſunt pravæ viſcerum diatheſes, ſi cum ſpaſmo & aliquo conjungantur erethiſmo. Quales ſunt illi quos præfervidâ jecoris temperie laborantes Galenus, Fernelius & Ballonius deſcripsêre.

Patet indè quòd omnes cauſæ quæ ſanguinis impetum ad caput determinant, ibique eum retinent atquè coercent, ne facilè dilabatur, præſertìm ſi vaſa tenera, flexilia, atque mollia fuerint, guttæ roſeæ anſam præbeant. Affectus ille nomen barbarum ab ævi infimi Medicis accepit, cùm à græcis atque latinis auctoribus nullo modo fuerit deſcriptus, nec obſervatus, ſive vitium illud ſeneſcentis & adeò intenſæ luxuriei fœtus ſit, atque deſidiæ priſcis temporibus incognitæ, ſive vitium nec dolens, nec pruriens neglexerint, ſive demùm alio, ἐξερύθρων ſcilicet, nomine parùm notabile malum cognoverint.

Juvenes, ſed incrementi apicem & adultam ætatem jam exigentes adoritur, ſæpiùs tamen in ſeneſcentes incidit. Nec pueros, nec decrepitos ſenes unquam invadit, fibris atque vaſis, aut nimìs flexibilibus in priore ætate, aut nimìs rigidis in poſteriori vitæ decurſu.

Vulgò per maculas tenues vixque notandas, leviterque farinoſas incipit. Calorem viſcerum incuſant. Mox ſerpunt maculæ illæ, & tubercula ſibi adſciſcunt rubra, ſupra partem jam ſcābram, & per ſe leviter tumentem elata, & ſæpè per totum extenduntur vultûs ambitum. Sæpiùs per genas diffuſa gutta roſea tempora labraque non attingit: naſum rubore inhoneſto dedecorat, & frontis nitidum honorem deturpat. Si maculas illas propiùs inſpexeris, quod tibi priùs maſſam uniformem negligentiori aſpectui exhibebat, jam vaſorum ſibi vicinorum & quaſi appoſitorum intricationem repræſentat, per intervalla minima diviſam, quæ ſingula vaſa, dùm extrà protuberant, ſcabritiem, potiùs quàm tumorem efformant.

At in ultimo & decreſcente vaſorum volumine aggregatio illa vaſorum maximum tuberculum efficit, ſæpiùs rotundum, aliquandò tamen figuræ omninò diverſæ, quanquàm aliter voluerit Aſtruccius. Hinc guttæ roſeæ natura omninò varicoſa eſt, & à vaſis ſanguineis dilatatis pendet, quorum alia ſatis craſſa ſunt, ut nudo appareant oculo conſpicua, alia vitri mediocris auxilio deprehendantur, alia demùm omninò vitra fortiſſima poſtulant, ut conſpici ſe ſinant. Aliquandò tamen hærentia illa ſanguinis non adeò ſimplex eſt, ut erethiſmum ultima vaſa non concipiant, fitque in ultimis illis tuberculis aliquandò inflammatio, imò ſuppuratio, quâ ſublatâ, alia in locum deperditorum vaſa ſimilia ſuccreſcunt, ita ut ſuppurandi vix finis fiat.

Nec impoſſibile pariter eſt quin tandem vaſa toties detrita, atque à cauſis exterioribus contuſa, vertantur in ſcirrhum & carcinomatodæam naturam induant, cùm hærentia illa & dilatatio vaſorum varicoſa, vel ſolâ compreſſione vicinorum, poſſit & obſtructiones & inflammationes & cancroſos affectus concitare, ſed hæc ad guttæ roſeæ naturam non pertinent, quæ per ſe prorsùs varicoſa eſt, ſeu potiùs anevryſmatodes, ita ut plexum arteriarum dilatatarum per ſe, aut ſaltem venarum ſupponat.

Ex his legitimè & ad naturæ normam obſervatis ſolvuntur omnia quæ ad hunc morbum pertinere poſſunt problemata. Cur iis potiſſimùm accidat qui vina & liquores ſpirituoſos amant ingerere ? Cur feminis & iis quæ nitidiſſimo cutis ſplendore gloriabantur fuget lepores ? Cur affectibus animi atque ſtudiis indefeſſis ſæpè ſuperveniat, tardato per abdominalia viſcera ſanguinis circuitu ? Cur demùm guttæ roſeæ creandæ conferant fucata ſaturninis, atque potiſſimùm cerusſâ, linimenta quibus, dùm falſum candorem ſimulant mulieres, verum amittunt ? Et demùm ex vaſorum ad cerebrum euntium, & indè per jugulares redeuntium fabricâ ſatis intelligitur cur vultui ſoli competat varicoſa illa vaſorum dilatatio, nec ullibi alibi obſervetur.

Narrat Bayrius (*a*) ſe à venâ frontis tumefactâ in muliere nobili judicaſſe ruborem genarum à difficili per venas reditu pendere. Undè venam frontis paulo antè futuram coronalem pertundi atque cauterio conſtringi juſſit. Ab illâ pertusâ ſanguis ingenti impetu proſiluit, indèque hæmorragia nata, quæ ubi ſemel compoſita fuit, ſimul diſcuſſi fuêre tumores illi rubentes,

(*a*) Pract. lib. 8, cap. 3.

qui vultûs colorem adulterabant. Idem ego vidi hirudinibus ſemel ad nares applicatis contigiſſe. Nec mirum omninò, licèt rariſſimum, quod Bayrius obſervavit, cùm multi dentur homines qui ubi aut irâ exardent, aut profundiùs meditabundi ſtant, illicò venam illam inflatam gerunt, detumeſcente illâ, ubi deferbuit animi impetus. Imò non rarum eſt videre à venulis illis guttæ roſeæ tumeſcentibus, acri præſertim frigori ſi facies fuerit expoſita, guttulas ſanguinis exire, citò compeſcendas. Nec difficile eſt pariter intelligere quare tubercula ab hâc causâ pendentia tanto tempore perdurent? Cùm ſcilicet, deſtructis vaſis varicoſis, alia ejuſdem generis ſubnaſci neceſſe ſit, nec unquam hìc prodeſſe poſſit ſuppuratio, niſi in univerſam cutem roſeam extenſa univerſalem inducat cicatricem, quod malum deformitate priori pejus, & fugiendum magis fore, evidens eſt.

Malum illud poſt primos adoleſcentiæ annos jam exactos atque præterlapſos incipiens, quo tempore hæmorroides efflorescunt, à levioribus initiis incipit, indèque ſenſim increſcens, tandem ſui incrementi faſtigium aſſequitur, tuncque ſine pruritu, at ſæpè, ſi ad ſolem, aut frigus imprudentiùs vultus exponatur cum levioribus & citò ceſſantibus puncturis, perſtat immotum, uſque ad primos decrepitæ ſenectutis limites. Tunc verò facies terrea evadit & rugoſa, plethorâque præſertim ſanguineâ deficiente, deficit etiam gutta roſea.

Quamvis tamen nullum indè accidat incommodum, ſollicitant tamen curationem plurimæ mulieres, ut formam amiſſam reparent; imò idem ſæpè poſtulant acriter viri, præſertim è ſacerdotali ordine, ne ebrioſorum famam turpem habeant, undè remediis ad guttam roſeam ſpecificis ſcatent auctorum libri. Omnibus quidem auctoribus jure meritòque id commune præceptum eſt, ut omnis guttæ roſeæ curatio à diluentibus atque refrigerantibus inchoetur, victûſque ratio, cujus maximum eſt momentum in habitu potiùs turpi tollendo, quàm in morbo eruendo, humectans ſit atque refrigerans. Hinc etiam in plethoricis hoc morbo affectis venæſectiones proſunt, quæ ſaltem, pro illo quo inſtituuntur tempore, guttam roſeam ita tollunt, ut tota facies in pallidam mutetur. Poſt venæſectiones inſtitutas ad propiùs derivandum conducunt hirudines quæ ſanguinem ubi non urget à tergo impetus plethoricus è vaſis proximis tollunt. Poſteà verò ſerum lactis, juſcula è carne vitulinâ, aut pullo juniore confecta, exquiſita ſobrietas,

abſtinentiaque ciborum acrium, moventium, irritantium, primas ad tollendam guttam roſeam conditiones implent. At proſunt plurimùm in hoc morbi curandi ſtadio ea quæ alvum ſubluunt & laxant, ſine ullo irritationis ſenſu, ut ſunt præcipuè vernales illæ herbæ quæ ſaponaceam virtutem in principiorum juventâ ſervant, ſonchi, taraxacum, lactucæ, gramina, avenæ & tritici naſcentis folia, tùm cichoracea omnia, atque borraginea, quibus pro naturâ curandi ſubjecti, adduntur ſalia molliſſima, neutra, vix pungentia, ut ſal vegetale illud noſtrarum officinarum, ſal Rupellenſe : inter hæc præcipuè virtute ſaponaceâ inſignis eminet terra foliata tartari. His dùm alvus leni ſtimulo tacta proluitur & faciliùs effluit bilis, circuitus in portarum venâ liberior accedit, additur & libertas in meſaraïcis arteriis atque venis, & ſi quæ adſunt hæmorroïdes, detumeſcunt illæ, aut laxatis tunicis, ſanguinem præ erethiſmo conſtrictum effundunt.

Norunt formæ atque nitoris cupidæ mulieres, quantùm ipſis conducat alvum liberam per artem ſervaſſe. His quidem per longum tempus productis ſæpè debellata videtur fuiſſe incipiens gutta roſea, ſed ſi fortioribus remediis opus fuerit, ea ex aperientium illorumque diluentium penu depromenda ſunt.

Etenim, licèt varices illæ minimæ nullâ ratione obſtructionem in parte varicoſâ ſupponant, ſed tarditatem tantùm circuitûs, tamen cùm perſtant atque rebelles ſunt ad remedia vaſorum deplentia, neceſſe eſt latere in viſceribus à quibus ſanguis revellitur obſtructiones, quibus fruſtrà per artis molimina revocatus ad inferiora ſanguis, impetu acquiſito, per ſe rursùs in ſuperiora referatur, adeòque, niſi legitima per ampliſſimos abdominalium viſcerum canales reſtituatur circulatio, fruſtrà guttæ roſeæ curationem ſperes. Undè herbæ omnes aperientes, boli ex extractis plantarum iſtarum concinnati, ſalia neutra, etiam ex conjunctione alcali & acidorum mineralium confecta hìc prodeſſe poſſunt; ſi enim non ſuſtuleris obſtructiones illas, guttam roſeam nunquam ſanaveris. Addendos etiam millepedes, pro re natâ, prædicant auctores juſculis conflatis ex borragine, cærefolio, agrimoniâ, eupatorio, ſcolopendrio, imò & naſturtiis atque trifolio fibrino ſimilibuſque multis plantis. Pariter præſcribunt addendos hiſce cancros fluviatiles contuſos, qui virtute antacidâ & aperiente præſtant : tùm addunt arcanum duplicatum. Hæcque remedia intermiſcent purgantibus vi mediocri inſtructis, ſed quæ

alvum potentiùs ſolvant, qualia præbent ſenna, tamarindi, manna, in quibus ea præſertim ſeligunt quæ cum vi purgante expertâ refrigerantem aliquam efficaciam ſervant, aut ſaltem ardorem nullum viſceribus conciliant, qui viſcerum ardor ad guttam roſeam concitandam maximè efficax eſt.

Verùm inter omnia remedia quæ ad hocce tollendum incommodum præſtant, nullum aliud certè prætulerim longo atque ferè perpetuo balneorum uſui, aut quod melius, ob minorem ſanguinis refluxum, ſemi-balneorum tepidorum repetitæ ablutioni, quibus inferna vaſorum ſeries laxatur, & revellitur ſanguis à capite, quibus ardor viſcerum & liquorum tenuiſſimorum acrimonia eximiè temperatur: multùm prodeſt etiam internus copioſuſque aquarum illarum matutinus uſus, quæ ſale purganti & martiali pollent, modò moderatæ ſint virtutis, nec hinc nimio ſale, illinc nimio marte ſcateant, quippè quæ ſine ullo ardore illato, multâque contrà dilutione omnes adimpleant indicationes. Hæ, cùm vernus tepor ſpirat & ad calorem æſtivum vergit, diù continuandæ, ab autumno ad hyemem uſque protrahendæ per brumalia tempora interrumpuntur. Facile eſt earum aquarum uſu alvum liberam ſine violento nixu ſervare. Imò, ſi res conducat, addito ſale neutro earum virtus laxans intenditur. Medicus in his non morbum tantùm, ſed ægri temperiem conſulat; id tantummodò ſibi antè oculos proponens, nunquàm in illis morbis nimìs liberam ſervandam eſſe alvum, & nunquàm nimìs eſſe fugiendam irritationem.

Turnerus (*a*) & Mayernius ingentem, ut ex eorum ſcriptis videtur, in præparatis antimonialibus poſuêre fiduciam. Imò Turquetus Mayernius antimonium crudum cæteris præparatis antimonialibus videtur præponere. Crediderim certè in guttâ roſeâ ſimplici medicamenti in lympham agentis efficaciam eſſe minimam, & ſi quandò illud ſucceſſum aliquem ſibi vindicavit, tùm herpetes pro guttâ roſeâ habebantur, aut cum ipſis complexa illa apparebat. Quod ut poſſibile eſt, ita tamen varietatem medicamentorum ingentem indicat. Verùm, etſi in ſimili caſu in quo cauſæ abludentes conjunguntur atque complicantur interna methodus multùm differat, externorum medicamentorum applicatio multò magis abludere debet; nam nociva tantùm in guttâ roſeâ, effloreſcentibus herpetibus, mortifera eſſe poſſunt. Pleni ſunt auctorum qui de guttâ roſeâ ſcripſerunt libri farragine

(*a*) Mal. de la Peau, part. 2, ch. 4.

ingenti remediorum topicorum ad deformitatem illam tollendam, ſed ferè omnia illa topica adſtringentibus plena ſunt. Ita duo illa topica, quibus ſe guttam roſeam ſanaſſe aſſerit Riverius, alumen recipiunt; alterum adſtringentes & acerbas plantas, alterum verò cum lithargyrio ſulphur, quæ omnia repercutientia ſunt. Ex multiplicibus quæ à Turnero proponuntur nullum eſt quod non præparatum ſaturninum recipiat. Illa quidem eò minorem merentur fidem, quò demonſtratum magis inter externas cauſas guttam roſeam inducentes nullam potentiùs agere, quàm fuci diverſi quibus abutuntur mulieres. Et certè criſpandis atque ſtringendis orificiis minimorum vaſorum nihil aptius eſt, atque adeò nihil fugiendum magis. Adeòque ad reſolventia & emollientia ſimplicia confugiendum eſt, quibus liberæ ſerventur perſpirationis viæ, meatus vaſorum aperiantur, ſimulque ſolidioribus ſanguinis partibus in vaſorum anfractus arietantibus aliqua liquiditas concedatur. Poſteà reſolventia addantur. Famoſum fuit apud mulieres & ab auctoribus commendatum fabarum decoctum, & in genere ad hos uſus adhiberi poſſunt farinæ reſolventes ſic dictæ, plantæque quæ vi reſolvente commendantur, chamœmelum, melilotus, ſambuci flores, & ebuli folia, flores & folia virgæ aureæ, eupatorii, aliorumque ſimilium: forſan & aromaticam vim non licet reſpuere, ſi nòn ſubſit irritatio. Pomata varia adhibentur ex cucumere, ex emulſione confecta, cum amaris amigdalis, ex butyro de cacao, oleo ceræ & cerato Galeni, quæ omnia, ſi recentia ſint, nec rancida, linteis appoſita per noctem, perſpiratorium humorem cohibent & quaſi roris inſtar in faciem retinent. Sic & carnis vitulinæ fruſta offæque ſimiles appoſitæ vultui ad ejus nitorem conſervandum Juvenali in mulierum Romanarum luxum declamanti exprobrationis locum dederunt, licèt per phyſices leges admitti poſſint.

PARAGRAPHUS II.

De Rubore & Tumoribus in cute narium.

Gutta roſea naſum attingit, & eadem ejus eſt natura in naſo, atque in genis. Imò ex omnibus faciei partibus nulla eſt quæ adeò cauſis exteriùs agentibus exponatur, quàm extrà ſuperficiem vultùs undequaquè protenſus naſus. Prætereà non impunè

caret aëris uſu, undè in ipſum frigus, calor, ardor agunt neceſſariò; hinc facilè rubet, corrugatur, congelaſcit, ſcabritiem accipit, omneſque patitur affectus qui in faciem decumbunt. Præcipuè verò ſebaceis cryptis tota hæc cutis ſcatet, in quibus ſi ſebum illud vermiculare hæſerit, tument cryptæ illæ, turgeſcunt, inflammantur aliquandò, & ſebo remixtum pus indè exeuns tumorem ſimul & cyſtulam tollit. Sed, ſi nulla excitetur inflammatio, ſi ſola congeſtio humoris fiat, ſi augeatur illa ſensìm, tunc agglomerati tumores figuram naſi prorsùs deturpant, ipſique dant difformes appendices, quæ ſteatomatum naturam referunt, ſimiliterque curantur; ſcilicet vel cauſticorum applicatione per quorum efficaciam, cùm eroſa fuerit cutis, fluit, aut pro diverſitate denſitatis deraditur humor contentus. Tùmque parietes cyſtidos per artem ſuppurationi committuntur, quæ ubi omnes præter naturam tumores abſumpſit, redit priſtina naſo forma, non ſine inuſtâ cicatricis notâ.

Sed ſæpè non una appendix naſum dehoneſtat. Undè toties iterandus labor faſtidio plenæ curationis. Id omnibus pariter in naſo eminentibus tumorum generibus commune eſt, ſi præſertim in diætâ peccetur, & præcipuè ſi vino atque liquoribus ſpirituoſis indiſcriminatim ægri indulgeant. Nam omnibus illis ruboribus quæ ſæpè extrema naſi, præſertìm in adultis, occupant fruſtrà in topicis medicamen quæſieris; altiùs cauſa repetenda eſt. Nec omnes æquè indiſcriminatim naſi rubores remediis adoriendi ſunt. Etenim plurimi iſtorum ſummè fluxiles ſunt, ſed, quotquot ſunt illi, pendent ſemper à circuitûs, infrà diaphragma intrà partes in abdomine contentas, difficultate. Quippè cùm vaſa ibi reptantia, aut à mole ſaburræ comprimuntur, aut conſtringuntur præ irritatione atque ſpaſmo, aut demùm præ vaſorum infarctu partìm obſtruuntur, partìm arctantur, ut in menſtruorum aut hæmorroidum morâ, ſi debilior ſit ſtructura vaſorum naſi, ut ſæpè ſit in longioribus ſimul & rotundioribus ad extremum, illicò naſus rubeſcit. Virum novi qui nunquam impunè aut merum, aut coffei puri liquorem ſorbet, nunquam ſe ſalitis & aromaticis oblectat, quin à lecto ſurgenti extrema naſi ruberrima ſint, citò detumeſcentia & decolorata, ubi & concoctio facta, & libertas alvi reſtituta fuerit omninò. Quod mulierculis benè cognitum eſt, quæ ſi incommodum illud experiantur, illicò illud clyſmatibus expellere ſatagunt. Et certè in affectibus illis ſeriò

monendi ſunt ægri, ut inteſtinalem circuitum præ cæteris liberum ſervent; imò in lienis durioris, ſine ullâ aliâ affectione, ſcirrhosâ diatheſi, obſervatum eſt naſum præcipuè rubeſcere, & guttam roſeam oriri; hanc, hyemali præſertim tempore, quo noſtrates exercitiorum immemores ſimul commeſſationi atque vigiliis potiſſimùm deduntur, cùm in juniori & militari viro viderem, ille verò remedia poſtularet, ne mulieribus quas perditè inſectabatur inviſus foret, hirudines ad narium latera apponi juſſi, cum eo ſucceſſu, ut de nitore faciei gratularentur omnes. At ille ſcirrhum lienis à febre quartanâ malè curatâ à longo tempore geſtans, & ad bellicos labores evocatus, eamdem ſæpiùs paſſus eſt recidivam, & ſemper hirudines cum eodem ſucceſſu admovit. Imò quoties aperientia ad lienem adhibebantur, quaſi ex fomite deduceretur per illa remedia humor, rursùs ruborem, & puſtulas experiebatur, undè ipſi fixum atque ſtatutum eſt ne remediis iſtis ſeſe rursùm redderet, ſed lienis duritiem ſineret, ne vultus artis labores exprimens in pejora rueret, & ſolis alvi laxantibus ſine irritatione contentus conſtipationem ſolam aſſiduò vitat; quod quidem conſilium ad hæc levia mala unicum ſumendum eſſet, ſi non ſubeſſet, ut vulgò obſervatur, cauſa gravior cujus rubores illi naſi pro ſymptomate ſunt.

PARAGRAPHUS III.

De Labiorum præternaturali Tumore, aliquibus Auctoribus dicto Cheilocace.

Inflatio labii ſuperioris ſæpè ad alas & clauſtrum narium communicata, quam cheilocacem, ſeu *labroſulcium* Arnoldus Bootius (*a*) tractatu de affectibus omiſſis vocat, eo mihi titulo pertractanda viſa eſt, quòd à nullis quos viderim auctoribus, imò & ab auctore prædicto leviùs pertractata fuerit, nec tamen adeò inſolens ſit aut prætervisa.

Pueris atque præcipuè puellis jam pueritiam & dentitionem emenſis, imò accedentibus ad pubertatem, ſæpè labrum ſuperius quâ parte naſum attingit, uniùs noctis ſpatio inflatur & tota pars gibba & prominens naſi craſſeſcit, aliquandò cum dolore, aliquandò cum auctâ tantùm ſenſilitate, aliquandò demùm ſine

(*a*) Tract. 10°.

ullo

ullo doloris ſenſu. Vix contineri poſſunt pueri hâc ratione affecti, cùm cæteroquin nulla pars dolens ſit, nulla functio læſa. At creſcente hâc deformitate evenit interdùm ut corrugetur, criſpetur atque rubeſcat pars illa cutis quæ ſub naribus ad labium uſque extenditur, & eryſipelatis formam induat. Undè ſub eryſipelatis titulo primùm tractatur, ſed, invaleſcente malo, labium univerſum craſſeſcit, imò & induratur. Per annos integros malum ſubſiſtit, additis ſimul labiorum fiſſuris; poſteà verò vitali vi creſcente, omnia ad ſtatum naturalem rursùs redeunt, niſi quòd vulgò veſtigia mali altiùs impreſſa remaneant, & per totam aliquandò vitam craſſius remaneat labium ſuperius.

Aliquandò ſine manifeſtâ causâ malum illud incœpit, illud aliquandò determinare viſus eſt aut pueri prolapſus, aut impactus violentus alicujus corporis in labium illud. Menſtruorum tardantium impetus in caput & faciem puellis ſæpè hujuſmodi inflationis occaſio fuit. Sunt quibus triſtes affectus, atque lacrymatio repetita totum vultum tumefaciens, inflationem peculiarem in labio reliquerint. Demùm, quod ſæpiùs evenit, formâ & nomine coryzæ malum invaſit, cum hæmorragiâ narium, à quâ reverà affectione catharrali vix niſi duratione diſtinguitur. Similem labii ſuperioris inflationem retropreſſo atque repulſo per aures humorum effluxui ſuperveniſſe viderunt Medici. Imò non diſſimulandum eſt, veneni latentis interni, aut ſcrophuloſi, aut venerei ſignum fuiſſe meritò deſumptum à ſimili labii inflatione; ſi cutis tumida & turgida quaſi occalleſcat, & duritiem ferè cartilagineam referat, ſi tumor ille cutis colorem ita mutet, ut, cæteris faciei partibus colore vitali nitentibus, pars extima naſi, hujus alæ, labium, colore albido & quaſi marmoreo donentur, ſi demùm rimæ atque fiſſuræ quæ in hoc morbo tam ſæpè naſcuntur, retorridæ, rebelles, ſquallentes fuerint, liquoriſque guttulas ſtillent acres & erodentes. Undè patet inflationem illam & narium & labiorum potiùs inter ſymptomata diverſarum cauſarum eſſe recenſendam, quàm inter mala alicui parti ſpecifica & propria; atque ut diagnoſis evidens eſt, ita prognoſis potiùs à cauſæ naturâ atque virulentiâ pendet, quàm ab ipſo ſymptomate.

Verùm in genere, ſi inflationem labii ab illâ quam coryza producit ſejunxeris, morbus longus eſt, & partim ideò inſanabilis quòd, ſtantibus in integrum reliquis functionibus, piaculum videatur magna & machinam immutantia malo, functiones cæteroquin

Nnnn

non lædenti, admovere. Verùm cùm ſæpè ad pubertatem accedentibus malum illud accidat, eo præſertim vitæ ſtadio in quo lympha quaſi puerilem amittit indolem, novumque caracterem acquirit, quo tempore ex inſtituto naturæ glandulæ etiam confertim inflantur & turget indequaquè materies, ſpes etiam eſt quòd, tempore hoc efferveſcentiæ exacto, priſtinum æquilibrium omnia recuperabunt; & ſi labio atque naribus aliquid craſſioris & groſſioris ſuperſit, tamen omnis tolletur deformitas, & omnia ex inſtituto naturæ peragentur. Quod eximiis obſervationibus comprobavit eximius R. Ruſſel, Anglus, qui de hâc lymphæ turgeſcentiâ & in varias partes decubitu plures congeſſit obſervationes ſagaciſſimè deprehenſas. Eodem enim tempore in diverſis animalibus & cornua erumpunt & dentes, quod ſæpè non ſine tumultu fit & variorum tumorum eruptione.

Nec tamen aut inauditum, aut inuſitatum eſt in arte medicâ ſimiles affectus, jam à longo tempore cum parentum faſtidio durabiles, illicò concidiſſe, aliquo erumpente acuto morbo, aut emicantibus variolis, aut demùm aliquo ex morbis depuratoriis. Quippè horum efficaci impetu vitæ progreſſus acceleratur, & nova illicò forma corporibus inducitur quæ alioquin ſenſim tantummodò irreperet.

Cùm porrò ab hiſce tam multiplicibus cauſis pendere poſſit labii & narium inflatio, facilè deducitur quantùm ad hunc curandum affectum attentionis ſibi vindicet cauſa illum producens, nunc verè ſcrophuloſa, nunc venerea, aliquandò ſcorbutica. Puerum vidi decennem cui limpidiſſimo anteà atque ob eximium faciei ſplendorem conſpicuo, illicò labium ſuperius turget, mox naſus ad extrema. Exhalabat cum reſpiratione odor allii intolerabilis per integrum biennium, plus hyeme, æſtate minùs; nares intumuêre, labiumque potiùs craſſum quàm tumefactum dici poterat. Senſim ſine ſenſu obrepit, obſcura primùm, dein evidentior claudicatio; mox dolores increſcunt, tumet articulus, inceſſus difficilis fit, ac demùm impoſſibilis: fit ibi profundus abſceſſus, quo fruſtrà per Chirurgi induſtriam aperto, febris lenta cum oſſis carie miſerum peremit. Nec tamen in phthiſico puero labium omninò detumuerat. Quantùm acris, tantùm craſſa & obſtruens fuit materies quæ per integri triennii ſpatium miſerè corpus depaſta eſt, & verè ad ſcrophulas referenda. Verùm nil talis ſi admiſeris, ſupereſt certè lymphæ redundantis ubertas,

quæ ad ſtagnandum aptiſſima, &, ut aiebant veteres, frigida, locum in quo hæſit dilatat potiſſimùm. Huic porrò lymphæ redundantiæ ex ætatis & conſtitutionis neceſſitate potiſſimùm obnoxia eſt juvenilis ætas, quo tempore lympha tenuior nondùm adepta eſt maturam illam coctionem quæ partes quaſi ſpirituoſas atque volatiles generandæ ſoboli aptas evolvit.

Si ergo cauſas extraneas ſepoſueris, & ad ſolam lymphæ ubertatem vitia illa labiorum reduxeris, patet indicationes curatorias in illo potiſſimùm conſiſtere, ut adhibeantur exſiccantia, & ea quæ lympham revellere apta ſunt, ipſique indolem vappidam, fatuam & merè mucilagineam ſubtrahunt. In puero igitur cui ſimilis lymphæ indoles minax impendet, primùm occurres vitio naſcenti, ſi omnia quæ ad ingluviem ſaturandam conferre poſſunt detrahas : tùm verò ſuperflua lymphæ ubertas violentis, quantùm tamen corpus illa tolerare poterit, exercitiis fuganda. Undè in virili corpore ſanatur faciliùs & efficaciùs. Poſteà verò amara ſtomachica quæ languenti ſtomacho fulturam afferre poſſunt, vinorum generoſorum uſus, & demùm martialia tonica & conſtitutioni corporis adaptata ſymbolum conferunt. His aliquam doſim præſcribere in tantâ corporum varietate, præparationem aliquam antè alias extollere piaculum foret ; ſed præ aliis omnibus remediis in hâc lymphæ vappiditate vir de tabe glandulari expertiſſimus R. Ruſſel, Medicus Anglus, prædicavit & obſervatione confirmavit efficaciam remediorum quæ è calce parantur, inter quæ præcipuè eminet aqua calcis qualem nobis ſuppeditant officinæ pharmaceuticæ quæ ſolvendi mucaginem animalem, eique actuoſitatem & aërem fixum ſuppeditandi facultate præpollet, ſive quòd partes acidas prædominantes cicuret, ſive quòd partibus nimiùm vappidis novam addat ἐνεργείαν. Hinc ſecundo loco poſt calcarias illas præparationes addit ſalis marini efficaciam qui, ſtimulo fibris indito, ſimulque vi laxante efficaci glandularum inertiam exſuſcitat. Undè poſt aliquo tempore prolongatum aquæ calcareæ uſum ſale marino in aquâ ſoluto catharſim imperat. Hinc etiam inter præparata quæ ſimul & calcis & ſalis efficaciam conjungunt, uſum algæ & fuci maritimi commendat moderatum &, pro ratione conſtitutionis, à granis paucis ad uſque drachmam integram. Si autem tantæ auctoritati obſervationes etiam meas liceat jungere, in cheïlocace, in tumoribus articulorum quos frigidos vocant & albos, atque à lymphâ

ſtagnante & inerti pendentes ſimilem effectum ſimilium remediorum vidi. Solutio autem ſalis marini quàm promptè, quàm ſubitò, quàm ſine torminibus alvum laxet, referente eodem auctore, teſtis autopta affirmare poſſim.

PARAGRAPHUS IV.

De aurium Humiditate præternaturali.

Multa de morbis aurium, ſeu potiùs immenſam remediorum farraginem ad titulos horumce morborum congeſsêre auctores Medici Græci & Arabes, deſcriptionem morborum nullam. Qui tamen morbi, cùm ad inflammationem & ulcera referantur, nihil habent ſingulare undè ad morbos cutis partiales pertineant; niſi quòd, ſive ob ſtructuram partis, ſive ob glandularum ſubjectarum viciniam, & loci humiditatem, omne morborum cutaneorum genus, herpetes, lichenes, impetigines, facilè in hanc cutim decumbant, & quidem eò faciliùs, quò homines magis proximi ſunt primæ ſuæ origini, undè & infantes & pueruli nondùm à lacte depulſi jam ad aurium & internas & externas partes ſæpiùs leves exulcerationes patiantur, rhagadibuſque ac fiſſuris infeſtentur, non ſine matrum plauſu atque cautelâ, quæ à naturâ ſatis edoctæ, depurationem hanc pro naturæ beneficio habent, & eodem cultu proſequuntur atque ſordes lemoſas capitis infantilis, adeòque cavent ne quis imprudens præpoſterâ medelâ eas coerceat.

Hi verò morbi depuratorii, quamvis ab herpetibus qui in adultos incidunt toto cœlo differant, duplici in caſu potiſſimùm erumpunt.

1°. Quoties infantes nimioperè nutriuntur, adeòque ſuperfluam lympham, atque nutrimenti copioſiorem materiem ingenerant. Undè etiam fit ut quoties erumpere debent ſimilia mala, glandularum tumor ſignum det, & ſæpè præ duritie ſcirrhoſæ viderentur glandulæ, niſi illicò erumperet ad aures humor. Hinc ſimiles glandulæ vulgato nomine *croiſſances* apud mulierculas dicuntur.

2°. Verò ad dentium, præſertim molarium, eruptionem parotides, ſubmaxillares glandulæ apparent imbibitæ, præ ſpaſmo, à retento humore glandulæ, in vicinum textum cellularem humores effundunt, undè ad uſque partem poſticam aurium protenditur humor qui rhagades, fiſſuras, ulcera ſuperficiaria efficit, donec causâ

ſpaſmi abſolutâ, & laxato ſpaſmo, ceſſent pariter ejus effectus.

Hìc etiam cauſam præbere poſſunt humores quicumque aut vitio parentum connati, aut à lacte corrupto nutricis introducti. Bibulas enim oris venas, & patentia glandularum hìc hiantium emiſſaria dùm corruptus humor imbuit, poteſt maxima mala in totum corpus invehere. Hinc benignè cum corpore natura aget, ſi in textum cellularem vicinum imbibitus humor ad aures fuerit protruſus. Hic humor, ut plurimùm tenuiſſimus, ſine ullo rubore per guttulas tenues pone aures, aliquandò etiam per ductum auditorium depluit, noctu præſertim, ita ut lintea appoſita manè humidiora reperiantur & imbuta liquore qui aliquantulùm naturam indicat craſſam & mucilagineam, ubi ſiccus evaſit: nam lintea indè ablata rigidiora ſunt. Humiditas illa, quandiù perdurat, nulla affert ſymptomata. Deſinit, ſi ſudor exiliat copioſior; ſi febris adſit, ceſſat, ſemper pro verâ depuratione habenda, aut ſaltem pro ſuperfluo indè exeunte & hanc viam affectante ob proximitatem glandularum, & textus cellularis in hoc loco raritatem. Undè mirari ſubit quod Myrepſus, Aëtius, Oribaſius, ad hoc malum tantâ ſollicitudine commendent adſtringentia & abſorbentia, quæ ſine ullo commodo vacuationem ſupprimant, veriſimiliter utilem, & quæ, ſi aliquis eam perverſo conſilio ſupprimere voluerit, certè nullâ aliâ ratione tentanda eſt præter diverſionem quæ, aut ab inuſtis veſicantibus, aut applicato cauterio & fonticulo defluente fit; vel per revulſionem quam efficere poſſunt cautè uſurpata & ſummâ curâ, ne refluus humor in partes abſcedat, purgantia, ſudorifera, exercitia iterata ſimul cum diligentiſſimâ ſobrietate. Quippè his omnibus ſuperfluum abſumitur. Si enim aliqua latentis veneni ſuſpicio ſit, tunc natura ejus cautè obſervanda, & ex indicationibus univerſalibus debellanda.

CAPUT III.

De Morbis cuti in diverſis partibus propriis.

QUÆCUMQUE ſint corporis partes quas cutis involvit, omnibus cutis affectibus, diverſâ ſub formâ, nomine mutato, patent illæ. Verùm cùm univerſales tantùm cutis proprietates obtineant, vix

proprios ſibi patiuntur morbos, niſi eos, aut à ſubjectis partibus mutuentur, aut compreſſioni partium externarum pateant. Singularis cutis alicui parti addictæ proprietas, atque, ut cum veteribus loquar, facultas, ſingularia tantùm mala admittit. Sic ſub axillis, ad inguina, in viris ad penem & ſcrotum, in mulieribus ad pudenda dantur ſecretiones peculiares, dantur etiam vitia cuti propria, ita ut de vitiis iſtis tractantibus duplex diſtinguenda ſit affectionum cutanearum cauſa, quarum altera ab accidente, & per violentum externarum cauſarum inſultum progignitur; altera à ſtructurâ propriâ cutis pendet. De iis tantùm quæ ab hâc ſtructurâ propriâ pendent liceat dicere, ſuggillationes, contuſa, maculas ſcorbuticas iis relinquentes qui de chirurgicis, aut morboſis phœnomenon horumce cauſis dixêre.

Primum & neceſſarium accidens cutis abdominalis ejus eſt enormis dilatatio qualem in abdomine mulierum gravidarum videmus quotidie, quæ dilatatio, in tenero imprimìs, delicatoque juvencularum gravidarum corpuſculo quaſdam cutis cellulas ita præ cæteris extendit, rumpit, atque parietibus protenſis in textum cellularem efformat, ut etiam novo & lymphatico humore nimiùm dilatatæ repleantur.

Verùm hæc dilatatio non ſine dolore ſit, imò & multæ ſunt primiparæ juvenes, quæ remedia ſibi poſtulent undè dolores cutis, ſi fieri poſſit, leniantur. In hoc porrò neceſſario accidente id arti agendum ſupereſt, ut in id innitamur ut cutis ſenſim ſine ſenſu & æqualiter, quantum fieri poterit, dilatetur, nec plus in uno quàm in alio puncto fiat, quæ circularis eſſe debet ex naturæ ordine preſſio. Undè prima verſari debet cura circà veſtitum mulierum, ne plus æquò prematur, aut deprimatur fœtus, ne plus extendantur latera, aut pars abdominis infima. Poſteà verò linimenta mollia, laxantia lenia toti abdominis cuti inungantur, cum hâc curâ, ne, ob acredinem partium oleoſarum, pruritus, aut eryſipelas in tenerâ cute oboriantur; balnea etiam & ſemicupia tepida in hunc finem ſuadentur, undè molleſcat cutis & paretur fœtui creſcenti locus: nam quod olim de balneis metuebant auctores noſtri veteres merum eſſe figmentum ætas poſterior meliùs edocta demonſtravit.

Remanent à partu ut plurimùm rugæ quæ abdominis formam vitiant. Quod vitium in mulieribus quæ plurimos infantes utero geſſerunt ad ultimam uſque ætatem annotatur. In iis verò quæ

juniores Lucinæ labores expertæ ſunt, ſenſim ad priſtinum decorem cutis redit, niſi aliqua complicatio affectûum, ut hydropis cum graviditate, aut ſitus infantis perverſus, nimiam extenſionem cutis efficiens, obſtiterit naturæ operanti. Certè, ſi de hiſce rugis verè meretricia cura habenda ſit, quod ut pudicam matronam, ſic & honeſtum Medicum dedecet, ita abdomen tractandum eſt, ut adſtringentia leniora, ſpirituoſa, leviter tonica ipſi apponantur. Quod nuperrimi homines efficiunt appoſitis linteis ſpiritu vini mitificato imbutis. Quod, quouſquè poſſit ſucceſſu felici excipi, judicent qui norunt quàm certis & lentis gradibus natura agat, & metam attingat, & quàm periculoſum ſit ipſi præcepta ſcribere.

Verùm cùm dilatatio iſta & rugæ iſtæ poſſint etiam miſeris impendere, poſt vacuatas aquas, hydropicis, nimiaque cutis extenſio poſſit inertiam viſceribus inducere, in his caſibus cutis ita conſtringenda eſt, ut priſtinum locum occupet, & cellulæ in ſe concidant, quo in caſu lenia adſtringentia roborandis potiùs quàm ſtringendis partibus efficacia, qualia ſunt folia ſalviæ, thymi, roris marini, abſynthii, bugulæ, ſaniculæ vino incocta, uſum certè utiliſſimum præſtant. Nam ſi quæ aluminata ſtyptica ſunt in hunc uſum advocarentur, periculum foret, ne quaſi in coriaceam duritiem cutis adducta, perſpirationi cedere recuſaret, & adeò locum daret, novis, aut à ſcirrhosâ duritie, aut à refluxu perſpirationis oriundis affectibus, cùm aliundè natura ſuis ſibi viribus vulgò ſatis polleat.

Ut etiam propria & peculiaris ſecretio humoris ſaponaceo-oleoſi fit ad axillas, penem, ſcrotum, inguina & vulvæ labia, ita etiam propria & peculiaria cuti vitia his in partibus exoriri poſſunt: ſi ſcilicet aut fœtiditate, aut abundantiâ peccet humor iſte, aut demùm ſingulares acredinis notas præ ſe ferat. Acredinem illam, quæ aut pruritum, aut etiam eryſipelas inferat ad generales acredinum cauſas, & annotatam alibi eorum originem referre promptum eſt. Sic ſi humor herpetibus producendis aptus ibi deponatur, quod eò magis facile eſt quòd ibi excernicula maxima pateant, nullam illi ſibi peculiarem attentionem vindicant, niſi quòd forſan ibi maligniores appareant, ob nativam humoris ibi ſecreti & quaſi à conſtitutione pendentem acredinem.

Illud ergo nobis tantummodò ſupereſt, ut videamus an poſſit, aut extingui, aut cicurari prætermodùm aliquandò aucta hiſce in ſecer-

nendis ad hæc loca humoribus fœtiditas. Ut autem exſpiſcemur quid in his ars valeat, hujus fœtidi odoris origo altiùs perpendenda eſt. Id porrò naturam obſervando inveniemus, omnia infantilis ætatis corpora, odorem eumdem, ſive ſudando, ſive inter cubandum exhalare, ſi paucos excipias, eoſque rufo & aureo capillorum colore donatos, cute prætermodùm albidâ, ſed quam lentigines dedecorant. Odor ille ex omnibus æquè partibus ſpirat, forſan diſtinctus magis ex ore, & partibus ſuprà dictis, fermentantis paſtæ æmulus, aliquantò fortior ex iſtis, & rancidulus ſemper eſt iis qui ob iniquiorem ſortem, & lavantur minùs, & veſtes eaſdem illotas ſervare diutiùs coguntur. At ubi jam utroque in ſexu pubertas effloruit, evolutaque organa novos liquores, & novam induxêre partibus formam, tunc odor ſpecificus emicat variè in variis. Ita vulgò in robuſtis major atque fortior annotatur, in debilibus minor, in debilitatis & à morbo gravi poſt magnas vacuationes nullum odoramur; non notatur pariter in eunuchis, aut ſaltem advertitur debilior. Par etiam feminas regula comprehendit. Viragines enim & in indomitam venerem pronas odor ſpecificus deſignat, delicatas minor diſtinguit odor, ægrotantibus & languidis nulla ineſt olens ſecretio. Verùm diverſitas ingens odoris eſt illiûs ſpecifici, pro cutis ipſiûs diverſitate. Rufis enim & nigrante, ſed hirſuto crine donatis gravis hircus cubat ſub axillis, ad ſcrotum, aut vulvam, & pone aures. Sudor exit pariter olidus; & quanquàm rara ſint, nec neganda tamen exempla hominum & à Boyleo & à veteribus, tùm Medicis, tùm Hiſtoricis citatorum quibus ſingularis à ſudore fragrantia nares jucundiſſimè percuлerit, teter, imò & nauſeoſus odor à rufis præcipuè exhalat, ſudore concitato, magis notabilis. Hunc porrò cùm à nativâ conſtitutione pendeat, omninò & abſolutè perſanare piaculum eſt, diſſimulare difficillimum. Si cui tamen feminæ vitium illud inciderit, ſolemne ipſi eſt ut ſacculis ex alumine confectis illud diſſimulet. Hos intrà veſtimenta conſuunt, ſicque repercutitur humor cui exitus, ut potè excrementitio, neceſſarius erat; undè refluus ille, aut in caput, aut in thoracis vel abdominis viſcera millena mala accerſit, & mortem ipſam delicatulis invehit, vix ullâ arte fugiendam. Satius eſt illis conſulere ut in lavandâ cute eâque detergendâ ac mutandis veſtibus curam impendant ſollicitam, undè diſſimuletur odor, quem varia admixta aromata immutant quidem, ſed non corrigunt admodùm. At ſi

fœtiditas

fœtiditas illa caſu contigerit, ita ut dici morboſa poſſit, tunc ex altioribus principiis res repetenda eſt, & cauſa in internis ſcrutanda. Sæpè enim à ſaburrâ & vitio concoctionum, etiam in ultimæ coctionis excrementa, odor influxit, ita ut virum noverim cui fœteant axillæ, quoties allium comederit, nunquam aliàs; Bergerus virum memorat, cui vinum Hungaricum epotum idem efficeret. Undè hoc in caſu illud ſupereſt ut concoctionum cura habeatur, humores vitioſi & expellantur, & immutentur, demùm latenti cuicumque acrimoniæ eximia cura adhibeatur.

CAPUT IV.

De Morbis cuti artuum propriis.

PRÆTER cauſas univerſæ cuti communes, quibus illa morbis tentatur, jam ſatis deſcriptas, ſingulares ſibi vindicant artus, ſeu extremitates quæ non modò externorum objectorum inſultibus maximè patent, ſed etiam functiones proprias ſibi exercent. Ita manûum cutis ſingulare tactûs organum in apices extremos digitorum diſpertiti conſtituit. Cujus tamen cùm à nerveo ſenſu pendeat exercitium, affectus etiam vel depravati, vel aucti, vel imminuti ad nerveæ ſentientiſque partis morbos pertinent: ſtructuraque cutis nil ſibi peculiare vindicat, aut poſtulat.

Verùm cutis, artûum præſertim, aut ignis ardore comburitur, aut conglaciatur ſpiculis frigoris, & in gangrænam decidit, quæ omnia apud artis Chirurgicæ auctores fusè tractata, ad morbos cutaneos vix pertinent; cùm ſcilicet aut ad eryſipelas phlyctœnoſum referantur, propriâ tamen curatione pro ratione cauſæ ſanandum, aut ad eſcharas & cruſtas gangrænicas, quæ nunquam tolluntur, niſi per ſubjectam textûs cellularis integri ſuppurationem. Hinc pariter è morborum cutaneorum numero tollenda eſt gangræna illa, aut ſenilis, aut ſcorbutica, aut etiam ab aliâ quâcumque degeneratione ſanguinis nata quæ eum vitæ uſibus ineptum reddat. Hæc enim lentè proſerpens non cutim ſolam, ſed partes ſubjectas ſenſim vitâ defraudat & ſenſu; rapidiùs excurrit, ſi ſcorbutici quid pro causâ habeat; lentior eſt, ſi aut ſenilis fuerit, aut melancholica. Ab artûum, & quidem inferiorum cute, ubi

Oooo

circuitus languet, & declivis ſitus ſanguinem remoratur, ſemper incipit; nec ulla fermè ſymptomata concitat, priuſquàm evaſerit immedicabilis. Hæc requirit ab arte embammata quæ vel à cadavere fœtorem averterent, dùm in corruptione arcendâ medicina invigilat, donec, debellatâ per cauſæ & gangrænæ adverſa medicamenta, imprimiſque corticem peruvianum, mali cauſâ, ſubcreſcens vita, & ſuppurationem incitans mortuas partes è corpore projiciat. Sed de his abundè dixerunt auctores Chirurgici, nec fas eſt omnia attingere.

Proprium & peculiare cuti crurum malum quod in oris noſtris ſeptentrionalibus tibias & crura virorum nimìs aſſiduo foco aſſidentium afficit conſtituunt maculæ aliquandò dolorem inferentes lividæ & ſubfuſcæ quæ, ſi neglectæ fuerint, in phlyctœnas etiam elevantur. Hæ pendent à reſiccato & arefacto textu reticulari & ruptis epidermidis vinculis; ſed ita lentè, ut ſub deraſâ epidermide epidermis alia renaſcatur. Undè ubi longo temporis tractu, ſi quidem nihil, aut parùm actio vitæ augetur, in impreſſione quaſi per habitum contractâ abeunt maculæ illæ, epidermis in lemas aut ſquammas quaſi extrà propulſa ſubjectam epidermidem novâ nitidam juventâ oſtendit. His ergo maculis pro remedio eſt à foco diligenter ſe ſemovere, aut crura ab ejus impreſſione protegere, partem verò uſtam, partim laxantibus lenibus oleoſis fovere, ut ſunt oleum ceræ, ceratum Galeni, pomata lenia, butyrum de cacao, partim etiam aliquibus tonicis, qualia præſtant aromaticæ plantæ, exuſtam cutim fovere. Nam ſi dolor aliquis ſuperveniat, aut phlyctœnæ exſurgant, jam cum eryſipelate res agenda eſt, nec ulla eſt curationis differentia ab eâ quam in exuſtione ineundam jure meritò prædicant auctores. Aliud genus inter levia quidem mala, ſed tamen aliquandò Medicorum attentione digna conſtituunt perniones ita cuti artûum proprii, ut in nullâ aliâ parte obſerventur; proprium ergo ſibi vindicare debent articulum.

ARTICULUS PRIMUS.

De Pernionibus.

Perniones Plinio (*a*) dicti, aut etiam perniunculi (*b*) Græcis dicuntur (*c*) χὶμετλα, aut χὶμεθλα, χύμεθλα, imò etiam apud antiquas

(*a*) Lib. 20, cap. 3.
(*b*) Lib. 26, cap. 11.
(*c*) Hippocr. lib. 5, epidem. lib. 2, cap. 199.

editiones Dioſcoridis & Pollucis χέμεθλη, genere feminino. Apud nos ex tempore quo ſæviunt & causâ à quâ oriuntur dicuntur vulgò *engelures*. A Celſo (*a*) ſine ullo nomine proprio optimè deſcribuntur ſub nomine ulcerum à frigore pendentium. Hi autem tumores in cute ſolâ enati & ad aliam partem non pertinentes, ad calcaneum, undè πτερνιον ſeu πτερνίση dicuntur, digitos pedum atque manûum fixam ſedem obtinent, & nullibi alibi, ſi forſan apicem naſi exceperis, apparent. Tumores illi rectè à Celſo in duos gradus diſtinguuntur, quorum primus tumorem comprehendit ſimplicem, necdùm apertum, alter verò tumorem ulceratum. Sub duobus autem iſtis gradibus plures comprehenduntur differentiæ rimoſorum, fiſtuloſorum, cruſtâ, ſeu eſcharâ tectorum pernionum.

In genere tamen meliùs ad rei naturam accedit diviſio illa quam ex tractatione doctiſſimâ Severini (*b*) deducimus pernionum in ſimplices & malignos. Simplices ſunt qui à causâ ſimplici in corpus benè moratum incidunt, malignitatem ipſis addit, aut cauſæ pervicacia, aut corporis prava admodùm diſpoſitio, cachectica, ſcorbutica, melancholica. Hinc ergo perniones cum Severino (*c*) non dubitabimus definire tubercula in manibus pedibuſque inflammatoriam ulceroſamve affectionem referentia. Perniones ſimplices ſunt qui per ſe non aperti, tumorem tantùm exhibent eximiè rubrum, rubore ſub digito omninò evaneſcente.

Sed illos à cæteris tumoribus ejuſdem caracteris apprimè diſtinguit pruritus maximè pungens & aſſiduus, aliquandò tamen cum pulſatione ſubobſcurâ, maximè ad focum aſſidentibus, aut potiùs accedentibus, notabilis, mox magis remiſſus. Undè ubi incaluêre primùm in lectulo pedes, aut manus, cruciatus & tormenta recrudeſcunt admodùm. Mox calore in habitum tracto, & jam æquilibrio caloris reſtituto, mitigantur, & tandem, niſi jam maximum adepti ſint gradum, pruritu tantummodò levi remanente, conticeſcunt.

Perniones illi raró admodùm lati ſunt, & ſpatium tantummodò digitale occupant; ſed multiplicantur, & aliquandò magna eorum copia ita pedem, calcaneum, digitoſque occupat, ut

(*a*) Lib. 5, cap. 28, n°. 6.
(*b*) Lib. part. 3, pag. 482, edit. Lugd. Batav.
(*c*) Ibid. cap. 6.

pro uno & eodem tumore haberi poſſint, & ita conferti prodeunt, ut non admodùm rarum ſit febrim indè concitatam fuiſſe, notante Severino (*a*).

Ubi ſemel perniones ad apicem incrementi pervenêre, tunc vel decreſcente ſenſim inflammatione, & colore cutis redeunte, ſanantur, vel aperiuntur. Saneſcentibus decidit epidermis, & ſæpè in ſquammulas abit. Plures, alia poſt aliam, laminæ epidermidis à ſe invicem ſecedunt ſucceſſivè, donec perfecta curatio ſit. Ubi verò aperiuntur & ichorem emittunt, tunc Celſo atque Severino (*b*) notantibus, eryſipelatum omnium in morem, phlyctœna fit quæ aperta paucum admodùm humorem fundit, at phlyctœnæ ipſiûs fundus, ichore ſpiſſiori imbutus, crudus apparet & inæqualis. Ichor intereà in latera extenditur, & vicinas partes attingens rubore primùm, dein etiam phlyctœnis afficit. Undè graſſatur malum, & quaquaversùm extenditur, cum pruritu, ardore pungente, & pulſatione obſcurâ.

Sed etiam alia obſervatur aperturæ forma in pernionibus. Finditur ſcilicet pluribus in ſuî partibus tenuiſſima cutis quæ tumorem in ſuo ſinu fovebat, tuncque à cellulis, hâc cute ruptâ, funditur, non quem ab eximio rubore expectare fas erat, ſanguis, ſed ichor perpaucus, tenuiſſimus, ita ut nullo in alio affectu adeò evidenter fabrica cutis verè celluloſa appareat.

Hoc in rerum ſtatu, ſi pernio ſimplex fuerit, & nulla alia lædens cauſa ſubſit, brevì, pauco emiſſo ichore, omnia miteſcunt, ſi præſertim à cauſis perniones inducentibus removeris ægrum; at ubi latet aliqua malignior cauſa, omnia pejorem in morem vertuntur.

Nec diffitendum tamen eſt quòd, cùm pueris præcipuè, feminis, atque negligentioribus malum illud accidat, protrahitur ſæpè præ neglectu, & repetitâ actione cauſæ, pro regionis naturâ, pro etiam peculiari conſtitutione. Pernionibus, iiſque rebellibus potiſſimùm, ſubjicientur illi quibus pedes atque manus humore perpetuo madent, quod vitium, ſi hoc nomine nativa conſtitutio digna eſt, pueris præſertim & feminis tenerioribus familiare eſt quibus textus cellularis evidentiùs ad ipſam epidermidem accedit. Sic in puellulâ laxioris textûs videre quotidie mihi contingit in uno pede laxam à nativitate admodùm cutem, & ut veriſimile

(*a*) Cap. 9.
(*b*) Cap. 7.

eſt, humore mucoſo plenam, quæ inceſſum difficilem facit. Alioquin, licet deformis, integra & ſana perpetuò illa ita madeſcit, ut quâcumque horâ, diù noctuque, lintea evidenter humeſcant appoſita, & digiti tangentum tergendi ſint. At hyeme quâvis à primâ pueritiâ pernionibus vexatur in hoc pede miſerrimè, non quòd unus aut alter pernio ſanatui difficilis ſit, ſed quòd tumores illi ſine aperturâ, ſibi per totum tempeſtatis ſævioris curriculum mutuò ſuccedant, & alter alterum excipiat.

Malignioris ſunt naturæ perniones qui in corpora cacochyma atque præſertim cachectica incidunt. In his enim laxior eſt cutis textus, & perſpiratio hærens ad cutem, nec per vim inertioris naturæ exire apta, ſtagnat facilè. Undè cutis ſemper in his humentior eſt, facilè etiam corrumpitur, & perniones facit qui per patentes cellulas ſerpunt eò faciliùs, quò illæ humore ſcatent dilutiori. Undè, ubi phlyctœna ſemel ſuperficiem eryſipelatis occupavit, proſerpit illa & diffunditur. Præterea verò cùm qui ibi affluit humor crudus, cruditatem perpetuet, nunquam bonum pus ibi ſperandum eſt, verùm à fundo ulceroſo, ſed irritato, manat ichor, nunc paucus, nunc majori copiâ; ſed ſemper tùm à nativâ qualitate, tùm à ſtagnatione vicina exedit: imò aliquandò, ſi acrior ſit, elicit ſanguinem, pruritus immoderatos concitat, imò & fiſtularum in morem jam non cutim ſolam, ſed partes etiam cuti ſubjectas corrodit. Nec inauditum eſt leve primo aſpectu malum tandem ab inflammatorio eryſipelatoſo caractere in putridam gangrænam abiiſſe, quod tamen non tam mitiori pernionum naturæ tribuendum eſt, quàm mixtis ſimul atque ibi depoſitis fermentis quibuſlibet, præſertim ſcorbutico, aut herpetico, aut putrido cuicumque. Non enim ſolùm affectibus pedum ulceroſis, ſed aliis quibuſcumque novum atque pernicioſum caracterem indunt fermenta illa facilè ad cutem deponenda.

Cauſa verò pernionum omnium tùm mitiorum, tùm ſæviorum, ex omnium auctorum conſenſu, frigus eſt. Non quidem quòd frigus, eo nomine quod Galli ipſis impertiunt, certam congelationem attulerit, ſed quòd perſpiratio ſuppreſſa præ vaſorum inertiâ à frigore inductâ hìc hæreat, & partìm ab erethiſmo vaſorum, partìm ab hærentiâ liquidi, tumorem efficiat eryſipelatoſum, eâdem ratione, eodem mechaniſmo quo cauſa illa gravior facta gangrænam ibi glacialem efficeret. Undè perniones ſemigelationem comprehendunt. Sed hæc ingens differentia eſt quòd gangræna gla-

cialis ſemper gelu acre ſupponat: contrà verò perniones poſſunt, etiam ſine gelu actuali, naſci & pullulare, ſed ſenſus frigoris humidi ſufficit ad eorum natalia.

Hinc cutis humidior infantum & mulierum ad hæc mala concipienda aptior eſt, & magis idonea omnibus aliis cutis ſpeciebus; quia ſemper humiditate ſcatet quæ in textum cellularem proximum retropulſa pernionem concitat: hinc etiam pernionibus maximè obnoxii vivunt qui cutim ſquallore & ſordibus minùs curatam gerunt, quia iis maximè adhæret, & in eorum pedibus ſtagnat aqua atmoſpheræ; tùm etiam pedes & manus iis præ cæteris infeſtantur, languente ſcilicet circuitu, & hærente ibi perſpiratione. Præthereà verò nulla alia pars adeò citò refrigeratur, nulla pars adeò frigori externo patet, nulla pars adeò aquâ & humiditate intingitur.

Undè etiam patet, notante id circà perniones diligentiſſimo ſcriptore Aurelio Severino, cur in multis locis magis familiares ſint; nam loca uliginoſa, paluſtria, nec ventis perflata ſalubribus, nec calore ſiccata hiſce malis anſam dant. Hos aliquandò epidemicos credidit Severinus (*a*). Hinc ſæpè mutatione loci victûſque accidit ut qui hiſce obnoxii erant affectibus iis jam non ampliùs ſubjecti vivant. Muliercula cachectica perniones adventante frigore experitur, manus pedeſque iis crudeliter vexantur: ſi jam robuſtior evadit, ſi jam ſolidior & minùs madens humore ſuperfluo, de iis jam nihil audit ampliùs. Hinc etiam hìc multùm facit chyli cruditas, atque coctionum, aut debilitas, aut acquiſita firmitudo; cùm in ſanitate firmâ diſſipentur & avolent quæ in crudis humoribus ſtagnant, & quaſi congelantur.

De pernionum curatione & indicationibus ſumendis nullum eſſe poteſt dubium. Vel enim de pernionibus agitur immaturis & adhùc tumentibus, necdùm apertis, vel de rimoſis atque ſtillantibus, vel demùm de ulceratis atque ſuppurantibus.

Primò in caſu indicatio jubet adhibere reſolventia ſimul atque è tonicis ea quæ ſpaſmum non augeant. Porrò cùm multa ſint quæ aliquâ ratione certoque modo virtutem hanc poſſideant medicamenta, qualia ſunt decocta plantarum leviter amaricantium, ut ſunt chamœmelum, bugula, brunella, ſanicula, eupatorium, agrimonia, veronica, imò & gradu intenſiori tonico, abſynthium, tanacetum, ſalvia, aromataque varia, nil mirum ſi

(*a*) Loc. cit. cap. 8.

ut apud veteres, ita & apud recentiores herbæ illæ, tùm aquâ, tùm vino decoctæ, ſuadeantur, generali nimìs conſilio, & quod ad omnes caſus æquè non pertineat; ſi quidem vera eryſipelatis curatio hìc ſubſequenda eſt. Cautela tamen aliqua adhibenda eſt, cùm nulla hìc materies ſubſit, & vaſorum tonus infractus plus tonicæ virtutis poſtulet, quàm ſi periculum retropellendæ materiæ aliquod adeſſet; undè apud auctores, præſertim veteres, adſtringentia ſtyptica quævis commendantur, imò & alumen, & atramentum ſutorium, gallæ, flores punici, thus & alia hujuſmodi, quorum quidem auctorum auctoritati adſtipulatur Marcus Aurelius Severinus. Ego verò cùm tonicâ præſertim virtute atque conſtringenti agant hujuſcemodi remedia, potiùs ea inter prophylactica numerari velim, eaque cutim ſtringendo agentia, quàm inter verè curativa recenſeam. Si enim cutim robores, eam à pernionibus præſtabis immunem prorsùs, quo titulo præſertim antè alia omnia remedia velim cum Laur. Heiſtero aliiſque recentioribus prætolli vini ſpiritum quotidie cuti admotum, vel ſimplicem, ſi nullus adſit pernio, vel aquâ dilutum, ſi jam adfuerit. Cujus hæc vis eſt ut refrigerando & ardorem moderando ſimul cutim roboret eximiè.

Hùc etiam, experientiâ teſte, hyemis ſævientis tempore ruſtici nivem adhibent, ſpiculis glacialibus educendis aptam, & eximii usûs, ubi reverà pernio ab acri gelu ſumpſit exordium. Sed non omnibus æquè confert illa, ubi potiùs à vitio cutis, quàm à ſævitie frigoris perniones exorti ſunt. Verùm tùm ad prophylaxim, tùm ad curationem pernionum non exulceratorum, remediis omnibus præſtat partes affectas muriâ condire, eâque præſertim cui putredo aliquid alcali volatilis adjunxit. Hujus vices ſupplet dilutus aquâ ſal ammoniacus. Sal alcali fixus è cineribus eductus, & multâ dilutus aquâ ad eumdem uſum adhibetur; fallax eſt & ſæpè inflammationem excitans, ſemperque præ dolore concitato vitandum quod Celſus præſcripſit ut æs candens admoveatur quàm proximè. A nullo alio modo tam facilè pars exuſta rimas concipit, fitque exulceratus pernio.

Nec longa erit quæ competit pernionibus, vel rimoſis, vel ulceratis à cæteris ulceribus curationis differentia. Quippè cùm hìc nullum ſit ſuppurationis, aut coctionis in pure pretium, nec retenti humoris atque præparandi ullum laudabile inſtitutum, ſed ſerpenti contrà vincula injicienda ſint; certè ita pars emplaſ-

tris tegenda, ne divellatur, aut ab objectis exterioribus lædatur. Sed tota curatio ita inſtituenda eſt, ut ichor depluens abſorbeatur, atque mitigatus vaſculorum renaſcentes faſciculos non exedat. Quem in uſum è ſaturninis præparatis confecta emplaſtra, modò non ſcateant adipoſis atque rancidulis oleis, cæteris palmam præripiunt. Hæc tamen ita intelligenda ſunt, ut demonſtratum ſit perniones aliam non aſſumpſiſſe à fermento anteà in corpore præexiſtente indolem. Tunc enim jam cum morbo ſimplici nobis res agenda non eſt. Sed ſi ſcorbutico incidant perniones & à commixto ſcorbuto morbus ſævior, pruritus acrior incidat, certè per antiſcorbutica dimicandum eſt. Quæ, etiam in ſimplicibus pernionibus exteriùs admota, ſale volatili multùm proſunt. Idem ſit dictum de aliis omnibus vitiis quæ, ſi in cutem inciderent, poſſent pernionibus conjungi atque commiſceri.

ARTICULUS II.

De pedum & crurum Craſſitie præternaturali, ſeu Elephantiaſi Arabum.

Quem morbum elephantiaſim Græci dixêre, hunc Arabes ſub lepræ nomine deſcripſerunt; morbus ille univerſalem corporis ſuperficiem occupat, & inter maximas in cutem decumbentes peſtes ſuo loco annumeratus eſt; nec defuit tamen Arabibus, affectus quem elepantiaſeos nomine deſignarent. Sed morbus ille localis eſt, ad pedes & crura pertinet. In eo, notantibus Avicennâ & Rhaſi, pedes elephantinis ſimiles fiunt, & crura nec ſurâ, nec muſculis diſtinguenda, ſed cute tecta coriaceâ videntur immutari, qualia ſunt elephantum crura. Morbum hunc ſub eodem nomine apud Ægyptios obſervavit Proſper Alpinus qui morbum hunc Cairi familiarem ita deſcripſit: « iſti habent » pedes uſque adeò magnos, duros, inæquali craſſitie, ut cogan- » tur non pauci, iiſdem capſulis ligneis impoſitis, magnâ cum » difficultate ambulare; ſimileſque pedes magnitudine, craſſitie » & quadantenùs figurâ pedibus magnorum elephantum, undè » hoc nomen invenit, apparent ».

Morbum hunc in Ægypto frequentiſſimum à pravâ victû ratione quæ ipſis familiaris eſt, deducit ex uſu piſcium Nili & lacûum, ex ingenti copiâ radicum colocaſiæ, atque olerum duriſſi-

morum

morum, non fermentatorum. Undè ait, fluxio in eorum pedes deſcendit; imò annotat idem obſervator, nullibi alibi locorum tantam reperiri copiam ſarcomatum & ſarcoceles. Credendum quidem Proſpero Alpino, diligentiſſimo rerum naturalium ſcrutatori, quamvis Avicennas aliam nobis prorsùs elephantiaſios Arabicæ idæam ſuppeditet.

Eſt enim, ſi Avicennæ (*a*) credendum, elephantiaſis inter morbos varicoſos recenſendus, & totus varicibus conſtat. Scilicet melancholico humori in crura depoſito vaſaque infarciente adſcribit elephantiaſim, aitque venas cruris & femoris incraſſari mirum in modum, earumque incraſſatione volumen cruris atque pedes prætermodùm augeri; fitque volumen illud quale Proſper Alpinus (*b*) obſervavit, & ex propriâ obſervatione deſcripſit. Non noſtrum eſt inter auctores tanti ponderis litem hanc dirimere. Sed certè plura ſunt, non quidem in ſummo gradu, apud nos mala quæ ſimilem nocendi formam in cruribus atque pedibus exhibeant, undè ſaltem exemplo adducto hariolari poſſimus rectè ab Alpino obſervatum eſſe morbum, qui, licèt varicoſus ſit, ut voluit Avicennas, varices tamen tanquàm ſequelam morbi, & latentioris cauſæ effectum oſtendat.

In pauperioris ſortis hominibus, in illis præſertim quos legum reverenda neceſſitas aliquo tempore in carceribus clauſis, ſquallidis, ſitu humentibus concluſos, ſine ullo exercitio, ſine lectulo coercuit atque concluſit ſimile quid obſervatur. Sæpè iis inflantur admodùm pedes & crura. Sine ullo evidenti & ad tactum cedenti œdemate cutis pedum morboſè craſſeſcit, tùm ob ſanguinis ſtagnantis lentorem, tùm ob ejus regreſsûs in otio illo violento difficultatem, cellulæ ejus extimæ inflantur & replentur muco craſſo, indivulſo. Cutis univerſæ ſubſtantia in areolas diſtinguitur, fitque tumentibus cruribus incedendi ſumma difficultas, quam facilè, nec ſine ratione, pro ſcorbuticâ habueris. Tùm verò, crura, præſertim circà malleolos & ſupernam pedis ſuperficiem, plexu tenui venarum nigricantium pinguntur, quæ ad ſe invicem appreſſæ, maculæ idæam exhibent, ſi leviori oculo ſpectentur, ſi ulteriùs examini ſubjiciantur, nihil aliud ſunt quàm venulæ adeò vicinæ ut ſeſe contingant & plexum efforment. Si aditum ſanguinis forti ligaturâ ad poplitem ſuppreſſeris, palleſcunt illæ, & ferè

(*a*) Avicenn. fen. 21, tract. 1, cap. 16.
(*b*) Hiſt. Nat. Ægypti, lib. 1, cap. 19. De Medicinâ Ægyptiorum, lib 1, cap. 16.

evaneſcunt, ſoluto vinculo, iterùm in aſpectum prodeuntes, imò craſſiores factæ. Sed malum ipſæ non conſtituebant, & niſi jam malo ad aliquem gradum evecto, non apparent. Ulcerantur aliquandò, ut annotavit Avicennas; locus ulceroſus dolet, & ulcera illa, licèt non profunda ſint, difficilè admodùm ſanantur.

Illud non in incarceratis tantùm licet obſervare, ſed in iis omnibus qui vitam in humidis & ſtagnante aquâ infamibus locis vitam quærere coguntur, ſi ſimul victûs craſſioris & inopis concurſus accedat, ſi corpus cachecticum fuerit. Rarò in juvenes ſævit, mulieres malè menſtruatas & lotrices præcipuè invadit. Eumque peſſimè graſſantem, qualem Proſper Alpinus deſcripſit, obſervavi in delicatâ moniali, quam religio & paupertatis voluntariæ amor fecerant lavandis aliarum linteis & veſtibus invigilare præter normam & rationem.

Eſt ergo elephantiaſis Arabum aucta in cute pedum & crurum morboſè craſſities. Hæc craſſities eſt cellularum & areolarum cutem efficientium inflatio. Stagnat in iis mucus. Partem peccati in ſe ſuſcipit ſubjectus textus cellularis; undè omnis forma perit, tùm conſtricta cutis, conſtrictus textus cellularis venas comprimunt; extenduntur venæ, varices undiquè naſcuntur.

Nec tamen negaverim dari poſſe ad mentem Avicennæ morbum merè varicoſum. Sed, licèt omnes venas inflatas ſupponamus, & aucto volumine enormes, ut vidi, tunc aſperum fiet, & quaſi ſerpentinis tumoribus deforme crus, quod non rarò occurrit, ſed forma tamen cruris eadem immutata ſervabitur, aut ſaltem amiſſam æquali circumductarum faſciolarum compreſſione recuperabit, quod nullus eſt qui non viderit.

Cauſæ porrò quæ poſſunt difformitatem elephantiacam cruribus inducere, ex earum omnium genere ſunt quæ, cùm cutim attingant, poſſunt per accidentia quæcumque in partes corporis inferiores determinari, & in eas amandari. Cachexia quævis ad artus inferiores facilè dilabitur. Poteſt verò elephantiaſis illa vel ſimplex eſſe, vel herpetica, aut ſcrophuloſa verè nuncupari. Etenim cum vitiis iſtis & omni venenorum genere cachexia poteſt, vi vitæ prætermodùm inerti, complicari, atque combinari, hâc poſitâ quàm facilè ad partes infimas determinabitur. Sed nihil efficaciùs in has partes humorum accerſit decubitum quàm otium in domibus humidioribus & locis depreſſis. Imò debilitas ſenilis præprimis in homines adipe mucoſo dif-

fluentes ferè omnibus crura inflat. Inflatis cruribus, facilè varices ſuperveniunt. Leuce, alphus, *bachabiad, buch aſſned*, quod idem apud Arabes ſonat, ſæpè à ſimili inflatione crurum incipiunt. Imò craſſitiem illam pluribus ab annis perdurantem video quotidie in duobus viris eximiis, utramque metaſtaticè factam, alteram à peſſimâ febre malignâ, alteram verò à variolis cæteroquin rectè curatis.

Diagnoſis morbi tota in aſpectu poſita eſt. Cauſas indicabunt præterita enarrata, præſentia verò phœnomena perpenſa quæ etiam prognoſim conſtituent. Inſanabilem pronuntiat Avicennas (*a*). Proſper Alpinus de curatione ne verbum quidem facit. Varices exſcindi jubet Avicennas, tùm ſtyptica ſuperimponi. Dari tamen caſus edicit in quibus ſuppuratio accerſenda ſit. De caſibus iſtis ſilet.

Nos verò, licèt veram elephantiaſim illam nunquam perfectè viſam curatione aggredi temerarium videatur, qualem ex Proſpero Alpino concipimus, qualem etiam in remiſſiori gradu videre licuit, in recentem & ſubitâ enatam fluxione diſtinguimus, & veterem ſenſimque inductam. In recenti curandâ cauſarum omnium antè omnia remotionem aſſiduam flagitabimus. Victus omninò ſubvertendus; diæta tenuis ſit, ex pane benè fermentato, vino generoſo, aquâ puriſſimâ, oleribus levibus, carnibus aſſis, iiſque albidis tenuioribus. Aër campeſtris, purus, vividus eligatur. His, ſi cauſa recens fuerit, nec à fermento alieno inducta, morbum ſanandum fore ſpes eſt, iis admotis remediis quæ ad tollendam cutis morboſam craſſitiem alibi prædicavimus. Ulcera excitare veſicantibus applicatis, ut in malo fundo peſſimum, ita in benè moratâ cute ſaluberrimum. Sed curatio cauſæ morbum tollet quæ igitur ex prædictis ediſcenda, ſive ad herpetes, ſive ad ſcorbutum referenda fuerit, ſive leuce, ſive leproſus aliquis affectus intùs latuerit. Sed in inveterato malo & habitu inflationis contracto, ſæpè ſupervacuum eſt omne auxiliorum genus, cùm reſolutioni potentiſſimæ ſtricta cutis reſiſtat, nec laxari illa poſſit, niſi per ſuppurationem copioſam quæ, non ſemper, in pravâ humorum conditione poſſibilis.

(*a*) Cap. 17.

ARTICULUS III.

De Clavis, Tullis, Callis pedum & manuum.

Τύλοι Græcorum, idem ſunt atque calli Latinorum, quo ſub genere univerſæ ſpecies indurationum in ſuperficie cutis enatarum comprehenduntur. Sed clavi, ſeu tumores calloſi à reliquâ cute vicinâ ſejuncti atque diſtincti præcipuè ad pedes pertinent : horum etiam duplex ſpecies diſtinguenda. In alterâ enim callus ſimplex ex laminis ſibi ſuperſtratis conſtat; in alterâ verò medias inter laminas reperitur callus à cæteris laminis ſejunctus & vinculis ruptis liber, imò & factum eſt aliquandò, & vidiſſe me memini, ut inter laminas iſtas in cavo incluſæ lymphæ pellucidæ guttæ aliquot reperirentur.

Tumores calloſi à ſcirrhoſis diſtinguuntur, quòd eadem loca non occupent. Nam ſemper ſuperficiem extimam cutis attingunt, & ſi aliquandò intrà premi & profundiùs intrudi videantur, id à ſolâ preſſione ortum. Sui ſunt etiam tendinibus calli, ſuæ ſunt perioſteo indurationes ; ſed à callis ut loco abludunt, ita in hoc naturâ conſentiunt quòd in neutro horumce caſûum ulla organiſatio deſtructa ſit, ullum adſit cancri periculum. Clavus igitur atque callus unum & idem ſunt, formâ tantùm differunt, quam formæ varietatem infert cauſa comprimens.

Callus enim omnis in cute aliundè ſanâ nunquam, niſi à causâ externâ comprimente oritur, & ſi quæ ab internis naſcitur cauſis cutis indureſcentia, ſcirrhoſa illa eſt, & à callo tùm naturâ, tùm à ſatis cognitis ſymptomatibus differt & diſcrepat. Nec ulla admittenda eſt inter callos differentia, aut malignorum aut benignorum : ſed quæ ab iis exoriuntur ſymptomata, repetuntur tùm à formâ, tùm à loco occupato. Aliquandò tamen verrucas comitatur callus, ſeu potiùs verrucæ vertuntur in callos, quod quidem aliquod in curatione diſcrimen afferre poteſt. Undè ut diagnoſis evidens eſt, ita & prognoſis ſimplex. Quas tamen ut proſequamur pauca de callorum differentiis diſtinguenda ſunt.

Calli omnes, ut diximus, à compreſſione oriuntur. Hæc autem compreſſio non uniûs diei eſt ; nec tamen illi adeò longis formantur intervallis. Norunt id omnes qui pectinem inſtrumentis muſicis tractandis aptum ſemper eodem pollice comprimunt.

His enim antè menſem exactum callus in parte naſcitur, & quidem eò citiùs, quò cutis ipſa anteà mollior fuit : hinc quaſi neceſſariò ad plantam pedum, quò præſertim fortiùs pes terram contingit, exoriuntur calli; ita ut nudipedes jam poſſint poſt toleratum diù talem inceſſum ſuper carbones accenſos illæſi incedere; aut qui manibus diù duriora tractavêre, ferrum ſimili ſecuritate candens attingunt, ita ut ex eorum manibus nidor cornu peruſti nares adſtantum feriat, ipſis nil ſentientibus, ut annotabat Boerrhaavius in iis qui anchoris cudendis Amſtæledami navant operam. Scilicet ad gignendum callum fortiter appreſſa epidermidis lamella, jam in ſcobem & lemas abitura, naſcenti aliæ affigitur, ſolideſcit ſimul, perſpirationi exitum præpedit, conglomeratur in parte humor. Fit tumor qui, ſive latus ſit, ſive in formam clavi conſtitutus, innocuè reſcindi poteſt, & nulla poteſt concitare ſymptomata, ſi exceperis illa quæ à compreſſione naſci potuêre. Verùm in pedibus compreſſio illa ſummè notabilis eſt. Hinc verno potiſſimùm tempore, quo tempore ſanguis & ab eo enati humores rareſcunt & expanduntur, fit aliquandò expanſio ad pedum plantas quæ cùm ob callum dilatari & impulſui cedere nequeant, inflammantur illæ. Idem etiam accidit pro variâ barometri altitudine, ita ut qui per ſe macilenti ſunt, & callis vexantur, compreſſione inter callos & perioſteum natâ, temporum varietates miſerè præſagiant. Idem accidiſſe memini fabro ferrario qui ex inopiâ & laboribus exercitatâ vitâ ad ſubitas opes inopinatâ hæreditate pervenerat. Ubi enim à laboribus ceſſatum eſt, intumuêre ſub callis manûum vaſa, & antequam calli iſti abierint, ipſi plures per menſes phlogoſi perpetuâ vola manûum allaborabat. Continebatur enim per labores perpetuos expanſio vaſorum, & cellularum manûs expanſio, quibus ceſſantibus, ferebantur impetu libero liquores in compreſſionem calloſam, eamque deſtruebant ſenſim.

Curatio ergo callorum atque clavorum duplici indicatione conſtat. Molleſiant illi, ut compreſſionis effectus tollantur. Dein lentè, cautè, & per partes abſcindantur. Nec ad vivum uſque exſcindantur, ne dolor inflammationem proritet, & ſuppurationem, cui ſanandæ reliquiæ calli, quas radices imperiti vocant, eò quòd aliquandò ligamentorum formam rēferant, obſtaculum imponerent.

Accidit aliquandò ut compreſſio inflammationem concitet,

hæc verò ſuppurationem, cui malo impoſuit Guillelm. de Saliceto, nomen *bagantias*, aſperum tractatu affectum & cicatriſatione difficilem. Nec priùs enim ſperanda cicatrix, quin pars terrea, calloſa, deſtructa fuerit. Malum hoc pultibus & cataplaſmatibus emollientibus avertes. At lac aceſcens, cùm terram animalem per ſe adoriatur, mollificandis iſtis callis quantùm efficaciæ afferat norunt Chemici. Imò & acetoſa, ſuccus citri, acetum callum etiam deſtruunt, ejus naturam mutando, quem contrà indurant ſpirituoſa omnia. Sæpè accidit ut in exſcindendo callo, guttæ aliquot ſanguinis, etiam ſine doloris ſenſu, excidant. Ceſſandum ab opere. An à reticulari textu Malpighii & ſubjectâ cute inter calli creſcentis vacua vaſculum protractum eſt ? Aliquandò dolor acer exoritur, ſine ullo ſanguinis effluxu, tunc certè nervulus aliquis extitit, & callus verè verrucoſus vocandus erat.

FINIS.

INDEX RERUM.

A

Abscessus critici corpus à ſordibus ſæpè liberant, 23.
Abſorbentia repellentibus ſæpè jungenda, 164. Maximè laudantur in curatione cruſtarum infantilium, 119. Quænam palmam præripiant, 120. Maximè commendantur in favorum curatione, 440.
Abſorptio partium putridarum & volatilium favet morborum cutaneorum generationi, 35.
Acarus vix aliquam meretur attentionem, 569.
Aceti uſus noxius eſſe poteſt in lotionibus ad tineam, 476.
Achores quid ſint, 435; ad κηρίον veterum referuntur, 435. Depuratoria ſunt ulcera, 436. In quo differunt à favis, *ibid.* Quo tempore erumpunt, 436. Fiunt cum capillorum defluvio, aliquando capillis remanentibus, *ibid.* Sunt tumores mucoſi, 439. Sunt malum à ſuperfluâ pendens lymphâ, 440. Sæpè naſcuntur à cruſtis lacteis, 446. Prognoſis, 438, 439. Repercuſſio periculoſa, 440. In achoribus ſanandis quænam indicatio, 439. Curatio, 440.
Acida ſtygia cellulas cutis contrahunt, 10. Acidum prædominatur in infantibus, 103. Acidi ſuſpicio lac interdicit, 147. Acidi virulenti præſentia præcavenda ſemper in infantibus, 278.
Acidi debilitati uſus infauſtus in ſanandâ ad anum fiſtulâ, 10. Acidorum actio repetita in cute viventi, *ibid.* Effectus in cutem, 488. In humorum mucoſâ mole, 439. Phœnomena varia pro acidi varietate, *ibid.* Largus potus papulas ſanat ab eſu hepatis piſcium ortas, 132.
Acre humanum quid ſit, 58. Illiûs origo, *ibid.* Odor, *ibid.* Effectus. *ibid.* In adultis facilè fertur ad glandulas, in ſenioribus rhumatiſmorum varia producit genera, *ibid.*
Acre pingue quid ſit, 62. Ulcera producit, *ibid.* Quænam ſint, *ibid.*
Acre lacteum quid ſit, 60.
Acre morbilloſum quid, 63. Illiûs natura, *ibid.* Pectori & oculis infenſum eſt, *ibid.* Seroſum duobus medicamentorum generibus debellatur, 146. Varioloſum quid ſit, 62. Extraneum fermentum eſt, *ibid.* Materiem mucoſam adoritur & immutat, *ibid.* Venereum quid, *ibid.*
Acredo duplici de cauſa innaſci poteſt, 54. Quænam ſint cauſæ illæ, 54, 55.
— Alkalina intra humores effectus ſuos edere non poteſt, 57. Lactea differt à cæteris acredinis ſpeciebus, 61. Muriatica in ſanguine dominatum obtinere non poteſt, 57. Mucoſa aliquid de fermentativo *gas* dicto ſibi vindicat, 59. Numeroſam morborum cohortem generat, *ibid.* Multùm diſcriminis importat herpetibus ulceribuſque cutaneis, *ibid.*
Acredinis acidæ effectus in tenellis infantum corporibus, 437.
Acredinis mucoſæ effectus in corpore, 437. Exiſtentia multis probatur phœnomenis, *ibid.* Acredinis mucum inficientis diagnoſis, 143.
— Genus omne per ſpecifica oppoſita vinci poteſt, 127.
— Tenuitati ſeri conjunctæ curatio, 144.
Acres cibi herpetum genus quodvis efformant, 39.
Acria vitanda in morbis cutaneis, 38. In lichenum curatione nocent, 248. Non ſunt applicanda in curatione cruſtarum lactearum, 447. Mortem & convulſiones acceſſunt, *ibid.*
Acridophagos ab Æthiopibus parum differre narrat Diodorus Siculus, 575.
Acrimonia muco inſita non ſemper poteſt ad cognitum genus referri, 269.
Acrimoniæ remedia vel univerſalia ſunt, vel ſpecifica, 454.
Acrochordon quid, 540.
Acrothymicum quid, 540.
Adeps cuti ſubjectus partem ſenſilitatis detrahit, 26.
Aer epidemicas concitat labes, 31. Epidemicam cuti diſpoſitionum affert, *ibid.* Maximas partes habet in promovendis morbis cutaneis, 33. Cauſarum morborum cutaneorum primam claſſem conſtituit, 37. Cœnoſus veterum qualis, 381. Frigidus & humidus morbis herpeticis anſam præbet, 313. Vitandus in curatione lepræ Græcorum, 371.
Aeris conditio non tantùm morbis chronicis, ſed etiam acutis inducendis apta, 359.

Aeris nimiùm pellucidi Gallice *le hale* effectus in cutem, 504.
Aetius de uſu cantharidum in lichenibus excoriatis ſcripſit, 436.
Affectus à ſanguine pendentes aliquid phlegmonoſi ſemper ſecum ferunt, 51. Animi, cutim conſtringunt, 25. Cuti labem peſſimam inurunt, 44. Herpetes, eryſipelata & maculas flavas procreant, *ibid.* Animi triſtes perſpirationem cohibent, *ibid.*
Affectus cutanei capitis calvitiem inducere valent, 599.
Affectibus capitis interioribus ſæpè profuit externa veſicantibus irritare, 628.
Affectus cruſtoſi lactei infantum quid, 270. Quo tempore erumpant, *ibid.* Cauſæ, 271, 273. Diagnoſis, 273, 274. In diagnoſi odor maximi eſt momenti, 274. Prognoſis, *ibid.* Huic maximè conferunt cruſtarum illarum natalia, 275. Duplex periculi genus importare valent, *ibid.* Exitus plurimùm periculi affert, 276. Hujus ſequelæ, *ibid.* Retropulſio maximè periculoſa fit in more acuti morbi, *ibid.* Hujus ſequelæ, *ibid.* Curatio, *ibid.* Plurimæ dantur differentiæ, *ibid.* Duplicem complectitur indicationem, 277. Circa hanc plurimæ quæſtiones oriuntur, 278. Tempori dandum quod efficaciæ detrahitur, 279. Sæpè profuit victûs mutatio, 280.
Affectus cruſtoſi lactei puerperarum quid, 281. Quinam ſint, *ibid.* Cauſæ, 282. Alii acuti ſunt, alii chronici, *ibid.* Chronici duplicis ſunt generis, *ibid.* Horum ſymptomata, *ibid.* Diagnoſis, *ibid.* Prognoſis, *ibid.* Acutorum diagnoſis, 283. Prognoſis, *ibid.*
Affectûs cruſtoſi lactei hiſtoria ſingularis, 284, 285. Curatio, 286. Exercitium tunc maximè prodeſt, *ibid.* Diæta tenuis imperanda, 287.
Affectus cutis oriuntur ferè omnes à perſpirationis vitiis, 47.
Affectûum cutis ulceroſorum differentia, 267. Subſtantiam cutis non tranſgrediuntur, *ibid.* Signa diagnoſtica, *ibid.*
Affectus cutis faciei vel univerſales ſunt, vel particulares, 632. Cauſæ, 631. Horum in effectibus duo ſemper notanda ſunt, *ibid.* Horum curatio, *ibid.*
Alexander Maſſarias aceto utitur pro univerſali topico, 476.
Alexander Trallianus fecit mentionem de vermibus aurem occupantibus, 455. Abſtergentia remiſcet abſorbentibus in curatione porriginis, 459.
Alimenta acria atque piperata ariditatem cutis procreant, 498.
Alimenta farinoſa non benè fermentata infantibus nociva, 280. Alimentorum malè concoctorum effectus in infantibus, 272.
Alipenſium puſtula quid, 36.
Algæ uſus commendatur in tabis glandularis curatione, 653.
Alkalia cutis cellulas contrahunt, 10.
Allium theriaca ruſticorum vocatur, 328. Uſus fætorem inducit axillis, 657.
Alopecia quid, 604. Pro ſymptomate habenda, 605. Exemplum allatum ab auctore, 605. Alopeciæ curatio, 606.
Alphos quid, 92. Tres dantur ſpecies, *ibid.*
Alphus genus morbi conſtituit cujus ſpecies ſunt melas & leuce, 351. Vide *Vitiligo.*
Aloes intrà cauterium admiſſum febrem pluries concitavit, 557.
Aloetica hæmorrhoïdes aperiunt, 155.
Alterantia medicamina maximas partes agunt in curatione ſcabiei veteris, 238.
Alvus in infantibus centrum præbet à quo & in quod omnia confluant corporis excrementa, 411. Libera maximi momenti in curatione guttæ roſeæ, 644. Alvum laxandi neceſſitas in noſtris oris, 257.
Alumen uſtum quandò adhibendum in morborum cutaneorum curatione, 164.
Angina periculoſior illis qui rufis donantur capillis, 72.
Anginoſi morbi periculum portendunt rufis, 537.
Animalia ferè omnia halitus acres emittunt, 554.
Animalium halitus poſſunt inurere pruritum, 553.
Animalia duplici agendi normâ cutim attingunt, 555.
— Dantur quæ ſolâ veneni applicatione, aut attactûs vehementiâ nocent, 558. Afferuntur exempla, 559. Animalium morsûs actio in cutem, 560. An ab irâ aliquid mutuentur non cenſet auctor, *ibid.* Inflammationes concitant notabiles, *ibid.* Aliquandò in phlegmonem vertitur impreſſio, *ibid.*
Animi labores inter cutis morborum cauſas recenſentur, 43. Coctionibus nocent, *ibid.*
Anthraces ad cutaneos morbos non referuntur, 32. Inter depuratorios morbos numerantur, 167.
Antiſcorbutica fortiora herpetes aliquoties procreant, 40. — Tonicâ facultate non fraudantur, 324. Multùm proſunt in pernionum curatione, 664. Commendantur in laxitate cutis, 515.

Antimonium.

Antimonium ſimplex præſtat omnibus præparatis antimonialibus, 330.
Antimonium crudum laudatur in curatione guttæ roſeæ, 645. Antimonii agendi modus, 153. Variæ præparationes, 330. Virtus emetica ſervatur à ſalibus quibuſlibet, 331. Non optimos ſortitur effectus in curatione elephantiaſios, 387.
Antimonium ſolvens de Rotrou, prodigii inſtar agit in curatione ſcrophularum, 140.
Antimoniale vinum præſtantiſſimum remedium ad omnia cutis fluentis ulcera, 331.
— Commendavit Huxham, *ibid.* Non omnibus in caſibus competit in tineæ curatione, 475.
Antimonialia medicamenta laudantur in curatione morborum cutaneorum à lacte, 136. Adhibere in tineæ curatione non inutile, 472. Sulphurea ignis ſilveſtris recidivas præcavent, 412. Perſpirationem augent, *ibid.* Horum uſus maximè extenſus ad herpetes ſanandos, 330.
Antimonialia quandò adhibenda in ſcabiei curatione, 240. Salina ſecundum locum obtinent inter reſolventia, 163.
Antimoniales tincturæ non ſpernendum offerunt medicamentum, 331.
Aperientia conducunt ſub finem cutaneorum morborum à lacte, 287. Proſunt in ignis ſacri curatione, 408.
Apes Cretenſes famoſæ apud antiquos, 563. Apum puncturarum indoles, *ibid.* Phœnomena, *ibid.* Curatio, *ibid.*
Aphtæ inter cutis morbos numerantur, 32.
Apoplexia oritur ab hæmorroidibus ſuppreſſis, 49.
Applicata quæ cuti nocent duplicis ſunt generis, 65. In ipsâ nata, & adventitia, *ibid.* Adventitiorum modus agendi, 66.
— Externa triplicis ſunt generis, 67.
Applicationes compoſitæ inſufficientes in herpetum curatione, 320.
Aqua ſola & ſimplex non ſatis liquoribus noſtris adhæret, 502. Aquæ potus puſtulas ſanavit, 261.
Aqua calcis ſecunda maximè proficua in curatione cruſtarum infantilium, 120. In curatione morborum cutaneorum à lacte, 136. Laudatur ad lotiones faciendas in tineæ curatione, 476. In curatione vappiditatis limphæ, 653.
Aqua ſalſa remedium adverſus hirudines voratas, 565.
Aqua vegeto-mineralis in caſibus depuratoriis periculo non vacat, 453. Cutem indurat, 488.
Aquæ crudæ ſeleniticæ ſcabiem inducere valent, 229.
Aquæ minerales laudantur in curatione acredinis, 145. In curatione craſſitiei muco ſpecificæ, 144. Præſtantiſſimum ſæpè diaphoreticum conſtituunt, 338. Maximi momenti ſunt in curatione guttæ roſeæ, 645. In herpetum curatione, *ibid.* Duplicis ſunt generis, attenuantes aliæ, aliæ purè roborantes, *ibid.* Alkalinæ acres laudantur ſub finem curationis morborum cutaneorum à lacte, 137. Minerales purgantes maximè conducunt in curatione intertriginum, 454. Bituminoſæ commendantur ſub finem curationis cutaneorum morborum depuratoriorum, 130. Martiales acidulæ laudantur in curatione ſcabiei inveteraſcentis, 239. Salinæ ſulphureæ præſtant ſub finem curationis tineæ, 478. Selteranæ proficuæ in curatione morborum cutaneorum à lacte, 136. Aquarum ſtygiarum actio in cutem, 530.
Aquæ thermales palmam præripiunt in curatione eryſipelatis, 206. Papularum, 219. Unicum ſæpè conſtituunt topicum in ſcabiei inveteraſcentis curatione, 238, 239. Loci *le Port à Piment* piano ſanando aptæ, 395. Aquas minerales æmulari datur arte nondùm ſatis vulgatâ, 369. Aquarum mineralium uſus puſtulas prurientes ſubitò extulit, 64.
Aranearum puncturæ cujus ſint naturæ, 563. Morſus inter cutis morbos numeratur, 564.
Araneam in vino, vel aquâ hauſtam ut venenum deſcripsêre auctores quidam, 564. Apud nos nullam noxam infligunt hominibus, *ibid.*
Arcanum duplicatum laudatur in morbis cutaneis à lacte, 287.
Areæ quid, 604. Harum figura incondita eſt, *ibid.* In quo differant à pilorum defluvio & calvitie, *ibid.* Cauſæ, 604. Sunt ſymptomata potiùs quàm morbus, *ibid.* In infantibus faciliùs ſuccreſcunt, faciliùs curantur, 605. Curatio, 606.
Ariditas cutis quid, 497. Duplex eſt, idiopathica & ſymptomatica, *ibid.* Symptomatica quid, *ibid.* Idiopathica eſt ne morbus ſui generis, 498. Huic nihil magis confert quàm vigiliæ nocturnæ, *ibid.* Cauſæ, *ibid.* Harum quatuor recenſet Galenus, *ibid.* Hujus phœnomena, 499. In viris, *ibid.* In fœminis, *ibid.* Sejuncta ſpectari non poteſt, 500. Diagnoſis, *ibid.* Prognoſis, 501. Curatio, *ibid.*

Aromata oleo eſſentiali turgida morbis cutaneis anſam præbent, 40.
Aromatica acria ſale animali onuſta cutaneorum morborum generationi maximè favent, 42. Unctuoſa laudantur in curatione alopeciæ, ophiaſios & arearum, 606.
Arthritis hereditaria in ſecundo natorum ordine reſumit arthritidos caracterem, 64. Sanata per fluentia ulcera mucoſa, 59. Eryſipelati ſuperveniens viſa ab auctore, 198. Vehemens canitiem accelerat, 602.
Aſperitas cutis omnibus herpetibus communis, 299.
Aſtringentia non apponenda in herpetis miliaris curatione, 346. Exulent à curatione alopeciæ, ophiaſios & arearum, 607. Styptica commendantur à veteribus in pernionum curatione, 663.
Aſtringentia ad favum debellandum ſuadet inconſultè Aetius, 436.
Aſtruc de malo mortuo fusè loquitur in tractatu de Tumoribus, 396. Optimè intellexit guttam roſeam, 640. Tres diſtinxit ſpecies, *ibid.*
Aſylus quid, 561.
Atheroma quid, 85.
Atheromata naſcuntur à textus cellularis induratione, 47.
Athmoſphæra quid ſit, 33. Hujus varietates favent generationi morborum cutaneorum, 34.
Atrabilis ad cutem depoſita quid faciat, 51. Inter acredines bilioſas locum primum occupare debet, 52. A bile naturali abludit, *ibid.* A cauſis prorsùs diverſis pendet, *ibid.* Quid faciat, *ibid.*
Attenuantia univerſalia nulla dantur, 152. Non conducunt, niſi corporibus ritè præparatis, 153. Interpolari debent purgantibus, 154. Cum purgantibus mixta ingentis ſunt momenti in herpetum curatione, 336.
Avicennas ſalacitatem inſolitam in viris ab elephantiaſi naſci incuſat, 378. Narcotica ſuadet in plantæ nocturnæ curatione, 426.
Auripigmentum ſuſpectum jure remedium, 476.
Aures ſuppurantes morbum conſtituunt, 455. Illiûs morbi variæ dantur deſcriptiones, *ibid.* Magis familiares feminis & pueris, 456. Rariùs fluunt in ætate provectâ, *ibid.* Facilè in juvenibus & feminis omni generi morborum cutaneorum patent, 458.
Aures ſanguineas ut morbum vulgarem annotavit Paulus Ægineta, 455.
Aurium morbis quinam magis obnoxii, 456. Fluxum cohibere periculoſum, 457. Curatio ad morborum cutaneorum curationem ablegandа, 458.
Axillæ humorem fetidum emittunt, 19.

B

BALECHIA ulcera quid, 352, 430. Referuntur ad lupoſos tumores, *ibid.*
Balnea omnibus cutis morbis præludere debent, 147. Univerſam ferè indicationem efficiunt in curatione lepræ Græcorum, 369. Noxia in cujuſdam virginis cutaneo morbo, 491. Nedum cutim laxent, dolorem concitarunt in feminâ, 513. Laudantur in pedicularis morbi curatione, *ibid.* Ex aquis mineralibus commendantur ſub finem morborum cutaneorum depuratoriorum curationis, 130. Ex aquâ puteali cutim indureſcunt, 487. Medicata quomodò agant, 146. Ex thermis bituminoſis maximè proficua in herpetum curatione, 341. Ex ſolutione ſublimati corroſivi ad herpetum magis quàm ad luis venereæ curationem accommodata, *ibid.* Hepate ſulphuris imbuta agunt in colorem cutis, 488. Solutionum metallicarum noxia, 489. Frigida quandò nociva, quandò utilia in infantibus, 122. Frigidiora affectûum cruſtoſorum prophylactica, 277. Maximè proficua in laxitate cutis conſtitutivâ, 515. Sulphureo-ſaponacea conducunt in cutis craſſitiei curatione, 493. Tepida domeſtica laudantur maximè in curatione papularum, 218. Sæpè herpetes abſtulerunt, 327. Inter topica remedia recenſentur in herpetum curatione, 341. Suadentur in elephantiaſios curatione, 388. Maximè præſtant in mali mortui curatione, 400. Laudata in curatione plantæ nocturnæ, 426. In curatione intertriginum, 454. Unctuoſa maximè proſunt in ariditate cutis, 487. Vaporum proficua in ſanandâ cutis craſſitie, 492.
Balneorum effectus in curatione morborum cutis, 140. Uſus principem ſibi locum vindicat in eryſipelatis curatione, 205. Maximè laudatus in curatione guttæ roſeæ, 647.
Balneum ex aſinino lacte olim commendabatur adversùs rugas, 496.
Balſama inter reſolventia non admittit auctor, 160.
Barba apparet tantùm iis quibus teſtes liquorem ſeminalem ſecernunt, 598.
Baron ſuadet ut bezoar minerale, antimonium diaphoreticum abjiciantur è praxi, 331.

Barregienſium aquarum uſu morbos cutaneos ſanatos referunt Bordevii, 388.
Bartholinus auctor eſt cornu ſuccreviſſe in fronte mulieris, 518.
Baſia fetida cutim contaminant, 22. Baſiationes ſordidæ igni ſilveſtri anſam poſſunt præbere, 410.
Baſilius Valentinus antimonium tranſtulit à morbis cutaneis animalium ad humanos uſus, 330.
Batæana pharmacopæa remedia periculoſa commendat in herpetum curatione, 321.
Beaumé pilulas Belloſti publici juris fecit, 336.
Belloſti pilulæ laudantur in herpetum curatione, 336.
Bellot D. M. P. febrim Morinorum deſcripſit, 170.
Betæ foliorum applicatio laudatur in favorum curatione, 441. Proficua in curatione cruſtarum lactearum, 447.
Bilis retenta maculas ad cutim efficit, 51. Ubi corrumpitur, puſtulas procreat brevì in gangrænam degeneres, *ibid.* Acredinis varietas differentiam importat inter varias puſtularum ſpecies, 52. Bilis varias ſpecies benè diſtinxerunt antiqui, *ibid.* Tardiùs effluens lichenes efformat, 251. Reſorpta puſtulas producit, 261. Corrupta ab antiquis pro causâ herpetum habebatur, 323. Virideſcens in infantibus quodnam vitium exprimat, 437.
Bilioſæ puſtulæ quid ſint, 258.
Blattæ plus veſtibus quàm cuti infenſæ, 569.
Boerrhaavius optimè diſſeruit de acredine ſanguinis & limphæ, 57. Narrat dari imbres qui veſtes putrefaciant, 573. Dicit omnes homines ſuo lacte vivere, 60.
Borellus ſuaſit curationem chirurgicam crinonum, 585.
Bothor quid, 224.
Bourbillon quid, 418.
Bourru D. M. P. theſim propoſuit *an pili plantæ*, 12.
Brancæ-urſinæ decoctum laudatum in curatione plicæ Polonicæ, 617.
Braſſicæ foliorum applicatio proficua in curatione cruſtarum lactearum, 447. Efficacia laudata in cutis maculis, 506.
Brisbane corticem Peruvianum præſcribit leproſis, 475.
Britannia minor fœdioribus morbis cutis contaminatur, 364.
Britones noſtrates cutaneis morbis obnoxii, 35.
Bubones differunt à furunculo, 416.
Bufo noſtras vividam infert inflammationem cuti, 559.
Bulbi capillorum ſuppuratione deſtruuntur, 448.
Butyrum recens ſalſum nocet in curatione lactearum cruſtarum, 447.

C

Caffé potus ariditatem cutis importat, 498. Quibuſnam conducat, 511.
Calces metallicæ ſæpè præferuntur aliis abſorbentibus, 120. Cujuſnam ſint virtutis, 153.
Calcis præparata omnia conveniunt in tineæ curatione, 476.
Callus quid, 20. In ſtatu naturali nullus eſt, *ibid.*
Calli quid ſint, 69. Origo, *ibid.* Quibuſnam in locis naſcantur, *ibid.* Pedum quomodò diſtinguantur à ſcirrhoſis tumoribus, 668. Horum cauſæ, *ibid.* Diagnoſis, *ibid.* Prognoſis, *ibid.* Callorum generatio quomodò fiat, 669. Curatio, *ibid.* Sequelæ, 670.
Caloris actio exanthemata producere poteſt, 528.
Calvities quid, 596. Hujus cauſæ, 597. Præternaturalis quænam, *ibid.* In quo differat à capillorum defluvio, *ibid.*
— Palpebrarum quid, 620. Cauſæ, *ibid.* Tineæ ſequela, 477. Immedicabilis quænam ſit, 599. Ab inſolatione ſæpè repetit originem, 600. In viris à quânam oriatur causâ, *ibid.* Retardari quânam arte poſſit, 603.
Camphora laudatur in igne perſico, 415. Hujus uſum commendat Ballonius in curatione ſcabiei, 234.
Canities quid, 596. Seminis jacturam ſequitur, 598. Cauſarum indagatio non facilis, 600. Canitiei cauſa proxima ignoratur, 601. Cauſa non inevitabilis eſt ſenectus *ibid.* Canitiei concitandæ aptæ cauſæ tres dantur, *ibid.* Gradus diverſi, 602. Ingruentis tempus diverſum in diverſis hominibus, *ibid.* Canitiem remediis tentare omninò abſurdum, 603.
Cantharides ad uterum irritandum ſuaſit Hippocrates, 317. Validiſſima conſtituunt remedia apud Anglos adverſus morbos cutaneos, 364.
Cantharidum tinctura viperæ uſum ſupplere poteſt, 333. Uſum internum commendavit Hippocrates, *ibid.* Tinctura plenariam curationem ſpondere valet in elephantiaſi, 388.

Efficacia ſuſpecta, 407. Datur exemplum, *ibid.* Actio in cutem, 557. Nocumenta, 558. Actio peculiaris in veſicam, *ibid.* Quomodò impediatur, *ibid.* Applicatio eſcharas merè gangrænoſas ſæpè producit, *ibid.*

Capilli feminis longiores ob humidam temperiem, 14. Solidi & hirti in regionibus fervidis, 34. Rufis ſpecificus ineſt odor, 72. Tardius erumpunt in infantibus qui cruſtâ lacteâ laboraverunt, 446. Cani minus denſi ſunt, minus olidi, 601. Deficiunt rugoſis & annoſis, 596. Antè vitæ finem quandòque renaſcuntur, 604. Ut plurimùm favent perſpirationi, 626.

Capillorum rufus color quid indicet, 142. Impexa negligentia ficoſi tumoris cauſa, 427. Prolixitas cuinam ætati competat, 596. Diverſitas cutis diverſitatem notat, 535. Color flavus omnibus infantibus communis, *ibid.* Colores duo maximè notandi, *ibid.* Color niger quibuſnam proſapiis gentilitius, 536. Color in morbis non indifferens, 537. Defluvium à quânam causâ pendeat, 598. Ornamenta nociva, 627.

Capitis venæ meditantibus inflantur, 43.

Capucini cujuſdam hiſtoria, 572.

Carnes fumo & ſale induratæ cutaneis morbis favent, 41.

Caſtitas ſeverior puſtulas in cute producit, 45.

Cataplaſma è micâ panis & lacte prodeſt in curatione cruſtarum lactearum, 447.

Cathartica quandò aperientibus miſcenda, 128. Quandò conveniunt in curatione morborum cutaneorum non depuratoriorum, 154. In ſcabiei inveteraſcentis curatione, 238. Adhiberi debent in herpetum curatione, 334. Plurimùm important periculi, 335. Quænam cautelæ adhibendæ, *ibid.*

Cathartica methodus ſudoriferæ anteponenda in herpetum curatione, 336.

Catheretica uſurpata in crinonum curatione, 585.

Cauſtica admota cadaveri eſcharam inurunt, 530. Fugienda in curatione macularum cutis, 637.

Cauſæ omnes morbos omnes producere poſſunt, notante Hippocrate, 30.

Cauterium quandò utile in eryſipelatis curatione, 206. Quânam in ſpecie conveniat, 207. Ligni ſani ope factum levius, *ibid.* Inſtituendi variæ methodi, *ibid.* Quandò & quomodò inſtituendum in herpetum curatione, 319. Quo in loco inſtituendum, 325. Maximi momenti in curatione ignis ſacri, 407.

Cauteriſantia quid ſint, 67. Quomodò agant, *ibid.*

Cellularis textus cutis nervos, & vaſa firmat, 5. Hujus fabrica nondùm detecta, 6. Hujus cellulæ optimè deprehenduntur in cute recens puerperæ, 7.

Cellularis membrana cutis fons & origo, 3.

Celſus duas ficoſi affectûs ſpecies diſtinguit, 426. Inconſultè ſuadet aſtringentia adverſus favos, 436. Primus balnea nitrata commendat in ſcabiei curatione, 233. Aſtringentium in morbis cutis non parcus laudator, 459. Inter veteres facem præfert in herpetum curatione, 317.

Ceratum Galeni optimè medetur rhagadibus & fiſſuris, 453.

Cerium quid ſit, 432. Hujus ſedes, *ibid.* Deſcriptio, *ibid.* Duas ſpecies diſtinguit Celſus, *ibid.* In partibus piloſis eminet præcipuè, 433. Tubercula producit vulgò ſolitaria, *ibid.* Pilos barbæ rariores reddit, *ibid.* Perſtat plures per annos vultum infeſtans, *ibid.* In infantibus etiam reperitur, 434. In glandulis ſebaceis ſedem figit, *ibid.*

Ceruminis aurium uſus, 20.

Charas credit animalium morſus ab irâ aliquam veneni partem inſumere, 560.

Chambon cicatricem adhùc geſtat mali ad alepum contracti, 36. Auctori monſtravit vermem *macate* in ſpiritu vini ſervatum, 572. Sanavit vermes in ulceribus naſcentes, 582.

Chat marin, vide *Squalus Catulus.*

Cheilocace quid, 650.

Chegos quid, 571.

Chinæ decoctum multi pretii apud nos, 137. Maximè proficuum ſub finem curationis ſcabiei inveteraſcentis, 239.

Chique quid, 571.

Cicatrix pilos non profert, 598.

Cicutæ extractum laudatur in ſcrophularum curatione, 140.

Cibi morborum cutaneorum cauſa, 37. Horum copia puſtulas procreat, 38.

Cichoracea omnia laudantur in guttæ roſeæ curatione, 644.

Cimices non uni ſpeciei addicti ſunt, 568. Horum puncturæ effectus, *ibid.* Sanguinem evidenter exſugunt, 569. Quomodò deſtruantur, *ibid.* Phaſeoli folia maximè appetunt, *ibid.*

Climatitis effectus in cutem, 556. Quomodò ſanentur, *ibid.*

Cocchi ſolo vegetantium victu infantes à morbis cutaneis liberos teſtatur, 42. Elephantiaſim ſanatam eàdem methodo docet, 385.
Coctio alimentorum prava morborum cutaneorum origo, 42. Nitorem cutis peſſumdat, *ibid.*
Collyria adverſus ulcera palpebrarum, 624.
Combuſtiones epidermidis vinculorum tenuitatem demonſtrant, 6.
Comedones, vide *Crinones.*
Commercia impura cutem ſummè contaminant, 22.
Concubitus turpes cutim vitiant, 45. Seniles cutem puellarum contaminant, *ibid.*
Condimenta intertriginum curationi nocumentum maximum afferunt, 452.
Conſtringentia cutis quænam ſint, 67 Horum phœnomena, *ibid.* Uſus damnandus, 68.
Convulſiones à dentitione rachitidem ſæpè produxêre, 139. Promoventur in infantibus mercurialium uſu, 441.
Corniculam enatam ad frontem exſcidit Veſlingius, 918.
Cornu pro fæcunditatis ſigno aſſumptum, 516. Pro roboris ſymbolo, *ibid.* Cornu in integris oſſibus nati mentionem fecit Fallopius, 517. Adnaſcentis poſt morbum exemplum notabile, 518. Cornu in fronte mulieris ſuccreviſſe auctor eſt Bartholinus, *ibid.*
Cornua an inter monſtroſa phœnomena, an inter ægritudines ſint numeranda? *ibid.* Nunquam vidit auctor, 520.
Cornutam puellam deſcripſit Hildanus, 516. Virginem à ſe ſanatam narrat Ingraſſias, 517.
Cornutorum hominum vix mentionem fecere Græci, *ibid.* Exempla, 518.
Cornutas hominum frontes non adeò raras teſtantur auctores, 518.
Cornutos equos depinxit Wormius, 519.
Cornuum in hominibus enatorum cauſa, 516. Vitulinorum ad inſtar ſuccreſcunt ſæpè tumores, 517. Exemplum in virgine quadam, *ibid.* Ad medelam quid neceſſarium, 520.
Corium cutis prima pars eſt, 3.
Coria animalium facilè vertuntur in gluten, 10.
Coriis animalium ſeſe alere dura coegit neceſſitas, 10.
Coriariorum artificia cutis fabricam demonſtrant, 10.
Coriza ſimplex frequens morbus, 132. Quibuſnam magis familiaris, *ibid.* Quomodò curetur, *ibid.*
Corpus in duas partes dividitur ad ſenſum Hippocratis, 21.
Cortex Peruvianus cæteris antiſepticis palmam præripit, 415. Rejiciendus in herpetum curatione.
Corybantiſmus quid, 622. Morbus pueris peculiaris, *ibid.*
Couperoſe, vide *Gutta roſea.*
Crabæ quid, 293. Duplicis ſunt generis, *ibid.* In quo diſcrepant, *ibid.*
Craſſities cutis quid, 485. Cum lichenibus confudiſſe videntur veteres, *ibid.* Duplex ſpecies, *ibid.* Acuta & chronica, 486. Utraque ab inſolatione oriri poteſt, *ibid.* Cauſæ, 489. Curatio duplex, 491. Quænam in acutâ, *ib.* In chronicâ, 492. Duplex eſt, interna & topica, *ibid.* Topica, *ibid.* Interna, 493.
Craſſitiei cuti inductæ exempla à Diemerbroeckio relata, 490. Exemplum in juvene, 491. In virgine in quâ ſenſum amiſerat cutis, *ibid.*
Craſſitiei muco ſpecificæ curatio, 143. Duplex indicatio adimplenda, 144.
Crinones quid, 581. A quo fuſiùs deſcripti, 582. Eorum natura, *ibid.*
Crinones inter morbos cutis recenſendi, 583. Horum ſymptomata, *ibid.* Diagnoſis, *ibid.* Prognoſis, *ibid.* Curatio, *ibid.* Polyporum aquatilium naturam ſervant, 584.
Crinonum curationis ſub finem lac caprillum maximè confert, 586. Narcotica conferunt, 584. Curatio chirurgica, *ibid.* Hanc ſuaſit Borellus, 585. Quænam diæta conveniat, *ibid.*
Criſes cutaneorum morborum unâ vice apparentes raro perfectæ ſunt, 176.
Criſtalli ſalinæ ad cutem narium ortæ, 41.
Croiſſances quid, 649.
Cruditates putidæ inter elephantiaſios cauſas numerantur, 381.
Cruſta in ulceribus emplaſtrorum vices gerit.
Cruſta lactea infantum quid, 445. Pruritum concitat, *ibid.* Duplex hujus origo, *ibid.* Duplex ſpecies, *ibid.* Prior à nimiâ alimentorum copiâ oritur, *ibid.* Poſterior à nutrice, vel ab innato vitio, 446. Utriuſque phænomena, *ibid.* Coagulatur cum acidis, *ibid.* Aliquandò vermibus nidum præbet, 446. Quibuſnam potiſſimùm infantibus competat, 104. Curatio, 447. Diæta tenuior nutrici imperanda, *ibid.*
Cruſtis lacteis ſuppuratio ſupervenire poteſt, 446.
Cruſtæ infantiles inter depuratorios morbos recenſeri poſſunt, 104. Horum cauſæ, *ibid.* Prognoſis, 103. Varia pro vario tempore,

ibid. Curatio, 118. Vel interna, vel externa, *ibid.* Externa, *ibid.* Interna, 119. Topica aſtringentia fugienda ſunt, *ibid.*

Cruſtoſa diatheſis corporis infantum quid indicet, 275.

Culex niger quid, 568.

Culices quibuſnam in regionibus frequentiores, 566. Culicum in omnibus ſpeciebus forma nocendi eadem, 567. In cutem effectus, *ibid.* Morsûs diagnoſis, *ibid.* Prognoſis, *ibid.*

Cutis morborum plurimorum ſedes, 1. Corporis humani involucrum, *ibid.* Facilè reparabilis, *ibid.* Organum quoddam conſtituit, 2. Vario colore inſignitur, *ibid.* Latentis animi affectus prodit, *ibid.* Origo, 3. Formatio, *ibid.* Structura, 6. In duas partes non dividitur, *ibid.* Fabrica optimè deprehenditur in cute recenti puerili, 7. Cellularis eſt, *ibid.* Omnia puncta celluloſa videntur, 8. Ad uſque adipem ſecta cruorem emittit, *ibid.* Fabrica demonſtratur ex morborum phœnomenis, 9. In cadavere, *ibid.* Nec tendineas, nec muſculares habet fibras, 10. Partes habet eſſentiales, 11. Accidentales, *ibid.* Hujus fabrica differentias habet duplicis generis, 17. Diverſa pro ſexûs diverſitate, 18. Pro ætate, *ibid.* *tis* nitida maximè in juvenibus, 19. Abdominis maximè extenditur geſtationis tempore, 20. Ad ſe redit exacto partus tempore, *ibid.* Non æquè extenſilis in omnibus cutis partibus, *ibid.* In duas partes dividitur, *ibid.* Uſus, 21. Lacti organum præbet, *ibid.* Avidè combibit aliena in aere circumvolitantia, 22. Univerſale corporis emunctorium, 23. Conſtringi poteſt ſine muſculorum ope, 25. Deturpatur puſtulis, immiſſo intrà ventriculum corpore irritante, 26. Pars tantùm organica corporis, 28. Tegumentum univerſale, *ibid.* Emunctorium eſt tenuiſſimorum excrementorum, 29. Inficitur ſæpè à vitio in intimis corporis penetralibus nato, *ibid.* Plectitur crimine laborantis ventriculi, *ibid.* Patet maximè cauſis morborum incurrentibus, 30. Morborum cauſa determinans ſæpè ſimpliciſſima, 31. Fit atrox complicatione, *ibid.*

Cutis & oculorum morbi frequentiores in locis in quibus coacervantur ſordes & gypſus eruitur, 35. Fœdata autumno & verno tempore; hyeme & æſtate nitida eſt. Summè nitet mulieribus, 43. Affici poteſt ab humoribus omnibus retentis, 46. In ſuâ origine tota muco conflatur, 54. Suam peculiarem ſympatheiam obtinet; 64. Quomodò maculari poſſit, 87. Vitia quomodò dignoſcuntur, 93. Quo tempore magis vitietur, 105. Quâ ætate minùs, 106. Raro fœdatur antè primarum dentium eruptionem, 117. Fœdatur ſæpè in lactentibus, mutatâ nutrice, 119. Quandò vitiatur fauſto omine, 121. Cutis infantis viſcoſa ad tactum reperitur, 271. Diverſimodè vitiari poteſt, 480. Functiones diverſæ ſunt pro vario rerum non naturalium influxu, *ibid.* Differentiæ, 481. A primævâ origine diverſas accipere poteſt varietates, *ibid.* Coloris differentiæ undènam, 481. Senſibilitas tenuitati ſemper proportionalis, 482. Cutis fœminarum marium cute tenuior eſt, *ibid.* Denſa perſpirationis libertati obſtat, *ibid.* Laxa prodeſt, *ibid.* Plus juſto denſata abundantiam humorum inducere poteſt, 483. Subitò denſata acutè conſtituit malum è graviſſimorum genere, *ibid.* Phœnomena, *ibid.* Curatio, *ibid.* Solvitur per ulcera achoroſa, 484. Denſata ſine ullo alio morbo rariſſima, *ibid.* 485. Lentè & acutè malum è chronicorum genere, 484. Phœnomena, *ibid.* Curatio, *ibid.* Omnia arte peragenda, *ibid.*

Cutis induratæ ab exſiccatione curatio facilis, 487. Denſatur ab applicatis externis, *ibid.* Obturatur à varietate caloris atque frigoris, *ibid.* Cutis morbi quinam timendi, 489.

Cutis in ſenibus fit terrea, cur, 636. Abdominalis dilatationis cauſæ, 654. Curatio, *ibid.* Candor nitidus inter vitia recenſendus, 510. Capillata perſpirationi quàm maximè favet, 626. Diſpoſitio ad inſecta procreanda pendet ab humorum indole, 574. Gallinacea quid, 528. Faciei natura, 629. Oleoſa apparet in juvenibus, *ibid.* Piloſæ fabrica, 593. Structura quænam malorum maximè ferax, 594. Tenuis morboſis affectibus patet, 630. Sæpè deturpatur mulieribus gravidis, 528. Cutis partium quarumdam fetiditas undè, 656. Cauſæ, *ibid.* Curatio, *ibid.*

Cutanea eruptio critica, aut depuratoria quid doceat, 101.

Cutaneus morbus naſcens in præliminio nauſeas & vomitus accerſit, 27.

Cutanei morbi inter morbos ſolidorum numerari non poſſunt, 102. Duplicis ſunt generis, 166. Alii critici, aut depuratorii, alii non depuratorii, *ibid.* Quinam accidentales, quinam adventitii, 107. Romæ incogniti, 361. Horum cauſæ, 71. Duplicis ſunt

generis, 30. Occaſionales aliæ, prædiſponentes aliæ, *ibid.* Horum cauſa præcipua ea eſt quæ debetur partibus extraneis acribus, 420. Omnes ferè pendent ab excretis & retentis, 46. Sæpè oriuntur deficientibus menſtruis, 71. Ferociùs ſæviunt in depreſſis maris littoribus, 35. In oris quas locuſtæ infeſtant, *ibid.* Quibuſnam peculiares, 215. Frequentiſſimi in vitâ opiparâ; rariores ſunt hominibus mundis, 70. Frequentiores illotis, *ibid.* Ruſticorum infantibus proprii pubertatis tempore etiam erumpunt, 124, 277. Nocturnis horis magis pruriunt, 424. Horum diagnoſis, 73, 100. Cauſarum diagnoſis duplex, 101. Prognoſis, 73. Varia eſt pro variis cauſis, 113. A quo maximè petenda, *ibid.* Prognoſtica ſigna, 102. Varia ſunt pro variâ ætate, 113. His evenire poteſt ut acre obſtruens vertatur in ſcirrhi materiem, 400. Cutanei morbi tenaciſſimi in ſenibus, 106. Corpus immutant & ad longævitatem diſponunt, *ibid.* Maximè exaſperantur gulæ intemperie, 70. Maximum inferre valent periculum retropulſione, 108. Cutaneorum morborum converſio in unum abſceſſum non rara, 434. Curatio, 114. Triplex eſt, *ibid.* Non ignota Hippocrati, 317. Indicationes adimplendæ ſimpliciſſimæ, 131. Duo tempora maximè notanda, cruditatis & coctionis, 127. In calidis regionibus abſolvitur ſudoriferorum ope, 155. Mercurialia cautè uſurpanda, 279. Cutanei morbi plurimi fugantur ſobrietate, 102. Non celeri curatione abigendi, 120. Quinam externè tractandi, 163. Quales ſe habeant in gravidis, 107. In infantibus, 105. Quo tempore ceſſant, *ibid.* Prognoſis, 123. Curatio, 121. Sæpè ſanantur alimentorum mutatione, 122. Pubertatis tempore etiam erumpunt, 124. Horum curatio, *ibid.*

Cutanei morbi qui in univerſam cutem deponuntur quinam, 167. Alii acuti ſunt, alii chronici, *ibid.* Acuti contagio propagantur, 107. Critici ſunt, vel non critici, 174. Inter hos datur analogia, 175. Critici ad quatuor claſſes referuntur, 157. Quænam ſint, 176. Miliaris, eryſipelatoſa, phlegmonodæa, gangrænoſa, *ibid.* Miliarium ſymptomata, 177. Cauſæ, *ibid.* Diagnoſis, *ibid.* Prognoſis, *ibid.* Curatio, *ibid.* Eryſipelatoſorum ſymptomata, 179. Cauſæ, *ibid.* Diagnoſis, *ibid.* Prognoſis, *ibid.* Curatio, *ibid.* Phlegmonodæi quomodò diſtinguantur, 187. Plurimæ dantur ſpecies, *ibid.* Horum ſolutio, *ibid.* Gangrænoſi duplicis ſunt generis, 188. Vividum & lentum, *ibid.* Prioris phœnomena, *ibid.* Poſterioris, *ibid.*

Cutaneorum morborum acutorum criticorum curatio, 114. Coctio duplex eſt, 115. Prima fit in vaſis, ſecunda ad cutem, *ibid.* Horum coctio ad cutem vix ſenſibilis eſt, 116. Quomodò deprehendatur, *ibid.* Cutaneorum morborum acutorum non criticorum diagnoſis, 274.

Cutanei morbi chronici, vel depuratorii ſunt, vel non depuratorii, 72. Quomodò judicentur depuratorii, 118. Magnam cum acutis ſervant analogiam, 127. Quinam dicendi ſint depuratorii, 190. Sæpè humores inficiunt, 112. Triplicis ſunt generis, 114. Horum curatio quomodò inſtituenda, 127, 128. Horum depuratio per partes tantùm fit in ætate ſenili, 129. Sanatis quid ſupereſt agendum, *ibid.* Simpliciorem medicinam ſibi poſtulant, 130.

Cutaneorum morborum chronicorum non depuratoriorum diagnoſis, 142. Curatio, 151. Tres indicationes adimplendæ, *ibid.* Diluendi, attenuandi, attenuata vacuandi, *ib.*

Cutanei morbi contagioſi quinam, 108. Raro pernicioſi, *ibid.*

Cutanei morbi redivivi depuratoriorum nomen non merentur, 125.

Cutanei morbi ſymptomatici quid, 132. A corizâ quomodò curentur, *ibid.* A menſtruis retentis, 134. Ab hæmorroidibus ſuppreſſis, *ibid.* A lacte, 135. Curatio diverſa debet eſſe, cum diverſa ſit lactis corruptela, 135. Severa methodus hìc inſtituenda, 136. A reliquiis morborum quid, 138. Quomodò curentur, 139.

Cutanei morbi rachitici cauſæ, 139. Curatio, *ibid.* Scorbutici curatio, 140, 141. Scrophuloſi, 140. A bile pendentis, 150.

Cutaneorum morborum in cute naſcentium curatio, 156. Triplex horum datur claſſis, 157. Venenatorum curatio differt à curatione depuratoriorum, 125, 126. In illâ venæſectio per ſe non indicatur, 126.

D.

DARTRES quid, 295. Vide *Herpes.*

Decolorationes cutis quomodò fiant, 88. Harum cauſæ, *ibid.*

Delphinium laudatum in curatione pedicularis morbi, 580.

Dentes hebeſcunt & alterantur prægnantibus & puerperis, *61*.
Dentitio tota nervea eſt, *271*.
Dentitionis laborioſæ effectus, *272*.
— Varia tormenta igni ſilveſtri fomitem præbent, 411.
— Mala frequentiora in tenerrimæ ſortis infantibus, aut in opulentiorum filiis, 437.
Deſault antimonii virtutem diaphoreticam obſervavit, *206*.
Deſcemet D. M. P. vaſa in epidermide demonſtravit, 4. Reticularem textum in cute ſtupendis injectionibus proſecutus eſt, *6*. Cutis fabricam demonſtravit, 18.
Diaphoretica junguntur abſorbentibus in cruſtarum infantium curatione, 120.
Diarrhæa papularum ſæpè vices gerit, 214. Competit magis quàm perſpiratio in frigidis regionibus, 258. Salutaris in infantibus ſæpè maculas in facie abſtulit, 411.
Diemerbroeckius plurima refert exempla de craſſitie cuti inductâ, 490.
Diluentia quænam optima, 502. Egent arte moderatrice, *ibid.*
Diſtrichiaſis quid, *619*.
Diæta ad vegetalem accedens primas partes obtinet in lepræ Græcorum curatione, 371.
Diæta lactea quandò proficua in morborum cutaneorum curatione, 147. Quandò nociva, *ibid.* Imperanda ſub finem curationis craſſitiei cutis, 493.
Dolores capitis vehementiſſimi canitiem acceſſunt, *601*. Exemplum in feminâ juvenculâ, *ibid.*
Dracunculi quid, 586. Quâ in regione frequentiores, *ibid.* Galeno cogniti, *ibid.* An ſint vermes, 587. Horum deſcriptio, *ibid.* Ex animalium numero eximuntur à Sorano, *ibid.* Horum natura non eadem apud auctores, *ibid.* Partum & ſanationem accelerat aeris indoles, 590. Circà horum generationem differentiæ, *ibid.* Polyporum naturam obtinere videntur, *ibid.*
— Duplex ſpecies juxta Aetium, *586*.

E

Ectropium quid, *623*. Cauſæ, *ibid.* Effectus, *ibid.* Curatio, *ibid.*
Electrici fluidi in cutem efficacia, 37. Effectus, *ibid.*
Electricæ ſcintillæ quo in caſu proficuæ, *509*.
Elephantiacum virus quid contagioſum eſt, 380. Adipem cellularem potiſſimùm occupat, 381.
Elephantiaſis quid, 376. Undè nomen, *ibid.* Varia hujus nomina, *ibid.* & 379. Quibus communis, 34. A Galeno nunquam obſervata fuit, 362. In Italiâ ignota, ſi fides ſit Galeno, *ibid.* In hanc irrepſit ætate Pompeii magni, teſte Plinio, *ibid.* Græcorum, Arabum lepra, 363. Eſt morbus Ægypto inquilinus, 376. Hujus nulla extat deſcriptio accurata antè Aetii tempora, *ibid.* Hujus ſymptomata in principio morbi, *ibid.* In incremento, 377. In apice, *ibid.* Apud Avicennam eſt morbus pedum varicoſus, 378. Exquiſita raró apud nos obſervatur, 379. Hujus cauſæ procatharticæ, 380. Elephantiaſim promovere valet phocarum uſus, 381. Elephantiaſis oritur ab uſu carnium ſale & fumo induratarum, 41. Juxta auctorem, ab adipis & limphæ unitorum vitiis, 381. Diagnoſis, 382. Diſcrepat ab herpetibus, *ibid.* Cum vitiligine confundi non debet, 383. Nihil habet ſcirrhoſi, nec delet organorum ſtructuram, *ibid.* Prognoſis, *ibid.* Retropulſio mortem inducit ſubitam, *ibid.* Curatio ab Aræteo, *ibid.* A Celſo, 384. Ab Archigene, *ibid.* Ab Oribaſio, 385. Quænam topica adhibuêre veteres, *ibid.* Curationem non meliorem edocent Arabes, *ibid.* Quamnam adhibebat Avicennas, 386. A Græcis adhibita in tribus conſiſtit, *ibid.* Ab Arabibus adhibita non diſcrepat à Græcorum curatione, *ibid.* Curatio à Raimundo delineata, 387. Curationis in principio cathartica, aut emetica vehementiora rejicit auctor, *ibid.* Elephantiaſim curatam ſolo uſu & eſu cucumerum refert Heurnius, *ibid.* Exaſperari ab hydrargirii uſu pronunciaverunt Aſtruc & Huxham, *ibid.* Nunquam ſe vidiſſe fatetur auctor, 388.
Elephantiaſis Arabum inter morbos varicoſos recenſendus eſt, *663*. Quid ſit, *664*. Quibuſnam magis ſit familiaris, *665*, *666*. Obſervata ab auctore in delicatâ moniali, *ibid.* Symptomata, *ibid.* Eſt acuta in cute pedum & crurum craſſities, *ibid.* Cauſæ, *ibid.* Diagnoſis, *667*. Prognoſis, *ibid.* Curatio, *ibid.*
Epidermis tertia & intima cutis pars alias partes involvit, 3. Hujus fabrica, 4. Duas lamellas numerat Riolanus, *ibid.* Quaſi vernice obducta videtur, *ibid.* Cutis foraminula ſequitur, *ibid.* Facilè reparabilis, 6. Putreſcente cute manet incorrupta, *ibid.*

Leviſſimis

manet incorrupta, *ibid.* Leviſſimis admodùm vinculis cuti nectitur, *ibid.*
Emplaſtra oleoſa morbis cutaneis anſam præbere poſſunt, 68.
Emplaſtra ex plumbo confecta repudianda ſunt in favorum curatione, 441.
Empyrica remedia nihil poſſunt in curatione morborum cutaneorum à lacte, 288.
Emulſiones conducunt infantibus cruſtâ lacteâ laborantibus, 448.
Epinyctides quid, 263. Noctu tantùm ſæviunt, 264.
Epinyctis idem eſt ac ſera noctis, ſera nocturna, 264. Hanc nunquam ſe vidiſſe fatetur auctor, *ibid.* Puſtulas affines obſervavit, *ibid.* Harum deſcriptio, *ibid.* Curatio ad normam veterum, *ibid.* Hanc ut ſimplicem puſtulam tractavit Celſus, 265. Cauſæ, *ibid.* Prognoſis, *ibid.* Curatio, *ibid.* Maximum hîc uſum ſibi vindicant balnea, 266. Curationi finem imponit diæta lactea, *ibid.*
Eruptiones quænam criticæ, quænam non, 168. Non criticæ à triplici pendent origine, *ibid.* Quænam ſalutares eſſe poſſunt, 169. Quænam nocent, 171. Exanthematoſæ, autumnales & vernales nihil ad ſalutem conferunt, *ibid.* Dantur quæ morbum immutant, ſed non ſublevant, *ibid.*
Eruca Pini quid, 555. Inter venena lege prohibita habebatur, *ibid.* Erucarum halitûs actio, *ibid.*
Eryſipelas quid, 179. Quibus maximè peculiare, 193. Sero multùm diffluit in infantibus, *ibid.* Verè morbus cutis eſt, *ibid.* Vultui maximè familiare, 631. Sæpè criticum eſt in morbis acutis, 179. Symptomaticum ſolvitur ſæpè in phlyctœnas, *ibid.* Naſcitur ſæpè ab œdemate calido phlyctœnoſo, *ibid.* Cauſa frequentior quænam, 180. Inter ſeroſos morbos recenſendum eſt, *ibid.* Miteſcit tantùm peractâ coctione, 181. Vel univerſale eſt, vel partes quaſdam tantùm afficit, 180. Univerſalis ſymptomata, *ibid.* Localis ſymptomata, 183. Hujus cauſæ, *ibid.* Non raro ſine febre apparet, 184. Arthritidis locum cœpit, *ibid.* Miræ dantur diverſitates, *ibid.* Quænam præcipuæ, *ibid.* Eryſipelas quandò non criticum, 181. Peſſimum quodnam, *ibid.*
Eryſipelas per ſe quid, 191. Tres dantur ſpecies, *ibid.* Vel fixum eſt, vel ab unâ parte ad aliam defertur, vel per intervalla recrudeſcit, 192. Fixum ab antiquis notum, *ibid.* Deſcriptio, diagnoſis, prognoſis, *ibid.* Cauſæ, 193. Externæ, vel internæ, *ibid.* Internæ quænam, 194. Externæ, *ibid.* Secunda ſpecies quænam, *ibid.* Hujus deſcriptio, *ibid.* Ab igne ſacro vix differre videtur, 195. Quibuſnam familiare, *ibid.* Tertia ſpecies quænam, *ibid.* Periodica eſt, vel erratica, *ibid.* Periodici deſcriptio, *ibid.* Cauſæ, 196. Erratici cauſæ, *ibid.* Eryſipelatis cujuſcumque hiſtoria, *ibid.* Efficiens cauſa pendet à ſuppreſſâ perſpiratione, 204. Cauſarum quatuor recenſentur claſſes, 197. Diagnoſis facilis, 196. Eryſipelatis primæ claſſis diagnoſis, 199. Secundæ, 200. Tertiæ, *ibid.* Quarta periculi plena eſt, *ibid.* Prognoſis, 201. Periculum in deliteſcentiâ poſitum eſt, 210. Eryſipelas in anginâ, aut falſâ pleuritide ſalutiferum, 170. Productum ab erucâ, 513.
Eryſipelatis in genere curatio, 201. Tria diſtinguenda tempora, *ibid.* Primo in tempore quid agendum, 202. Quouſquè venæſectio protrahenda, 203. Eryſipelati ſæpè nocet, quo in caſu, *ibid.* Diæta quænam conveniat, *ibid.* Principem ſibi locum vindicat balneorum uſus, 205. Secundo in tempore adhibentur attenuantia mixta catharticis & reſinoſis ſolventibus potentiſſimis, 206. Eryſipelatis curationis ſub finem prima coctionum cura habenda eſt, 205. Abſtinendum à vino, 207. Eryſipelati ſanato tuſſis quandoquè ſuccedit, 405. Eryſipelas ad extra bonum quo in caſu, 210. Compoſitum quid, *ibid.* Eryſipelatis catharralis curatio, — 205. Phlegmonodei nomine quid intelligatur, 416. A quânam oriatur cauſâ, 185. Variæ ſunt hujus formæ, — *ibid.* Rheumatici curatio, 206.
Eryſipelata promoventur vigiliis, 44. Pubertatis tempore frequentia, 124. Horum curatio, *ibid.*
Eryſipelatoſi morbi leviores quinam, 182. Cauſæ, *ibid.*
Eſcharæ generatio, 8.
Eſſere quid, 351.
Eunuchi barbam non obtinent, 13. Non calveſcunt, *ibid.* Toto corpore glabri ſunt, 599.
Exanthemata in corpore cutis naſcentia quid, 527. Illorum cauſæ, *ibid.* Diagnoſis, 528.
Exercitium multùm valet in eryſipelatis curatione, 205. In curatione puſtularum, 261. Leve utile in curatione morborum cutaneorum in infantibus, 122. Durum vitandum in verrucarum curatione, 145. Nimium poſt aſſumpta alimenta ſudores concitat acres, & crudos, 43. Eryſipelata, phlegmones producit, 48.

Excreſcentiæ quid, 520. Excreſcentias cornua æmulantes vidit auctor, *ibid.* Varia eſt illarum natura, *ibid.* Duplicis ſunt generis, *ibid.* Prima claſſis ab origine trahit natalia, *ibid.* Curatu difficiles ſunt, *ibid.* Claſſis ſecunda, cute jam firmâ, ipſam deformat, 521. Triplex horum ſpecies, una verrucoſa, altera calloſa, tertia ab oſſibus profecta, *ibid.* Curatio, 523. Structura ipſa deſtruenda, *ibid.*
— Calloſæ quid, 521. Curatio, *ibid.*
— Oſſeæ quid, 522. Curatio, 523.

F

Fabarum decoctum famoſum inter reſolventia, 646.
Facies hominum differt ratione ſexûs, 630. Contracta ſenibus meditabundis peculiaris, 494. Nitida ſervatur clyſteribus, 48.
Favi quid ſint, 435. Effectus, 438. Illorum ſtadium definire difficillimum, *ibid.*
Febres eruptoriæ putridæ quibuſnam in locis familiares, 174. Hungaricæ quænam ſint, 173.
Febris rubra, ſeu ſcarlatina quid, 171. Quoſnam afficiat præcipuè, *ibid.* Hujus ſymptomata, 172. Vix aliquod malum infert, niſi reflua ſit, 63.
— Sudatoria Britannorum quid, 173.
Feminea genitalia humorem herpeticum abundè imbibunt & excipiunt, 301.
Feminæ poſt eruptionem menſtruorum perfectam minùs obnoxiæ tumoribus cutis inflammatoriis, 105. Menſibus graviditatis & poſt puerperium ingentes experiuntur alterationes, 281. Per longam annorum ſeriem auribus ſuppurantibus obnoxiæ, 457.
Fernelius impetiginem, pruriginem, pſoram, & lepram velut ejuſdem mali quatuor gradus numerat, 366.
Ficus quid, 86. Vix à furunculo differt, 428.
Fici ſebum non fundunt, 433. Pilos funditùs excidunt, *ibid.* In quo à meliceride differunt, 434. Capillorum bulbos occupant, *ibid.* Ficorum nomine mariſcas, ſeu ulcera in pudendo intellexit Gorræus, 427. Curatio omnium ſimpliciſſima, 428.
Ficoſus affectus quid ſit, 426. Tres hujus mali ſpecies diſtinguit Celſus, *ibid.* Cauſæ, 427. Hunc mento ſolo adſcribit Galenus, 434. Ante barbæ eruptionem non apparet, *ibid.* Ad axillas, inguina, dorſum etiam obſervatur, 428.
Fil-ſaint-Fiacre quid, 546.
Flagrorum efficacia ad lentæ extimulationem libidinis, 28.
Nicolaus Florentinus tres gradus guttæ roſeæ diſtinxit, 640.
Fluxus olens repulſus à vultu aſthmaticos procreavit inſultus, 457.
Fomenta ſedantia atque laxantia ſola adhibenda ſunt in herpetis miliaris curatione, 345.
Formicæ acidum volatile fortiter ſpirant, 554. Hujus effectus, *ibid.* Curantur poſcâ, *ibid.*
Fotus aromatici fugiendi in curatione craſſitiei cutis, 492.
Frictio ſicca capitis conducit in curatione cruſtarum lactearum, 447.
Frictiones ſiccæ vitandæ ſunt in verrucarum curatione, 545. Leves conducunt in curatione craſſitiei cutis, 492.
Frigus humidum non omni vacat ad cutem impetu, 33. Morborum cutaneorum generationi maximè oppoſitum, *ibid.*
— Acerrimum eryſipelata & puſtulas in gangrænam degeneres producit, 36, 510. Senſum peſſumdat, *ibid.* Craſſitiei cutis inducendæ aptiſſimum, 489. Frigoris in cutem actio diverſa eſt pro diverſitate cutis, 508. A quo pendeat, 509. Effectus in cutem, *ibid.* Hujus actio mechanica vel ſubita eſt, vel longa, *ibid.* Vividiſſimi actio in cutem, 510. Quænam indè ſymptomata, *ibid.* Exanthemata producere poteſt, 528. Frigoris mediocris curatio, 511. Vividiſſimi, *ibid.*
Fructûum horæorum ſucci ſaponacei laudantur in eryſipelatis curatione, 203.
Frumentum carioſum, gallicè *ergoté*, gangrænam inducit, 37.
Fucus maritimus laudatus in curatione tabis glandularis, 653.
Fucus ſaturninus craſſitiem inducit cuti, 488.
Furfur non una eademque res eſt, 94. Plurima dantur genera, *ib.* Vel merè ſymptoma eſt, vel morbus verè depuratorius, 95. Cauſæ, 96. Quibuſnam potiſſimùm immineat, *ibid.*
Furfura quid ſint, 497, 500. Cauſæ, *ibid.* His nulla competit ſingularis curatio, 501. Nihil aliud poſtulant præter humectantis regiminis auxilia, *ibid.*
Furfuracea materies undenam tantâ copiâ erumpat, 94.
Furfuraceæ eruptiones inter chronicos cutis affectus numerantur, 93.
Furunculus, quid ſit, 416. Duplex hujus ſpecies, *ibid.* Diſtinguitur à bubonibus, *ibid.* In quo differat à phymate & phygethlo, 417. Hujus deſcriptio, 418. Herpetibus ferè ſanatis ſuccedit, 419, 421. Quid agen-

dum in hoc caſu, *ibid.* Nec minus etiam aliis cutaneis morbis, *ibid.* Hujus cauſa quadruplex, *ibid.* Furunculis quænam competat diæta, 421. Furunculi juvenibus magis peculiares ſunt, 422. Sæpè pro ſymptomate morborum habentur, *ibid.* Aliquandò more criſeos erumpunt, *ibid.* Curationis duplex via: alia palliativa, alia curativa, 420. Furunculi dantur aliquandò venerei, 422. Horum diagnoſis, *ibid.* Scorbutici, *ibid.* Horum diagnoſis, *ibid.*

Fœtus intra alvum maternum idæas captare non poteſt, 548. Nullam à matre idæam mutuatur, *ibid.* Fœtibus nulla à matre niſi per humores datur communicatio, *ibid.*

G

Galenus de herpetum curatione pleniùs diſſeruit, 318. In hâc adſtringentia commendavit, *ibid.* Sub ignis ſacri nomine deſcripſit unum ex herpeticis affectibus, 295.

Gangræna in ſanguine quid ſit, 51. Gangrænæ diuturnæ exemplum, 189.

Gangræna herpetica quid, 306. Gangrænæ à frigore curatio, 511. Gangræna orta à ſubitâ tineæ repercuſſione, 476.

Girardus, Medicus Marjulienſis, de tumoribus doctè egit, 86.

Glabrities vitiliginoſa inter peſſima cutis vitia habetur, 93.

Glandulæ ſebaceæ reperiuntur plurimæ ad palpebras, 19.

— Lymphaticæ obſtructæ mercurialibus ſanatæ, 62.

Glandularum tumor ſæpè tollitur aurium ſuppuratione, 456. — Tumefactio in pueris eruptiones denuntiat, 628.

Gorræus per ficus intellexit mariſcas in pudendis, 427.

Grando palpebrarum quid, 625. Hujus curatio, *ibid.*

Gummi nihil aliud ſunt quàm meliceride venerei, 435.

Gutta-Roſea quid, 640. Hujus tres gradus, *ibid.* Deſcriptio, 641. Symptomata, *ibid.* Quaſnam occupet partes, *ibid.* Hujus natura omninò varicoſa eſt, 642. Prognoſis, *ibid.* Curatio, 643. Sanata ab hirudinibus, *ibid.* Huic proſunt venæ-ſectiones, *ibid.* Guttæ-roſeæ cauſæ, 646.

H

Hales demonſtravit cutem inhalationi perpetuæ patere, 480.

Hameck confectio, adverſus ſcabioſos morbos famoſa, 234.

Harris commendat anti-acida alkalina & præcipuè abſorbentia in curatione morborum puerorum, 439.

Hederæ arboreæ folia laudantur in curatione favorum, 441.

Helleborus ab antiquis in uſum vocatus in curatione herpetum, 335. Duplex eſt, *ibid.* Utriuſque uſus à Paulo commendatur etiam externè in curatione lepræ Græcorum, 367.

Helleborus niger optimè ſolvit concreta lymphatica, 473. Laudatur in curatione tineæ, *ibid.* Hujus ſucco tela inficiebant Galli veteres, 556.

Helleboriſmus præſtat aliis remediis in curationæ lepræ Græcorum, 370. Hunc ſupplere poſſunt reſinæ purgantes, *ibid.*

Helmontius criminatur Medicos Galenicos, 154.

Henricus quartus barbæ & capillorum partem in canitiem ſubitò converſam oſtentabat, 602.

Herbæ molliores mucilagineo ſucco turgeſcentes laudantur in lichenum curatione, 249.

Herpes quid, 97, 294. Hujus duplex eſt ſpecies, 98. Definitio, 294, 295. Deſcriptio ex Fernelio, 297. In genere refertur ad eryſipelas, ab eo tamen multùm differt, 297. Sæpè nihil aliud eſt quàm excretio præternaturalis cauſæ cujusvis, 150. Quo tempore natus credebatur à Romanis, 295.

— Erodens quid, 296.

— ἐσθιόμενος quid, 99.

— Farinoſus quid, 98, 316. Porriginis ſpeciem conſtituit, 98.

— Miliaris quid, 98, 296. Ad eryſipelas referri poteſt, 99. Hujus deſcriptio, 305. Phœnomena, 304, 305, 306. Non differt ab illo morbo quem Chilperici tempore erupiſſe notat Gregorius Turonenſis, 305. In quo differt à phlyctœnâ & eryſipelate, *ibid.* Ab herpetibus, *ibid.* Acutos potiùs in invaſione morbos imitatur quàm longos, quandonam oriatur, 53. Eſt quaſi impetus veneni herpetici inflammatorius, 307. Quibus potiſſimùm immineat, 99. Hujus diagnoſis, *ibid.* Prognoſis, *ibid.* & 306. Terminum definire impoſſibile eſt, 306. Acutior eſt, 316. Sæpè tranſit in herpetem ſimplicem, 307. Curatio, 345. Ad illam nulla pertinet topicorum adminiſtratio, *ibid.*

Herpes phagœdenicus quid, 297, 347. Hujus ſymptomata, *ibid.* Curatio, 348. Molliſſima tantùm & actu frigida fomenta poſtulat,

ibid. Sanatus victu duriori inſtituto, 327.

Herpes phlyctœnoſus quid, 308, 347. Hujus phœnomena, 309. Omnes corporis partes impetit, *ibid.* Quaſnam potius invadat, *ibid.* Tardiùs exaſperatur, *ibid.*

— Proſerpens quid, 346. Quid ipſi proprium, *ibid.* Erraticus eſt, vel periodicus, 347. Curatio, *ibid.* Duplex eſt, *ibid.*

— Rodens, gallicè *dartre vive*, quid, 307. Huic formicæ nomen inditum, *ibid.* Hujus deſcriptio, *ibid.* Phœnomena, *ibid.* In quo differat à miliari, 308. A phagædenico, *ibid.* Frequentiùs faciem deturpat, 308. Malum eſt contagioſum, *ibid.* Prognoſis, *ibid.* Curatio, *ibid.*

— Simplex quid, 98. Hujus cauſæ, *ibid.* Diagnoſis, *ibid.* Prognoſis, *ibid.*

Herpetes Antiquis minùs noti cur, 295. Vix experti fuerunt veteres Romani, 312.

Herpetum duæ tantùm ſpecies ab Avicennâ & Rhaſe numerantur, 296. Duas ſpecies recenſebat Paulus Ægineta, *ibid.* Tria genera numerata ſunt à Galeno, *ibid.* Duas ſpecies recenſebat Celſus, ſimplicem unam, ferinam alteram, *ibid.* Herpetum ſub papularum nomine mentionem fecit Celſus, *ibid.*

Herpetes, ſimul & lichenes confudit Mercurialis, 321. — A phagædenâ diſtingui vult Galenus, 310. — Quidam dantur gentilitii qui extus nunquam ſæviunt, 311. Pendentne à lue venereâ, aut à ſcorbuto, 343. Quibuſnam ſignis à ſcorbuto diſtinguantur, 344, 345. Danturne ſcorbutici, 344. In genere quomodò diſtinguantur ab herpetibus venereis, *ibid.*

Herpetes inter & luem veneream daturne lues aliqua intermedia, 344.

— Ab arthritide nati, 303. *Herpetes* morbi quamdam proſapiam conſtituunt, 304. Horum variæ ſpecies inter ſe differunt, 316.

— Caraibum cujuſnam indolis ſint, 368.

— Dantur nulliûs momenti quinam, 150. Origo juxta veteres, 297. An à bile, an à pituitâ, 298.

Herpetes à pituitâ bili commixtâ pendere pronuntiat Galenus, 115.

— Morborum ab impeditâ perſpiratione fata ſequuntur, 299. Cauſa eſt quid extraneum & excrementitium, 322. Cauſarum quatuor capita recenſenda ſunt, 312, 313. Promoventur vigiliis, 44. Herpetum ad cutem phœnomena ſeu diagnoſis, 399. Odorem fracidum emittunt, 315. — Certis tempeſtatibus oriuntur, 299. Quibuſnam, *ibid.* Quibuſnam horis pruriant præcipuè, *ibid.* Emicant præcipuè in duobus vitæ periodis, 313. Quænam ſint, *ibid.* Pubertatis tempore apparent ſæpiùs, 125. Horum cauſæ, *ibid.* Quomodò tunc curentur, *ibid.* Senectutis tempore ingruunt maximè, 300. Erumpunt quandoquè poſt aſſumpta acria medicamenta, 39. Sæviores æſtate fervente, *ibid.* Erumpunt ſæpè apparentibus ultimis dentibus molaribus, 158. Menſtruorum ceſſationis tempore, 51. Herpetibus laborare mulieribus gravidis familiare eſt, 303. Sub ultimis geſtationis menſibus ad morbos cutaneos à lacte referuntur, 285. Sæpè naſcuntur poſt variolas & quidem inſitas, 64. Herpetum non eadem prognoſis, 300. Non finis unus, *ibid.* Raro juventuti noxii ſunt, *ibid.* Sæpè vices rheumatiſmorum geſſerunt, 303. — Sæpè obſtructiones generant, 308. Exemplum in feminâ nobiliſſimâ, *ibid.* Sæpè in ſuppurationem vertuntur, 320. Minus rebelles, ſi cum phymatibus & furunculis apparent, 421.

Herpetum curatio inter difficilia artis opera recenſetur, 316. Cautelis opus eſt, 317. Quænam adhibenda, 332. Curandi methodus apud Græcos quænam, 318. Herpetibus eamdem curationem quam cæteris morbis cutaneis ordinavit Hoffmannus, 321. A veterum curatione vix diſſentit Turnerus, 321. Herpetum fomitem per urinæ vias amandare non tutum, 333. Sudoriferis meliùs fidendum per æſtatem, 337. Cauterium quandò inutile, 319. Cathartica methodus hieme magis proficua eſt, 337.

Herpetum ſanationi omnimodæ confidere non tutum, 310. Vix aliquod lumen ſuppeditant Græci & Arabes, 317. Herpetum deſtructioni per ſuppurationem fides non adhibenda, 320. Herpetes ſanati ab emplaſtro veſicante, 319, 320. Herpetum curatoriam methodum fuſiùs enodare aggreditur auctor, 322. Diverſæ ſpecies diverſam requirunt methodum, 347. Hæc tribus conſtat temporibus, 322, 323, 389. In primo quid agendum, 323. Ferè ſemper incipiendum à venæ-ſectione, *ibid.* Quodnam vitæ regimen, *ibid.* Herpetes recentes, aut contagio contracti facilè ſanantur, 326. Augmentum in principio curationis non malum, 327. Nullum datur medicamentum ſpecificum, *ibid.* Mercurius duplici ſub formâ adhibetur, 328. Maximè conferunt pilulæ dictæ de Belloſte, *ibid.* Herpetes videntur quandoquè mercurii vim fallere, 279.

Sanati magno phlyctœnarum numero, 255. Solo lactis aſinini uſu, 150. Aquæ potu ſolo, 40. Dantur catharrorum ope ſanandi, 151.
Herpetes phagædenici multum analogiæ ſervant cum variis leprarum ſpeciebus, 310. Horum natura eſt ut fluant perpetuò, 311. Dantur volatiles per contagium contrahendi, *ibid.* Prognoſis, *ibid.* Horum fluxus non cohidendus, *ibid.*
Herpetica veſtigia poſt ſanatum ſcorbutum, 314. Poſt ſcrophulas, *ibid.*
Herpeticam indolem limphæ inferre valet perſpiratio vitiata & depravata, 314.
Herpetici dantur morbi qui ad cutem nihil demonſtrant, 302.
Herpeticorum ſanguis quiſnam ſit, 315.
Herpeticum virus ſæpè coctionem accipit & vertitur in pus, 435. Præcipuè meliceridis cauſa, *ibid.*
Herpeticæ lymphæ ineſt rancedo quædam, 316.
Herpeticus humor nullo ſe indicio ſinit comprehendi in ſecto cadavere, 304.
Herpetum non depuratoriorum indoles, 149. Hyeme aliquandò tantùm ſæviunt, *ibid.* Cauſæ, 150. Diagnoſis, *ibid.* Curatio, *ibid.* Inſtituenda pro cauſarum varietate, 150.
Hildanus ſuadet ut corpora frigore correpta cruſtâ tegantur glaciali, 511. Puellam cornutam deſcripſit, 516.
Hippocrates loquitur de herpetibus tanquam de leviori & depuratorio genere exanthematum, 295. De lichenibus, lepris & vitiliginibus egit ſummatim, 361. De aurium fluxione tanquam de criſi locutus eſt, 455.
Hirudo quid, 565. An ipſi ſit neceſſaria ſanguinis uſura, *ibid.* Hujus actio in cutem, *ib.*
Hirudines omnes non æquali ſugendi poteſtate donantur, 565. Voratas tanquam graviſſimum malum memorant antiqui, 565. Horum ſuctionis phœnomena, *ibid.* Applicationem in tineæ curatione ſuadet Rudius, 470. Ad nares applicatæ guttam roſeam ſanavêre, 643. Ad naſi latera proficuæ in rubore naſi, 648.
Hiſtoria D. de Fortine cui cornu reſectum fuerat, 516.
— Paſtoris Sancti Landerici, 10. — Feminæ morboſâ donatæ cute, 512, 513. Huic balnea dolores concitarunt, *ibid.*
Hollerius applicato veſicante emplaſtro herpetem ſanavit, 319, 320.
Hordeolum palpebrarum quid, 625. Hujus curatio, *ibid.*
Humiditas in aëre calido peſſimis morbis inferendis conferre valet, 68. Aphtas, febres, ſcorbutum infert, 34.
Humiditas aurium præternaturalis quid, 649. Duplici in caſu potiſſimùm locum habet, *ibid.* Cauſæ, *ibid.* Diagnoſis, *ibid.* Prognoſis, *ibid.* Curatio, *ibid.*
Humiditas frigida ad ſcabiei generationem confert, 229.
— Narium præternaturalis quid, 648.
Humor lymphaticus terram abſorbentem continet, 437.
Humorum excernendorum retentio cutem quàm maximè afficit, 46. Duplex eſt, *ibid.* Vel ſubita, vel ſenſim inducta, *ibid.*
Hydroa vix aliquod malum infligunt niſi reflua, 63.
Hæmorroïdes quid, 48. Harum non ſimplex intuitus, *ibid.* Simplices ſunt, vel à vitio aliquo pendent, 49. Idiopathicæ, vel ſymptomaticæ, *ibid.* Potentiſſima naturæ emunctoria, 50. Arthriticæ, *ibid.* Herpeticæ, eryſipelatoſæ, *ibid.*
— Ab herpetibus retentis pendentes morborum cutaneorum cauſa ferax, 303. Pendentes à plethora genuinâ cuti non minimam inferunt labem, 49. Suppreſſæ lethargum, morbos veternoſos, apoplexiam ſæpè producunt, 49.

I

Jacobus, Rex Angliæ, diſtricti ferri aciem ferre non poterat antè oculos, 548.
Jalappa bilem movet eximiè, 155.
Ichneumones quomodò naſcantur, 568.
Ichthyocolla dat juſcula haud parvi momenti, 326.
Ignis Perſicus Avicennæ quid ſit, 412. Duas ſpecies diſtinxit Avicennas, *ibid.* Malum apud nos rarum, 413. Exemplum, *ibid.* Diagnoſis facilis, 414. Prognoſis non prompta, *ibid.* Undè deducatur, *ibid.* In phlegmonem ſæpè convertitur, 413. Curatio promptior atque facilior curatione prunæ, *ibid.* Eadem ac eryſipelatis, 414.
Ignis ſacer quid, 401. Eſt eryſipelas chronicum, *ibid.* Vix ab eo differt, *ibid.* Duæ dantur ſpecies, *ibid.* Prior ſpecies phlyctœnas producit, poſterior lemas & cruſtulas, *ibid.* Diarrhæâ levi fluente conticeſcit, 402. Hujus ſymptomata, *ibid.* Cauſæ, *ibid.* 404. An à fermento producatur, *ibid.* Sæpè aliquid habet herpetici, 408. Hujus loco ſæpè pruritus ſcenam occupat, 403. Scor-

buticæ, venereæ indolis aliquandò particeps eſt, 404. Semper ſævus eſt, 403. Prognoſis non ſimplex eſt, *ibid.* Undè periculum, *ibid.* Superveniens aſthma humorale ſolvit, 404. Fluoris albi vices gerit, 405. Curatio duplex eſt, 406. Eadem ac eryſipelatis, *ibid.* Methodus multiplex, *ibid.* Quamnam ſequendam eſſe indicant phœnomena, *ibid.* Venæ ſectio primas partes tenet, 406. Diluentia poſteà veniunt, *ibid.* Refrigerantia & repellentia non conveniunt, *ibid.* Aſtringentia & pinguia abigenda ſunt, 407. Cauteriorum uſus eſt maximi momenti, *ibid.* Præſtant veſicantia ex cantharidibus, *ibid.* Aliquid adhuc præferendum habet thimeleæ corticis uſus, *ibid.* Sæpè proſunt aperientia, 408. Cauſæ ſtudendum, *ibid.* Ut præcavetur recidiva monitorem ſe præbeat Medicus, *ibid.*

Ignis Silveſtris ſeu volatilis infantum quid ſit, 408. Solo attactu diffunditur, 409. Dividitur in ſiccum & humidum, *ibid.* Phœnomena, *ibid.* Quo tempore apparet, *ibid.* Quaſnam occupat partes, *ibid.* Eſt morbus puerilis, 410. Parciùs erumpit æſtate, *ibid.* Ferociùs ſævit hyeme, *ibid.* Quo in loco deponatur, *ibid.* Cauſa eſt excrementum malè coctum, acre humoris mucoſi, *ibid.* Diagnoſis facilis, *ibid.* Prognoſis ſimplex, *ibid.* Inter levia ſymptomata eryſipelatis numerari debet, *ibid.* Curatio, *ibid.* Sanatur ſæpè ſolâ patientiâ, *ibid.* Per topica non tentanda eſt, 411. Præcipua pars curationis conſiſtit in eo ut alvus ſervetur libera, *ibid.* Nutrix immutari debet, 412. Diæta tenuis imperanda, *ibid.* Ex farinoſis benè fermentatis, *ibid.* Recidiva præcavetur antimonialium ſulphureorum uſu, 412. Cutis munditie, *ibid.*

Illinitiones ex veratro factæ laudantur in curatione pedicularis morbi, 580.

Impetigo inter criticos affectus numerari poteſt, 95. Undènam, *ibid.* Quid ſit, 348. Pro deformitate potiùs quàm pro morbo habebatur, *ibid.* Juxta Plinium videtur ſignificaſſe genus mali, non ſpeciem, *ibid.* Hujus quatuor ſpecies recenſet Celſus, 349. Curatio eadem eſt ac herpetum, 350.

Inertia cuti maximè proficua, 43.

Infans totus acidum ſpirat, 271. Raro aliquo vitio imbutus exit ab utero materno, *ibid.*

Infantibus deeſt vis phlogiſtica naturam concitans, 272. Quibus alvus fluxa, cutis nitet, 278.

Infantile corpus humore lymphatico maximè ſcatet, 436.

Inflatio labiorum quibuſnam præcipuè accidat, 650. Cauſæ, *ibid.* Diagnoſis, 651. Prognoſis, *ibid.* Curatio, 652. Inflationis labiorum morboſæ hiſtoria, *ibid.*

Infuſa calida vitanda maximè in organorum debilitate, 515.

Ingraſſias narrat virginem cornutam à ſe fuiſſe ſanatam, 516.

Inguina humorem fetidum emittunt, 19.

Inſaniam immedicabilem ſuccedere tineæ vidit auctor, 467.

Inſectum ſolitarium rarò ingens nocumentum affert machinæ, 572. Inſecti cujuſdam ſingularis exemplum, 571.

Inſectulum in meridionalibus oris Galliæ noſtræ peculiare, *ibid.*

Inſecta in infantibus proſperè excluduntur, 54. Morborum cutaneorum cauſa eſſe poſſunt, 69. Duo præcipua genera ſunt diſtinguenda, *ibid.*

Inſectorum ſpecies quæ in ipsâ cute naſcuntur peſſima, 70. Quomodò noceant cuti, 99. Quibuſnam regionibus magis familiaris, 100. Plurima dantur quæ eadem virtute ac cantharides pollent, 558.

Inſectorum importunorum cuti ſpecies multiplex, 562. Effectus diverſus in cutem illorum qui iis aſſueverunt, 568. Puncturæ curatio, 567.

Inſectis magis ſcatent humidiores ſimul & exæſtuantes oræ, 571.

Inſolatio frequens cutis craſſitiei cauſa, 486. Phœnomena in cute, *ibid.* Acrior phlyctænas producit, 632.

Intertrigo quid ſit, 448. Hanc ambuſtis comparat Aetius, *ibid.* A recentioribus Medicis alio ſenſu accipitur quàm à veteribus, *ibid.* Quodnam hominum genus adoriatur, 446. Hujus phœnomena, *ibid.* Effectus, *ibid.* Sæpè inter herpetes numeratur, 450. Differt ab iis, 451. Non communicatur, 450. Diagnoſis, *ibid.* Prognoſis per ſe funeſta nunquam eſſe poteſt, *ibid.* Nihil virulenti deponit, *ibid.* Tabem dorſalem aliquandò produxit in junioribus, *ibid.* Pro peculiari cutis in genitalibus morbo accipiendus eſt, 451. Juvenibus & veneri inhiantibus familiaris, ſenibus etiam competit, *ibid.* Feminas etiam adoritur, *ibid.* Condimentis reviviſcit, 452. Curatio, *ibid.* Conſiſtit in diætâ diluente & antiphlogiſticâ, *ibid.* Succeſſûs dantur exempla, *ibid.* Curatio plenaria duplex, altera topica, interna altera, 454.

Inunctiones mercuriales ad curationem morbi lepiam præferri videntur, 493.
Joubertus herpetes ſolâ methodo vacuatoriâ tolli vult, 320.
Ira ſæpè producit icterum, 44. Maculas ſanguineas, *ibid.*
Iraii quid, 577.
Iris noſtras in cauterium introducta febrem concitavit, 557.
Itinera commendantur ſub finem curationis cutaneorum morborum depuratoriorum, 130.
Juſcula ex ichthyocolla efficacia maximè, 326. Laudata in herpetum curatione, *ibid.* E ranis maximè laudata in herpetum curatione, 325. E teſtudinum carne confecta commendantur in herpetum curatione, *ibid.* 338. Viperina plantis aperientibus remixta palmam auferunt in intertriginum curatione, 454. Laudantur in tineæ curatione, 472. Ea rejicit auctor, *ibid.*

K

K*AAU* (Abraham) abſorptionis ſtupendæ vim ſcrutatus eſt, 13. — Cutem exhalationi patere demonſtravit, 480. Annotavit deſtructo textu cellulari cutem imperſpirabilem eſſe, 7.
Kervæ quid, 577.
Kunkelii rotulæ famoſæ ad herpetes ſanandos, 330.
— Maximè laudantur ab auctore, *ibid.*

L

L*ABORES* nimii præpoſtero tempore cutem juniorum deturpant, 43.
Labroſulcium quid, 650.
Lac eſt fluidum intermedium chylum inter & ſanguinem, 60. Omnium humorum elementa continet, 281. Hujus indoles & natura, *ibid.*
Lac matris, vel nutricis morborum vehiculum, 61. *Lac* in acidum degener pruritus, puſtulas, ulcuſcula mucoſa procreat, *ibid.* Mucum deſtruit & oſſa emollit, *ibid.* Facillimè ad acidum vergit, 147. Quandò tutò & cum levamine offertur, 148. Aperientibus mixtum ſæpè proficuum, *ibid.* Exulare debet in cutaneis morbis infantum, *ibid.* In affectibus lacteis feminarum, *ibid.* Quomodò dandum, ut prodeſſe poſſit, 149. Inter tonica replentia numerari poteſt, 208. Multùm prodeſt in eryſipelatis curatione, *ibid.* Quânam in ſpecie, *ibid.* Scabiei curatione exactâ, 240. Sæpè rejiciendum in herpetum curatione, 323. Scopum non attingit, 325. In omnibus cutaneorum morborum curationibus celebre, 339. Cæteris præſtat in intertriginum curatione, 454. Convenire poteſt ſub finem curationis tineæ, 474.
Lac aſininum plures per annos præſcribendum eſt iis quibus cutis ægrotavit, 266. Sub finem herpetum curationis, 325. Palmam cæteris medicamentis præripit in curatione mali mortui, 400. Duplici vice vere & autumno uſurpandum in intertriginum curatione, 454.
Lac caninum commendatum adverſus trichiaſim & madaroſim, 622.
Lac caprinum ventriculo debilibus contuliſſe dicitur, 339.
Lac vaccinum non dandum ubi viſceribus metuitur, 325. Non convenit in lactumine, 442.
Lactis vapor laudatus in curatione lentiginum, 528. Uſus prodeſt ſub finem affectûum cruſtoſorum infantum, 280. In copiâ & impetu herpetum ſævientium ferè pro inutili habendus eſt, 339.
Lactis tepidi vapor laudatus in verrucarum curatione, 544. Aſinini laudes in herpetum curatione, 339. Uſus quotannis præſcribitur in curatione plantæ nocturnæ, 426.
Lacteus humor mulieribus gravidis & à partu nondùm menſtruatis & pueris proprius, 52.
Lactearum cruſtarum in curatione non præcipiter agendum, 447.
Lactucæ foliorum applicatio laudatur in favorum curatione, 441. In curatione cruſtarum lactearum, 447.
Lactumen quid ſit, 441. — Refertur ad achores atque favos, 441. Hujus origo, *ibid.* Cauſæ, *ibid.* Velut gradus ad achores habetur, 442. Differt ab achoribus & in quo, 442. Curatio, *ibid.* Alia lactuminis ſpecies in puerperis lactentibus, aut nutricibus munere ſuo defunctis obſervanda, 443. Curatio, *ibid.*
Laxitas cutis conſtitutiva vitium eſt, 514. In quibuſnam mulieribus reperiatur, *ibid.* Iis cutis glutinoſa eſt, *ibid.* Veteribus incognita, *ibid.* Huic maximè obnoxii ſunt Angli, 515. Hujus curatio, *ibid.* Antiſcorbutica hùc conferunt, *ibid.* Balnea frigida hùc faciunt præcipuè, *ibid.* Diæta ſicca multum prodeſt, *ibid.* Conferunt etiam ſuffumigia ex ſuccino & plantis aromaticis, *ibid.*
Lebegue D. M. P. methodum ſublimatum cor-

roſivum exhibendi expoſuit apud nos, 329.
Lendes fomitem reperiunt in cruſtis lacteis, 446.
Lentigines, *taches de rouſſeur*, quid, 535. Ortæ à fluidi electrici ictu, 37. Quomodò diſtinguantur ab ephelidibus, *ibid.* Quoſnam adoriantur, 535. Harum color in ſenioribus & feminis, 537. Augetur fuco & pigmentis, *ibid.* Perſtant in cadaveribus, 538. Cauſæ, *ibid.* A quo pendeant, *ibid.* A muco inſpiſſato & concreto, 540. Diagnoſis, 537. Prognoſis ſimplex, *ibid.* — Curatio impoſſibilis, 537. Si quæ ſit, ex emollientibus repetenda, 538. Has ab interioribus eſſe adoriendas cenſet Avicennas, *ibid.*
Leonidas prodidit ſe pilos inveniſſe in cutaneo atheromate, 547.
Lepian quid ſit, 393. Hujus deſcriptio, *ibid.* Phœnomena, *ibid.* Triplex diſtinguitur ſpecies, *ibid.* Diagnoſis, 394. Curatio, 395.
Lepra quid ſit juxta Hippocratem, 361. In genere ſquammas in cute concitat, 360.
Lepræ nomen famoſum apud vetuſtiſſimorum populorum hiſtorias, 360. Datum fuit omnibus ferè morbis cutaneis, *ibid.* 364. *Lepræ* mundatio Sacerdotibus commiſſa apud Judæos, 372. Duas ſpecies ad ſenſum Levitici diſtinguit Mead, 373.
Lepram oriri à morſibus acari, ſeu inſecti cujuſdam ſuſpicatur Von-Linné, 374. Totiûs corporis cancrum vocat Avicennas, 379.
Lepra Arabum. Vide *Elephantiaſim.*
Lepra Græcorum quid, 365. Definitio, *ibid.* Differentiæ, *ibid.* Deſcriptio, *ibid.* & 366. Odor fracidus & ſordibus familiaris, *ibid.* Phœnomena, 367. Diagnoſis, *ibid.* Curatio juxta Græcos, *ibid.* & 369. Non auſpicanda à venæ ſectione, *ibid.* A diluentibus inchoanda, à catharticis urgenda, perficienda martialibus, 370. Irrita abſque diætâ ad vegetalem accedens, 371. Terminatur apud nos uſu plumbatorum & ſaturninorum, *ibid.*
Lepra Judæorum quid, 370. Quibus in regionibus ſævierit, *ibid.* An recenſenda ſit inter morbos cutaneos? 372. An plaga divina? *ibid.* Duæ ſpecies diſtinctæ in Levitico, *ibid.* Deſcriptio, *ibid.* Quatuor ſpecies admittit auctor, 373. Non multùm abludit à vitiligine Celſi, *ibid.* Signa, *ibid.* Cauſæ, 374. A cæteris morbis diſtinguitur quòd & veſtes & domos invadat, *ibid.*
Lepra Norwegorum quid, 375. Cauſæ, *ibid.* Toto cœlo differt à Judæorum leprâ, *ibid.* Ex vermiculis oriendam eſſe aſſerit Martini, *ibid.* Hanc phocarum craſſæ & indigeſtæ carnis uſui tribuit Sporing, *ibid.*
Leproſi morbi quibuſnam hominibus familiares, 358. Nunquam immaniter ſæviunt in Europâ, 359. Videntur particulares calidioribus humidiſque regionibus, 363.
Leproſæ ſquammæ in aquâ ſolutæ videntur aliquid olei ad ſuperficiem emittere, 358.
Lethargus oritur à ſuppreſſis hæmorroidibus, 49.
Le Roi aquas thermales arte æmulatus eſt, 206.
Leuce, vide *vitiligo*, 351. Hujus deſcriptio apud ſcriptores tantùm veteres reperitur, 355. Signa, *ibid.* Apud nos rara, *ibid.* Eſſentia in quo conſiſtat, 338. Sub titulo varicis à Paulo & Aetio tractata fuit, 355. Profundior eſt & curatu difficilior, Celſo judice, *ibid.* Phœnomena puſtularum, 357. Eaſdem cauſas agnoſcit & eadem medicamenta ac lepra, *ibid.* Totiûs lymphæ molem vitiat, 338. Prognoſis eadem ac lepræ, 360. Neglecta in lepram tranſit, *ibid.* Eſt morbus lepræ congener, ſed levior, *ibid.* Curatio eadem ac elephantiaſios, *ibid.*
Lichenes quid, 242. Nomen apud Hippocratem ſumitur pro endemicâ cutis efflorеſcentiâ, *ibid.* Hos pro novo morbo habuit Plinius, 240. Confudit cum mentagrâ, *ibid.* Ad papulas refert Manardus, 243. Gallis dicuntur *dartres farineuſes*, *ibid.* His tres competunt caracteres, *ibid.* Triplex ſpecies, 244. Quartam ſpeciem adjungit auctor, *ibid.* Exemplum in homine nobili, *ibid.* Cauſarum tria ſunt genera, *ibid.* Tertiæ non diverſa eſt natura, niſi quòd acrior ſit cauſa, 246.
Lichenes dantur ſcrophuloſi, 245. Occurrunt venerei, *ibid.*
Lichenes efficientis acris quænam natura, 245. Sæpè oriuntur in infantibus ad ſingulas dentitionis periodos, *ibid.* Quandoquè ſubitò oriuntur poſt hauſtos liquores ſpirituoſos, 249. Aliquandò oculos & palpebras infeſtant, *ibid.* Quibuſnam proprii, *ibid.* Diagnoſis, 246. Diagnoſis cauſæ, *ibid.* Prognoſis, *ibid.* Varia eſt, pro cauſæ ratione, *ibid.* Diuturnum malum ſæpè conſtituunt, 247.
Lichenum ſpecies quælibet non facilè & promptè tollitur, 247. Curatio varia inſtituenda pro variâ morbi ſpecie, *ibid.* Diluens & emolliens ſit, *ibid.* Medicina aquâ diluente præcipuè inſtituenda eſt, 248. Vitanda ſunt

exſiccantia

exſiccantia omnia, 248. Laudata fabarum aut lentium decocta, *ibid.* Præcipuum remedium à balneis repeti debet, 249. Ubi pervicaces ſunt lichenes malum alterantibus fortioribus urgendum, *ibid.* Lichenum tertiæ ſpeciei curatio, 250. *Lichenibus* curatis non ideo omnis cura Medicos effugit. *ibid.* Quid tunc agendum, *ibid.*
Lichenes venerei methodum abſtruſiorem exigunt, 251.
Lichenes excoriati nihil aliud ſunt præter herpetes fluentes, 318. Lichenes Romæ olim epidemici, 428.
Ligaturæ arctiores inter cauſas morborum cutaneorum numerandæ, 69.
Linneus lepram Finlandiæ & Bothniæ ad inſectum peculiare refert, 364. Norvegorum lepram vermibus originem debere aſſerit, 375.
Lippitudo ſicca & dura quid, 623.
Liquores fermentati interdicendi infantibus & pueris, 440. Spirituoſi faciem deturpant tumoribus rubicundis, 38.
Liquorum Americanorum uſus quandò proficuus, 152. Quomodò agant, *ibid.*
Lixivium cinerum clavellatorum laudatur in tineæ curatione, 476.
Locuſtas eſcam hominibus præbere non mirum viſum fuit D. Chambon, 175. Harum eſus longævitati officit, 41. Dracunculos in cruribus producit, *ibid.* Familiaris Sancto Joanni Baptiſtæ, *ibid.*
Loricæ duriores morbis cutaneis anſam præbent, 69.
Ludolfus putat ſe vidiſſe imbres qui veſtes putrefaciebant, 573.
Lues venerea apud Gallos erupit inter ſordes veſtium & victûs defectum, 70. Solo exercitio ſanata, 326. Aliquandò evaneſcit ſi fides ſit Doct. Sanchez, 614.
Lupi quid ſint, 428. Difficillimè in bonam ſuppurationem vertuntur, 429. Difficiliùs adhuc ad perfectam deducuntur cicatricem, *ibid.* Aut ſcorbutici ſunt, aut melancholici, *ibid.* Scorbutici pro criticis haberi non poſſunt, *ibid.* Melancholici, pro criticis haberi debent, *ibid.*
Lupoſorum ulcerum exemplum in juvene, 429. Alterum exemplum, *ibid.* Exemplum in fœminâ vetulâ & menſtruis planè carente, *ibid.* Curatio, 430. Interna & externa, *ibid.*
Lupuli radices uſurpatæ in curatione plicæ Polonicæ, 617.
Lympha non unus & idem eſt humor, 52. Partim concreſcibilis & coagulabilis, partim inconcreſcibilis, 53. Ingraveſcente ætate craſſior meſenterio faciliùs inſidias ſtruit quàm cuti, 56. Luem accipit præcipuè in herpetibus, 304. Quænam indè phœnomena, *ibid.*
— Craſſa, acris herpetum cauſa, 315.

M

Macate quid, 71, 572. Effectus in corpore, *ibid.* Quomodò extrahendus, *ibid.*
Maceratio in aquâ calente cutis fabricam demonſtrat, 9.
Maculæ in genere vel leves ſunt, vel arctè adhærent, 88. Quo tempore erumpunt præcipuè, 89. Quibus regionibus maximè familiares, *ibid.* Harum diviſio à colore deſumpta, 90. Dantur nigreſcentes, flavæ & albeſcentes, *ibid.* Nigreſcentes quid ſignificent, *ibid.* Quandò fauſto omine ad cutem apparent, 188. Sæpè diuturnæ in ſenibus præſertim, 90. Flaveſcentes fœminis magis familiares, 91. Quibuſnam in partibus frequentiùs appareant, *ibid.* Oriuntur à bile retentâ, 51. Quid indicent, *ibid.* Duplex harum ſpecies, 91. Cauſæ, *ibid.* Prognoſis, *ibid.* Albæ non parvi ſunt momenti, *ibid.* Quibuſnam populis familiares, *ibid.* Harum cauſæ, *ibid.* Variæ dantur harum diſtinctiones, 92. Exortæ à fluidi electrici ictu, 37. In morbis acutis quomodò haberi debeant, 88. Initio morborum quid præſagiunt, *ibid.* Quænam non criticæ, 170. Quænam ſalutiferæ, *ibid.*
Maculæ ab aquis ſtygiis non avolant, niſi detritâ epidermide, 530.
Maculæ à matre pendentes duplicis ſunt generis, 549. Ab odio, ab amore oriuntur, *ibid.* A mercurio ortæ, 222.
Maculæ feminarum poſt partus repetitos quænam ſint, 637. Tibias & crura afficientes quænam, 658. Curatio, *ibid.*
Maculæ bilioſæ quomodò curentur, 221. Harum exemplum ſingulare, 90.
Maculæ depuratoriæ quid, 220. Duplicis ſunt generis, aut chronicæ, aut redeuntes, *ibid.* Sanguineæ, bilioſæ, *ibid.* Atræ peſſimæ, *ibid.* Non unius ſunt naturæ, 221. Bilioſæ ſunt vel acres, vel depuratoriæ, *ibid.* Diagnoſis, 222. Prognoſis, *ibid.* Curatio, *ibid.*
Maculæ gangrænoſæ quandò ſpem aliquam ſalutis relinquant, 174.
Maculæ indolentes quid, 530. Quotuplicis generis, 531.
Maculæ lentæ ortæ à valido purgante hauſto,

531. Sæpè à primâ origine permanent, *ibid.* Quænam ſemper remaneant, *ibid.* Harum natura, *ibid.* Cauſæ, *ibid.* Diagnoſis, 532. Prognoſis, *ibid.* Curatio, *ibid.*

Maculæ melancholicæ quænam ſint, 90. Pro ſcorbuticis ſæpiùs habitæ fuerunt, *ibid.* Maculæ dautur modò ſopitæ, modò reviviſcentes, 532. Diverſi ſunt coloris, *ibid.* Pendent à causâ diversâ, *ibid.* Diagnoſis, 533. Emicant præſertim in gravidis, *ibid.* Macularum ſcorbuticarum diagnoſis, 89. In quo ſenſu pro criſi ſint habendæ, 221. Maculæ varicoſæ quid, 90.

Maculæ vini quid, 533. A nativitate ortum trahunt, *ibid.* Has ad tumores ablegat auctor, *ibid.* Varii ſunt coloris, *ibid.* Non iis eadem forma, *ibid.* Vix ullis diſtinguuntur phœnomenis, 534. Minùs vividæ in ritè menſtruatis, *ibid.* In ſenioribus etiam, *ibid.* Curatio an tentanda, 534. An ſuppuratione partis, *ibid.* Maculæ quæ vultum ſenilem deturpant duplicis ſunt generis, 636. Harum cauſæ, *ibid.* Curatio, *ibid.*

Macularum vultus diagnoſis, 637. Prognoſis, *ibid.* Curatio, *ibid.*

Macularum à ſole oriundarum ſedes, 504. Curatio, 506.

Madaroſis quid, 620. Alopeciæ unam ſpeciem conſtituit, 621. Hujus diagnoſis, 620. Prognoſis, 621. Curatio, *ibid.* Varia debet eſſe, *ibid.*

Magneſia alba inter abſorbentia eminet, 440. Salinam ſimul & abſorbentem habet virtutem, *ibid.*

Malum mortuum quid, 395. Hujus phœnomena, *ibid.* Sedes, 396. Duas ſpecies diſtinxit Aſtrucius, *ibid.* Diagnoſis, 396. Curatio, *ibid.* Eſcharrotica admovenda, 397.

Mamapian quid ſit, 393.

Mammæ menſtruorum retentorum vitium accipiunt primæ, 50. Thoraci reddunt, *ibid.*

Mania melancholica ſæpè herpetica eſt, 303.

Mapyeri Guianenſium quid, 568

Maringuoins quid, 212, 568.

Martialia ſulphurea ultimam curationis partem implent in curatione lepræ Græcorum, 370.

Martini Kelli morbus, 357.

Materia plantæ nocturnæ cauſa pro criticâ haberi poteſt, 425.

Maſſey, Monſpelienſis Medicus, auctori cognitam fecit lepram, dictam Yaws, 389.

Mead pronunciat vix aliquam dari phthiſim quæ non ſit ſcrophuloſa, 57. Cauſam ſcabiei in verminosâ lue reponit, 230. Tincturam cantharidum in leprâ commendat, 333.

Melancholiam peſſimam à ſcabie ortam pluries vidit auctor, 232.

Melancholici humoris effectus in cute, 490.

Melas. Vide *Vitiligo.*

Medicamenta glutinoſa conveniunt in herpetum curatione, 326. Horum facultas demonſtrata fuit in herpetum curatione, 326.

Meliceris quid ſit, 85, 432. Hujus deſcriptio, *ibid.* Duas ſpecies diſtinguit Celſus, *ibid.* Differt à mentagrâ, 433.

Melicerídem cum mentagrâ non adeò immeritò confundit Plinius, 434. Quibuſnam magis competit, 434. In infantibus etiam reperitur, *ibid.* Mentum cicatricibus deturpat, *ibid.* Sæpè naſcitur à textus cellularis induratione, 47. Imprudentiùs extirpata phrenitidem intulit, 627. A variolis immunes præſtat, 434. Curatio, 435. Vel topica eſt, vel interna, *ibid.* Cauſticum admovere prodeſt, *ibid.*

Meliceris antiquorum quid ſit, 434. Cauſæ, *ib.*

Melitagra Galeni. Vide *Cerium.*

Mentagra Plinii quid, 307. Hanc non agnovit Aſtrucius, 409. Differt à meliceride, 433.

Menſtrua ſæpè vehunt acria & corpus iis repurgant, 50. Retenta ſæpè nigredinem inducunt faciei, *ibid.*

Menſtruorum retentorum theoria, 50. Diſſimulatam luem veneream aliquandò produnt, *ibid.*

Menſtrui fluxûs ceſſatio craſſitiem cutis inducit, 490.

Menſtruis deficientibus mulieres piloſæ evadunt, 13. Falſam barbam educunt, *ibid.* Sæpè oriuntur morbi cutanei, 71.

Menſtruatio vel tardata, vel ſuppreſſa morborum cutaneorum cauſa ferax, 48.

Menſtruæ vacuationes feminas liberant à pleriſque morbis cutaneis, 355.

Mercurius inter reſolventia primum & principem locum obtinet, 160. Sobriè & prudenter admiſſus nocere non poteſt in herpetum curatione, 344. Peſte pejus agit in vitiliginis curatione, 354. Præparatorii medicamenti titulum ſibi vindicat in herpetum curatione, 335. Inunctus ſanavit meretriculam porrigine laborantem, 462. An conducat in craſſitiei cutis curatione, 493. Vermibus enecandis aptiſſimus, ſed non ſine periculo, 573.

Mercurii inunctionum in phthiriaſi periculum, 581. Dantur exempla, *ibid.*

Mercurio ineſt vis cognita vermes necandi, 585.
Mercurii uſus in craſſitie muci ſanandâ, 143.
Mercurius dulcis quomodò exhibendus infantibus, 280.
Mercurii ſublimati corroſivi ſolutio præcipuum obtinet locum inter diaphoretica remedia, 329. Sæpè contulit ad herpetes ſanandos, *ibid.* Doſi magis refractâ quàm in lue venereâ, *ibid.* Quomodò adhiberi debeat, 329. Lenior ſolutio in lotione adhibita & cum emollientibus finem impoſuit curationi mali mortui, 397. Refractâ doſi prodeſt in curatione tineæ, 473. Laudata in curatione crinonum, 585.
Mercurialia nociva in curatione morborum cutaneorum à lacte, 136. Quandò profutura quomodò noſcitur, 138, 139. Nocent, niſi mucoſa craſſities ſubſit, 145. Cautè uſurpanda in curatione morborum cutaneorum infantum, 279.
— Purgantibus remixta maximè conferunt in herpetum curatione, 336. Scorbuto ſopito novas vires ſufficere poſſunt, 345. Nocere viſa ſunt majori doſi, prodeſſe parvâ in curatione intertriginum, 454. Quo in caſu locum inveniant in tineæ curatione, 472.
Mercurialis curatio gonorrheam producit, 62.
Mercurialis herpetes ſimul atque lichenes confudit, 321.
Meri potus ſanavit puſtulas aquæ puriſſimæ uſu ortas, 64.
Metaſtaſis ingraveſcente ætate faciliùs fit ad hepar, 56. In morbis mucoſis vulgò fit in pulmones, *ibid.* Periculoſa, *ibid.*
Mezerei cortex quandò apponendus in herpetum curatione, 319. Cur veſicantibus anteponendus, *ibid.* Infantibus applicatur ingenti cum ſucceſſu, 124.
Milphoſis quid, 620.
Mœror inter cauſas craſſitiei cutis inducendæ aptas numerari debet, 489.
Morbi à muco pendentes difficilè proſerpunt & difficilè curantur, 269.
Morbi infantum depuratorii duplicis ſunt generis, 270. Cauſæ tres ſunt præcipuæ, dentitio, nutritio, & aëris actio, 271.
Morbi cruſtoſi dantur in quibus nulla ſuppuratio, 444. Horum triplex genus, *ibid.* Cauſæ, *ibid.*
Morbi cutanei per palliativa extincti phthiſim inducunt, 458.
Morbi cutanei infantum ab aere pendentes diverſa ab aliis phœnomena proferunt, 272.
Morbi peſtilentiales quinam dicendi ſunt, 173.
Morbi putridi quid indicent, 173.
Morbilli quid, 182. Symptomata, *ibid.* Facilè retropelluntur, *ibid.* Periculoſiores illis qui rufis donantur capillis, 72.
Morsûum animalium prognoſis, 560. — Formâ minorum claſſis duplex, 561.
Mortonus pronunciat nullam ferè dari phthiſim quæ non ſit ſcrophuloſa, 57.
Moſchetos quid, 566.
Motus nimius cutem vitiat, 43. Eryſipelata, phlegmones producit, 48.
Mucus acrior factus diros ad cutem morbos procreare valet, 54. Sua habet vitia peculiaria, *ibid.* Facilè ſolideſcit ad cutem, *ibid.* Nidum opportunum præbet inſectis, *ibid* Mucus lympham conſtituens quomodò peccare poſſit, 141. Quandò concreſcat ad cutem, 186. Quandò uſibus noſtris ineptus, 187. Hujus mutationis exempla quibus in morbis frequentia, *ibid.* Contagio infectus in variolis legitimis in cutis cellulas deponitur ſtato tempore, *ibid.*
Mucus facilè aceſcit in feminis puerperis, 268. Ranceſcit in ſenioribus, 269. In infantibus ad acidum maximè vergit, 436.
Mucus animalis quid ſit, 268. Hujus dotes, *ibid.* Suſcipere poteſt indolem veneni cujuſlibet, 57. Dilatatur prætermodùm, ubi aquâ diluitur, 56.
Mucus ſimplex pueris proprius, 52.
Mucoſa pars ſanguinis quibus conflecur principiis, 186. Acredinem ſuſcipit, undènam, 57.
Mucoſa ulcera vel cum pruritu, vel ſine pruritu fiunt, 55.
Mucoſi morbi acuti vel chronici, 55. Chronici juniores & infantes aggrediuntur, *ibid.* Variolas præcavere poſſunt, *ibid.* Repercuſſionis periculum ingens, *ibid.* In puerili ætate majori celeritate ſua percurrunt tempora, 56. Depuratio citior fit, metaſtaſis periculoſior, *ibid.*
Muliebris evacuatio feminas præſtat immunes ab herpetibus, 312.
Mulieribus commune eſt cute tenuiſſimâ gaudere, 50.
Mundities capitis ad cutis ſanitatem neceſſaria, 626.
Mures videntur partes venenatas corporibus quæ tangunt inferre, 559.
Muſca intra fauces introducta viam ſpiritûs præcluſit, 562.
Muſcæ noſtrates quo tempore magis noceant, 561. Quibus in regionibus frequentiores, 562.

Muſcarum diverſæ ſunt ſpecies cuique animalium generi propriarum, 561.
Muſcus terreſtris repens ſpecificum remedium adverſus plicam Polonicam, 617. Vomitum conciliare deprehenditur, 618.
Muſtiques quid, 566.
Myrmeciæ quid, 540.
Myrmecii tumores quid, 594.
Mytulorum eſus pruritus concitat in cute, 37. Papulas producit, 212. Marinorum effectus in cutem, 552.

N

Nabuchodonoſor humanam formam amiſerat indutâ ferinâ, 490.
Narcotica competunt in curatione ariditatis cutis, 502.
Naſus ſæpè rubet à ſuppreſſis hæmorroidibus, 49.
— Rubeſcit in lienis durioris ſcirrhosâ diatheſi, 648.
Natura coactâ parùm auſcultat præceptis, 457.
— Hujus exempla, *ibid.*
Nebulæ in humidioribus vallibus vitandæ, 68.
Nervei morbi ſæpè conticeſcunt erumpente morbo cutaneo, 49.
Nigra nunquam impunè erumpunt in corpore, 174.
Nili aquæ pro inſalubribus habitæ, 355.
Nævus niger quid, 425.
Nævi quid, 547. An ab imaginatione matris, *ibid.* Huic ſententiæ ne fides adhibeatur multa faciunt, 549.
Nævos à matre impreſſos prorsùs eſſe rejiciendos non dicit auctor, 549.
Nævi ad aliquid genus macularum ſuprà deſcriptarum referri debent, 550.
Nævos gentilitios non negat auctor, 550. Exemplum refert, *ibid.*
Nævi quandò arte chirurgicâ tollendi, 157.
— An ferro, an cauſtico, *ibid.* Quænam cautelæ adhibendæ, *ibid.*
Nox frigida tumores eryſipelatoſos intulit, 31.
Nuditas craſſitiei cutis cauſa, 486. Phœnomena, *ibid.*

O

Observatio effectûs ſingularis veneni in cutem ab hepate piſcis cujuſdam largiùs comeſto, 552.
Obſtipantia duplicis ſunt generis, 68.
Oculorum morbi plerique ad herpetum naturam revocandi, 302.
Odor diverſus pro diverſitate ſexûs, ætatis, 66.
Odor acidus in infantibus oculos ferit, 274.
Œdema palpebrarum quid, 622. Senibus frequens, *ibid.* Hujus cauſæ, *ibid.* Curatio, *ibid.*
Olea inter reſolventia admittit auctor, 160.
Olea morbis cutaneis anſam præbere poſſunt, 68. Inſecta quævis necant, 585.
Oleoſa in intertriginum curatione non nocent, imò proſunt, 453.
Ophiaſis quid, 606. Curatio, *ibid.*
Ophiaſis quid, 604. Eſt ſymptoma, non verè morbus, 605.
Opium noxium maximè in herpetis phagædenici curatione, 348.
Opii efficacia vertitur in irritantem quandoquè.
Oribazius primus inter Græcos medicamenta externa in herpetum curatione fruſtrà adhiberi monet, 318. Duas intertriginum ſpecies diſtinguit, 449.
Orizæ eſus papulas concitat in feminâ nobili, 27, 37.
Oſſea compages ſæpè mollis eſt circà dentium eruptionem in infantibus, 437.
Oſſium diſtorſio in infantibus undènam, 120.
Oſtreorum eſus papulas producit, 212.
Ovaria menſtruis retentis maximam mali partem ſuſcipiunt, 50.

P

Palpebrarum laxitas ſenum morbus, 622. Cauſæ, *ibid.* Curatio, *ibid.* 623. Calloſitas quid, *ibid.* Cauſæ, 624. Curatio, *ibid.* Ulcera cujus generis, *ibid.* Curatio, *ibid.* Ulceribus vermiculi innaſcuntur aliquandò, 625.
Panacea mercurialis quomodò infantibus concedenda, 280.
Papulæ quid, 211. Cuinam ætati familiares, 214. Duo genera diſtinguit Celſus, *ibid.* Duplex genus proſequitur auctor, *ibid.* Aliæ benignæ ſunt, aliæ malignæ, *ibid.* Benignarum cauſæ, 212. Curatio, 213, 217. Malignarum duplex diſtinguitur ſpecies, 213. Cauſæ, 213, 214. Cauſarum diagnoſis, 217. Diagnoſis, 215. Prognoſis, 216. Curatio, 217. Quænam oriantur quotannis verno tempore, 301. Harum ſymptomata in maribus, *ibid.* In feminis, *ibid.* Triplex diſtinguitur ſpecies, 301. Harum phœnomena, *ibid.* 302.
Papulæ ſæpè oriuntur initio febrium intermittentium, 37. Ortæ à mytulis & oſtreis

imprudentiùs aſſumptis, 27. In feminâ nobili ab eſu orizæ, 27, 37. Ab aquæ calcis potu & eſu chelarum cancrorum, 37. Productæ à narcoticis in infantium pertuſſi, 172. Plures prodeunt inter balneorum uſum, 219.

Parietaria pro præſidio externo adhibita in herpetum curatione, 317.

Parmentier negat gangrænam induci à frumento carioſo Gallicè *ergoté*, 37.

Paræus dedit deſcriptionem unguenti ad tineam, 476. Loquitur de elephantiaſi, quaſi de morbo apud Gallo-provinciales cognito, 363.

Pathemata morbis cutaneis producendis conducunt, 489.

Paulus omnium primus præſcripſit aceti ſcillitici uſum in elephantiaſios curatione, 385.

Paulus Ægineta lepram & ſcabiem promiſcuè habuit, 365.

Pedicularia à Paulo uſurpata in curatione pedicularis morbi, 580.

Pediculi quid, 70. Undènam oriuntur, *ibid.* Quænam corpora ipſis magis obnoxia, *ibid.* Inſectorum in cute naſcentium præcipua ſpecies, *ibid.* Quomodò deſtruantur, *ib.*

Pediculi fomitem reperiunt in cruſtis lacteis, 446. Inter quænam inſecta numerentur, 568. Naſcuntur in fœdis impuriſque ulceribus, teſte Plinio, 576. Procreantur ab excrementis calidis tertiæ coctionis, 578.

Pediculorum duplex ſpecies, 577.

Pediculorum proventus omnibus terris communis eſt, 570. Sub cutem etiam fieri poteſt, 578.

Pediculos à ficûum uſu frequentiores generari putat Paulus, 579.

Pediculus Americanus ferox quid, 570. Quonam in loco inveniatur præcipuè, *ibid.* Nigritas & illos qui pedibus nudis incedunt adoritur præcipuè, 571. Duplicem tumorem producit, *ibid.* Alter venenatus, alter veneno carens, *ibid.* Utriuſque effectus in corpore, 572. Curatio, 571.

Pediculus vulturis effectus atroces in hominem gignit, 570.

Pedicularis morbus quid, 100, 574. Quibuſnam familiaris, 100. Quomodò ſe habeat narrat auctor, *ibid.* Plurimos è medio tollit, 575. Exquiſitus rarus apud nos, 576. Hujus morbi exempla quam plurima, *ibid.* Phænomena, *ibid.* Cauſæ remotæ & proximæ, 578. Cauſam proximam non ſatis evolvit Galenus, *ibid.*

Pediculari in morbo aliquid melancholici ſubeſſe credidêre Medici omnes Græci & Arabes, 578. Diagnoſis, 579. Prognoſis, *ibid.* Curatio, *ibid.* Diverſa eſt pro vario gradu, *ibid.* Quodnam regimen inſtituendum, 579. Mercurialibus nulla ratione fidendum eſt, *ibid.* Quænam topica adhibenda, 580.

Pedicularis cachexia datur, 578.

Pelade (la) quid, 93, 600. Quibuſnam populis familiaris, 93.

Peripneumoniæ periculoſiores illis qui rufo donantur colore capillorum, 72.

Perniones quid, 509, 658. Undè ducant originem, 53. Vel ſunt ſimplices, vel maligni, 659. Quomodò definiantur, *ibid.* Febrem ſæpè inducunt, 660.

Pernionum ſymptomata, 660. Exemplum ſingulare in puellâ, 660, 661.

Perniones maligni quinam, 661. Quibuſnam familiares, *ibid.* Quibuſnam in locis frequentiores, 662.

Pernionum cauſæ, 661. Curatio, 662. Triplex inſtitui debet, *ibid.* Immaturorum, rimoſorum, ulceratorum, *ibid.* Varia debet eſſe pro cauſarum diverſitate, 664.

Peplium ab antiquis in uſum vocatum in herpetum curatione, 335.

Perſpirabilis halitus in infantibus aliquid acidi exhalat, 437.

Perſpiratio inſenſilis à Sanctorio nomen accepit, 22. Non unius naturæ eſt, *ibid.* Inſenſili perſpirationi ſemper patet cutis, *ibid.* Inſenſilem perſpirationem obſervationibus firmavit Gorterus, *ibid.* Quatuor & quinque horis ab aſſumptu alimentorum exit, *ibid.* In cruditate omnimodâ nulla eſt, *ibid.* Morbis cutaneis anſam præbet, *ibid.* Facilè reſarcitur Americanis in regionibus, 33. Vitiatur præpoſtero veneris exercitio, 45. Triplici modo cutaneorum morborum cauſa eſſe poteſt, 46. Minor in feminis, 50. Retenta in aliquâ parte corporis melicerides, ſteatomata, atheromata producit, 47. Depravata originem dat omnibus ferè cutis affectibus, *ib.* Acris retenta epidermidem ſejungit, aut in furfures, aut in lamellas, *ibid.* Imminuta, ſi non acris eſt, vix nocet cuti, *ibid.* Refluа fertur in validioribus ad urinas, in infirmioribus ad alvum, *ibid.* Nunquam abſoluta eſſe poteſt in gravidis atque puerperis, 281. Depravata & vitiata herpeticam indolem inferre valet lymphæ, 314, 315. Nullibi adeò facilè cohibitur quàm ad faciem, 456. Ad cutem hærens pueros reddit

hiſpidos, 438. Repreſſa in infantibus ſubitas concitat convulſiones, *ibid.* Suppreſſa quænam mala inducat, 510. Perſpirationi fidendum eſt in calidâ regione, 258. Nullatenùs fidendum in primâ ætate, 411. Perſpirationis vis immenſa è proximo ore, buccâ, naribus, 456.

Perſpiratorius humor vehiculum omnium humorum qui cutim afficiunt, 48.

Peruvianus cortex omnia medicamenta præcellit in curatione vitiliginis, 354.

Petechiæ non ad cutaneos morbos referuntur, 32.

Phalangia. Vide *Araneæ.*

Phalangoſis quid, 619. Diagnoſis, *ibid.* Prognoſis, *ibid.* Curatio, *ibid.*

Philoxenus narrat reperta fuiſſe à ſe culicibus aut exiguis muſcis ſimilia in atheromate cutaneo, 547.

Phlyctæna in ſcorbuticis ut accidens haberi poteſt, 414.

Phlyctænarum non criticarum exitus, 172.

Phlyctænæ ortæ in violentiſſimis arthritidis doloribus, 172. Quandò criticæ, *ibid.* In morbis acutis cutaneis quid indicent, 178.

Phlyctænarum eruptione criſis exemplum in cutaneis morbis acutis, 179.

Phlyctænæ πομφοι dictæ quid, 235.

Phlyctænarum duplex ſpecies, 235. Cauſas conſtituit acre quodvis retentum, 257.

Phlyctæna ſimplex rarò morbus gravis eſt, 254.

Phlyctænarum ſuccedentium magnus proventus hominem ab herpetibus liberavit, 255.

Phlyctænæ à causâ internâ natæ ſolitariæ ſunt, vel agglomeratæ, *ibid.* Familiares iis quos vexat quævis acrimonia, 256.

Phlyctænarum prognoſis, 256. Cauſæ fata ſequitur, *ibid.* Curatio, *ibid.* Alia interna, alia externa, ſive palliativa, *ibid.* Externa quænam, 256. Pluries in die deligandæ ſunt plagæ, *ibid.* Interna non adeò ſimplex, *ibid.* Varianda eſt pro cauſæ varietate, *ibid.* Duplex oritur indicatio, 257. Alia eſt curatio ſenibus & corporibus aridis, *ibid.*

Phlyctænæ nigricantes non raræ ſenibus, 414.

Phlyzacium inter puſtulas deſcripſit Celſus, 430.

Phocarum eſus elephantiaſim promovere valet, 381.

Phygetlum quid ſit, 415, 417. In quo differat à phymate & furunculo, *ibid.* Minus volumen occupat quàm phyma aut furunculus, 417. Raro ſolum emicat, 417. Hujus ſedes, *ibid.* Cauſa quadruplex, 419. Curatio duplex, palliativa alia, alia curativa, *ibid.* Quænam competat diæta, 421.

Phygetlum ſæpè pro ſymptomate habetur, 422. Aliquandò criſeos more erumpit, *ibid.* Senibus magis peculiare, 422. Cur, *ibid.*

Phyma quid ſit, 415, 417. In quo differat à furunculo, *ibid.* Ad pueros præcipuè pertinet, 417. Hujus figura, *ibid.* Duratio, *ibid.* Cauſa, 418. Quadruplex eſt, 419. Sæpè cum herpetibus erumpit, 421.

Phymatis duplex curationis via, 420. Palliativa alia, alia curativa, *ibid.*

Phymata aliquandò pro ſymptomate habentur, 422. Aliquandò criſeos more erumpunt, *ibid.* Dantur venerea, 422. Horum diagnoſis, *ibid.* Dantur ſcorbutica, *ibid.* Horum diagnoſis, *ibid.*

Phymata juvenibus & puellis pubertatis ſtadium emenſis peculiaria, 633. Horum ſymptomata, *ibid.* Plus viris quàm feminis competunt, 634. Horum cauſæ ad ſenſum auctoris, *ibid.* Curatio, 635.

Phymata à ſolo uſu vini conceſſo ſanata, *ibid.*

Phthiſis à retropulſis herpetibus naſcitur, 27. A variolis & ſcarlatinis febribus, *ibid.*

Phthiſim à ſcabie inductam vidit auctor, 232.

Phthiſis nervea à tumorum cyſticorum deſtructione orta, 627.

Phthiſici rugosâ pelle deformes ſunt, 495.

Phtiriaſis ſeu morbus pedicularis, 574. Hujus phœnomena, 575, 576. Diverſæ dantur ſpecies, 574.

Phtiriaſim pro morbo palpebrarum proprio habet Celſus, 574.

Phtiriaſios, ſeu morbi pedicularis alia forma, 576.

Pili originem mollem & mucoſam habent, 11, 14. Horum bulbi ſimiles bulbis vegetantium, *ibid.* Eadem ſtructura, origo non eadem, 12. In maſculis & robuſtis nulli parti deſunt, *ibid.* Fabrica, *ibid.*

Pilis dantur vaſa quæ in plicâ Polonicâ ſanguinem fundunt, *ibid.* Pilorum duplex claſſis, *ibid.* Emiſſionem inter & ſeminis generationem ingens analogia, 13.

Pili non æquè competunt ad omnes omnis regionis homines, 14. Sæpè intra hydatides inventi, *ibid.*

Pilorum morbi inter cutis morbos numerantur, 15.

Pilorum differentia, 594. Sedes non una, *ibid.* Tria genera notanda ſunt, 595. Color quinam fixior, *ibid.* Defluvium à quânam causâ pendeat, 598.

Pili non reperiuntur in ſanguine plicâ laborantium, 614.

Pilulæ de Belloſte ad luem veneream inhabiles, 328. Ad herpetum ſanationem celebres, *ibid.*

Pituita olim capiti adſcribebatur, 456.

Planta nocturna Arabum quid ſit, 423. Differt ab epynictide & cæteris humoribus hujuſce ſpeciei, 424.

Plantæ nocturnæ hiſtoria, 424. Alia hiſtoria in viro ſexagenario, 425. Sanationem non recipit niſi pars dolens per ſuppurationem deleatur, 425. Curatio, 426.

Plantæ aperientes quâ methodo ſumendæ, 128.

Plantæ duplici agendi normâ cutem attingunt, 555. Acres & aromaticæ maximè conferunt adverſus vermes, 573.

Plantarum ſucci venenati acres quomodò agant, 556. Virtute cauſticâ donatarum ſuccus novas accepit vires à calore corporis humani, 557. Halitus non agit in cutem niſi per interna fortiſſima ſymptomata, 554.

Paulus narcotica ſuadet in plantæ nocturnæ curatione, 426.

Plica Polonica quid, 608. Forma plicæ non una, *ibid.* Duplex diſtinguitur, altera fœminea, altera maſcula, *ibid.* Tertiam addit Hercules Saxonia dictam filia, *ibid.*

Plicæ Polonicæ natura eadem, 609.

Plica omne adoritur hominum genus, 609.

Plicâ laborantem equum vidit Sennertus, 609.

Plica non morbus ſimplex, 609. Hujus principium, *ibid.* Origo verſus annum Chriſti 260 conſtitutum, 609. Invaſionis tempus diverſum, 610. Elementa nullibi terrarum reperiuntur, 479.

Plicam ad morphæam & porriginem referendam eſſe volunt Sennertus & Sckenkius, 610, 614.

Plicæ ſymptomata duplicis ſunt generis, univerſalia & propria, *ibid.* In primo morbi ſtadio non videntur ad capillos pertinere, 610. In ſecundo quænam, *ibid.* In tertio, 611. Tertium ſtadium lenius eſt, *ibid.*

Plicæ omni non competit ſanguinis effuſio, 610.

Plicæ effectus & ſequelæ, 611. Incipientis diagnoſis intricata; morbi ſemel conſtituti facilis, *ibid.* Exiſteutiam negavit Daviſſon, 612. Adſtruit Skummovius, 613. Diagnoſis à Polonis uſurpata difficilis, 612. Plicam tanquam morbum fictitium habent recentiores Medici, 613.

Plica non eſt morbus contagioſus, 614. A veneno peculiari pendet, *ibid.* Cauſarum proximarum hiſtoria tenebris involuta, 614. Remotæ non magis cognitæ, 615. Hujus origo aquis adſcripta, *ibid.* A ſupernaturalibus cauſis eruere ſimplicius viſum fuit, *ibid.* Magis attingit mulieres, *ibid.* Curatio duo admittit tempora, 616. Quænam ſit, *ibid.*

Plica Polonica demonſtrat criſes fieri poſſe per cutem capillatam, 627.

Plinius lepram totiûs corporis cancrum vocat, 362. Nimioperè laudat mandragoræ ſuccum in curatione ignis ſacri, 406. Arbitratur animalium morſus ab irâ aliquam veneni partem combibere, 560.

Plumbata omnia nocent in curatione effectûum frigoris mediocris in cutem, 511.

Poil follet quid, 595.

Poil (le) quid, 614.

Pomata conducunt in curatione effectûum ſolis, 508. Quænam cautelæ adhibendæ in illorum illitione, *ibid.* In curatione effectûum frigoris mediocris in cutem conducunt, 511. Adverſus calvitiem laudata non multùm virtutis habent, 603. Quænam conducunt in guttæ roſeæ curatione, 646.

Porcupineman quid, 522.

Porrigo quid ſit, 95. Hujus ſymptomata, *ibid.* Non ſunt ſemper eadem, 465.

Porriginis inter ſymptomata additur fetiditas, 95. Deſcriptio, 458. Morbus eſt capitis cuti proprius depuratorius, *ibid.* Ad furfuraceos & lichenoſos morbos refertur, *ibid.* Duplex ſpecies, altera non morboſa nec depuratoria, altera morboſa & depuratoria, 459. Non morboſa infantibus recens natis naturalis eſt, *ibid.* In juniore ætate rarò ſævit, *ibid.* Hujus curatio, *ibid.* Depuratoria capillis præcipuè infenſa, 460. Utraque vel madens eſt, vel ſicca, *ibid.* Humida in feminis tantùm obſervata ab auctore, 461. Cuti capillatæ ſoli propria, *ibid.* Hujus ſymptomata, *ibid.* Ad herpetes refertur, *ibid.* Natura eadem eſt ac herpetum, 462. Curatio eadem, *ibid.* Sicca juniores & adultos perſequitur, 460. Hujus phœnomena, *ibid.* Cauſæ, *ibid.* Effectus, *ibid.* Curatio eadem ac lichenum, 462.

Porrigo tineæ prodromus & quaſi nuntia, 465.

Poſca laudata in curatione puncturæ inſectorum, 567.

Potatores papulis dehoneſtantur, 40. Aquâ ab his liberantur, *ibid.*

Pouppé Deſportes curationem ampliſſimam morbi lepian dicti relinquit, 394.
Preputiolum palpebrarum morbus, 625. Hujus curatio, *ibid.*
Pringle experimenta de ſale communi, 41.
Pruna levior igne perſico, 413. In quo conſiſtat, *ibid.* Difficiliùs curatur, *ibid.* Vide *Ignis perſicus.*
Pruritus in morbis cutaneis ingentes cruciatus concitat, 24. Omnibus cutis partibus communis, *ibid.* Ad leviores pertinet inflammationes, 25. Originem ſæpè ducit à copiâ alimentorum crudâ, 38.
Pſora à ſcabie quid, 141. Vide *Scabies.*
Pſydracia ulcera quid ſunt, 430. Ad ficus & ficoſos tumores referendi ſunt, *ibid.*
Ptiloſis quid, 620.
Ptiſanæ leves ex radicibus aperientibus commendantur ſub finem curationis cutaneorum morborum à lacte, 137.
Ptiſanæ ſudoriferæ celebres in curatione acredinis quam tenuitas comitatur, 144. Laudantur in curatione papularum, 219. Maximè laudantur ab auctore in tineæ curatione, 474. Quomodò exhibeantur ab illo, *ibid.*
Pudendorum labia rugoſa ſunt in intertrigine, 449.
Puerperæ ad infantium temperiem accedunt, 443.
Pulices quomodò arceantur, 569.
Pulmones inter & cutem plena communio, 27.
Pultes farinoſæ favis inducendis aptæ, 440.
Puncturæ à vegetantium ſpinis quomodò agant, 560. Quid ab his metuendum, *ibid.* Prognoſis, *ibid.* Curatio, *ibid.*
Purgantia attenuantibus intermiſcenda ſunt, 332.
— Draſtica non conveniunt in plicæ Polonicæ curatione, 616.
— Minorativa feliciter uſurpantur in curatione cruſtæ lacteæ, 448.
— Vegetantia duplicis ſunt generis, 528.
Purificantia lympham quomodò agant, 153.
Purpura Germanorum quid ſit, 53.
Pus ſæpè nullâ prævià causâ expuitur in morbis mucoſis cutaneis retropulſis, 56.
Puſtula Aleppi quid, 371.
Puſtulæ quid, 252. In quo diſtinguantur à maculis, à papulis, *ibid.*
Puſtularum naturam doloris natura arguit, 74.
Puſtulæ oriuntur à copiâ ciborum crudâ, 38. In facie à nimio motu, 43. Procreantur vigiliis, 44. Erumpunt frequenter in utroque ſexu pubertatis tempore, 45. Decreſcunt eodem ordine quo glandulæ detumeſcunt, *ibid.* Concitantur à ſuperfluâ in ſanguine ſeminali mucagine, *ibid.*
Puſtulæ in fronte ortæ ab uſu vini Hiſpanici & potus *caffé*, 253.
Puſtularum plures diſtinctiones admiſit Celſus, 252.
Puſtulæ aliæ ſimplices, aliæ liquore turgent, 47. Confertæ ſunt, vel ſparſæ, *ibid.* Sunt varii coloris, *ibid.* Flavæ quid indicent, *ibid.* Aliæ acutæ ſunt, aliæ chronicæ, 75. Criticæ ſunt, vel ſymptomaticæ, *ibid.* Quid criticæ ſignificent, *ibid.*
Puſtularum ſimplicium cauſæ, 253. Diagnoſis, 73, 75. Prognoſis, *ibid.* Curatio, 253.
Puſtulæ alieno humore plenæ quandò oriantur, 76. Harum origo, *ibid.* Diagnoſis, *ibid.* Prognoſis, *ibid.* Quibuſnam familiares, 76, 77. Aliæ benignæ ſunt, aliæ malignæ, 252. Quænam benignæ, *ibid.* Seroſæ ſunt, ſeu lymphaticæ, ſanguineæ & bilioſæ, *ibid.* Lymphaticæ undenam oriantur, 77. Rursùs dividuntur inter eas quæ ichorem fundunt & illas quæ ſanguinem, aut pus continent, 253.
— Purulentæ quandò oriantur, 78. Cujus ſint ominis, *ibid.* Quibuſnam familiares, *ibid.*
Puſtulæ inflammatoriæ quænam ſint, 258. Diverſæ dantur ſpecies, *ibid.* Bilioſæ ſunt, ſanguineæ & atrabilariæ juxta veteres, *ibid.* Bilioſæ quid ſint, 258. Harum diagnoſis, 259. Curatio, *ibid.* Sanatæ aquæ potu, 261. In altero homine vini potu, *ibid.* Sanguineæ quænam ſint, 259. Varia nomina ſortiuntur apud Arabes, 259, 260. Harum tria diſtinguuntur tempora, *ibid.* Diagnoſis, *ibid.* Prognoſis, *ibid.* Curatio, *ibid.* Atrabilariæ quid, 77. Cauſæ, *ibid.* Quibuſnam familiares, *ibid.*
Puſtulæ diverſi coloris quid, 263.
— Eryſipelatoſæ pruritu diſtinguuntur, 74.
— Prurientes naſcuntur ad cutem, quoties calculus pungit renes, aut ureterum ſubſtantiam, 65.
— Lacteæ capitis quænam ſint, 628. Quænam ſuccedant morbis eruptivis, 260. Quænam ſint quæ cum æſtate fervente apparent & ſub finem autumni prorſùs abeunt, 258. Quænam vocentur ſudamina, 253. Quænam ſalutares, licèt non criticæ, 170. Plurimorum morborum acutorum criſis, 252. Quæ ſine febre apparent rarò depuratoriæ, 253. In variolis indureſcunt, & in farinam abeunt,

abeunt; 444. Aquæ puriſſimæ uſu ortæ meri potu ſanatæ, 64.
Puſtularum univerſale remedium in victu ſimplici, præſertim vegetante, conſiſtit, 261.
Pythiocampa quid, 555.

R

Rachitis ab omni cauſâ naſci poteſt, 431.
Raiæ ſpinoſæ effectus, 555.
Raritas cutis quid, 630. Eam maſculis adſcribit Hippocrates, *ibid.*
Regimen maximam partem obtinet in curatione favorum, 440.
Remedium lepram excorians, 367.
— Famoſum Archigenis ad evellendam lepram, *ibid.*
Repercutientia non metuenda in intertrigine, 451.
Reſinæ lacteſcentis vegetantium effectus in cute, 509.
Reſinæ purgantes adhibitæ à veteribus in curatione morborum cutaneorum, 155. Non eamdem vim ſolvendi poſſident, *ibid.* Harum locum uſurpaverunt mercurialia & antimonialia, *ibid.* Infantibus magis competunt, 278.
Reſinæ odoratæ inſecta fugant & enecant, 573.
Reſolventia quænam ſint, 159. In tres dividuntur claſſes, *ibid.*
— Aromatica quandò conducunt in cutaneorum morborum curatione, *ibid.* Quandò admittenda in curatione craſſitiei cutis, 492.
Reticulare organum ſecunda cutis pars, 3.
Retropulſio in morbis acutis, quid ſit, 109. Subita eſt, vel fit ſenſim, *ibid.* Cauſæ, *ibid.* Duplex effectus eſſe poteſt, 110. Maximus metus in morbis cutis depuratoriis, *ibid.* In acutis major adhuc, *ibid.* In chronicis duplex eſt, 111. Vel ſubita, *ibid.* Vel lenta, 112. Utriuſque cauſæ, *ibid.* Subita maximè timenda in chronicis, 111. Hujus effectus, *ibid.* Prognoſis, *ibid.* Curatio, *ibid.*
Rhabarbarina decocta laudata in curatione ignis ſilveſtris, 412.
Rhagades optimè ſanantur applicatione cerati Galeni, 453.
Rhaſes carbunculos cum prunâ & igne perſico confundit, 414.
Rheum infantibus maximè proficuum, 123.
Roſa capitis, quid per hæc vocabula intelligat Aurelius Severinus, 430. Hujus deſcriptio, 431. Ad herpeticum virus pertinet, *ibid.* Cauſticis ſolis adoritur Severinus, *ibid.*
Roſeolæ ſaltantes quid, 398. Harum ſedes, *ibid.* Color, *ibid.*
Roſeolarum ſaltantium ſpecies duplex, 398. Altera maligna, ſimplicior altera, *ibid.* Pro malignis herpetibus habentur apud nos, *ibid.* Prior ſpecies vetulos magis invadit, poſterior juvenibus familiaris, *ibid.* Ad quoſnam morbos referri poſſunt, *ibid.* Plus cauſæ quàm effectuum ratio habenda; prior ſpecies effectibus ſæva, *ibid.* Poſterior morbum ſolo reditu incommodum conſtituit, *ibid.* Diagnoſis evidens, *ib.* Prognoſis difficilis, *ib.* Poſterior ſpecies coctionem non accipit, *ibid.* Hæ ſaltantes propriè dicendæ, *ibid.* Quo tempore ſæviant, quo conticeſcant, *ibid.* Curatio, *ibid.* Huic obſtat ægrotorum negligentia, 400. In hac nihil tutius lacte aſinino, *ibid.*
Rubefacientia quænam ſint, 67. Quomodò agant, *ibid.*
Rubia tinctorum adverſùs rachitidem ſpecifica, 279.
Rubor faciei à violento nixu ad alvum deponendam ortus, 632. A ſole, *ibid.* Qui partem unam tantùm occupat pervicacior, *ibid.*
Ruboris faciei natalia, 633.
— Sanati hiſtoria, 648.
Rubores naſi quid, 647. Horum cauſæ, *ibid.* Curatio, 648.
Ruſi quibuſnam incommodis obnoxii, 536. His cutis minus poroſa, *ib.* Subtilior, *ib.* Perſpiratio peccat, *ibid.* Rufis feminis & maribus eadem phœnomena, *ibid.*
Rufa muliercula dum menſtrua fluunt odorem intolerabilem ſpargit, *ibid.*
Ruforum canities fœda, 537.
Rugæ morboſæ quid, 493. Harum phœnomena in corpore, 494. Duplicis ſunt generis, *ibid.* Aliæ univerſales morboſæ, *ibid.* Aliæ faciei propriæ, non morboſæ, *ibid.* Omnes nos manent, *ibid.* Seniles ſunt, vel conquiſitæ, 495. Hæ morbum conſtituunt, *ibid.* Cauſæ, *ibid.* Curatio lenta, 496.
— Infantum quomodò curentur, 496. Vix medentur diluentia & balnea, 497.
— Abdominis undè pendeant, 654. Quomodò curentur, 655.
Rugoſitas oculorum in ſenili ætate undè, 496.
Ruſſel omnes mutationes in æconomiâ animali neceſſarias fuſè expoſuit, 438.
Ruſſi à ferventi balnei calore ſeſe in nivem provolvunt, 487.

S

Saire quid, 351.

Sahafati Arabum pro igne ſilveſtri haberi poteſt, 409.

Sal commune vulgare condimentum, 40. Modicâ doſi aſſumptum vias urinæ affectat, *ibid.* Exceſſu nocere poteſt, *ibid.* Efficax in glandularum inertiâ, 653. Laudatur in curatione ſcrophularum, 240. In intertriginum curatione non uſurpandum, 454. Modicâ doſi favet putrefactioni, 41. Eam arcet largâ copiâ aſſumptum, *ibid.* Herpetem miliarem aliquandò procreat, 53. Inſecta fugat, 565. Vulnera ab illis inflicta ſanat, *ibid.*

— *Ammoniacum* aquâ dilutum proficuum in pernionum curatione, 633.

— Tachenianum ſaponaceum commendatur ab auctore, 287.

Salia neutra quandò utilia in cutaneorum morborum curatione, 128. Conducunt maximè in papularum malignarum curatione; 217. Commendat auctor in curatione craſſitiei cutis, 492. Maximas partes agunt in guttæ roſeæ curatione, 644.

Salia omnia antimonialia ſervant virtutem emeticam, 331.

Salia varia vario modo agunt in ſanguinem, 57.

Salia volatilia quomodò agant, 152. Quandonam proficua, *ibid.* Cutaneos morbos augeſcunt aliquatenùs, 153.

Salaces viri elephantiaſi magis obnoxii, 381.

Saliva hominum herbis ſaponaceis utentium ſalia & ſaccharum promptiùs & faciliùs ſolvit, 400. E buccis infantum exiens igni ſylveſtri originem præbere poteſt, 410.

Salivatio levis promovenda in curatione morbi *lepian* dicti, 394.

Sanctorius primus omnium ſenſit quid ſerum acre efficere poſſit in procreandis morbis cutaneis, 298.

Sanguis ruber principatum obtinet in morborum cutaneorum ortu, 48.

Sanguinis effuſio eſt plicæ Polonicæ ſymptoma ab omnibus non acceptum, 611.

Sapo amigdalinus laudatus in curatione craſſitiei cutis, 493.

Sarcoma quid ſit, 546. Quandoque connatum, *ibid.* Sæpè pro variâ figurâ tollitur, *ibid.*

Sarſaparilla laudatur in curatione elephantiaſeos, 388.

Sarſæparillæ decoctum multi pretii apud nos, 137. Adhibitum ab Anglis in curatione herpetum, 329. Jungitur aliquandò cum legitimo uſu mercurii ſublimati corroſivi, 330.

Saturnina ſiccantia repellentibus ſæpè jungenda, 164. Omnia vel leviſſima exulent in herpetum curatione, 341. Horum incommoda, *ibid.* Repercutientia potius quàm reſolventia, 453.

Satyriaſmus à papulis ortus, 216.

Semibalnea commendata in guttæ roſeæ curatione, 645.

Semicupia frigidiora ſuadentur in curatione elephantiaſeos, 388.

Senes qui nec arthritide, nec hæmorroidibus vexantur, herpetibus facillimè laborant, 58.

Senilis ætatis incommoda non eodem tempore omnes afficiunt, 636.

Senium quid, 498. *Senium* Philippi, *ibid.*

Senium præmaturum à doloribus atque curis, 597.

Senſilitas cutis morboſa quænam ſit, 512. Exemplum, *ibid.*

Senſus ſæpè perit in unâ parte, intactis aliis, 24. Hujus phœnomeni exemplum, *ibid.* Senſus in cute latiſſimus, 26. Senſus eò magis acutus, quò majori gaudet tenſione cutis, *ibid.* Non perit, niſi paralyſi, *ibid.*

Senſus eò vividiores, quò ſtructura cutis magis exilis, 26.

Scabies quid ſit, 223. Hoc nomine quem morbum intellexerint Græci & Arabes, 224. Deſcriptio, 224. Hujus duplicem ſpeciem diſtinxit Celſus, *ibid.* Altera ſimplex, altera ferox, *ibid.* Species omnes contagioſæ ſunt, 225. Variarum ſpecierum ſymptomata, *ibid.* Ab attactu corporis ſudantis ſæpè contrahitur, 13. Quo tempore ſæviat, 226. Differentia maxima à corpore in quod incidit repetenda, 225. Endemica eſt quibuſdam regionibus, 226. Inter depuratorios morbos non numeratur 125. Simplicis ſymptomata, 226. Ferocis, *ibid.* Alia neceſſaria ſunt, alia accidentalia, 227. Increſcit à negligentiâ, *ibid.* Cauſæ, 228. Proximæ, *ibid.* Remotæ, 229. Sæpè exorta fuit ab hæmorroidibus ſuppreſſis, *ibid.* Nullam aliam cauſam agnoſcunt Medici plures, præter verminoſam luem, 230. Hanc ſententiam refellit auctor, 231. Quibuſnam argumentis, *ibid.* Cauſam efficientem reponit auctor in acrimoniâ ſpecificâ, *ibid.*

Recens eſt, & contagio contracta, vel inveteraſcens, 236. Diagnoſis, 232. Prognoſis, *ibid.* Efficaci medicinæ raro non cedit, *ibid.* Curatoria methodus à Græcis adhibita, 233, 234. Ab Arabibus, *ibid.* Ab Helmontio, 234, 235. A Riverio, *ibid.* Curatio duplex eſt pro duplici ſcabiei ſpecie, 236. Recentis, 236, 237. Inveteraſcentis, *ibid.* Auſpicanda à venæ ſectione, 235. Balnea ſecundum locum obtinent, 238. Malè tractata in oculos ferri poteſt, 241. Melancholica quid, *ibid.* Quibuſnam competit, *ibid.* Curatio, 242.

Scabiem ſcorbuticam multi memorant, 241. Duplex hujus curatio, *ibid.*

Scabies retropulſa morbos procreat atrociſſimos, 232.

Scammonium præcipuè efficax in curatione tineæ, 473.

Scarlatina febris quid, 181. Hujus ſymptomata, *ibid.* Retropulſionis ſigna, *ibid.* Quoſnam adoriatur, 182.

Schenkius à tineâ retropulsâ ſuppuratum unicum cerebri lobum & mortem vidit, 467.

Scirrhi puerperarum undenam, 285.

Scorbutus non oritur à muriaticis alimentis, 41.

Scorbuti ſpecies à Lucretio deſcripta à ſero acri repetit originem, 54.

Scorbuticum virus in herpetes mutari viſum eſt, 313.

Scordium laudatur in lotionibus & fomentis in igne perſico, 415.

Scortorum immodicus & frequens abuſus una è calvitiei cauſis frequentior, 600.

Screiberus primus omnium adumbravit venenorum degenerationes, 64.

Scrophulæ quid, 140. Harum cauſæ, *ibid.* Debilioribus pueris præcipuè accidunt, 60.

— Glandulas præſertim invadunt, *ibid.*

— Cutim non primariò, *ibid.* Harum curatio, 140.

Scrophuloſum acre quid ſit, 60. Effectus in corpore, *ibid.* Hujus analogia cum lue vereâ, *ibid.* Illiûs cauſæ, *ibid.*

Scrotum omninò rugoſum eſt in intertrigine, 449.

Scythæ ſibi apponunt pigmenta coloris diverſi, 526.

Sera noctis quid ſi, 260.

Serum acre ſenibus magis familiare, 52. Hujus cauſæ, 53. Non unam in corpore morboſo ſcenam agit, *ibid.* Rhumatiſmi nomine ſæpè deludit, *ibid.* Nunquam, aut raro febrem concitat, 54. Nunc dentes exedit, nunc in pulmones decumbit, *ibid.*

Serum lactis maximè proficuum in curatione lepræ Græcorum, 370. Purum laudatur in curatione lichenum, 249. Præſcribendum infantibus cruſtâ lacteâ laborantibus, 448.

Serum lymphæ aliquandò ſolum in phlyctœnas abit, 53.

Setaceum quandò & quomodò inſtituendum in herpetum curatione, 319.

Silac quinam morbus ſit, 620.

Sinapi ſemen veſicantium more agit, 558.

Squali catuli uſus papulas ad cutem producit, 132. Quomodò ſanandæ.

Sol nigritarum coloris cauſa, 36.

Solis actio in cutem, 36. Irradiatio potentior eryſipelata, phlegmones producit, 48.

Solis radiorum effectus in cutem, 502, 503. Phœnomena, *ibid.* Ad genus eryſipelatum à longè pertinent, 504. Effectûum diagnoſis, *ibid.* Prognoſis ſimplex, *ibid.* Radiorum actio ad eryſipelas refertur, *ibid.* Curatio, *ibid.* Duplex apud veteres, 506.

Sol innubilus raro ſubitaneas mortes producit, 505.

Somnus nitorem cuti conciliat, 44.

Sordes cuti nocere poſſunt quomodò, 65.

Sordium copia eſt in ratione directâ perſpirationis, 66. Specifica natura comprobatur ex obſervatione, *ibid.* Non eadem eſt, *ibid.* Proprium eſt epidermidem furfuraceam facere & lichenes procreare, *ibid.*

Sordities ſcabiei fomentum addit, 226.

Spaſmus atrabilariis familiaris, 495.

Spinas in oſſibus naſci non rarum, 522.

Spiritus alkali volatilis laudatus in curatione puncturæ inſectorum, 567.

Spiritus vini laudatus in pernionum curatione, 663.

— Saccharatus puſtulas enormes & pruritus excitavit, 64.

Spiritus nitri cutem flavo colore imbuit, 530.

Spirituoſorum liquorum uſus puſtulas generat, 258.

Steatoma quid, 85.

Steatomata naſcuntur à textus cellularis induratione, 47.

Strictura cutis quid ſit, 25. Quænam illiûs origo, *ibid.* Contingit in pluribus morbis cutaneis, *ibid.* Uſus ſummus eſt, *ibid.*

Stigmata quid, 524. Apud barbaros ornamento ſunt, *ibid.* Quid ſignificabant apud Latinos, *ibid.* Quomodò inurebantur cuti,

525. Quomodò deleantur, *ibid.* Apud nos infliguntur ludi gratiâ, *ibid.* Quanam arte, *ibid.* Tolli non poſſunt, niſi ſubſtantiæ deſtructione, 526. Inuruntur aliquandò ſolo ferro ignito, 526. Horum cicatrix tollitur novâ cicatrice, *ibid.*
— Cauſticorum ſuccorum ope impreſſa ſolo tolluntur tempore, 526.
Styptica ſaturnina quandò adhibenda, 162.
Succus ſedi majoris laudatus in curatione plicæ Polonicæ, 617.
Sudamina vix aliquod malum infligunt, niſi reflua, 63.
Sudor in infantibus aliquid acidi exhalat, 437.
Sudores ſemper & in omni caſu contra naturam dicendi, 13. Sæpè puncticula rubra, aut veſiculas miliares poſt ſe relinquunt, 23. Morbis cutaneis anſam præbent, 25. Soli vi tonicæ cutis debentur, 26. Vidit auctor qui excitarent ſternutationem ad ægrum accidentibus, 66. Dantur in Americanis regionibus quos comitantur puſtulæ naſcentes ſimul, ſimul concidentes, *ibid.* Maximè conferunt in herpetum ſanatione, 357.
Sudorifera lenia commendantur ſub finem curationis cutaneorum morborum depuratoriorum, 130. Opus omne abſolvunt in calidis regionibus in curatione morborum cutaneorum, 155. Ab antiquis adhibita ſub finem curationis papularum, 219. Legitimâ actione deſtituuntur, 327. Non præſcribenda corporibus facilè irritabilibus, *ibid.*
Sulphur minerale quomodò agat, 152. Attenuans potens eſt, *ibid.* Quibuſnam in morbis cutis conveniat, *ibid.* Solum axungiæ remixtum pro unguento eſt pauperibus in ſcabiei curatione, 238. Partis regulinæ antimonii vehiculum conſtituit, 331. Laudatur ad inſecta necanda, 569.
Sulphurea medicamenta laudantur in curatione cutaneorum morborum à lacte, 136.
Sulphureorum antimonialium effectus, 144.
Sulphureæ illitiones commendantur adversùs omnia inſectorum genera, 569.
Suppuratio ad fundum ulceris ſemper uberior, 8. Sæpè cauterii vicem adimplet, 435.
Suppurationes criticæ quænam ſint, 431.
Sydenhamus edixit anginam rufis eſſe metuendam, 14.
Sympatheia maxima cutem inter & genitalia organa, 28.
Sympatheiarum exempla, 65.
Syrupus de cichorio compoſitus maximè conducit in curatione cruſtæ lacteæ infantum, 447.

T

Tabaci decoctum ad fovenda infantum corpora pernicioſum, 277. Adhibitum adverſus inſectum quoddam ſingulare, 571. Hujus oleo ſagittas intingunt Americani, 556.
Tabanus quid, 561.
Taches de vin quid, 533.
Tactus in digitorum apice ſedem habet, 23. Ad univerſam ferè cutem pertinet, *ibid.* A frigore obſtupeſcit, 24. Perit paralyſi, *ibid.* A narcoticis atque vinoſis ſpirituoſis obtunditur, *ibid.*
Talpæ quid, 594.
Tapſiæ pulvis laudatur in curatione alopeciæ, arearum, & ophiaſios, 607.
Tarantulæ ſtupendos effectus falſi redarguunt auctores, 551.
Tarantulæ punctura nulla medicamenta poſtulat, 564.
Tarſi quandoquè exfoliantur, 624.
Tartarus vitriolatus laudatus in curatione ſcabiei inveteraſcentis, 238.
Tempeſtatum mutationes cuti maximè nocent, 31. Inconſtantes vices morbis cutaneis dant originem, 34.
Tenuitas cutis morboſa quænam ſit, 512. Exemplum in feminâ, *ibid.*
Terra foliata tartari commendatur in guttæ roſeæ curatione, 644.
Teſtitudinum carnis uſus elephantiaſim ſanavit, 123.
—Terreſtrium caro ſæpè effectus utiles attulit in intertriginum curatione, 455.
Textu cellulari deficiente cutis imperſpirabilis evadit, 7.
Thermintha quid, 262. Malum illud rarum apud nos, *ibid.* Cauſæ, *ibid.* A ſcorbuto quandoquè oriuntur, 263. Curatio, *ibid.*
Thermæ Balneolenſes maximè laudantur in curatione lepræ Græcorum, 369.
— Barregienſes maximè laudantur in curatione lepræ Græcorum, *ibid.*
Theæ ſorbillatio frequens vitanda in laxitate cutis, 515.
Thierri, D. M. P. theſim de textus cellularis fabricâ propoſuit, 9.
Timeleæ cortex quomodò agat in cutem, 509.
— Corticis uſus ad cutem inurendam in herpetibus, 324. Neglectior conſuetudo, 407. Effectus in cutem, 556. Nulla acrimonia venenata latet, *ibid.*
Tinctura cantharidum in herpetibus præſcripta, 333.

Tinctura ſalis tartari commendatur in morbis cutaneis à lacte, 288.

Tincturarum metallicarum actio in cutem, 530.

Tinea quid ſit, 95, 462. Hujus definitio, 463. Undè nomen, *ibid.* Quid per hanc vocem intelligant auctores, *ibid.* Quinque ſpecies numerantur à Guidone de Cauliaco, 463. Favoſa, ficoſa, amedoſa, uberoſa, lupinoſa, *ibid.* Has ad tres ſpecies reduxit Paræus, furfuroſam, ſiccſam & corrodentem, 464. Furfuroſa ad lupinoſam refertur, *ibid.* Hæc vera porrigo eſt, 464.

Tinea connata eſt, vel adventitia, 464. Connatam nullam dari credit auctor, *ibid.* Aliquandò humida eſt, aliquandò ſicca & prorſus arida, 465. Hæc vera tinea eſt, *ibid.* Recens eſt, vel vetus, 466. Utriuſque differentiæ, *ibid.*

Tinea datur venerea & ab impuro concubitu orta, 466.

Tineæ quænam ſit cauſa, 467. Effectus, *ibid.* Si ſibi relinquatur quid eveniat, 466. Retropulſa mortem infert, 467.

Tineam efficientis humoris natura quænam ſit, 468. Ad articulos tubera nodoſque rachiticos facit, *ibid.* Hunc ad melancholicum referebant veteres, *ibid.*

Tineæ cruſtæ ſuppurationem non concipiunt, 469. Harum natura & indoles, 468. Phœnomena cum acidis, *ibid.* Diverſa ſunt pro diversâ acidorum naturâ, 469.

Tinea vel levior non negligenda, 477. Si negligatur quid accidat, *ibid.* Hanc ſæpè ſanavit gravis morbus ſuperveniens, 471.

Tineæ medicinam ætas ſola ſæpè fecit, 467. Curationem nullam vult Paræus, 463. Topica relaxantia ſolùm vult adhiberi, 469. In infantibus tentari vetat, *ibid.* Hanc à venæ ſectione auſpicandam eſſe volunt auctores quàmplurimi, 469. Non tamen omnibus, nec ſemper convenit venæ ſectio, 471. Curatio duplex, 469. Altera interna, altera topica, vel localis, *ibid.* Cruſtas avelli volunt plurimi auctores, 475. Lotiones aromaticæ & ex aquâ leniter alkalinâ ſolæ permittendæ, 477. Interna quænam adhibenda, 470. Vivida & acris periculoſa, *ibid.* Leniorem methodum curatoriam proponit auctor, *ibid.* Regimen prorsùs invertendum, 471. Diæta arctior imperanda, *ibid.* Antimonialia adhibere non inutile, 472. Mercurialia locum opportunum inveniunt quo in caſu, *ibid.* Cauterium inuri prodeſt, 471. Aperientia omnia commendat auctor, 472. Juſcula è viperarum carne rejicit, *ibid.* Curationem auſpicandam eſſe vult diluentibus, poſteà ad potentiora corpuſque immutantia deveniendum, 473. Sub finem, chinæ radicis uſum præſcribit auctor, 478. Huic finem imponere lactis uſu ſuadet, 474. Quo in caſu, *ibid.* Diù remediis inſiſtendum, *ibid.* Curatio non eadem pro omnibus, *ibid.*

Tipulæ quid, 561.

Titillatio in morbis cutaneis maximum tormentum, 24. Non omnibus cutis partibus æque communis, *ibid.* Levi & obtuſo concuſſu concitatur, 25.

Tonica vis quid ſit, 25. Cuti etiam laxæ competit, *ibid.* Minor in cadavere, major in vivente, *ibid.*

Tonica ſtomachica quandò proficua in curatione morborum cutaneorum depuratoriorum, 129. Adhibenda ſunt ſub finem curationis herpetum, 337.

Topica quandò & quænam apponenda in curatione morborum cutaneorum, 158. Quibus in caſibus applicanda, 161. Incipienti malo cutaneo, aut adulto obtrudere piaculum eſt, 162. Nociva in quibuſdam eryſipelatis ſpeciebus, utilia in aliis, 209. Quomodò haberi debeant in mutatione eryſipelatis, *ibid.* Nihil conferunt in ſcabiei inveteraſcentis curatione, 237. Quandò conducant & quænam, *ibid.* A veteribus applicata duplicis erant generis, 340. Triplici in caſu proſunt in herpetum curatione, 342. Quænam, 343. Quo tempore admoveri debeant in herpetibus, 342. In curatione lepræ Græcorum, 370. Quænam adhibenda in curatione favorum, 441. Intertriginibus convenientia ex diluentibus atque refrigerantibus petenda, 453. Quænam adhibenda in tineæ curatione, 476, 477. Nocent in eryſipelatoſis tumoribus, 635. In guttâ roſeâ, 645.

— Adſtringentia cuti applicata nociva, 628. Quo in ſtadio morbi adhibenda, 163. Quænam cautelæ ſervandæ, *ibid.*

— Emollientia tantùm conducunt in herpetum curatione, 340. Reſolventia quandò adhibenda, quandò rejicienda, 161, 162. Exulent in herpetum curatione, 340.

Topicorum uſus maximæ artis opus in morborum cutaneorum curatione, 322. Adminiſtratio maximi ponderis in herpetum curatione, 340.

Topicum Galeni in favis apud ruſticos quodnam ſit, 477.

Trachôma quid, 624.
Trichiaſis quid, 618. Duplicem agnoſcit cauſam, 619. Diagnoſis, *ibid.* Prognoſis, *ibid.* Curatio, *ibid.*
Tricæ incuborum quid, 608.
Trillerus edixit anginam rufis eſſe metuendam, 14.
Tumor uterum depaſcens ſanatus per fluentia mucoſa ulcera, 58.
Tumores in genere quid, 85. Dantur quæ nullam patiuntur ſuppurationem undè, 444.
Tumores cyſtici in cute capillatâ frequentiſſimi, 626. Diverſæ naturæ, 627. Horum cauſæ, *ibid.* Generantur à neglectâ capillorum curâ, 628. Diagnoſis, *ibid.*
Tumores depuratorii quid, 190. Duplex horum genus exurgit, *ibid.* Ficoſi quid, 545. Horum duæ ſunt ſpecies, *ibid.* Aliquandò connati ſunt, *ibid.* Figurâ variant, *ibid.* In quanam cutis parte naſcuntur, *ibid.* Horum curatio, 546.
Tumores in naſo quinam, 647. Cauſæ, *ibid.* Curatio, *ibid.* Lactei quid ſint, 285. Diagnoſis, *ibid.* Prognoſis, *ibid.* Curatio, 286. Mucoſi, 191.
Tumores noli me tangere dicti quid, 544.
Tumores ſeroſi quid, 190.
Turnerus jubet applicari emplaſtrum de pice in curatione tineæ, 475. Vix à veterum opinione diſſentit in herpetum curatione, 321.

V

VARI quid ſint, 539. Ægritudinem vix conſtituunt, *ibid.* Undè pendeant, *ibid.* Cuinam ætati magis competant, 105. Connati ſunt, vel adventitii, 539. Varia eſt connatorum figura, *ibid.* Cauſæ, 540. Symptomata nulla, *ibd.* Diagnoſis à viſu pendet, *ibid.* Prognoſis, *ibid.* Extremitatibus corporis innaſcuntur, 540. Ægritudinem conſtituunt ad decorationem pertinentem, 541. A frictionibus mercurialibus repentè orti, *ibid.* Horum curatio, *ibid.* Cauſticis tentanda eſt, *ibid.* Quænam cautelæ adhibendæ, *ibid.* Curationem nullam tentandam eſſe ſuadet auctor, 541.
Vari faciei quid, 638. Horum cauſæ, 639. Curatio, *ibid.*
Varices leves ortæ ab hæmorroidibus ſuppreſſis, 49.
— Palpebrarum quid, 624.
Variolæ partes corporis mucoſas adoriuntur, 55. Novam formam muco imprimunt, demonſtrante inſitione, *ibid.* Efficiunt ulcera mucoſa, *ibid.* Morbis cutaneis pluribus præbent originem, 63. Graviditatis tempore ſanatæ triſtes reliquias infantibus naſcentibus inurunt, 64. Inter depuratorios morbos reponuntur, 167. Legitimæ ad phlegmonis naturam pertinent, 185. Benignæ, aut malignæ pro diverſitate naturæ muci, 268. Rufis periculoſiores, 14, 72, 537.
Variolarum ſpuria genera ad eryſipelas revocari debent, 184.
Vegetantium pungentium effectus in cutem, 529. Uſtionis ſenſus undenam, *ibid.* Horum curatio, *ibid.*
Vena medinenſis quid ſit, 71, 588. Hujus natura, *ibid.* Quodnam hominum genus adoriatur, *ibid.* Generatio nondùm penitùs cognita, 589. Cauſæ, *ibid.* Effectus, *ibid.* Hujus è corpore excretionis phœnomena, *ibid.* Quibuſnam in locis natales habeat præcipuè, *ibid.* Hujus generationem maximè promovet victûs ingluvies, 590. Diagnoſis, 591. Prognoſis, *ibid.* Curatio, *ibid.* Quænam in curatione cautelæ adhibendæ, *ibid.* Curatio apud vulgus pauper, 592. Topica curatio quænam ſit, 469. Huic duo addit Kempferus, 592.
Venena cancroſa ſæpè ab unicâ glandulâ per totam cutem exportantur, 70.
Venena quædam dantur quæ in herpetes mutari poſſunt, 313. Exempla afferuntur, *ibid.*
Venena lenta ſunt, vel acuta, 380.
Venenum quodcumque compactum & ſolidatum vix nocere poteſt, 70.
Venenorum actio in cutem, 551. Horum hiſtoria non minimam afferret lucem, *ibid.* Diverſæ ſunt horum ſpecies, 553. Diverſus agendi modus, *ibid.*
Venereum virus in herpetes mutari viſum eſt, 313.
Veneris præpoſterum exercitium puſtuloſam in cute deformitatem inducit, 45.
Venæſectio laudatur in primo tempore curationis eryſipelatis, 202. Poteſt nocere, 204. Adhibenda in papularum curatione, 217. Quibuſnam conveniat in herpetum curatione, 324.
Venti exurentes inter cauſas morborum cutaneorum peculiares referuntur, 36.
Ventriculus primarium cum cute conſenſum obtinet, 26. Exemplum in feminâ nobili, 27.
Ventriculi affectiones in cute vultûs pinguntur, 37.
Ventriculus furunculi quid, 418.
Verrucæ quid, 86. Diagnoſis, *ibid.* Prognoſis, *ibid.* Quid, 542. Nullus ineſt iis ſenſus,

ibid. Harum origo & cauſæ, *ibid.* Quibuſdam artificibus familiares ſunt, 542. Nunquam connatæ ſunt, *ibid.* Harum diagnoſis ſimplex eſt, 543. Prognoſis, *ibid.*

Verrucæ quænam ſponte ſanentur, 543.

Verrucarum curatio, 544. Diæta tenuis imperanda, *ibid.* Exercitia dura vitanda ſunt, 545. Frictiones ſiccæ vitandæ ſunt, *ibid.*

Verrucæ quandò arte chirurgicâ tollendæ, 157. An ferro, an cauſtico, *ibid.* Quænam cautelæ adhibendæ, *ibid.* Sanatæ lactis aſinini uſu, 544.

Verrucis ſimplicibus nimiâ celeritate cauſtica adhibebant antiqui, 544.

Verrucæ cancroſæ dantur, 543. Malignæ jure nuncupantur. Harum ſymptomata, *ibid.* His cauſtica profuiſſe vidit auctor, 544.

Verrucæ ſeſſiles quid, 540. Penſiles quid, *ibid.*

Verrucæ dantur venereæ, 543.

Verrucarum faciei natura, 638. Cauſæ, *ibid.* Diagnoſis, *ibid.* Curatio, *ibid.*

Vermes poſſuntne vivam carnem adoriri? 573.

— Videre in ulceribus cacoethicis non rarum, 573. Minùs frequens in noſtris regionibus, *ibid.*

Vermium è corpore egreſſorum afferuntur exempla, 582.

Verminoſa lues pro ſcabiei causâ à pluribus Medicis habita, 230.

Veſica herpetico malo ſæpè laborat, 27. Non ſemper immunis ab herpetico fomite, 332.

Veſicantia quænam ſint & quomodò agant, 67. Quandò proficua in herpetibus, 325. In acutis cruſtam mucoſam aliquandò exhibent, 443. Intertriginem non ſublevant, malum potiùs augent, 451.

Veſicatoria proficua in herpetum curatione, 342. Quo in caſu, *ibid.* An in viciniâ, an è directo apponenda, *ibid.*

Veſlingius corniculam enatam ad frontem eduxit, 519.

Veſparum puncturæ cujus ſint naturæ, 563.

Veſtes piloſæ rudiori attactu morbis cutaneis anſam præbere poſſunt, 68.

Veternoſi morbi oriuntur à ſuppreſſis hæmorroidibus, 49.

Vetulorum corpora herpetibus ſuſcipiendis idonea ſunt, 456.

Vibices relinquuntur ſæpè à flagro & verberibus, 526. Horum phœnomena, *ibid.* Curatio, *ibid.*

Vibicibus emplaſtica non ſunt admovenda, 527.

Victus è vegetantibus petitus à morbis cutaneis liberat, 42. Durior inſtituendus in herpetum curatione, 326. Inordinatus ad ſcabiei generationem confert, 229. Tenuis non acris, ſed analepticus ſub finem curationis herpetum, 338.

Victûs conditio non tantùm morbis chronicis inducendis apta eſt, ſed etiam acutiſſimis, 359.

Vigiliæ pallorem faciei inferunt, 44. Procreant herpetes, puſtulas, eryſipelata, *ibid.* Ariditati cutis conferunt, 498.

Vincula ſtrictiora inter morborum cutaneorum cauſas numeranda, 69.

Vinum meracius colores faciei ſubitò afflat, 27. Aliquam habet efficaciam ad deturpandam faciem, 40. Eò majorem, quò ſpiritu magis ſcatet, *ibid.* Infantili ætati nocivum, 122. Modicè potum puſtulas delevit, 261. Hungaricum fœtorem induxit axillis, 657. Meracius intertriginem ſubitò produxit, 450.

— *Stibiatum* felicem effectum ſpondet in curatione elephantiaſeos, 388. Hujus uſus refractâ doſi herpetes rebelles debellavit, teſte Huxhamio, *ibid.* Illiûs uſu fugatæ orthopneæ ab herpetibus retropulſis natæ exemplum affert auctor, *ibid.*

Viperina aliquam ſervant analogiam cum humore perſpiratorio, 129.

Viperæ antiquiſſimum conſtituunt remedium in herpetum curatione, 327. Carnis uſus elephantiaſim ſanavit, 123. Virtus à quo pendeat, 153.

Viperarum uſu ſolo elephantiaſim ſanatam ſcribit Aretæus.

Vir militaris ſanitatem & vitam periodico herpetis miliaris tormento redemiſſe videtur, 303.

Virgines malè menſtruatæ piloſæ evadunt, 13.

Viri ante feminas calveſcunt & caneſcunt, 597.

Vita in perpetuo fluxu atque refluxu perſpirationis conſiſtit, 32. Suſtentari non poteſt alimentis ad alkali volatile tendentibus, 41.

Vitiligo quid ſit, 350, 352. Dividitur in duas ſpecies quæ dicuntur leucè & melas, *ibid.* Eſt morbus merè lymphaticus, ſed rebellis, 351. Cauſæ, 352. Proximæ, 353. Remotæ, *ibid.* Symptomata, *ibid.* Inter morbos lentos numeratur, *ibid.* In quos præcipuè ſæviat, *ibid.* Prognoſis, 354. Scorbutum & gangrænam ſæpè produxit, *ibid.*

Curatio duplex eſt, topica & interna, *ibid.* Alia in recenti, alia in inveteratâ, *ibid.*

Vitiligo nullum cicatricis veſtigium relinquit, 355.

— Alba quid, 92.

Vitiliginis maculæ nigrorem contrahunt an fauſto omine? 353.

Ulcera in genere quid, 79. Undenam oriuntur, *ibid.* Ulcerum differentiæ, 80. Diagnoſis, *ibid.* Prognoſis, *ibid.* Maligna ſunt, vel benigna, 81. Quænam maligna, *ibid.* Quænam benigna, 82. Ulcerum cruſtæ color quid indicet, *ibid.* Curatio, 83. Ulcera aquoſa quid, 84. Undenam pendeant, *ibid.* Mucoſa, *ibid.* Quibuſnam familiaria, *ibid.*

Ulcera ſanalia quid ſint, 433. Ulceribus quibuſnam innaſcantur vermiculi, 81.

Undimiam, vide *Eryſipelas humidum*, 193.

Ungues quot numero, 15. Horum origo, *ibid.* Fabrica, *ibid.* Partes, *ibid.* Tres diſtinguuntur, *ibid.* Horum texturam auctori exhibuit Deſcemet, D. M. P. 16. Interna lamina ſummè ſenſilis, *ibid.* Externa ſenſu prorſùs deſtituitur, *ibid.*

Ungues in fœtu molliſſimi, 16. Increſcente ætate fiunt duriores, *ibid.* Incurvantur in phthiſicis, *ibid.* Suppuratione decidunt abſque dolore, *ibid.* Evelluntur non ſine ingentibus cruciatibus, *ibid.* In aquâ frigidâ vix immutantur, 17. Emolliuntur in calente, *ibid.* Acidis eroduntur, *ibid.* Combuſti odorem fetidum emittunt, *ibid.* Uſus, 21.

Unguentum ad tineam à Paræo deſcriptum, 476. Adverſus plicam commendatur, 618.

— Mercuriale laudatur in ſcabiei curatione, 236. A morbis cutaneis rebellibus ad luem veneream detortum fuit, 570.

— Maximè laudatum in pediculari morbo, 580.

Unguenta ſulphurata commendantur in ſcabiei recentis curatione, 236.

Urina larga ſuppreſſæ ſubitò perſpirationis mala tollit, 47. Craſſa & copioſè diffluens liberat à ſuppurationibus, 431.

Urinæ excretio non ſub artis imperio eſt, 332. In ſcabie quomodò ſe habeat, 228.

Urinarum inſpectio ſummi momenti in curatione morborum cutaneorum, 142.

— Via raro integrè vitiatam vacuat materiem, 204.

— Excretioni nullatenùs fidendum in primâ ætate, 411.

Urticæ quomodò agant in cutem, 555.

— Marinæ effectus, 554.

Vulvæ labia odorem fetidum emittunt, 19.

Y

Yaws morbus quid, 389. Nemini parcit in Guineâ, *ibid.* Hujus deſcriptio, *ibid.* Puſtulas producit majores in carnoſis, minores in macilentis, 390. In incrementis diuturnus videtur, *ibid.* Statas periodos obtinet, *ibid.* Morbus contagioſus eſt, *ibid.* Sibi relictus periculoſus evenire poteſt, *ibid.* Hujus diagnoſis à quo pendeat, *ibid.* Non multùm abludit à leprâ Hæbreorum, 391. Hujus curatio, *ibid.* Tres periodi in curatione diſtinguendæ ſunt, *ibid.* In primâ, ſemicupia, diætam diluentem ſuadet auctor, 392. In ſecundâ uſus mercurii dulcis adhibetur, *ibid.* In tertiâ electuarii cujuſdam uſuram & ſudorifera præſcribuntur, 393. Recidivam non patitur, 394.

Z

Zona Plinii quid, 210. Quoſnam aggrediatur, 405. Quaſi epidemicè ſemper ingruit, *ibid.* Ignis ſacri ſpecies eſt frequentiſſima, 404. Hujus prognoſis, *ibid.* & 405. Lethalem pronunciat Plinius, *ibid.*

Æ

Ærugo ſuſpectum jure remedium, 476.

Æthiops martialis prodeſt puellis non ritè menſtruatis, 478.

— Mineralis maximè confert ad herpetes debellandos, 476.

Finis Indicis Rerum.

ERRATA.

E R R A T A.

PAG. 8, *lin.* 10, *poſt* cum *lege* ad
Pag. 23, *lin.* 17, dilatabilis *lege* dilatabili
Pag. 37, *lin.* 18, lentæ *lege* lentâ
Pag. 52, *lin.* 2, ejuratus *lege* ejulatus
Ead. pag. lin. 32, revocanda *lege* revocandis
Pag. 57, *lin.* 24, obſolutos *lege* abſolutos
Pag. 58, *lin.* 34, quarum *lege* quorum
Pag. 61, *lin.* 26, ipſam *lege* ipſum
Pag. 64, *lin.* 10, articulis *lege* articulos
Pag. 70, *lin.* 5, pluraque *lege* pleraque
Pag. 78, *lin.* 1, deſcrimen *lege* diſcrimen
Pag. 79, *lin.* 4, veteris *lege* veteres
Pag. 89, *lin* 12, nutuendæ *lege* metuendæ
Ead. pag. lin. 26, *poſt* relinquunt *lege virgulam*
Pag. 100, *lin.* 4, Accolæ *lege* accolæ
Pag. 104, *lin.* 10, mutuenda *lege* metuenda
Pag. 107, *lin.* 14, ad orta *lege* adortus
Pag. 121, *lin.* 20, illum *lege* illud
Pag. 141, *lin.* 24, in *lege* iis
Pag. 143, *lin.* 4, *poſt* obverſabuntur *lege* cauſæ
Pag. 152, *lin.* 35, illæ *lege* illa
Pag. 157, *lin.* 4, familiares *lege* familiaria
Pag. 160, *lin. penult* rumpant *lege* rumpat
Pag. 162, *lin.* 30, concedit *lege* concidit
Pag. 163, *lin.* 17, nimio *lege* minio
Pag. 168, *lin.* 10, affectibus *lege* effectibus
Ead. pag. lin. 22, nixum *lege* nexum
Pag. 172, *lin.* 30, ſævi *lege* ſeri
Pag. 192, *lin.* 31, undè *lege* indè
Pag. 202, *lin.* 11, ſi *lege* ſic
Pag. 203, *lin.* 31, deſumenda *lege* deſumendos
Pag. 207, *lin. penult.* exhibere *lege* exhibita
Pag. 230, *lin.* 11, *poſt* quoſvis *ſupple* inferunt
Pag. 242, *lin.* 5, camphorata *lege* camphoratæ
Pag. 273, *lin.* 21, defluente *lege* diffluente
Pag. 282, *lin. ultimâ*, ſenta *lege* ſentu
Pag. 302, *lin.* 31, *loco* poſt confectis morbo longa tempora *lege* confectis morbo poſt longa tempora
Pag. 303, *lin.* 3, hempligiâ *lege* hemiplegiâ
Pag. 305, *lin.* 4, *dele* non
Pag. 306, *lin.* 13, flaminis *lege* flammis
Pag. 333, *lin.* 18, *dele* non
Pag. 375, *lin.* 4, ſporinga *lege* ſporing
Pag. 408, *lin.* 28, in caſu quo *lege* in quo caſu
Pag. 410, *lin.* 14, ſit *lege* eſt
Pag. 430, *lin. ultimâ*, humoris *lege* tumoris
Pag. 437, *lin. ultimâ*, eorum *lege* earum
Pag. 455, *lin.* 20, ita *lege* illa
Pag. 485, *lin.* 15, ſemper *lege* ſeu per
Pag. 501, *lin.* 17, qui *lege* quæ
Pag. 521, *lin.* 18, *poſt* ſtalport *dele virgulam*
Pag. 548, *lin.* 13, crucifragium *lege* crurifragium

ERRATA.

Pag. 549, *lin.* 35, non omnes *lege* omnes
Pag. 553, *lin.* 29, habitu *lege* halitu
Pag. 564, *lin.* 14, ſpondylii *lege* ſphondylii
Ead. pag. *lin.* 29, reſiſtentes *lege* reſiſtentia
Pag. 595, *lin.* 11, videamus *lege* videamur
Pag. 600, *lin.* 15, capillis *lege* capitis
Pag. 611, *lin.* 18, vitulos *lege* vetulos
Pag. 623, *lin.* 5, eorum *lege* earum
Pag. 650, *lin.* 5, indequaque *lege* undequaque

APPROBATIO.

ILLUSTRISSIMI Sigillorum Cuſtodis juſſu Manuſcriptum legi, cui titulus *De Morbis Cutaneis*, auctore D. LORRY, &c. tantæ molis, tantâque ſolertiâ & eruditione elaboratus hicce Tractatus mihi viſus eſt, ut ipſum qui typis mandetur digniſſimum cenſeam. Datum Pariſiis vij Decembris an. M.DCC.LXXV.

P. DEMOURS.

PRIVILEGE DU ROI.

LOUIS PAR LA GRACE DE DIEU, ROI DE FRANCE ET DE NAVARRE, à nos amés & féaux Conſeillers, les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, Grand Conſeil, Prévôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenans Civils, & autres, nos Juſticiers qu'il appartiendra: SALUT, notre amé le ſieur CAVELIER, Libraire, Nous a fait expoſer qu'il deſireroit faire imprimer & donner au Public un Ouvrage qui a pour titre : *De Morbis Cutaneis, auctore D.* LORRY, *Hippocratis Aphoriſmi, curante eodem auctore*; s'il nous plaiſoit lui accorder nos Lettres de Privilége pour ce néceſſaires. A CES CAUSES, voulant favorablement traiter l'Expoſant, Nous lui avons permis & permettons par ces Préſentes, de faire imprimer ledit Ouvrage autant de fois que bon lui ſemblera, & de le vendre, faire vendre & débiter par tout notre Royaume, pendant le tems de ſix années conſécutives, à compter du jour de la date des Préſentes. FAISONS défenſes à tous Imprimeurs, Libraires & autres perſonnes de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, d'en introduire d'impreſſion étrangere dans aucun lieu de notre obéiſſance : comme auſſi d'imprimer, ou faire imprimer, vendre, faire vendre, débiter, ni contrefaire ledit Ouvrage, ni d'en faire aucuns extraits ſous quelque prétexte que ce puiſſe être, ſans la permiſſion expreſſe & par écrit dudit Expoſant, ou de ceux qui auronr droit de lui, à peine de confiſcation des Exemplaires contrefaits, de trois mille livres d'amende contre chacun des contrevenans, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, & l'autre tiers audit Expoſant, ou à celui qui aura droit de lui, & de tous dépens, dommages & intérêts; à la charge que ces Préſentes ſeront enregiſtrées tout au long ſur le Regiſtre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris, dans trois mois de la date d'icelles; que l'Impreſſion dudit Ouvrage ſera faite dans notre Royaume, & non ailleurs, en beau papier & beaux caracteres, conformément aux Réglemens de la Librairie, & notamment à celui du 10 Avril 1725, à peine de déchéance du préſent Privilége; qu'avant de l'expoſer en vente, le manuſcrit qui aura ſervi de copie à l'Impreſſion dudit Ouvrage, ſera remis dans le même état où l'Approbation y aura été donnée, ès mains de notre très-cher & féal Chevalier, Garde des Sceaux de France, le ſieur HUE DE MIROMÉNIL; qu'il en ſera enſuite remis deux Exemplaires dans notre Bibliotheque publique, un dans celle de notre Château du Louvre, un dans

celle de notre très-cher & féal Chevalier, Chancelier de France, le ſieur DE MAUPEOU, & un dans celle dudit ſieur HUE DE MIROMÉNIL : le tout à peine de nullité des Préſentes : DU CONTENU deſquelles vous MANDONS & enjoignons de faire jouir ledit Expoſant & ſes ayans-cauſe, pleinement & paiſiblement, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit fait aucun trouble ou empêchement. VOULONS que la copie des Préſentes, qui ſera imprimée tout au long, au commencement ou à la fin dudit Ouvrage, ſoit tenue pour duement ſignifiée, & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amés & féaux Conſeillers, Secrétaires, foi ſoit ajoutée comme à l'original. COMMANDONS au premier notre Huiſſier ou Sergent ſur ce requis, de faire pour l'exécution d'icelles, tous actes requis & néceſſaires, ſans demander autre permiſſion, & nonobſtant clameur de Haro, Charte Normande, & Lettres à ce contraires : CAR tel eſt notre plaiſir. DONNÉ à Verſailles, le quatorziéme jour du mois de Mars, l'an de grace mil ſept cent ſoixante-ſeize, & de notre regne le deuxiéme. Par le Roi en ſon Conſeil.

Signé, LE BEGUE.

Regiſtré ſur le Regiſtre XX de la Chambre Royale & Syndicale des Libraires & Imprimeurs de Paris, N°. 400, fol. 120, conformément au Réglement de 1723. A Paris, ce 22 Mars 1776.

Signé, LAMBERT, *Adjoint.*

De l'Imprimerie de CHARDON, rue Galande, 1777.